



389.

~~527~~

566

9.360

~~A. 56~~

~~387~~

AGVIRRE
PHILOSOPHIA
MORALIS
PARS PRIOR

9.360

~~387~~

~~1. 1. 1.~~

AGVIRRE

PHILOSOPIA

MORALIS

PARS PRIOR

PHILOSOPHIA
MORALIS

AB ARISTOTELE TRADITA
DECEMLIBRIS ETHICORVM AD NICOMACHVM:

A IOANNE ARGYROPILO BYZANTINO
LATINE REDDITA:

NVNC PERPETVO COMMENTARIO, LITTERALI ET
SCHOLASTICO, PLENISSIME ILLUSTRATA:

AUCTORE

R. P. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE,
BENEDICTINÆ CONGREGATIONIS HISPANIARVM GE-
NERALI MAGISTRO, REGII AC SVPREMI S. INQVIVISIONIS SENATVS CEN-
SORE, ET A SECRETIORIBVS CONSILII IPSIVS, IN SALMANTICENSI ACA-
DEMIA PROFESSORE LAVREATO, PHILOSOPHICÆ CATHEDRÆ ANTE-
CESSORE EMERITO, INSIGNIS COLLEGII D. VINCENTIO SACRI
SEPTEM IAM ANNIS PRIMARIO STVDIORVM REGEN-
TE, OLIM ABBATE COLLEGII D. ANDRÆ
DE ESPINAREDA.

OPVS ETHICVM

PHILOSOPHIS, VTRIVSQUE IVRIS CANDIDATIS,
THEOLOGIS, ET ERVDITIS QVIBVSLIBET, AC VERÆ
HONESTATIS AMATORIBVS, IVCVNDVM
ET PERVTILE FVTVRVM.

QVASI PRAECVRSORIVM AD DISPVTATIONES
ETHICAS EIVSDEM AVCTORIS SEORSIM
ALIO VOLVGINE EDENDAS.

Catholicae Maiestatis Privilegio, & Superiorum permissu.

SALMANTICÆ:

Apud LVCAM PEREZ. Anno M. DC. LXXV.



PHILOSOPHIA

MORALIS

AB ARISTOTELE TRADITA

DECEMLIBRIS ETHICORVM AD NICOMACHVM

A IOHANNI ARCTORPIO STAZANTINO

LATINE REDDITA

IN VNICO PERPETVO COMMENTARIO, LITTERALI ET
SCHOLASTICO, RENEISSANTIAE REPERTA

AVCTORE

R. P. R. IOSEPHO SAENZ DE AGUIRRE
BENEDICTINE CONGREGATIONIS HISPANICAE
MAGISTRO, REGIO IN PRAESIDIUM
SORE ET A SECRETIO HISPANICAE REGIAE
DIGNA PROFESSORE ET V. J. O. HISPANICAE
CASSONE EMERITO, IN PRAESIDIUM
SEPTENTRIONALI PRAESIDIUM
IN OLM NOTAE COLLEGIUM
DE ESTREMA

OPVS ETHICVM

PHILOSOPHVS VTRIVSQVE IURIS CANDIDATVS
THEOLOGVS, ET ERVADITVS QVODVBIET
HONESTATE AMATORIVS
ET SERVITVS

QVAS PRAECVRSORIVM AD DISPVTATIONES
ETHICAS EIVSDEM AVCTORIS SEORSIM
ALIQVOTIMVS

~~~~~

Catholicae Maiestatis Privilegio

~~~~~

SALMANTICAE

Apud IVCAM PEREZ. Anno M. DC. LXXV.



EXCELL^{MÆ} PRINCIPI
D. D. MARIAE NIÑO
COMITI VILLÆ-UMBROSÆ,

ET CASTRINOVI, MARCHIONISSÆ DE QUINTANA,
DILECTISSIMÆ ET DIGNISSIMÆ VXORI EXCELSI PRINCIPIS D. D. PETRI
NUÑEZ DE GYZMAN, REGIO AC SUPREMO IVSTITIÆ PRÆFECTI
PRÆTORIO, HISPANIARVM GVBERNATO-
RIS PRIMI, &c.



ONARIO Huic Salmanticensium Athenarum, adesto be-
nignum fidus, EXCELLENTISSIMA PRINCEPS.
Notum est, quantum possint astra, quantum valeat con-
stellationis qualitas in genitura foetus. PHILOSOPHIA
ETHICA nunc primum sub Hispano cœlo oritur. Illa
ipsa, quæ olim Regibus, Principibus, & Sophis primæ ac summæ notæ
cordi ac venerationi fuit. Nescio quàm ob causam nemo tot præstantium
Virorum, quos semper Hispania protulit, nunquam incubuerit edendo
huic nobilissimo foetui. Nascitur itaque sub præclaro sidere Nominis
Tui. Utinam & sub benigno aspectu. Sed quid? Non, nisi grata facie,
excipere illum poteris, quæ vultu imperare digno intuentium quorumli-
bet oculos beas. Nimirum, iuxta illud cuiusdam Poetæ,

Vt Sol in cœlis, ut lux in Sole, videtur

Virtus in vultu sic habitare Tuo.

Speçtator quicumque venit, discedit amator:

Aut illum Virtus, aut Tua forma capit.

VERVM & humanior adhuc erit maiestas vultus ad munera litterarũ.
Vel averfam frontem converterent hæc animi lenocinia. Nempe, TIBI
à tenera ætate in votis, in delicijs fuerunt. Sophiani ipsam nobilitasti, &
obstrinxisti, quæ Princeps foemina, quæ Heroïna, quæ pulchritudinis ex-
plar mirum. Plus nimio virgineus est pudor mulierum, quæ litterarum
studium, quasi aliquid virile, averfantur. O sæcula! Olim non sic. Cla-
rissimæ Heroïnarum Divæ illi adolebant thura, eiusque adyta frequenta-
bant, aut ambibant. Facebant quibus tantum oblectamento sunt moni-
lia, murenulæ, & quidquid mundus muliebris est. Restituiisti planè, ve-
luti postliminio, aureum illud ævum Probæ Falconiæ, Eudoxiæ, & simi-
lium. Pulchræ etiam, quantum elegantis formæ adu. ut, tantumdem

minùs mentis præferunt, generatim ferè. Miraculo itaque accensendum, quòd speciosissima omnium, & imperio digna, ob præcellentes corporis dotes, animo etiam atque ingenio vsque adedò excellas. Historia, Rhetorica, Poesis, Mythologia, deliciae tuæ sunt. Latinae linguæ maiestas in ore Tuo regnat, & splendorem verè Romanum retinet. Græca etiam, licet abstrusior, allicit & demulcet. Gallica & Italica, quamvis exteræ, TIBI familiares sunt, atque in vsu expedito & facili. vt nemo iam miretur, si apud Pollium Trebellium legat, Zenobiam Palmirenarum Reginam plures linguas didicisse. Mathematicis disciplinis, quas nec leviter libare solent, vel ij ipsi, qui litterati & libelliones audiunt, dies noctesque devovere soles. Quas horas aliæ impendunt purpuris & cæruleis, eas melius collocas in cælorum motibus explorandis, & cursibus astrorum. Sphæra illa cœlestis, quàm latè, quàm in immensum patet, quàm multis sideribus plena est, veluti ad tabellam, aut globum coacta, ob oculos mentis Tuæ versatur. Systemata varia, phænomena mira, constellationes, seu siderum errantium atque inerrantium congressus, TIBI perspecti sunt. Videat, & miretur hoc tæculum. Novi hæc omnia ipse, qui scribo; & humanissimo ac frequenti alloquio Tuo vera didici. Quin & iuxta Platonis votum, Dialecticæ & Physiologiæ adyta ingredi nolui, nisi præeunte Geometriæ studio. Nimirum præ foribus Academiae, scriptum erat: *Μηδεις ἀποκλείεται τῆς εἰσιτίας.* *Nemo, nisi Geometra, ingrediatur.* Ita planè observas, & globum ex cælo terraque compactum metiris. Quasi dicere possis cum Seneca Epistol. 95. *Totum mundum scrutor; nec me intra contubernium mortale contineo.* Accedit & Sanctorum Patrum, & Scriptorum cuiusque generis lectio assidua.

Tota quanta est lectissima Bibliotheca Excellētissimi Comitum, & Sponsi Tui, quàm plena, quàm dives, tum manuscriptis, tum editis voluminibus, adhuc angusta est capacissimæ menti Tuæ. Deceret planè, vt sic ille est summus Hispaniæ Gubernator, ac Præstes virorum, sic esses Moderatrix Regni, ac Præstita foeminarum. Parum hoc. Regina es; Augusta es, Imperas planè, & antistas cæteris aureo sapientiæ atque eruditionis diademate. Parum esset, si regnares sola pulchritudine corporis, quæ caduca & fluxa; nisi & animi, quæ æyiterna.

Meruisti Sponsum mentis capacissimæ, & ad omnia natæ. Meruisti qualem habes, non modò Regum Legionis & Castellæ iustam propaginem, vt responderet origini Tuæ multipliciter etiam Regiæ; sed & amplissimæ & immensæ propemodum mentis Virum. Testes advoco Supremos ipsos Hispaniæ Senatus, quibus quotidie in ore, in admiratione

ne est. *Cum tot sustineat, cum tanta negotia solus, non premitur, sed nec
fatiscit. Res sacrae, politicae, militares, tot Regnorum utriusque Orbis, &
adeo diversarum Nationum, ab eius cura & providentia pendent. Quid-
quid pacis, quidquid iustitiae, quidquid dextri regiminis, in hac tenella
aetate Nostri Regis Catholici est, illius directioni adscribendum. Quod
Brabantia, & finitimae Belgij Provinciae, quod Cataloniae Principatus,
quod Burgundia, assiduae hostium irruptioni non cesserint, sed restiterint,
non magis Ducibus strenuis Hispani exercitus asserendum, quam Excel-
lentissimo Sponso Tuo, qui militares copias, arma, stipendia, annonamq;
eo mittere curavit. Quod Ecclesiae dignis Pastoribus commissa sint, quod
Praefecturae, & Magistratus, probatis litteratisque hominibus iniungan-
tur, ipse in causa est. Quod haec Orbis Christiani Athenae illustribus Pro-
fessoribus praeditae sint, & pretium sudoris sui unicuique tribuatur in ca-
thedris promerendis, eidem acceptum fertur. Nimirum (quod olim de
Parmenione, primo Alexandri Magni administro, dictum a Curtio) *mul-
ta sine Rege prospere, Rex sine illo nihil magna rei gessit.* Nec bello, nec pa-
ce geritur quidquam alicuius momenti sine illius consilio & nutu. Quin
& ubi Senatorum placita divisa sunt, & utrimque dubia res est, synder-
sim plane divinam ostendit. Omnium quippe iudicia quasi in unum colli-
git, & ex unoquoque id seligit, quod apparet optimum. Sic plane sibi Con-
siliariorum animos devincit, veluti media quadam via, & dextro iudicio:
ut non tam videatur privatum ductum sequi, quam aliorum. Scilicet, sin-
gulari Dei beneficio id coelestis prudentiae genus assecutus, in rebus po-
liticis *τὸ πρῶτον ἐπιπέμπει τὸν ἄριστον προσέθηκε, quintam illam essentiam invenit.* quod
Ammonius de Aristotele aiebat.*

SIC Plane sic decuit maritali Heroinam eximia mentis, & capaci-
tatis mirae. Neque enim minoris meriti Sponso digna eras. At cur non, ut
aiebam, mulierum Antistita constituaris, quemadmodum & ille virorum
Praefes? An quod illae praestando consilio minus idoneae sint? Sed obsistit
exemplum multiplex, praesertim Lacedaemoniorum, qui teste Paulo Dia-
cono *lib. 13.* quamvis sapientes, consilia a suis vxoribus exquirebant, &
postea ijs inscijs ea exequiebantur. An quod ministerio publico ineptae?
Verum testimonio Aristotelis *lib. 2. Politicorum cap. 9.* *ὡπὲρ τοῖς Λακεδαίμονσι τὸ πρῶτον
ἐπιπέμπει, καὶ πολλὰ διακρίτο ὑπὸ τῶν γυναικῶν ἐπὶ τῶν ἀρχῶν αὐτῶν.* *apud Lacedaemonios id
locum obtinebat, & multa in eorum imperio a mulieribus administra-
bantur.* An quod dirimere lites, & iudicium ferre nequeant? Sed obsi-
stit lex Gallorum Veterum, qui Hannibali iam copulati amicitiae foedere,
statuerunt, ut inter Carthaginenses nemo, praeter Gallicas mulieres, di-
iudi-

iudicare auderet, si quando illorum quempiam ab alio iniuria affici con-
tigisset. Sic quippe testatur Plutarchus *lib. de Nobilibus fœminis*. Quin
& Lycurgus ille celebris, *libro de Legibus*, vult eas in Republica gerere
principatum cum viris. Imò & Dialogo septimo absurdissimum putat
quòd non omni robore, & vno consensu, mulieres ac viri eadem studia
in Republica tractent. An denique quòd molles & enerves sint? Verù
& exempla suppetunt in sacris & profanis litteris mulierum fortium, &
plusquam virili animo præditarum. Neque hanc laudem TIBI eripiet,
nisi qui TE ignorat; nisi qui nescit infractum & sublimem animù Tuù.
Inde etiam est, vt neque ea, quæ virorum propria apparent, & terribilia,
TIBI ingrata sint. Quid magis alienum à molli & effracto animo, quàm
tormenta bellica tractare, & feras venando persequi, aut equù aquilonis
filiù regere? At id totù TIBI familiare & suavissimù est. Sic quippe eques
aut pedes in campos, in nemora exire soles, avibus & feris illatura necè,

qualis equos Threissa fatigat

Harpalice, volucremque fuga prævertitur Hebrum.

Namque humeris de more habilem suspenderas arcum

Venatrix, dederatque comas diffundere ventis.

HISCE Animi corporisquæ dotibus præfulgens, quid mirum quòd
in omnium ore & admiratione sis? Quidni & Serenissimam Hispania-
rum Augustam MARIAM-ANNAM AVSTRIACAM, Catholici
cœli Auroram, cum Sole CAROLO II. imperantem, strictissimo amo-
ris nexu TIBI devinxeris? Scilicet, quemadmodum tanto luminari nul-
lum aliud sidus dignitate, aut splendore proximius, ita nec charius est.
Hæc omnia solum indigitasse placuit in perenne monumentum Nomi-
nis & splendoris Tui. Priorem Physiologiæ Partem inscripsi Præclarissi-
mo Principi, & dilectissimo Consobrino Tuo D. D. Fr. ALPHONSO
HENRIQUEZ A S. THOMA, verè MAGNO, & qui videri possit
NOSTRÆ SPES ALTERA GENTIS. Posteriores deinde, Excel-
lentissimo Comiti, & Sponso Tuo. Restabat vt MORALIS PHILO-
SOPHIA, Novum sub cœlo Hispaniæ Opus, sub fulgentissimo ac re-
centi fidere Tui Nominis videret lucem. Vive igitur & perenna cœlo,

*Ἡ γυναικῶν ἐν δόξῃ, καὶ σοφίῃ, καὶ ἀρεαίότῃ, ὡς ἔτερον, mulierum nobilissima,
sapientissima, & speciosissima, usque ad prodigium: vt elogio Ma-
riamnis apud Iosephum desinam. SALMANTICÆ V. Idus Novem-
bris, anno ab Orbe Redempto CI. I. C. LXXIV.*

EXCELLENTIÆ V.

ADDICTISSIMVS CLIENS

Magister Fr. IOSEPHVS SAENZ DE AGVIRRE.

RR.

RR. AC SAPIENTISSIMI P.F. FRANCISCI DE RELVZ
in Salmanticensi Academia Primarij Theologia Antecessoris, iam
diu Praesulis Insignis Monasterij S. STEPHANI, & claris-
simi Ordinis Predicatorum Magistri in
Provincia Hispanie,
CENSURA.



VSSV Illustrissimi, & Reverendissimi D.D. FRANCISCI SEIXAS ET LOSA-
DA, Episcopi Salmanticensis, Regijque Consiliarij, vidi duo volumina, alte-
rum Commentariorum, alterum Disputationum in Philosophiam Moralem
Aristotelis, decem libris Ethicorum Nicomachæorum traditam, Auctore RR.
& SS. P. M. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE, Benedictinæ Congrega-
tionis Hispaniarum & Angliæ Generali Magistro, Regij & Supremi Senatus
S. Inquisitionis Generalis Censore, & Secretioribus Consilij ipsius, in hac Salmanticensi
Academia Professore Theologiae Laureato, Philosophicæ Cathedræ Antecessore Emerito, In-
signisque Collegij D. VINCENTIO sacri iam diu Primario Studiorum Regente. Nec solum ea
vidi, sed & avidâ meditatione percurri, ac deprehendi succincto, perspicuo, eleganti, grato,
subtili, & pungenti calamo elaborata. Quoniam verò huius ardui Operis altitudo in solidâ &
fidei interpretatione Philosophiè Græco in Latinum potissimè nititur, oportuit non medio-
crem operam collocare in exquirendis, & conferendis Auctoris, tum Antiquis, tum & Re-
centioribus, utrâque linguâ eruditis: ut iuxta accuratiorem versionem & sensui Aristotelis, ple-
rumque arcano, atque emphasi pleno, magis coherentem, Auctor suum Commentarium insti-
tueret. Itaque è multiplici disertissimorum Virorum interpretatione, quasi per frustra, sensum
Philosophi venatus est, perpetuoque Commentario Literali & Scholastico plurimum illu-
stravit. Non illi ratio habita vnus aut alterius Interpretis tantum. Quippe cum ijsæpissimè
dissideant, & modo vnus, modo alius litteram & sensum Aristotelis meliùs calluit depre-
hendatur, Auctor noster pro ea, qua pollet, utriusque linguæ eruditione, & dicendi facundia,
quod optimum apparebat elegit. Et hoc quidem in ipsis Commentarijs. Litteram autem Ari-
stotelis, toties recusam, & iuxta versiones varias omnium manibus tritam, iuxta Argyropili
versionem decrevit edere, quoniam illa in Scholis frequentior est. Id verò totum ingenti do-
ctorum hominum emolumento, præsertim Scholasticorum, cedit: cum antea in rebus Ethicis,
præsertim pro Scholarum usu, propemodum absque luce & duce versarentur. Nunç autem
Antagonista in certaminibus litterarijs pro Cathedra Philosophiæ Moralis assequenda facil-
limè, & ut aiunt, absque pulvere & vnda, procedent. Quippe librum habent, cuius contempla-
tione illorum mentes pascantur, cuius doctrina erudiantur, cuius auspicijs, quæ moliri debent
& cupiunt, animosè aggrediantur.

DENIQUE Ad ambiendam, & toto plausu amplectendam horum voluminum editionem,
sat erit nosse amplissimam Auctoris dexteritatem, atque ingenij præstantiam: quam, veluti plu-
rimis distinctam sinibus, nec multiplicia disciplinarum genera obnubilant, aut modicè inter-
turbant. Cuius rei præclarum testimonium faciunt sapientissimæ, & omni eruditione refertæ
lucubrationes iam antea quatuor voluminibus prælo expressæ, non sine fructu ac delectu om-
nium manibus tritæ. Alijs quidem, & magnis Viris, successu opus est, ad ea, quæ excoluerunt, re-
colenda. Hic tamen præstare potuit, quæcumque voluit, etsi ab Instituto proprio aliena, in pu-
blica huius Academiæ luce constitutus. Alijs quærenda est umbra, interponenda est mora, ut
fœtus non nisi diu multumque expolitus, tandem tempestivè nascatur. Cæterum huic præclaro
Auctori extempore omnia tempestivè succedunt. Alijs otium deest, sine quo scribendi curtus
intercipitur. Huic otium suppetit, etiam alijs curis detento. Huic denique strenuo Magistro pa-
rum est utrâque manu pro dextera utri, nisi & innumeras habeat pro dextera manus. Quare videtur
illustriâ hæc Commentaria Sponsi manibus in Canticis Canticorum depicta, quas delineavit
Sponsa, tanquam tornatiles, aureas, plenas hiacynthis. Vbi, Cardinali Hugone Interprete,
*Tornatiles, id est, sine scrupulo aliquo, vel errore, in nullo reprehensibiles, ad omne opus bonum
volubiles (utique, iuxta illud Sapientiæ, OMNIBVS MOBILIBVS MOBILIOR EST SA-
PIENTIA) circulos undique, id est, perfectionis opera efficientes.* Vnde quam primum edenda
iudico in communem utilitatem. In Conventu S. STEPHANI Salmanticensis, pridie kalendas
Iunij, anno M.DC.LXXIV.

Fr. FRANCISCVS RELVZ.

FA-

FACULTAS ILLVSTRISSIMI D. EPISCOPI
Salmanticensis.



OS D. FRANCISCVS DE SEIXAS ET LOSADA, DEI ET APOSTOLI-
cæ Sedis gratiâ Episcopus Salmanticensis, Regiusque Consiliarius, &c. Cùm
ex præscripto Nostro RR.P. Magister Fr. Franciscus Keluz Ordinis Prædicato-
rum, & in Salmanticensi Academia Primarius Theologiæ Antecessor, perle-
gerit librum, cui epigrapha, PHILOSOPHIA MORALIS, AB ARISTOTE-
LE TRADITA DECEM LIBRIS ETHICORVM AD NICOMACHVM,
PERPETVO COMMENTARIO LITTERALI ET SCHOLASTICO ILLVSTRATA, Au-
ctore RR.P.M.Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE Benedictino, eiusdem Salmant. Acade-
miæ Professore, & Supremæ ac Generalis Inquisitionis Theologo à Secretioribus Consilijs, &c.
ac dignum invenerit luce publicâ, neque quidquam in eo deprehenderit, quod orthodoxæ Fidei,
aut probatis moribus dissentiat, libenter annuimus vt publicâ luce donetur. Quin & ex alijs
Opëribus eiusdem Auctoris, iam antea editis, & communi vbique plausu exceptis, auspicamur,
librum hunc communi vtilitati futurum; præsertim cùm versetur in materia non oovia, & que
adhuc desiderabat Interpretem pro vsu Scholarum. Quare in eam gratiam litteras manu nostra
subscriptas, & sigillo munitas dedimus Salmanticæ, die Iulij XVI. anno ab Orbe Reparato
M. DC. LXXIV.

Franciscus, *Episcopus Salmantinus.*

CENSURA

RR. ET SAPIENTISSIMI .M. Fr. MAVRI DE
*Somoza, Benedictina Congregationis Hispaniarum Magistri Gene-
ralis, Supremi Fidei Senatus Censoris, & à Secretioribus Consilijs, Ar-
chidiæceseos Toletanæ Examinatoris Synodalis, in Salmanticensi
Academia post Cathedras Scoti ac Durandi, Primarij S. Scrip-
tura Professoris, olim Insignis Collegij D. VINCENTIO
Sacri Regentis Studiorum, &
Abbatis, &c.*



VSSV REVERENDISSIMI P.N. MAGISTRI Sr. IOSEPHI GOMEZ, IN HAC
Salmanticensi Academia Professoris Theologiæ Laureati, & iam pridem Emeriti,
Congregationis S.P.N. BENEDICTI Hispaniarum & Angliæ dignissimi
Generalis, &c. Vidi duo volumina PHILOSOPHIÆ MORALIS in Aristote-
lis ad Nicomachum Ethica, quæ publici iuris facere decernit R.A.P.M.Fr. IO-
SEPHVS SAENZ DE AGVIRRE, eiusdem Congregationis Magister Genera-
lis, Salmantini Lycæi meritissimus Cathedraticus, huius Collegij D. VINCENTII iam diu Pri-
marius Antecessor & Studiorum Moderator, Regij ac Supremi Senatus Fidei Cenfor, & à Secre-
tioribus Consilijs. In ijs quidquid implexum aut arduum occurrebat, non minus solide, quam
acutè explicat, & complanat. Haud exigua, fateor, me inter legendum subinde incessit admira-
tio, dum viam huius Scientiæ Professorum iudicio antehac inviam ac salebrosam, mihi que dum
in petitione Ethicorum Cathedræ haud semel pro more huius Academiae prælegerè, propè inac-
cellam, regiam planè, nullique de cætero non perviam reddit. Nullum hætenus, qui rem adeo
late patentem, & per plurima volumina sparsam, viâ ac ratione Scholasticâ in vnum quasi fascem
coactam traderet, reperire erat. Id Noster Auctor, siue Aristotelis, vt vocant, textû, siue acutissimas
quas subinde mover, controversias, spectes, adeo feliciter & cumulate præstat, miraculo vt propè
sit, rem in tantum hucusque arduam ad huiusmodi proclivitatem pervenisse. Magnum sane Au-
tori,

Et omnium recte sentientium calculis approbatus Philosophiæ Nov-antiquæ Cursus in lucem editus, nomen pepererat. Sed enim hi Ethici Commentarij longè maius, tum eidem, tum & nostro Ordini, quantum quidem ex eorum præstantia conijcere licet, afferent decus. Tantum abest ut in tam egregio Opere, vel minimum navum, quo fides Catholica, aut mores ad Christianam normam exacti deformentur, offenderim. Ita ex animo sentio, salvo, &c. In hoc Vincentino Collegio XVI. kal. Maij anno Domini M.DC.LXXV.

Magister *Fr. MAVRVS DE SOMOZA.*

FACULTAS ORDINIS.



NOS Magister *Fr. IOSEPHVS GOMEZ*, in Salmanticensi Academia Laureatus & Emeritus Theologiæ Professor, Generalis Congregationis *S. BENEDICTI* Hispaniarum & Angliæ, &c. Facultatem concedimus, quantum ad nos attinet, ut typis manderetur *PHILOSOPHIA MORALIS*, quam in Scholarum & doctorum hominum vium elaboravit *R. A. P. M. Fr. IOSEPHVS SAENZ DE AGVIRRE*, Congregationis Nostræ Magister Generalis, Regij ac Supremi Fidei Senatus Censor, & a Secretioribus eiusdem Consilij, in Salmanticensi Academia Professor Theologiæ Laureatus, Philosophicæ Cathedræ Antecessor Emeritus, & iam diu Primarius Studiorum Præfectus Insignis Collegij *D. VINCENTII*: quoniam à gravibus doctisque viris iussu Nostro perlecta & probata est. In quorum fidem has litteras sigillo Nostro & subscriptione munitas dedimus in Monasterio *S. VINCENTII* vrbis Ovetensis, die *XII. Junij*, anno *M.DC.LXXIV.*

Magister *Fr. IOSEPHVS GOMEZ*,
Generalis *S. BENEDICTI.*

Iussu Reverendissimi *P. N. Generalis*,
Magister *Fr. Iosephus Alarcos.*

Censura RR. P. Gasparis de Ribadeneira, Societatis IESV, Primarij Theologiæ Professoris Emeriti in Complutensi Academia, Archidiecepsos Toletanae Examinatoris Synodalis, & Scriptoris celeberrimi, ex præscripto Regij Castellæ Senatus.



PHILOSOPHIAM MORALEM, elaboratam à *RR. P. Magistro Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE* Benedictino, Salmanticensi Professore, & Supremæ ac Generalis Inquisitionis Hispaniarum Theologo à Secretioribus Consilij, nostræ censuræ commissam à Regio Castellæ Senatu, probandam, & communi plausu ubique excipiendam censui, vel ex solo Auctoris nomine. Nimirum, qui pluribus alijs voluminibus Scholas illustravit, & tot minimè obicura testimonia dedit acerrimi ingenij, præstantis doctrinæ, eruditionis sacræ & profanæ, ac maturi iudicij in opinionibus religendis, haud dubium quin quotidie censum litterarium augeat, in Magnæ Academiæ suæ emolumentum ac decus. Verùm & in hoc Opere potissimum laudandus est, quòd disciplinam, non modò Christianis Scholis, sed omnibus doctis atque eruditis hominibus vtilissimam, & hætenus ferè inaccessam, utque adeò lectu suavem, & lectu facilem reddiderit, ut pronum & in aperto cuique sit Philotophum Moralem evadere, ac mentem instruere multiplici documento ad honeste inveniendam civilem vitam

ram, & laudabiliter agendum in humano convictu. Nullus hic censura locus, nullus naevus: sed omnia ubique eruditionem singularem ac pietatem spirant, eamque politicissimo stylo exornatam, ut Virtus per se grata, & amabilis, huic lenocinijs gratior sit. Ita attestabar, salvo, &c. *Matriti in Collegio Imperiali Societatis IESV, extrema Septembris die, anno M. DC. LXXIV.*

GASPAR DE RIBADENEIRA.

FACULTAS REGII SENATUS.

REGIVS & Supremus Castellæ Senatus potestatem fecit R. P. M. Fr. *Josepho Saenz de Aguirre* Benedictino, &c. edēdi *Philosophiam Moralem*, ipsius iussu examinata & probatam à R. P. Gaspare Ribadeneira: ut constat ex authenticis litteris apud Gabrielem de Arresti & Larrazaval, Regiæ Camerae à Secretis die V. Octobris anno M. DC. LXXIV.

RR. ET SS. P. M. PETRI ABARCA, SOCIETATIS IESV, in Salmanticensi Academia Vespertinæ Theologiæ Cathedræ præstantissimi Antecessoris,

CENSURA EX PRÆSCRIPTO D. CANCELLARII.

EX mandato Perillustris D. D. Mathiæ de Rada, Scholastici, & Cancellarij Salmanticensis, &c. Vidi *Philosophiam Moralem*, seu Geminum in decem Ethicorum libros Commentarium, quo Aristotelem illustrat RR. P. M. Fr. IOSEPHVS SAENZ DE AGVIRRE (magnis, & solo suo genio minoribus, nominibus, ac operibus satis notus) & quidem nihil in eo Sanctæ Fidei non summe adhærens, nihil optimis moribus non conveniens deprehendi, non tam otiosâ assertionē, quam iusto silentio affirmandum, meretur Author: præclarus scilicet Magni Fidei Senatus Censor, & Benedictinus Primæ Academiæ Magister; atque inter Nostros Theologiæ disciplinæ Protectores probatissimus: qui firmâ ingenij facilitate, atque suavi omnium litterarum abundantia, nobis exemplar, & honor prædicatur. Non enim ipse vulgari Academicorum naevo notari valet, quod non, nisi Scholasticus, nempe, homo mediocris sit: sed tanquam alter nostræ Academiæ Socrates laudari & ab ipso Augustino posset, lib. 8. de Civ. Dei cap. 3. *Primus univ. sam Philosophiam ad corrigendos, componendosque mores flexisse memoratur: cum ante illum omnes magis Physicis, id est, Naturalibus perscrutandis operam maximam impenderint.* Neque iam severus Seneca genius Academicos suis illis reprehendat iustis querelis, Epist. 108. *Itaq; quæ Philosophia fuit, facta Philologia est:* Noster enim Sapiens Moralis, & iam Christianæ Philosophiæ instructor, multum quidem DISPVTARE, sed magis VIVERE, nos docet: adeo ut ipse quoque tristis Seneca sibi adgaudere, & Salmanticensibus gratulari debeat. Ita sentio, &c. Salmantiæ in Regio Societatis Iesu Collegio, die XII. Iunij anno Domini M. DC. LXXIV.

Petrus Abarca.

RERATA aliqua, quæ ex incuria irreperunt, vide correctâ ad finem Operis.

INDEX



INDEX SVMMA- RIVS LIBRORVM ET

CAPITVM HVIVS OPERIS.

PRAEMONITIO AD LECTOREM.




QVOD Haecenus praestitimus in Cursu Philo-
sophiae Rationalis, Naturalis, ac Metaphysi-
cae, id quoque in hoc Opere ex parte exequi
curavimus. Sicuti enim ibidem indicatae fue-
runt initio tractatum aut disputationum qua-
estiones excitandae, aut loca Aristotelis oppor-
tuna, pro usu facili & expedito Praelectionum
fortuitarum, ita & nunc in fine Commentarij
vniuscuiusque ferè capitis Ethicorum indicamus loca, in quibus D.
Thomas ex instituto eandem materiam tractat. Quare vnusquisque
facile poterit ex ipso S. Doctore, eiusque Interpretibus, contexere si-
bi quaestionem, vnam aut plures, quibus muneri suo faciat satis. Et
hoc quidem solum praestamus in hoc volumine, vltra Commenta-
rium Ethicorum, in quo exponendo saepe Antagonistae possunt inte-
gram ducere horam, aut magnam illius partem. Accipe, LECTOR,
& boni aequique consule hoc qualecumque studium, nostrum, &
paulisper expecta volumen alterum Disputationum Ethicarum, è
quo multipliciter ac plenissimè haurias quidquid tibi opus fuerit ad
praelegendum in tota Philosophia Morali. Plura alia, quae spectant
ad originem, praestantiam, vtilitatem, methodum, ordinemque hu-
ius disciplinae, vide in Introductione, quam praemittimus litterae &
Commentarijs Ethicorum.

PARS PRIOR
PHILOSOPHIÆ MORALIS
 CONTINENS QVINQVE
 PRIORES LIBROS.

INTRODVCTIO
AD PHILOSOPHIAM
 Moralem.

- CAP. I. Consilium Auctoris in his Commentarijs instituendis. Interpretes & Expositores, qui adiumento fuere concinnando Operi. Methodus, ordo, stilus in eo servatus. Cautiones quædam, præmonitionesque notatu dignæ. Pag. vij.
- CAP. II. Philosophiæ Moralis origo, dignitas, utilitas, & præstantia supra cæteras disciplinas, quanta & qualis. Vbi de Pythagora, Socrate, Platone, & Aristotele, quid in eam illustrandam contulerint, & vnde id hauserint. Theologis potissimum, Iurisperitis, & Politicis, quam necessaria sit huius disciplinæ exacta notitia. x.
- CAP. III. Regibus & Principibus dignum & necessarium esse studium Philosophiæ moralis. Exscribitur in eam gratiam Prologus Serenissimi Principis Vianæ D. CAROLI in Ethicâ Aristotelis, eorumque compendium, Hispano idiomate antiquo, vt in eodém manuscripto & peruetusto extat. xvj.
- CAP. IV. An hi decem libri Ethicorum ad Nicomachum, quibus Philosophia Moralis traditur, verè scripti fuerint ab Aristotele. Quid item de Eudemij & Magnis Moralibus contendum sit. xvij.
- CAP. V. Aristotelem his libris iecisse fundamenta, seu principia Philosophiæ actuosæ. Hanc dividi in Ethicam (quæ & Monastica) Oeconomicam, & Politicam: inter quas Ethicâ initium faciat ad cæteras addiscendas. Sententia D. THOMÆ, & aliorum asserentium, Ethicam potissimum instruere privatam singulorum vitam, stabilitur, & vindicatur ab impugnationibus Francisci Piccolominei. xix.
- CAP. VI. Philosophiam hisce libris traditam, speciatim proprièque appellari Ethicam, seu Moralem, quoniam de Moribus differit. Variæ Morum acceptiones metaphorice, ac minùs propriæ. Quo sensu tractatio de ijs sit propria huius disciplinæ. xxij.

- CAP. VII. Differitur de materia, sive subiecto Philosophiæ Moralis, seu actuosæ, tum in genere considerata, tum & diuisa in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Quinque aliorum opiniones relatæ ac reiectæ. xxij.
- CAP. VIII. Assignatur subiectum, sive materia propria Philosophiæ Moralis, tum generatim acceptæ, tum & in tres species distributæ, iuxta sententiam D. Thomæ frustra à Piccolomineo impugnata. xxvj.
- CAP. IX. Philosophiam Moralem esse scientiam, non speculatricem, sed practicam: activam tamen, non verò effectricem. Quo ordine addiscenda, & à quibus. xxvij.
- CAP. X. Synopsis totius Ethicæ his decem ad Nicomachum libris comprehensæ. xxx.



LIBER PRIMVS
ETHICORVM.

CAP. I. *De universali boni appetitu, & finium varietate.* Pag. 1

¶ Aliquem esse extremum finem, quò omnes actiones humanæ contendant: vnum quoque alio præstantiorem, iuxta rerum, ac facultatum, siue artium varietatem. 2

CAP. II. *Quòd vnus agibilem sit finis, qui civilis sit facultatis.* 5

¶ Esse in rebus humanis aliquem finem vltimum, ac præstantissimum, qui solus per se exoptatur. aliquam quoque disciplinam esse, quæ doceat quomodo ille obtinendus sit. eam verò esse Civilem, seu Politicam. 6

CAP. III. *De modo procedendi, & auditore morali.* 9

¶ Tradendæ Morali Disciplinæ non congruere modum demonstrativum, seu methodum exactam, propter varietatem, & inconstantiam rerum humanarum. Quisnam sit idoneus Ethicæ auditor? cuius ætatis, ac genij esse debeat? 9

CAP. IV. *De summo bono, & recta auditoris educatione.* 14

¶ Felicitatem esse vltimum finem hominis, & quomodo illa vestiganda sit. Porro audito. 14

adorem Ethicę parantis viam ad felicitatem debere esse probe institutum ab ipsa pueritia. 15

CAP. V. *Quod Felicitas non sit voluptas, honor, virtus, aut diuitiæ.* 17

¶ Refellit opiniones eorum, qui vltimum hominis finem constituerunt in voluptate, honore, & virtute secundum habitum: maxime autem eos, qui in diuitijs. 18

CAP. VI. *Quod non sit Idea.* 21

¶ Dissertit cum Platone collocante felicitatem hominis in Idea Boni, eiusque existimationem multipliciter refellit. 23

CAP. VII. *De Felicitatis subiecto, substantia, & præceptis in vnaquaque scientia seruandis.* 26

¶ Descriptio humanę Felicitatis per quędam ipsius attributa: item & definitio per genus, & differentiam. Regula quędam, seu præceptiones obseruatu dignę in tradendis disciplinis, ac speciatim in Ethica. 29

CAP. VIII. *De dictorum antiquorum cum vera Felicitate consensu ac de triplici bono ad Felicitatem necessario.* 32

¶ Aliorum opiniones circa id, in quo sita est Felicitas, non profus alienas esse à veritate. Quatenus vnaquęque illarum admittenda sit, aut potius reipienda, 33

CAP. IX. *De modo assequenda Felicitatis.* 36

¶ Quomodo obtineatur Felicitas; an industria, aut arte hominis; an potius diuina sorte, aut fortuna? Quinam è mortalium catu sint inepti ad Felicitatem habendam: qui nam autem idonei? 37

CAP. X. *Quod quis in hac vita dicendus sit felix, & quid felix.* 40

¶ An quis in hac vita existimandus sit felix: an potius expectare oporteat vitę finem, vt felix existimetur, iuxta verus effatum Solonis. 42

CAP. XI. *Quod p:st:orum fortuna ad æfunt:os pertineant.* 45

¶ Virum bonum & felicem, dum superstes est, an tangat amicorum fortuna. Quid etiã de illo existimare oporteat post fata. 45

CAP. XII. *Quod Felicitas bonum sit honorabile potius, quàm laudabile.* 47

¶ Cuinam generi honorum accenferi debeat Felicitas? Laudabilium, an potius honorabilium? Decernitur potius honorabilem esse, quàm laudabilem, cum solum sui ipsius gratia queratur. 48

CAP. XIII. *De duplici animę parte, & Virtutis diuisione.* 50

¶ In quam animę parte sedem habeat Felicitas? Eam quippe diuisionem spectare etiam ad Philosophum Moralem, quamvis nõ exactam, sed maiori ex parte mutuatam, aut præsuppositã ex seueriori Philosophia. Porro

Virtutum diuisionem peti debere ex diuisione facultatum animę. 52

LIBER SECVNDVS ETHICORVM.

CAP. I. *De productione virtutis intellectiua, ac moralis.* 56

¶ Virtutem dividi in intellectualem, ac moralem. Neutram earum natura inlitam esse: sed priorem acquiri doctrina, & experimento; posteriorem vero consuetudine, & exercitatione bonarum actionum. 57

CAP. II. *Quod Virtus ab excessu, & defectu corrumpatur, ad mediocres inclinans operationes.* 62

¶ Omnes actiones hominis debere esse consentaneas rectę rationi, proindeque seruantes mediocritatem inter exuperantiam & defectum, vt earum ope acquirantur Virtutes morales. Quęnam sint eiusmodi actiones: item & ijs contrarię, quibus Virtus corrumpitur. 63

CAP. III. *Quod virtus moralis sit circa voluptates, ac tristitias.* 65

¶ Posse vnumquemque in se deprehendere ex aliquibus signis, & notis, an fuerit adeptus perfectę virtutis habitum. Ipsam verò Virtutem moralem potissimum versari circa voluptates & dolores. 67

CAP. IV. *Discrimen inter iusta agere, & iuste agere.* 70

¶ Non omnem actionem iustam esse opus aut notam Virtutis iam acquisitę: sed illam tantum, quę electione, & constantia fit. Porro in materia Virtutum moralium, plus prodesse, attendique, bonam consuetudinem, quàm scientiam. 71

CAP. V. *De affectu, potentia, habitu; & quod habitus sit genus virtutis.* 73

¶ Virtutum sedem esse in anima: vbi & affectionum, & facultatum, & habituum. Quot sint eiusmodi affectiones: & facultates, atque habitus, in quo consistant. Porro Virtutem neque in perturbatione, neque in facultate sitam esse: sed in habitu, veluti ratione generica. 74

CAP. VI. *De duplici mediocritate, & Virtutis substantia.* 76

¶ Virtutis officium quodnam sit. Eam sitam esse in habitu electivo seruante mediocritatem affectionum, taxatam arbitrio prudentis. Nullum actum natura sua turpem seruare medium inter exuperantiã, & defectũ. 78

CAP. VII. *Mediocris inter duo extrema dispositio.* 82

¶ Non sufficere communem regulam actionum humanarum, nisi ad singularia descendatur. Mediocritas singularum Virtutum

- in specie: ac primo earum, quibus salus pu-
blica curæ est. 84
**CAP. VIII. De Virtutum ac vitiorum ma-
tua oppositione.** 87
 ¶ In materia cuiuslibet Virtutis moralis
esse tres habitus inter se pugnantes. Virtutem
interiectam advertari utriusque extremo. Eorum
tamen alterum alteri magis contrarium esse,
quam Virtuti interiectæ; alterum quoque ma-
gis ab ea disfidere, quam alterum. 88
**CAP. IX. De præceptis, quæ ad ipsum me-
diam ducunt.** 90
 ¶ Difficillimum esse assignatu medium in
qualibet actione, affectioneque animi. Quibus
præceptis insistere oporteat, ad illud inveni-
dum. Quænam sit ipsa Virtutis mediocritas,
& qualiter paranda. 91

LIBER TERTIUS

ETHICORVM.

- CAP. I. De Voluntario, & Involunta-
rio.** 95
 ¶ Vberrima expositio Voluntarij, & In-
voluntarij. 98
 §. I. Illustratur prima pars capituli. Quid,
quale, & quotuplex sit invitum, seu involun-
tarium per vim. 99
 §. II. Illustratur secunda pars capituli.
Quodnam sit invitum ex ignorantia. 104
 §. III. Illustratur tertia pars capituli. Quæ-
nam sint circumstantiæ operationis volunta-
riæ. 105
 §. IV. Illustratur quarta pars capituli.
Quid sit sponte factum, seu voluntarium. 107.
CAP. II. De Electione. 109
 ¶ Philosophi Moralis esse, ut de Electio-
ne, seu consilio agendi differat. Illam non esse
vnum idemque cum spontaneo, voluntario,
cupiditate, ira, voluntate, aut opinione. Sitam
itaque esse in optione voluntaria ex consilio
præcedente. 111
CAP. III. De Consultatione. 115
 ¶ Consultatio, seu deliberatio, aut consi-
lium, de quibusnam sit, aut nō sit. Quo modo,
ordine, ac fructu, sit deliberandum. Quæ etiã
vis ac ratio sit Consultationis comparatæ cū
Electione. 117
**CAP. IV. De Voluntate, & voluntate
affectabili.** 121
 ¶ Voluntatis esse, ut feratur in finem: qui
opinionem quorundam est aliquod verum bo-
num, aliorum autem apparens. Utriusque refel-
luntur. Decernitur, vnicuique esse bonum id,
quod & bonum videtur: eo tamen discrimine,
ut homini probò videatur bonū id, quod verè
ac per se bonum est: improbo autem id quod
solum ex accidenti est bonum. 121
**CAP. V. De ijs, quæ in nostra sunt pote-
state.** 123

- ¶ Virtutes, pariter ac vitia, in nostra po-
testate esse. Error aliquorum existimantium
solam Virtutem esse homini voluntariam, non
item vitium, refutatus; & radix eius sinistra
opinionis evulsa. Anacephalæosis doctrinæ
traditæ. 126
CAP. VI. De Fortitudine, & forti. 132
 ¶ Fortitudinis materiam sitam esse in du-
plici animæ passione, quarum altera est timor
malorum, altera audacia terribilium: non ta-
men omnium, sed eorum, quæ timere, aut ag-
gredi virum fortem decet. Edisseritur in spe-
cie, quænam ea sint. 133
**CAP. VII. De Terribilium diversitate, &
Fortitudinis extremis.** 137
 ¶ Quædam terribilium excedere huma-
nas vires, quædam non item. Priora posse me-
rito timeri à viro forti, secundum dignitatē.
Edisseruntur actus vitiorum, quibus Fortitu-
do interiecta est: ipsaque comparatur quibus-
dam alijs, habentibus cum ea similitudinem
quandam. 138
**CAP. VIII. Quod quinque modi Fortitudi-
nis non veræ.** 142
 ¶ Fortitudinis non veræ esse quinque
modos, quibus id nominis tralaticie adapta-
tur. Disserit de singulis eorum, & vnumquem-
que discernit à solida Fortitudine. 145
 §. I. De prima specie Fortitudinis fucate,
quæ est Politica, seu civilis. 145
 §. II. Secunda species Fortitudinis im-
propriæ, ex usu & peritia. 146
 §. III. Tertia species, sita in animositate
quadam ex furore, & ira. 147
 §. IV. Quarta species spurie Fortitudi-
nis, ex spe multiplici experimento parata. 150
 §. V. Quinta species adumbratæ Fortitu-
dinis, ex imperitia, & inscientia. 151
**CAP. IX. De proprietatibus Fortitudi-
nis.** 152
 ¶ Qualiter se gerat Fortitudo circa timo-
res, & audaciam, tristitiam, ac delectationem.
Quibus etiã proprietatibus discernatur, quæ
solida est, ab ea quæ apparens, seu in speciem
tantum. 153
CAP. X. De temperantia. 256
 ¶ Temperantiam esse quoddammodo af-
finem Fortitudini, quamvis ab ea disideat, cō-
sistereque in mediocritate quadam circa de-
lectationes corporis, in quarum excessu, aut
defectu versatur intemperantia opposita. Eas
verò esse, quæ ad gustū, & tactū spectant. 158
**CAP. XI. Quod diversa sint cupiditatum
species.** 164
 ¶ Cupiditatum alias esse cōmunes, alias
proprietas singulorum. Quomodo circa utras-
que se gerant temperans, & intemperans. Quo-
modo item circa dolores. Vitium oppositum
Temperantiæ per defectum quale sit, & quàm
alienum ab homine. 165
CAP.

CAP. XII. De Temperantia extremis. 170
 ¶ Instituta comparatione Temperantię cum timiditate, vna ab altera seceratur. In-temperantem se gerere iustar puerorum. Temperans qualiter se habeat circa voluptates & cupiditates. 171

LIBER QVARTVS

ETHICORVM.

CAP. I. De Liberalitate, eiusque extre-
 mis. 178

¶ Liberalitatem esse mediocritatem cir-
 ca pecunias, veluti interiectam extremis vitijs prodigentię, & avaritię. Quę cõditiones exi-
 gantur ad præcipuum Liberalitatis actum: quę etiam proprietates sint viri liberalis. Ipsa autem Virtus, qualiter vtrique extremo com-
 paretur, & vtrum eorum peius sit. 176

CAP. II. De Magnificentia, & eius extre-
 mis. 183

¶ Magnificentiam quoque, sicut & Libe-
 ralitatem, versari in sumptibus pecuniarum: verum longè splendidioribus & illustrioribus. Quomodo in ijs se gerat vir magnificus præ fordido & modico, quorum alter ipsi oppõditur per exuperantiam, alter per defe-
 ctum. 185

CAP. III. De Magnanimitate, & eius ex-
 tremis. 188

¶ Magnanimitatis materia, item & vitio-
 sum extremorum, quęnam sit. Eiusdem Vir-
 tutis functiones & actus proprii: notę etiam, ac peculiaria attributa. Vitia, quibus interci-
 pitur, quę & qualia sint. 191

§. I. Illustratur prima pars capituli. De
 materia in qua versatur, tum Magnanimitas,
 tum & vitia ipsi contraria. 191

§. II. Illustratur secunda pars capituli.
 Functiones proprię, sive officia magnani-
 mi viri, tum in prosperis, tum & in adver-
 sis. 195

§. III. Illustratur tertia pars capituli. Va-
 rię atque insignes notę, quibus discernitur
 magnanimus vir ab eo, qui pusillo atque ab-
 jecto animo est. 196

§. IV. Exponuntur vitia Magnanimitati
 contraria, expenduntur, & comparantur in-
 ter se. 200

CAP. IV. De modestia eiusque extre-
 mis. 202

¶ Esse quandam Virtutem circa honores
 respondentem Magnanimitati, sicut Liberali-
 tas respondet Magnificentię circa sumptus.
 Eam carcere proprio nomine apud Gręcos
 (quamvis apud Latinos communiter Modę-
 stia dicatur) & versari circa honores exiguos.
 Quibus vitijs extremis interiecta sit. 203

CAP. V. De Mansuetudine, eiusque ex-
 tremis. 204

¶ Mansuetudinem esse mediocritatem cir-
 ca iras carētem proprio nomine, sicut & vi-
 tia extrema ipsi contraria: quorum tamen al-
 terum *ὀργιστός*, iracundia, alterum *ἀσπής*,
lentitudo dici potest. Virtutis eiusdem ac vi-
 tiorum multiplex comparatio, & quatenus vi-
 rum mitem irasci deceat. 206

CAP. VI. De Affabilitate, eiusque extre-
 mis. 209

¶ Affabilitatem esse mediocritatem quā-
 dam circa sermonis suavitatem, & asperitatē
 sermonis erga alios. Ratio propria eius Vir-
 tutis explicatur, & attributa quędam. Simili-
 ter & extrema vitia, quibus intercipitur. 210

CAP. VII. De Veritate eiusque extre-
 mis. 213

¶ Esse quādam Virtutem, quę mediocri-
 tatem servat inter iactantiam, & ironiam, ve-
 luti inter vitia extrema. Quorum omnium ra-
 tio propria singillatim exponitur. 214

CAP. VIII. De Comitate, & eius extre-
 mis. 220

¶ Esse vitium, & parum in ludis, proin-
 deque & mediocritatē ijs extremis interiectā,
 quam Gręci Eutrapeliam, Latini Comitatem
 dicunt. Illius propria ratio, tam prout opponi-
 tur vitijs extremis, quā prout differt à Verita-
 te, & Affabilitate, superius explicatis. 221

CAP. IX. De Verecundia. 226

¶ Verecundiam non esse Virtutem per se
 loquendo, quamvis magnam cum Virtute af-
 finitatem habeat. In qua materia versetur. Cõ-
 paratio illius cum Continentia, quę pariter
 excluditur ab albo Virtutum. 227

LIBER QVINTVS

ETHICORVM.

231

CAP. I. De Iustitia, & iniustitia, & modis
 iniusti. 232

* In quibus actionibus Iustitia, & iniu-
 stitia ipsi opposita versentur: & quidnam
 vtraque illarum sit, ac quotuplex. Quę etiam
 propria ratio Iustitię legalis. 233

CAP. II. Quid Iustitia particularis, & quo-
 tuplex. 238

¶ Esse speciem quandam Iustitię peculia-
 ris, præter illam communem: cum eaque par-
 tim convenire, & partim differre. Dirimitur
 quæstio incidens, & statuitur divisio Iustitię
 peculiaris in cõmutantē, & distribuentē. 240

CAP. III. De Iusto distributivo.

¶ Ius, sive iustum distribuentis Iustitię,
 in medio & æquali secundū proportionē sitū
 esse. Quęnam sit eiusmodi proportio. 243

CAP. IV. De Iusto commutativo. 249

¶ Quęnam sit propria functio Iustitię
 cõmutantis, quatenus differt à distribuentē:
 & qua ratione deprehendi possit medium in
 iustis cõmutationibus. 251

- CAP. V. De repassione, nummo, & indigentia.** 255
 ¶ Opinio Pythagoreorum constituendum ius, seu iustum, in talione, absque ullo discrimine, refertur, & resellitur. Quo sensu possit esse vera. Quomodo in permutationibus fiat contrapassum, statuaturque æqualitas ex nummo, & indigentia. Quid tandem sit Iustitia, quidque iniustitia ipsi adverbia. 258
- CAP. VI. De iniuria, iusto, civili, herili, & economico.** 262
 ¶ An omnis qui iniuste agit, iniustus ceteri debeat. Quid sit iustum politicum, & in quibus sit. Quid etiam iustum herile, pater nū, & coniugale. 263
- CAP. VII. De iusto naturali, & legitimo.** 267
 ¶ Iusti politici, seu civilis partitio in naturale, & legale: eiusque comparatio cum singularibus. 268
- CAP. VIII. De triplici nocumento, quod alijs irrogatur.** 270
 ¶ Non esse vnum & idem iuste aut iniuste agere, ac ex Iustitia, vel iniustitia: utram-

que etiam esse posse absque eo ut quis iustus, aut iniustus dici debeat. Quando & quomodo iuste, aut iniuste factum, cum iustitia, aut iniustitia agentis coniungatur. 272

CAP. IX. De pati iniuriam. 275

¶ Rationes utrimque dubitandi, utrum quis volens iniuriam pati possit, necne. Porro distribuentem aliter, quam exigant merita personarum, semper iustum agere: recipientem vero interdum iniuste se gerere, quamvis non semper. 277

CAP. X. De aequitate, & bonitate, & aequo, ac bono. 280

¶ Verum æquum, & bonum sit idem, ac iustum. Epikia quid, & quale illius officium. Porro eam esse legum humanarum correctricem conformiter ad ius naturale. 281

CAP. XI. De facere iniuriam. 284

¶ An possit aliquis sibi ipsi iniuriam irrogare: an etiam vis, seu facultas vna eiusdem hominis possit committere iniuriam adversus alteram. Utrum peius facere iniuriam, an pati. Vbi de ijs, qui sibi mortem consciscunt. 286





INTRODVCTIO AD PHILOSOPHIAM MORALEM.



ANTEQVAM Commentarium Ethicorum Aristotelis exhibeamus, visum est nonnulla præmittere, quibus & ratio nostri Operis appareat, simul & brevis ac dilucida notitia habeatur Philosophiæ Moralis, quam edisserendam suscipimus. Neque enim quorumlibet librorum Interpretibus licet sine aliquo huiusmodi apparatu ingredi præcipuum Opus: ut hortantur omnium ferè sæculorum Auctores, atque in ijs maximè Honoratus Servius, & Severinus Boethius, insignis planè Philosophus & Interpres Aristotelis. Itaque diversis capitibus, veluti prolegomenis, gradum faciam ad præcipuam tractationem.

CAPVT PRIMVM.

Consilium Auctoris in his Commentarijs instituendis. Interpretes & Expositores, qui adiumento fuere concinnando Operi. Methodus, ordo, ac stilus in eo servatus. Cautiones quædam præmonitionesque notatæ dignæ.



POSTQVAM Philosophiæ theoreticæ, quæ in Scholis tradi & exagitari solet, partes explorare curavimus triplici iusto volumine; visum est aggredi tractationem Philosophiæ Moralis, sive actuosæ. Et certè potiori ratione, quam prioris illius: quoniam pauci admodum sunt, qui ex professo illam elucubraverint, si conferantur cum ijs, qui Dialecticam, Physio-

logiam; & Metaphysicam. Nimirum, Cursus Philosophici diversorum Auctorum passim eduntur, absque numero ferè. Qui verò Ethicam ex instituto, & pro dignitate tradat, pauci admodum existunt. Indeque est, ut in Aca-
demijs Salmanticensi, & Complutensi, alijsq; Scholis, ubi instituta est cathedra Philosophiæ Moralis, Petitores plurimum laboris, & difficultatis experiantur ad parandas Prælectiones fortuitas, intra angustum vnius diei ter-

minum. Nimirum, pauca admodum, eaque apud Auctores sparsa inveniunt, veluti AKENAM SINE CALCE. Quo fit, vt ad implendam Praelectionis horam, compellantur plura coaccervare ex Philosophia speculatrice, aut Theologia, omnino praeter rem, & quae ne obtorto quidem collo adduci posse videantur. Norunt quam vera haec sint, quotquot ferè has Hispaniae Academias frequentant. Indidem quoque est, vt qui eiudem disciplinae cathedram moderantur pauca admodum è suggesto auditoribus suis tradant, quae ad puram putam Ethicem spectent. Quin & inventus est olim Professor eiudem cathedrae, alioqui doctissimus, qui discipulis suggereret tractatum de Praedestinatione Sanctorum. Quod aliquando memorantem ac dolentem audivi gravissimum & eruditissimū Virum, Caesarei apud nos Iuris Primarium Antecessorem Emeritum, Regiumque hodie Consiliarium in Supremo Iustitiae Senatu, D. Iosephum Fernandez de Retes. Similiter & superiore anno idem absurdum, veluti suo tempore frequens, reprehendebat & criminabatur incomparabilis Vir, Nostraeque olim Academiae Oraculum, & Catholici Regis Magister, atque intimus à Cubiculo Consiliarius, Illustris. D. D. Franciscus Ramos del Manzano: è cuius ore accepi, aliquos tunc solitos de Deo & Angelis, aliisque importunis materijs praelegere, ad cathedram Ethicorum promerendam. Quare ij duo consilium nostrum de edendis Commentarijs, iam antè elaboratis, in Aristotelica Nicomachæa, probarunt laudaruntque, tanquam è re publica sint. Idem quoque censuerunt ferè omnes ceteri eiudem Supremi Senatus Consiliarij, praesertim verò doctissimi, ac multis nominibus celebres Viri, decusque magnum ætatis nostræ, D. Antonius Monsalve, D. Alphonsus de Llano Valdés, D. Laurentius Santos de San Pedro, D. Antonius de Riaño Salamanca, D. Antonius de Sevil & Santelices, D. Alphonsus de Olea, D. Petrus de Vlloa Golfín, D. Petrus de Salcedo: quorum plures dignati etiam sunt perlegere codices aliquos huius Operis, & suffragio suo ac iudicio ad celerem editionem excitârunt. Mitto plurimos alios eruditissimos viros, ac primæ & summæ notæ, qui idem propositū laudarunt, atque in exitum perducere studuerunt. Denique quàm multorum votis, ne dicam omnium, in hac Salmanticensi Academia, desideretur Opus aliquod huius generis, & à nobis importunè exigatur quàm citius edendum, res notissima & omnibus explorata est. Vtinam publicæ, tum utilitati, tum & expectationi, respondeamus.

2 NEC Tamen animus est hæc qualiacumque edere dumtaxat in eorum gratiam, qui periculum suæ opinionis faciunt in petitione cathedrae Ethicorum. Id enim an-

gustum esset nimis, & compendio fieri posset. Itaque ampliori conatu ac fructuosiori consultum ivimus ijs omnibus, qui nobilissimam hanc disciplinam, & toti generi humano utilisimam, notè desiderant, tum ad imbuendam mentem, tum & ad instituendos mores. Vt autem id haud segnitè præstaremus, exquisivimus vndique Interpretes Ethicorum Aristotelis, tam eos qui litteram solam Latine reddiderunt, quàm illos qui insuper Commentarijs illustrârunt. Inter priores locum habent decem translationes, nimirum, vetus, qua D. THOMAS usus est, deinde Ioannis Argyropili, Aretini, cuiusdam Ficentini, Feliciani, Nostris Ioachimi Perionij, Adriani Turnebi, Petri Victorij, Gruchij, & Dionysij Lambini, adiunctis eiudem notis, tum & Theodori Zuingeri, ex insigni Bibliotheca nobilissimi iuxta atque eruditissimi Marchionis Agropolitani D. Gasparis Ibañez de Segovia & Peralta: cuius dono accepimus Characteres Ethicos Theophrasti, ac Paraphrasim Græcam eorundem librorum, Auctore incerto, eoque eximio Peripatetico, Latinitate donatam à Daniele Heinsio. Præterea vti sumus Interprete simul & explanatore Oberto Giphano, quo nihil politius eruditiusvè, & per què potissimum in hac re proficere studuimus. Tribuenda quidem laus hæc viro illi: quanquam alioqui doleamus intestinum eius odium in Ecclesiam Romanam (nisi fortè Opus ipsius, quod posthumum est, à quopiam Heterodoxo impia manu depravatum fuerit) in quam interdum, ac praeter rem, diris atque execrationibus invehitur. Profuit quoque non parum Donatus Acciaiolus, Ethicorum Interpres, & Franciscus Piccolomineus Patavinæ Academiae Professor in sua Philosophia de Moribus, arguta quidem, & subtili. Insuper & præluxere nobis ex Societate IESU, Theophilus Raynaudus, insigni Opere de Virtutibus & Vitijs; Sfortia quoque Pallavicinus Cardinalis S. Romanæ Ecclesiæ, libello de Bono; & denique Interpres simul atque explanator excellens Tarquinius Gallutius: cuius Opus Ethicum humanissimè nobis communicavit, ac Matrino Salmanticam deferendum permisit, Excellentissimus pariter ac sapientissimus Princeps D. GASPAR DE BRACAMONTE ET GVZMAN, Comes de Peñaranda, Summorum Senatum Indiarum atque Italiae Praeses, Hispaniarum Governator, & olim Neapolis Prorex: qui in apparatusissima sua Bibliotheca, tanti Principis eruditione digna, plures alios sæpissime libros exhibuit, è quibus non nihil excerpere & huic transferre potuimus. Eandem quoque ansam libandi ac deslorandi plura selecta obtulerunt nobis Viri alij eruditione insignes, ac referatissimis Bibliothecis instructi: praesertim D. Em-

Emmanuel Góñez Tellez, novē editis voluminibus ubiq; notus, tūc Supremę Inquisitionis Senator, nunc Vallisoletanę Cancellarię meritiſſim⁹ Pręſes; D. Thomás Valdés Regię Indiarum Camerę Senator digniſſimus ac ſapientiſſimus; & D. Ioannes Lucas Cortés Fiſcalis Regij Areopagi, cuius plura & inſignia Opera propediem edenda in magnum Hiſpanię decus ardentibus votis expectamus. Mitto Auctores illos, quos Quęſtionarios dicūt: vt Buridanum, Iavellum, Burleum, & ex Recentioribus Conimbricentes, Pontium, Euſtachium à S. Faulto, Irenęum, & alios quoſpiā: tū quod ferē ij omnes parēe admodum ſcripſerint: tum quia in hoc volumine non fuit animus inſtituere Quęſtiones, ſed Commētarios dumtaxat. Mitto etiam illos, qui linguis Italica, Gallica, aut Hiſpanica libros Ethicorum ad litteram interpretati ſunt: quod nihil opis conferre nobis potuerint. Obiter tamen obſervatum eſto, Verſionem Ethicorum Hiſpanica lingua ſolum factam à Sereniſſimo Carolo Principe Vianę, ac Regum Navarra filio, ampliſſimę mentis iuvene: vt teſtatur Mariana in Hiſtoria Hiſpanię ad annum M. CCCC. XLI.

3 PORRO Inter omnes Ethicorum Nichomachęorum verſiones ſuperius memoratas, vnā Argypili recudendam cenſuimus: non quod elegantior, purior, aut clarior ſit; ſed quia communior, & præſertim in hiſce Academijs Hiſpanię. Hoc tamen ea lege præſtitum à nobis eſt, vt quoties viſum fuerit ad meliorem Ariſtotelis explanationem, ac litterę & ſenſui ipſius magis coherentem, vtamur interpretationibus aliorum in ipſo Commentario. quod tæpiſſimę facimus. Methodus autem & ordo in digerendo textu, & explanando per ſingulas partes, iſ eſt, vt facile ingenio ac memoriã comprehendere poſſit. Illum certę exornare ſtudiuimus, tam obſervationibus aliorum, quam proprijs, prout congruere viſum eſt tradendę huic diſciplinę cum voluptate, & fructu legentium quorumlibet, ſive Philoſophi, ſive Iuris Candidati, ſive Theologi, ſeu tandem quomodolibet eruditi ſint, & honeſtatis cultores eſſe velint. Neque enim noſtro ipſorum qualicumque ingenio aut ſtudio triuui volumus quęcumque in hiſce Commentarijs continentur: ſed fatemur id potiori parte decerptum ex ſupra dictis Auctoriſ, quamquam à nobis digeſtum & in ordinem redactum ſit. Quippe iam diu altę inſedit tritū illud Senecę Epift. 84. Nos quoque apes debemus imitari. & quęcumque ex aiverſa locōne congeſſimus, ſeparare. melius enim diſtincta ſeruantur. Deinde adhibita ingenij noſtri cura & facultate, in vnū ſaporem varia libamenta confundere: vt etiam ſi apparuerit vnde ſumptum ſit aliud ta-

men eſſe, quã vnde ſumptum eſt, appareat. quod in corpore noſtro videmus, ſine vlla opera noſtra, facere naturam. Alimenta quę accepimus, quamdiu in ſua qualitate perdurāt, & ſolida innatāt ſtomacho, onera ſunt. At cū ex eo, quod erant, mutata ſunt, tunc demum in vires & in ſanguinem tranſeunt. Idem in ijs, quibus aluntur ingenia, præſtemus: vt quęcumque hauſimus, non patiamur integra eſſe, ne aliena ſint. Concoquamus illa. alioquin in memoriã ibunt, non in ingenium. Aſſentiamur illis fideliter, & noſtra faciamus, vt vnū quiddam fiat ex multis: ſicut vnus numerus fit ex ſingulis, cū minores ſummas & diſſidentes computatio vnã comprehendit. Hactenus ille. Neque enim aliter exiſtimari noſtrū volumus quidquid in hoc Opere exhibemus. Inventores pauci admodum exiſtere. Sat nobis ſi recte, ſi diligenter, ſi ordinate aliorum veſtigia ſequamur, & quę ab ijs ſparſim tradita ſunt concoquamus digeramusque, ac noſtra faciamus. Alioquin ingenuitatis & pudoris eſt fateri per quos profecerimus: & vt inquit Baſilius Magnus, εἰ τι πάρ' ἐτέρῃς δεδιδακται, μὴ ἐπικρύπτῃς, ὡς περ αἱ φάλαγγες γυρταϊκῶν, αἱ τὰ νόθαυ ποβαλλόμεναι, ἀλλὰ κηρύσσαν ἐυγνωμόνας τὸν πατέρα τὸ λόγῃς. ſiquid ab alio doctum ſit, non occultare, quemadmodum improba mulierum, nota ſupponentes: ſed auctorem ipſum prodere grata commemoratione, Verumque ipſius doctrinę parentem.

4 DE Stilo autem fatemur, obuium eſſe, & in Scholis Catholicis uſitatum, nec diſſimilem ab eo, quo in tradenda Philoſophiã theoreica uſi ſumus, aut in diſputationibus publicis huius Academię. Nimirum, iſ nobis veluti ſpōte ſua fluit, nec accerſitur vi, aut induſtria aliqua. Scripſerint alij purius & elegantius, atque inter eos Giphanius, qui nihil pene, niſi Ciceronianum, admittit. Nobis non licet eſſe tam diſertis, Qui Muſas colimus ſeuiores. Præſertim in tradenda Philoſophiã Morum nemo ijs ſerupulis angī debet: quoniam omnino alia eſt à Philologia, & non de verbis, ſed de rebus, & humanis actionibus inſtituendis curat. Imo, iuxta obſervationem Senecę Epift. 72. Latum litterarium Philoſophorum relinquunt, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant. Sic apud Gellium lib. 17. cap. 19. Epictetus dicere ſolebat, plerique iſtos, qui philoſophari videntur, philoſophos eſſe eiulmodi, ἀνευ τῶν πραγμάτων λέγοντες. factis procul, verbis tenuis. Et idem Senecę, qui paulo ante, Epift. 101. monet, orationem ſolicitam non decere Philoſophum, Neque hoc dixerim quaſi placeat nobis immanis quorundam rutilitas & barbaries, tū in rebus Ethicis tradendis, tum & in ſubtilitatibus Scholaſticis explicandis. Ij enim nobili-

bilissimas disciplinas, & speciosissimas, sui stili attramento aut rubigine ita deformant, ut illarum aspectum exhorreant plerique illorum, qui politici sermone studuerunt, & in eo exquirendo suam operam collocarunt. Media itaque procedemus via, ut nec latinitatem exquisitam profiteamur ab hoc instituto alienam, nec putidam illam barbarismorum illuuiem, quâ aliqui, absque necessitate vllâ, aut penuria vocum Latinarum, vel in Scholis iam diu receptarum, elegantissimos Philosophiæ & Theologiæ vultus deformare non erubescunt. Absque necessitate, inquam. nam ubi illa utget (utget autem saepissime pro ritu Scholæ) nemo idiotissimos, seu privatas vniuscuiusque discipline voces, abhorreere debet, quamvis apud præcos illos Latini atis proceres non legantur. In quod illustrandum confert maxime auctoritas politissimi & eruditissimi Viri M. Antonij Mureti in lib. 8. Epist. Senecæ epist. 58. ubi ita loquitur: *Vt essentia, ita*

entis nomine uti necesse habent, qui Latine philosophari volunt. Neque verò ita desungi queunt, ut pro ente dicant, id quod est, alioqui in magnas sæpe numero se inducent difficultates. Idem accidit ijs, qui possibile & impossibile dicere, saltem in disputationibus philosophicis reformidant: cum Plato Arist. Epicurus, Zeno, in lingua infinitis partibus copiosiore, innumerabilia tamen vocabula fingere necesse habuerint. Equidem, ut in eo sensu liberè atque ingenuè fatear, multa puto ab ijs delicatis in S. Thoma, in Ioanne Scoto, alijsque eiusmodi eruditissimis hominibus, irrideri, que & necessaria sint, & talia, ut si quis ea vetustis illis temporibus protulisset, magnam et gratiam omnes Philosophiæ studiosi habituri fuisse videantur. Nos dum teneris auribus videri volumus, tenera nobis ac puerilia esse ingenia, neque vere aut solide eruditionis capacia, ostendimus. Hæc ille.

CAPVT SECVNDVM.

Philosophiæ Moralis origo, Dignitas, utilitas & præstantia supra ceteras disciplinas, quanta & qualis. Vbi de Pythagora, Socrate, Platone, & Aristotele, quid in eam illustrandam contulerint, & unde id hauserint. Theologis potissimum, Iuris peritis, & Politicis, quam utilis & necessaria sit huius discipline notitia.



PHILOSOPHIA SACRVM QVID ET VENERABILE EST, aiebat Seneca Epist. 56. Quod non de theoretica & solis subtilitatibus

plena, sed de actuosa, & humanam vitam instituente protulit. Nimirum, de qua inquit Epist. 91. *Deorum immortalium munus est, quod vivimus: Philosophiæ quod bene vivimus. Itaque tanto plus huic, quam dijs, quanto magis bona vita est, quam vita, pro certo deberetur, nisi ipsam dij Philosophiam instituissent.* Quasi fateatur, Dei quidem munus esse vitam hominis, & bonam vitam: verum hanc non sine Philosophiæ studio parari, quæ pariter donum Dei est. Neque enim aliter accipiendum, quod de inventoribus huius discipline tradi solet. Scilicet, communiter existimatur primum e mortaliibus Pythagoram capisse philosophari de bonis ac malis, & attulisse doctrinam hanc e celo, cuius orbes & flammantia sidera intentè contemplabatur. Verum altius reperendum est eius initium: cum Iosephus, gravis & antiquus Historicus, testetur libro adversus Apionem, Pythagoram fuisse discipulum Nazarei cuiusdam in sacris litteris eximie docti, a quo proinde Philosophiam Morum acceperit. Quin & D. Ambrosius, ac Clemens Alexandrinus in antiquis monumentis apprimè veritatis fidem faciunt, Pythagoram fuisse Hebræum genere: ac

posterior inter Apellas & recutitos illum enumerat. Quo plane evincitur, quidquid ille rectè ac vere docuit circa mores, totum id e sacris & purissimis Hebræorum fontibus haustum: id est, a doctrina revelata, & in sacris litteris contenta. Exinde enim deduxit aurea illa carmina, tot iam sæculis celebrata, quibus optima vitæ humanæ ratio traditur, & circa quæ lectu digni sunt Commentarij Hieroclis, atque Arrianus lib. 4. Dissertat. Epicteti, præsertim cap. 6. Itaque Philosophia Ethica, non Pythagoræ, alteriusve mortalium inventum est, sed donum Dei ab ipso mundi initio hominibus inspiratæ: quamquam inter Ethicos primus ille legatur eam docuisse.

2 SVCCCESSIT Multo post tempore Socrates, & ex scriptis ac doctrina eiusdem Pythagoræ, ut cenet Tertullianus, imbuendam iuventutem curavit, ac morum disciplinam promovit. neque hoc tantum, sed innumeram illam deorum turbam, a Græcis adoratam, publica oratione derestatus est, etiam cum periculo capitis sui: tanquam ea non cohereret cum divinis præceptis, & recta morum institutione. Nec tamen ideo Socratem omnino probamus, ut Erasmus, qui pene illum inter Divos retulit: cum nunquam vnius Numinis existentiam publicè

& pa-

& palam docuisse legatur, quin potius in Pyrao perfolvit Minervæ vota, & gallum galinaceum Æsculapio immolasse. De quo nonnulla me dixisse memini tom. 1. Theologiæ Florulentæ Lud. I. cum de Genio Socrædis dissererem. Quod tamen aliquando reiecerit illam deorum colluviem, ex Pythagoræ doctrina haustum seu derivatum censetur. Socrædis discipulus Plato fuit, ab eoque Moralem Philosophiam accepit, tametsi non puram, sed turbidam & lutulentam: ut ex scriptis eius apparet. Quin neque defæcatam traxit ex Ægypto ab Hebræis degeneribus, quos ibidem consuluisse fertur: nec sacros libros satis intelligere potuit Hebræici sermonis inscius, cum nondum Græcè redditi essent. quippe id postea factum est iussu Philadelphi. Verum ex ijs qualibuscumque Hebræorum monumētis, aut etiam ex scriptis Trimegisti, ut idem Tertullianus vult, didicit, & docuit postea in Protagora, artes necessarias ducendæ ac tuendæ humanæ vitæ ab hominibus quidem excogitatas: eas verò, quæ hominem perducunt ad bonam ac beatam vitam, singulari Dei beneficio fuisse mortalium animis impressas. Addunt aliqui Patres, Platonem in Ægypto consuluisse libros Moysis & quorundam aliorum ex Scriptoribus sacris, exindeque construxisse decem illos de Republicâ libros, ethiceis documentis plenos. quorum summa est, impios & sceleratos homines, quamvis omnibus fortunæ præsidijs affluant, & in speciem probos se exhibeant, verè infelices esse, ac Deo odibiles: contrà autem probos, & vitâ innocuos, vel in summis calamitatibus & ærumnis, felices existimandos, ac Deo charos. In cuius traditionis fidem Eusebius Casariensis observat illum Isaïæ locum, *Veniāmus iustum qui nobis inutilis est, &c.* exscriptum fuisse, quamvis circuitione quadam, à Platone lib. 2. de Republica. Idemque ferè de Socrate constat ex disputatione Trasymachi cum ipso, quæ continetur lib. 1. eiusdem Operis: ubi habetur minimè obscura explanatio eorum verborum, quæ flagitiosi homines pronunciant lib. Sapientiæ cap. 2. *Venite ergo, & fruamur bonis quæ sunt, & utamur creatura tanquam in iuventute celeriter. Vino pretioso & unguentis nos impleamus, & non præcreat nos flos nostri temporis.* Quibus planè evincitur, præcos illos Græcorum Sapientes, qui Ethicâ disciplinam professi sunt, aliquam sacræ & revelatæ doctrinæ notitiam, quamvis obscuram, habuisse, ut ex ea proinde hauserint quid quid rectum, & instituendæ vitæ opportunum, monumentis consignarunt. Vnde illud Numenij: *τί ἐστὶ Πλάτων, ἢ Μουσαῖς Ἀττικισσῶν; Quid est Plato, nisi Moyses atticissimus?* Et Augustini lib. de Vera Relig. cap. 4. & Epist. ad Dioscorum, aientis, *Platonica juvenia Philo-*

sophos, facillimè omnium, paucisque mutatis, fieri posse Christianos. Nimirum, quoniam mores à Platone traditi magna sui parte conformes existunt sacris litteris, è quibus hausti, & traditi.

3 DE Aristotele denique palam est magnam Ethicæ partem didicisse ac mutuasse à præceptore suo Platone, quem tot annis & tam intentè auscultavit in Academiâ: quamvis plurima addiderit, & sæpe contraria doctrinæ illius. Quare nec Averroës illum inventorem facit huius disciplinæ, sed solum Dialecticæ, Phycicæ, & Metaphysicæ, dum ait in ipso Phycicæ Proœmio: *Aristoteles tres scientias invenit, Logicam, Naturalem, Divinam: & nullus error inventus est usque ad hoc tempus, quod est mille & quingentorum annorum. Et talem esse unum hominem, potius est miraculosum, quàm humanum.* Quænam verò Opera Moralia ediderit, & an sit Author horum librorum, quos explanandos suscipimus, apparebit postea. Hæc itaque in eam gratiam dicta sunt, ut appareat, Philosophiæ Moralis initium longe nobilius esse, quàm ut alicuius mortalium inventione excogitatum sit; illamque primùm dono Dei hominibus inspiratam.

4 PORRO Utilissimam eam esse, vel ex ipso nomine patet: cum hominem doceat vivere secundum rationem, ac mores suos regere ad totius honestatis præscriptum, dirigatque ad summam felicitatem, & amicitiam cum Deo. quæ nihil præstantius aut utilius creature rationali esse potest. Verum & id ampliùs apparebit, instituta comparatione cū speciebus Philosophiæ theoreticæ, quas multi Sapientum, imò & Patrum Ecclesiæ, observant sæpissime hominibus inutiles aut etiam damnosas extitisse. Hinc illud Lactantij lib. 3. cap. 30. *Facessant omnes isti (Philosophi) qui vitam humanam non instruunt, sed turbant.* Indidem ex postulatio illa Nazianzeni Orat. de modo disputandi: *In Ecclesiam, velut quædam Ægyptiaca pestes, Philosophi irrepserunt.* Apud Tertullianum quoque lib. de Anima cap. 3. legitur: *Philosophi patriarcha, ut ita dixerim, hæreticorum.* Ac præterea ab eo dicuntur eodem loco, *sapientia & facundia caupones.* Insuper, *quodavis struere ac destruere eruditi, magisque dicendo persuadentes, quàm docendo.* Similia Hieronymus Epistola ad Iulianum, & Ambrosius dum ait: *Phalerata magis, quàm vera sapientia, quæ aliena querit, cum sua nesciat: cæli plagas scrutatur, Deum ignorat, quem solū nō posse debet.* Quæ tamen omnia, & alia eius generis à Patribus prolata qualiter accipienda sint, iam monui disputatione prima Philosophiæ Rationalis, dum de illius utilitate dissererem. Nimirum, ijs locis solūm carpitur indebitus Philosophiæ usus,

ac planè sophisticus, aut arrogantia plenus, aut pietate vacuus. Ideoq; & idem Lactantius qui supra, lib. 1. cap. 1. ait: *Philosophia non nocet, imò prodest plurimum, si religione imbutus est animus.* Quod etiam alij Patres, & maxime Augustinus, luculenter confirmant illustribus testimonijs, quæ ibidem descripsimus. Itaque quod inutiles, aut etiam damnosæ extiterint sapiens theoricæ disciplinæ, non ijs tribuendum, sed abusu hominum multorum, qui non intuitu querendæ veritatis, sed pruriginè novitatum excogitandarum, aut faciendi sibi nomen, eas in speciè profitentur. Multi enim eo vitio egrotant, & quorum scriptis, aut disputationibus publicis, nihil succi, nihil medullæ habeatur, etiam in rebus sacris: sed pura puta sophismata, & captiosæ verborum trices, aut cavilli. Sunt enim, ut Clementis Alexandrini verbis utar lib. 1. Stromat. *Ἰησοῦ τεχνολογῶν, ἐπιδραυτίς, καὶ ἰμαντιλεκτίες. minutarum artium rerumque aucupes, certatores & litium avidi, & flexuosarum captionū sartoires.* Quo etiam sensu Mercurius ille Ter Maximus dixisse fertur: *Ελληνῶν φιλοσοφία, λόγων ἄστρο. Græcorum Philosophia, verborum strepitus.* Ideo in eos magnus ille Seneca pluribus locis acriter invehitur: præsertim lib. de brevitate vitæ cap. 14. dum de ijs ait: *Operosè nibi agunt, qui litterarum mutilium studijs detinentur.* Et Epist. 78. *Ista liberalium artium consecratio molestos, verbosos, intempestivos, sibi placentes facit; & ideo non discētes necessaria, quia supervacua didicerunt.* Mitto sexcenta alia magni illius Philosophi testimonia.

5 ET Hoc idem loquendo de abusu Philosophiæ theoricæ, ac liberalium artium. At verò etiam in seipsis consideratæ, & quatenus mentem informant circa propriam earum materiam, certum est illas nullam aut exiguam utilitatem afferre, si cū Philosophia Morali conferantur. Gradum quidem faciunt & intelligentiam præparant ad sacram Theologiam addiscendam, eoque nomine absdubiò utilissimæ sunt, & à SS. Patribus commendatæ ac traditæ. Verùm intra proprios fines consideratæ vix aut ne vix quidem solidam aliquam utilitatem afferre inveniuntur. Id generatim evincitur vel ex eo, quòd solùm speculatrices sint: ideoque non ad honestam aliquam actionem, sed ad solam contemplationem, sive theoriam ordinatæ. Geometra totum mundum metietur, nec se intra contubernium mortale continebit, ut inquit Seneca Epist. 95. cæterum non ideo discet continere se intra honestatis lineas. Astronomus, quamvis in cælum mentem erigat, siderumque errantium & inerrantium occursum & aspectus nolet, non propterea discet caduca hæc despiciere, aut liberum ab ijs animum gerere. Dialecticus subtiliter

disputabit, & extricabit cavillos, quibus ab adversario innodari videbatur: verùm adhuc nesciet qua ratione à laqueis huius vitæ, & nexibus affectionum pravatum expediatur. Physicus quidquid ad naturam rerum spectat, & ad quatuor illa elementa quibuslibet rebus mixtis cognata, diu noctuque exquirat, illarumque ortum & interitum. At non propter animum suum componet, ut absque metu aut periculo mortem expectet. Metaphysicus denique contemplatur universalissimas illas rationes entis, boni, veri, aliasque eiusmodi. Cæterum adhuc ignorabit quid in singulari agendum sit in rebus humanis, ubi periculum occurrit violandæ honestatis, aut necessitas tuendæ iustitiæ, vel fortitudinis. Eas tamen omnes utilitates, pluresque alias, ijs disciplinis extraneas, Philosophia Moralis affert. Docet enim, non solum generalibus regulis, sed etiam in singulari, & pro vario rerum occursum, quomodo vita humana rectè instituenda sit, qualiter à vitijs cavendum, qua ratione Virtutes exercendæ, quibus præsidij retinendæ, augendæ, & ad optatum felicitatis finem perducendæ. Et, ut idem Seneca tradit Epist. 20. initio, *facere docet, non dicere: & hæc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius coloris sit.* Ipsa est, quæ hominem docet, quomodo pacè secum habeat, conciliata, & ad iustam mediocritatem redacta intestina illa perturbationum turba, quibus passim agimur, & limites rationis egredimur. Ipsa etiam pacatum hominem erga alios reddit, & quoddammodo Deo conciliat. Ideo Iustinus Philosophus & Martyr ad Typhonem aiebat: *ἔστι γὰρ τῷ ὄντι φιλοσοφία, &c. Est enim verè Philosophia maximum bonum & possessio, & apud Deum venerabilis: QUÆ DVCIT NOS AD DEVM, ET SISTIT SOLA: & sancti beatique illi, qui mentem ei donant.* Quam in rem illustris est locus Philonis Comment. de nominum mutataientis: *Velut arborum utilitas est nulla, nisi fructus producant, eodem planè modo cognitionis Naturæ usus est nullus, nisi Virtutis possessionem comparatura sit. Is enim est Physiologiæ fructus. Quo circa quidam à Veteribus orationem & disputationem Philosophicam agro similem esse voluerunt: ac stirpibus quidem Naturalem partem compararunt: sentibus autem, & sepibus eam, quæ in differendo consistit: fructus verò Moralem, &c.* Possidonius quoque, teste Sexto Empirico, animanti comparavit Philosophiam: ossibus quidem & nervis Logicam: carni & sanguinè Physicam: animo denique Ethicam, seu Politicam. Alij proposita ovi similitudine, adæquarunt testæ, seu putamini, Logicam, albumini Physicam, & Ethicam vitello. Denique, ne Lectorem morer, quotquot ferè laudes Phi-

Philosophiæ leguntur, quotquot fructus prædicantur in scriptis Sapientum, siue ij Ethnici sint, seu veræ Religionis cultores (quorum loca obvia sunt, ideoque à nobis prætermissa) aut de Morali debent accipi, aut de Philosophia universè, prout Moralem complectitur.

6 NEQUE Quia utilis est, & morum correctioni iuenta, ac voluptatum incoecessarum inimica, existimes illam asperam aut insuavem. Nihil ea dulcius aut suavius est: nihil quod non præferat iucunditatem honestati admistam. Testes advoco Sophos illos Veteres, qui illius pulchritudine affecti, non dubitarunt omnia fortunæ præsidia dimittere, & convictum fugere humanum, ut obtinerent pacem illam, ac quietem animi, quam Philosophia hæc promittit sectatoribus suis. Verùm excesserunt: cum illa etiam civilis & urbana sit, doceatque homines honestissimè agere, etiam in frequentia cæterorum. Nullus ab eius studio, aut sacrario arceatur, nisi qui animum natura ingenuum ac liberum, vitiorum mancipium efficit, ac servum pessimæ conditionis, planeque dedititium. Eam nobiles & ignobiles, divites ac pauperes, Reges & subditi, viri ac fœminæ, utiliter simul ac voluptuosè addiscere possunt. Quid alijs in eius studio acciderit, non possum certò ac definitè affirmare. Id autè verissimè de me ipso pronuntiare possum. E viginti octo annis, quos continenti studio ac professione Philosophiæ & Theologiæ expendi intra pijsimum Religionis Benedictinæ sinum, vix duos eorum postremos collocaui in hac cœlesti doctrina addiscenda, quantum concessere aliæ exercitationes Academicæ, & instituti mei propriæ, necessariæque. Verùm eo exiguo tempore Jongè maior mihi delectatio & suavitas fuit, quam in tot annorum speculatione theoreticis disciplinis impensa. Horæ, dies, noctes, pervigilia, veluti momenta mihi visa sunt. Usque adeò iucunda illa ac suavis est. Periculum faciant aut meæ opinionis, aut suæ ipsorum voluptatis, cæteri. Invenient, credo, verissimum experimento suo, quod nunc alieno tantùm discere potuerunt.

7 SED Addendum præterea est, incredibilem penè utilitatem allaturum Philosophiæ Moralis studium præsertim triplici hominum generi, Theologis, Iurisperitis, & Politicis. Ac primò quidem Theologis: quoniam in hac disciplina traduntur veluti summa capita eorum omnium, quæ in Theologia Morali pertractantur: prætereaque de singulis ferè Virtutibus ac vitijs, & actionibus utrorumque, ex instituto atque ab origine disseritur. Quod optimè perspectum habuit clarissimum Ecclesiæ lumen D. THOMAS: qui totam ferè doctrinam ab Aristotele traditam in hoc Opere transtulit in Primam Secundæ, &

Secundam Secundæ suæ Theologicæ Summæ. Ideoque & nos in fine Commentarij uniuscuiusque ferè capituli indicamus locum, in quo idem Angelicus Doctor rem ex professo elucubravit: ut ibidè planius innotescat, præsertim adiunctis Interpretibus, qui plures & obvij sunt. Quare ubi prælegendum fuerit ad cathedram Philosophiæ Moralis promerendam, aut examinandum quidquam operosius, facile erit recurrere ad D. Thomam, eiusque Explanatores, ut exinde plenior rei notitia habeatur.

8 DE Iurisperitis, quantum commodi percipiant, & quos progressus sperare possint ex intèro huius disciplinæ studio, res notissima est: cum in ea tradantur, digerantur, & convenienti materiæ factorum rerumque humanarum adaptentur, principia omnia Iurisprudentiæ. Nimirum omnium legum humanarum, quotquot utiliter & congruenter latæ sunt, atque in utroque Iure habentur, origo & fundamentum est ratio moralis circa quaslibet Virtutes & vicia, quæ in his libris summatim ac dilucidè traditur. Quare Seneca Epist. 90. primum Philosophiæ Moralis officium constituit in reddendo suum uniuscuique. quod sanè ad ius, siue Iustitiam spectat. Speciatim verò totus liber quintus est de Iustitia & Iure, varijsque utriusque acceptio-nibus, ac multiplici vtu. Denique passim in Commentarijs quorumlibet ferè capitulum invenietur aliquid opportunum ad illustrandam rationem decidendi præcipuarum legum, quæ in Iure extant. Quod inter omnes Ethicorum Interpretes præcipuè ac frequenter observat Giphanius, veluti peritissimus Iurisprudentiæ. Nos, quamvis aliquot annos in eius studio olim traduxerimus, Salmantiæ ac Vallisoleti, Præceptoribus potissimum Illustrissimis sapientissimisque, D. D. Francisco Ramos del Mançano, D. D. Alphonso de Olea, & D. D. Iosepho Fernandez de Retes (præter alios iam vita functos) fatemur plerasque observationes Ethico-iuridicas Giphanio deberi. Neque enim ipsi invidere aut eripere volumus eam laudem. Idem verò Auctor, sicuti & nos, plurimum commendat studium huius disciplinæ, Theologis, Iurisperitis, & Historiarum lectioni deditis.

9 PRÆTEREA Quotquot verè Civilem Doctrinam, seu Politicam rationi consentaneam, & Reipublicæ atque humano convictui utilem addiscere volunt, planè id consequi nequeunt, nisi præeunte studio Philosophiæ Moralis: tum quoniam illa præcursoria est, & fundamentum totius Doctrinæ Civilis: ut infra latius cap. 5. apparebit: tum quod vitam privatam singulorum hominum informat, ut sobria sit, & rationi conformis. Sine ea autem morum honestate nemo potest esse verè Politicus. DE-

10 DENIQUE, Quisquis es Lector, in hac disciplina (vt Basilij Imperatoris verbis vtar) *inuenies sine labore quidquid ille (Aristoteles) magno cum labore congegit: atque inde proborum virtutes & improborum vitia cognosces, & vitia humana magnas mutationes, & earum in ea conversiones: mundi*

huius instabilitatem, & imperij ad cadendum pronitatem disces: breuiter malefactorum poenas, & bonorum premia leges, quorum illa fugies, ne ultionis, quae inde sequitur, severitatem patiaris: haec autem amplius, vt premia, quae ex eis emanant, consequi merearis.

CAPVT TERTIVM.

Regibus, & Principibus esse admodum necessarium Philosophiae Moralis studium. Exscribitur in eam gratiam Prologus Serenissimi Principis Vianae D. CAROLI in Ethica Aristotelis, eorumque compendium, Hispano idiomate antiquo, vt in codice manuscripto & peruetusto extat.



I DELECTAMINI SEDIBVS ET SCEPTRIS, O REGES POPVLI, DILIGITE SAPIENTIAM, VT IN PERPETVVM REGNETIS, ait Spiritus Sanctus lib. Sapien-
tia cap. 6. Vbi non de scientia aliqua theoricā, aut subtilitatibus plena sermo est, sed de sapientia illa, quae in actione virtutis versatur, quaeque non modo mentem informat, sed dirigit etiam ac perducit ad omnem morum honestatem. Hae porro Philosophia est, non Naturalis, aut Rationalis, sed Moralis, & actiuosa, quae fugiendis vitijs, & sectandis virtutibus animum preparat. Ea ipsa, nimirum, Principibus gloriosior est, quam thronus, & sceptrum, & diadema. Cyrus, cum Cambysiem designaret Imperij successorem, dixit, teste Xenophonte lib. 8. *Te, mi Cambyses, scire volo, non aureum hoc sceptrum esse quod regnum tibi conseruet: sed amici fideles Regibus, & verissimum, & tutissimum sceptrum sunt.* Atqui longe melius id dicere potuit de sapientia, quae sceptri securitatem & perennitatem au picatur: imo & per quam Reges regnant, & legum conditores iusta decernunt: vt habetur Proverbiorum 8. Nero cum puer esset, omnes ferè liberales disciplinas attigit: sed postea cum Agrippina mater à studio Philosophiae avertit, cum esset imperaturus: vt testatur Suetonius in Nerone cap. 52. Quid, quod improbus Princeps evaderet? Et certè, si quodquam hominum genus eget eius disciplinae praesidio, potissimum Reges, quoniam sicut dignitate, ita & sapientia deberent antistare ceteris. Ideo & ij Magistratus dicti sunt olim, quod debeant magisterium gerere, & docere subditos: vt Auctor est doctissimus Romanorum Varro, 4. de lingua Lat. Ideo, & Alexander in epist. quadam ad Aristotelem aiebat: *Εγὼ μὲν βαλοῦμαι ἐν ταῖς περὶ τὰ ἀπιο-
τα ἀμνηστίας ἢ ταῖς δυνάμεισι διαπείγαν.* Ego quidem malim optimarum rerum scientijs,

quàm robore bellico, ceteris antecellere. Itaque debent Principes, tum virtute, tum & sapientia, praecire ceteris omnibus. Et Seneca ratione reddit in ipsa rerum natura ac consuetudine fundatam, Epist. 91. dum ait: *Natura est prioribus aetiora summittere. Mutis quidè gregibus aut maxima corpora praesunt, aut vehementissima. Non praecedit armenta de gener taurus, sed qui magnitudine aut toris ceteros mares vincit. Inter homines pro summo est optimus. Animo itaque rector eligebatur. Ideoque summa felicitas erat gentium, in quibus non poterat potentior esse, nisi melior. Et postea subiungit. Ilo saeculo (quod aureum perhibetur) penes sapientes fuisse regnum Possidonius iudicat. Praenisserat verò Epist. 37. Si vis tibi omnia subijcere, te subijce rationi. Multos reges, si ratio te rexerit. Ab illa discas, quid & quemadmodum aggredi debeas.* Itaque quisquis ritè ac feliciter studet regere multos, eoque sibi subijcere, studeat necesse est seipsum summittere rationi: quod facere docet Philosophia Moralis, quae mentem voluntatemque instruit & impellit, vt toto impetu ad honestum eat.

2 VERVM Ne in re vsque adeo trita Lectorem morer, visum solum est doctrinam hanc confirmare singulari exemplo, & paucis noto, in Serenissimo Principe D. CAROLO Principe Vianae, Regu Navarrea Primogenito: cuius Opera, tum Ethica, tum & Poetica, vetustissimo volumine scripta, Hispano & antiquo idiomate, nuper ad me pervenerunt, e Bibliotheca Clarissimi Herois & Perillustri D. D. Mathie de Rada, Calatravenlis Equitis, & Scholastici Salmantini. Princeps itaque CAROLVS eo Philosophiae Moralis studio exarsit, vt libros Ethicorum primus omnium Hispanicè exprimeret. Atque in eorum Prooemio ita alloquitur Serenissimum Regem D. ALPHONSVM II. Aragonie & Siciliae Regem, Patrum suum.

EL PROLOGO QUE FIZO EL PRINCIPE DE VIANA
D. CARLOS, quando traduciò las Ethicas de Aristoteles è Latin
en nuestro Romance, derezandolo al Senyor Rey Don
ALFONSO su Tio.



PUBLICO Poder en la tierra, è imagè de la Divina Magestat, yo el Principe vuestro mui humil sobrino, mas por la divina obediencia, que à todos vuestros mandamientos debo, movido, que ignorando la flaqueza de mi entendimiento fuesse de tanta presuncion cegado; deliberè la presente traduccion fazer de Latin en nuestro Romance, de aquellos libros de la Ethica d' Aristoteles, que Leonardo de Areto del Griego en Latin trasladò, por los aver el Frayle que la primera traduccion fiziera, mal è perversamente convertido: tomando por exemplo el exercicio de vuestro Real ingenio en las Epistolas de Seneca. E yo Senyor mui Excelente, estimando pues Ethico en Griego se llama la ciencia de la virtud, è que non la pertenesce saber, sino al que ha avido practica d' aquella, como Aristoteles dize en el libro primero capitulo quinto; mas que à otro, à Vos Senyor se debe enderezar el presente tractado: que han conseguidas en vuestro mui Real escogido entendimiento quanto por eyuso continuo è acostubrado todas las virtudes teneis. E desconociendo toaos los nombres de aquellos, non olvidando vuestros gloriosos fechos, non vos pueden ser que dignamente confesadas. Ca del esfuorço de corazon, que primero en orden Aristoteles pone, quien mas que Vos lo ha experimentado? que non solamente ser de la fortuna combatido en el comporte loable del eyusastes: mas esto nos Vos bastara para la grandeza de vuestro Real animo que al cometimiento della con tolerança sobrado, mas nos con Real denuedo acometendolas asi la quesiistes sobrando vencer. De la temperancia quien es que mas eyuse, que Vuestra Real Senyoria: q̄ en vuestro vivir el exemplo puede ser conosciado. Verdaderamente mostrando dexo la franqueza, porque non basta à los terminos de excelencia de vuestra dignidad, è costumbres mas de la magnificencia. Asy vuestras monedas, los donativos, è mercedes q̄ fazeis de cada dia, quanto vuestras luminosas obras, è edificios, los arcos de Vuestra Real Persona, è los abbios de Vuestra morada, è otras suntuosas despenzas manifestamente declararã. Dexo tambien las honras communes que vuestra magnanimidad non consente: porque todas sus virtudes, mas divinas, q̄ humanas parecen. De la mansedumbre è clemencia vuestros subditos amigablemente tractados, quanto otros

à quien la justicia eyo eya, otros que Vuestra cavalleroja victoria pudiera corregir, las vidas de aquellos de continuo predicar. De la verdat de Vuestra Real boca, è pesadumbre de vuestro gesto, aquel que contempla en la Real Persona Vuestra, bien conoscerà vuestra senyalada costumbre, è la cortesia que en Vuestros razonamientos Reales servais, el amor con que Vuestra Senyoria ha siempre eyusado à sus vasallos continuadamente tractar. E vuestra justicia ciertamente es clara: porque el reposo entre gentes feroces, la clemencia exercitò, apartadas ser el solo de muchos seguro, el pequenio acatado, otra cosa alguna non lo basta fazer. Esto baste quanto à las virtudes, que en la practica è costumbres consisten. E hablando de las intelektuales, que consisten en la razon, è en las potencias de la anima: Primeramente de la memoria incomparable, que pocas son las cosas que asy por leer ou oir non tenga en su seno concebidas è prontas. La voluntad asy ordenada, que los vicios aborrecidos sien. Preordenandose que de las tres partes de la prudencia, ninguna en su tiempo le puedã fallecer, ca de las pasadas recordandose, en las presentes con el seso, è las venideras con maravillosa providencia soleis del todo proveir: en tal manera senyor de vos mesmo, que ni de pasiones turbado, ni de vicios viciado, ni de vanagloria cobdicioso, mas entre los extremos moderado, è de virtudes tantas honrado, mas de la razon contento sobre todos los otros Reys vos ha siempre placido vivir. Asy que Senyor mui virtuoso, esta es propria escriptura para vos; non porque de doctrina seria, salvo de espejo, en el qual vuestros actos vereis. Llamaron otrosi los Philosophos à esta ciencia Despotica, que en Griego es sciencia de Reys. Vos Rey è virtuoso: atorquela pues todos à vos, cuya fama, dignidad, è costumbres, por el mundo volando singularmente resplandecen. E dexovos mui esclarecido Principe de mas alabar, porque mi lengua errar en algo por ventura podria. Por ende passarè à dezir q̄ Leonardo fixo de cada libro un capitulo. Pero yo quise en cada libro en diversos capitulos partir segunt que la diversidad de la materia subjeta requiere en aquellos capitulos, en tantas, è distintas conclusiones, quantas el Philosopho determinò sobre las opiniones de los otros Philosophos: è porque vuestra Senyoria mejor pueda notar è fallar la materia que mas le pluguiere: è porque todos los Morales se estudia-

ron

non aclarer sus señaladas doctrinas, por el comun provecho que de ellas se sigue; aquellas palabras que claras son en otras tantas de nuestro vulgar è proprias converti: mas dando la sentencia, vi ser cumplidora. Por cierto Senyor de aquella eyusè iusta la verdadera scientia de Santo Thomas, claro è Catholico Doctor, rayo resplandeciente en la Iglesia de Dios es forçando mostrar algunas virtudes è vicios mas propios nombres, como por las margenes del libro verà Vuestra Alteza con declaraciones notado Ca dize Sant Geronimo en la Epistola del muy buen estilo de interpretar: E yo por cierto no solamente eyulo, mas de la libre voz me aprovecho en la interpretacion de las Griegas santas Escrituras, dando el orden è misterio de las palabras; no solamente la palabra de la palabra, mas del fecho la santa Escritura exprimit. *E quasi esto dize Tulio en los traslados que hizo de Pythagoras, de Platon, è de la Oeconomica, de Xenophonte, è de las dos oraciones de Eschyne, è Demosthenes: iten Terencio, Vergilio, è Horacio en su Poesia. Los quales si quier quisiese aysi mi presente traduccion fazer. E como Vuestra Senyoria mejor que yo sabe, el pozo de la Moral Philosophia el Aristoteles fuè: è los que despues del vinieron, pozaderos son. Esago fin, porque vos Senyor non enoxe tanto ayuntamiento de prologos è introducciones.*

3 HACTENVVS Ille gloriosus Princeps, atque amplissimo Imperio dignus ob præcellentes animi dotes, quamvis infelix ob Varinianum parentis odium, & immature vivis ereptus: de quo Mariana ad annum M. CCCC. XLI. hæc habet: *Carolus Vianæ Princeps materni regni successor, regio nomine abstulit à patre coactus, an sponte, an matris*

monitu. Ingenium Studijs dederat: non ut otio marcesceret, sed ut præceptis sapientia instructior ad rem publicam accederet. Extant ingenij monumenta: Libri Aristotelis de Moribus vulgari Hispanorum lingua donati: brevis de Vasconum Regibus Historia. præterea versus non melegantes, quos ad tyrannum pangere solitus erat, juvenis meliori fortuna, patreque benigniore dignissimus. Hæc Mariana. quibus addo, versus plurimos & varios eiusdem Principis (quos, dum hæc scribo, ob oculos habeo, eo ipso tempore scriptos antiqua forma & charactere) videri elegantissimos, habita ratione eius ætatis, & sententijs moralibus plenos, ac plane dignos, qui cum versibus Ioannis Menna, tunc in Hispania celebris, conferantur. Notandum vero est, in Proæmio nuper exscripto, synopsis quandam plurimum Ethicæ librorum exhibitam à Carolo. Excurret enim per præcipuas virtutes sex primis Ethicorum libris explicatas, easque omnes adscribit Alphonso Regi. Utinam eius clarissimi Principis exemplo cæteri excitentur ad amorem & studium Philosophiæ Moralis. Nec plura modo de eximijs Caroli dotibus: præsertim cum eius laudes ac res gestas propediem editurus sit insignis Theologus, ac Vespertinus Academiæ Nostræ Antecessor, & eruditissimus Vir Petrus Abarca, Societatis IESU, in Historia Regni Aragoniæ. Curabo tamen in posteriori parte huius Operis aliquot eius Principis versus Ethicos nostris Commentarijs adijcere, quasi adamantes, aut margaritas. neque enim apud me minoris pretij sunt. Nunc pro studio acquirendæ & exequendæ tum disciplinæ, tum & virtutis moralis ultra omnes divitias, accipe versus ex Operibus Ethicis & Poeticis ipsius;

Las riquezas temporales

Presto fuyen,

E crescen, è disminuyen

Los caudales.

Busca los bienes Morales,

Ca son muros

Firmes, fuertes, è seguros,

Immortales.

CAPVT

CAPVT QVARTVM.

An hi decem libri Nicomachæi, quibus Philosophia Moralis traditur, verè scripti fuerint ab Aristotele. Quid item de Eudemij, & Magnis Moralibus, censendum sit.



VT Autem propiùs ad institutum nostrum accedamus, illud in primis dubitatum à multis est, an hi libri Ethicorù, quos explanandos suscipimus, & in quibus medulla ac nervus totius Philosophiæ Moralis est, sint germanus Aristotelis factus. Ac primò quidè Cicero lib. 6. de Finibus suspicatur eos fuisse compositos à Nicomacho Arist. filio, illis verbis: *Quare tenemus Aristotelè, & eius filium Nicomachè, cuius accuratè scripti de Moribus libri dicuntur illi quidem esse Aristotelis: sed non video cur non potuerit patri similis esse filius, &c.* Quod verò Cicero solum dubitando protulit, alij affirmatè ac diserte pronuntiant, hisque potissimùm coniecturis sibi persuadent. *Prima* est quòd Diogenes Laertius, qui fuscè Aristotelis vitam scripsit, & Operum ipsius indicem texuit, solum enumerat quatuor Moralium libros ab Arist. scriptos. At libri Ethicorum Nicomachæorum sunt decem. *Secunda.* Arist. lib. 2. de Republ. cap. 1. inquit, æqualitate talionis seruari civitates, vt in Ethicis dictum est priùs. Atqui in Ethicis Nicomachæis nihil eiusmodi habetur, sed potius contrarium: vt patet ex lib. 5. cap. 5. vbi reijcit æqualitatem talionis, veluti non convenientem iuri legitimo ac civili. Ergo libri Ethicorum Nicomachæorum non sunt scripti ab Arist. *Tertia.* Idem lib. 7. de Republ. cap. 13. ait: *Beatitudo in contrarijs est. etenim hoc iam determinatum est in sermonibus Ethicis.* At non in Ethicis Nicomachæis: vbi nec verbum de hoc. *Quarta.* Infra lib. 6. huius Operis c. 3. dicitur: *scientia igitur est habitus offensivus, & quacumque alia adiciamus in Analyticis.* Atqui in Analyticis Aristot. nunquam legitur definitio scientiæ. Non ergo idè est scriptor illorum, & huius Operis. *Quinta* denique ex Diogene Laertio dicente: *Nicomachus Aristotelis ait, Eudoxum dicere, voluptatè esse summum bonum.* Cum verò hoc planè dicatur lib. 1. & 10. huius Operis, certè videtur illud scriptum à Nicomacho.

2 AT Verò constans & certa omnium ferè sententia Arist. tribuit hos libros: eaque luculenter probatur ac multipliciter. Ac primò auctoritate omnium Veterum Interpretum, atque in primis Alexandri antiquissimi, & Plutarchi, vno ore tribuentium hoc Opus Aristot. Idem censuerunt Simplicius, Eustratius, Aspasius, homines doctissimi, & Græci, atque apprimè versati in stilo Arist. qui omnes agnoverunt libros

hos, veluti germanum ipsius factum. *Secundò:* Quoniam in Politicis, quæ sunt indubitatus illius factus, fit horum librorum mentio, præsertim lib. 2. c. 2. & lib. 7. c. 13. insuperq; lib. 1. Metaph. cap. 1. *Tertio:* Quia nonnunquam in his libris nos remittit ad sermones encyclicos, & exotericos, seu circulares, & extrarios: quos planè Arist. scripsit: atque id ipsum consuevit facere alijs locis, vt lib. 1. de Cælo, & lib. 13. Metaph. *Quartò:* nam lib. 10. huius Operis cap. extremo nos remittit ad libros de Republica illis verbis: *Quo circa primum, siquid à Veteribus rectè dictum est, id conabimur recensere: deinde ex collectis Republicis quænam sint ea considerabimus, quæ civitates & singulas Respublicas corrumpunt & seruant.* Atqui totum hoc exactè præstat Arist. lioris de Republica editis. Quin & in secundo illorum sub initium ait: *Quoniam proposuimus considerare de civili societate, quæ sit optima omnium ips, qui possunt & vere maximè ad votum; oportet maximè alias considerare Respublicas, quibus utuntur civitates aliqua earum, quæ bene legibus instituta videntur, &c.* Quibus verbis & præcedentibus apertissimè patet libros Politicorum & Ethicorum esse vnus & eiusdè Auctoris. Atqui Politicorum libri, iuxta omnes, Aristotelis sunt. Ergo & Ethicorum. *Quintò.* Nam lib. 1. huius Operis impugnatur Idea boni adversus Platonem, quamvis amicam Auctoris. Patet verò id non habere locum in Nicomacho: qui cum multò post obitum Platonis natus fuerit, nulla ratione potuit ipsum amicum appellare. Superest igitur vt id ab Aristotele Nicomachi parente dictum fuerit, veluti discipulo & amico Platonis. *Sextò:* Quoniam Auctor horum librorum non solum se refert ad alios libros à se partim editos, & partim edendos, sed etiam ad Analyticos: quorum non Nicomachus (neque enim tantæ eruditionis fuisse perhibetur) sed vnus Aristoteles parens ab omnibus existimatur. *Septimò,* omisis alijs: Quia nihil in toto hoc Opere apparet, quod non sit maximè consentaneum cæteris indubitatis scriptis Aristotelis: nihil quod palam non redoleat ingenium, iudicium, constantiam, energiam, ordinem, methodum, ac stilum, seu λέξιν ipsius: ideoque mereatur laudem illam, quam Cassij Severi Oratoris scriptis tribuit Seneca, dum ait, nihil in illis otiosum reperiri, nullam partem non sua stare virtute: non esse quidquam, in quo lector sine damno suo aliud aliquid agere possit.

ARGVMENTA In oppositum levis momenti sunt. Auctoritas quorundam non vrget, quoniam ij, excepto Francisco Patricio, meri Grammatici sunt, vt Nizolius, & alij similes, qui vni Ciceroni aras erigunt, prætermisso Philosophorū omnium consensu, cui tamen in rebus Philosophicis assentiri deberent. Porro nec Cicero aliquid ea in re definit: nec fideliter, aut exactè retulisse Arist. opiniones inuenitur: vt multi palā deprehenderunt. Quid, quod circa germana eius Opera fuerit hallucinatus? Deinde ad singula obiectionum capita breuiter respondeamus. AD I. Non obstat index Diogenis Laertij: nam pariter in eo multo aliter referuntur plures indubitati Arist. libri, quā verè se habeant. Insuper sicut multos vidit Arist. libros, qui modò non extant: ita & potuit nō videre, aut distinctè notare Ethicorū libros ab eo scriptos, qui extant. Notum quippe est ex Plutarcho & Strabone, Arist. volumina multo tempore delituisse. Arist. enim libros suos reliquit Theophrasto: hic Heleo Scepsio, qui illos permisit suis hæredibus imperitis. Ij verò, ne venirent in manus Attalorū Regum, eo tempore bibliothecam Pergami comparantiū, primò eos in scrobibus absconderunt, deinde venderunt, atque tradiderunt Apeliconi Teio: qui eos exscribi curavit, donec Sylla inde aliquot exemplaria secū Romā detulit, ac Tyrannioni Grammatico evulganda dedit. Itaq; in tanta rerū varietate potuit accidere vt epigrapha librorū, quibus vsus est Laertius, referrent Nicomachū pro Arist. AD II. Arist. lib. 5. huius Operis non damnat absolutè æqualitatē sive iustationis, nam licet illud reiiciat secundū æqualitatem arithmeticam, prout inducebatur à Pythagoricis, & dicebatur iustum Rhadamanti; approbat tamen secundū æqualitatē geometricam. Quare ibidem ait: *ἀλλ' ἐν μὲν ταῖς κοινωταῖς ταῖς ἀλλαντικαῖς, &c.* Sed in societatibus commerciorum, tale iustum (repassio, inquam) per comparatio: ē rationū, & non per æqualitatē, continet civitatē. Vnde patet immittitō obijci locum illum ex lib. 2. de Repub. cum potius vtroque eadē doctrina habeatur. AD III. Negatur assumptio. Satis enim in Ethicis Nicomachæis dicitur, beatitudinē esse in contrarijs. Nam lib. 1. dicitur, virum beatum se habere instar cubi, quoniam licet impellitur ab adversa fortuna, ab ea tamen prosterni nō potest. Insuper & lib. 2. ex professo ac sæpe traditur, Virtutem moralem esse mediocritatem inter extrema contraria. Cum igitur beatitudo associatū habeat satellitium omnium Virtutum, atque in perfecto illarum exercitio posita sit, meritò dicitur esse inter contraria. AD IV. Falsò in obiectione assumitur, in Analyticis Aristot. nihil haberi circa definitionem scientiæ. Patet enim lib. 1. Poster. c. 2. definiri scientiā in actu, sive ipsum scire, & scientiā ostensivā. Similiter & lib.

2. Poster. in epilogo dicitur: *De syllogismo igitur, & de demonstratione, quid unumquodque sit, & quomodo fiat, manifestum est: simul autē & scientia demonstrativa, &c.* Patet igitur Arist. in Analyticis definisse scientiā demonstrativam. Insuper idiplum evincitur ex eodē loco lib. 6. c. 3. Ethic. dum ait, omnē scientiam fieri ex præcognitis, & nos remittit ad Analytica, nimirū, ad lib. 1. Poster. vbi id docuit. AD V. Diogenes Laertius dum allegat Nicomachum Arist. intelligendus est allegare libros Arist. ad Nicomachum: sicuti per Eudemios intelligimus libros illius Morales ad Eudemium; & per Timæum, Parmenidē, Phædrū, & Alcibiadem Platonis, intelligimus eius dialogos ita inscriptos. Deniq; nullius roboris est quod alij obijciunt, non potuisse Arist. inscribere eos libros Nicomacho, quoniam parvulus relictus est post obitum patris. Nam vt ipsi eos inscriberet, satis erat spem habere vt aliquando ab ipso legerentur, manerentq; in signum paterni amoris.

ITAQVE Arist. proculdubio sunt hi libri; & Nicomachæi, seu Nicomachij pluraliter appellantur, quoniam ad Nicomachū eius filiū scripti: sicuti & Eudemij, qui ad Eudemū. Porro de ipsis Eudemijs, & similiter de libris Magnorum Moralium, aliqui etiam dubitant, an ab Arist. scripti fuerint. Communis tamen sententia eos ipsi adscribit, & meritò: Quoniam methodus, ordo, iudiciū, sententiæ, & stilus, nihil aliud præferunt. Præterea, nonnulli ex his Nicomachæis libris inserti sunt in Eudemijs, & vbiq; similes sententiæ: imò & rationes eadē quæ in lib. 1. c. 6. proponuntur adversus Platonicam Ideam boni, in Eudemijs pariter habentur. Quare dicendū, omnes eos esse factus Arist. diverso tamen tempore scriptos. Ac primū quidē Eudemios, & Magna Moralia: in quibus nō adeo exactè, aut pro dignitate traditur Philosophia Moralis, ac in ijs Nicomachæis libris, vbi illa absolutissima habetur, & exactissimè scripta est, veluti extrema manu adhibita. Arist. enim contigit quod cæteris ferè Scriptoribus, quorum semper, vt Euripidis versu exprimam, *ἑὶ ὑπερβαίνει προτιτὸς σφάτερας.* Cura secundæ sapientiores. Quare omnium ferè Interpretū conatus fuit hos tantū libros explanare ex ijs, qui ad mores spectant, cæteris prætermittis: vt potè in quibus Arist. minori cura versatus est, & nondum vltimum iudicium expressit. Quare si qua opinionū contradictio in ijs est, quod docuit in Eudemijs & Magnis Moralibus, putari debet in Nicomachæis correctum, aut retractatum.

(??)



CAPVT QVINTVM.

Aristotelem his libris iecisse fundamēta sive principia totius Philosophiæ actuosæ seu Moralis. Hanc dividit in Ethicam (quæ & Monasticam) Oeconomicam, & Politicam: inter quas Ethicam initium faciat ad ceteras adascendas. Sententia D. Thomæ, & communis assertentium, Ethicam potissimum instruere privatam singulorum vitam, stabilitur, & vindicatur ab impugnationibus Francisci Piccolominei.



QVONIAM Ad plenam horū librorum, & disciplinæ quæ in ijs traditur, notitiam pertinet inquisitio finis, quo ab Auctore scripti sunt, observare oportet ex lib. 10. c. 9. huius Operis, Arist. in eo iecisse fundamenta totius Philosophiæ practicæ, sive actuosæ. Quare in fine eius capituli, ubi Ethicam absolvit se accingit ad tradendam Politicam: ideoque ait: His perceptis, magis fortasse perceperimus, quænam sit Respublica optima, & quomodo vnaquæque disposita, quibusvè legibus utens, ac moribus fuerit constituta. Dicamus igitur, hinc initio sumpto. Hæc sunt postrema verba Arist. in hoc Opere. Nimirū, consideravit hominem esse animal natum ad societatem, quoniam sibi soli satis non est, sed alijs eget, sive ad vitam simpliciter ducendā, sive commodè incundam: ideoque varia distinxit societatum genera, ac duo in primis eorum præcipua. Alterum est *Oeconomicum*, quod constat ex patre familiæ & vxore, domino ac servo, parentibus ac liberis. Alterum est verò *Politicum*, iuxta quod ex pluribus familijs consurgit civitas, ex pluribus civitatibus Provincia, ex pluribus Provincijs Regnum, quod antonomastice dicitur Respublica. Quare quidquid in Opere hoc traditur ab Aristotele, totū est ex fine instruendū nunquamq; hominū, ut probus sit, & rectè se gerat in vita privata; ac subinde & consequenter in societate humana, non solum *Oeconomica*, sed etiam, & præsertim, in *Politica*. Ideoque absolutis Ethicorum libris scripsit ex professo, tum de *Oeconomica*, tum & *Politica* libros; in hoc sanè imitatus Magistrum suum Platonem, qui plures de *Legibus* ac *Republica* libros edidit.

2 VERVM Sicuti partes sunt natura priores toto, quod componunt, ideoq; exigunt ut prius de ijs disseratur, quàm de toto: ita etiā prius de privata hominis vita tractandum fuit, quàm de *oconomica*, aut *politica*: quoniā peculiaris vita hominis est pars cuiuslibet societatis humanæ. Itaq; oportuit ante libros *Oeconomicos* ac *Politicos* scribi *Ethicos*, in quibus privata hominis vita instituitur & eruditur, ut rationi consentanea evadat, & ad totius honestatis præscriptum formetur. Quare D. Thom. in præmio *Ethic.* ait: Incipiens igitur Arist. tradere *Moralem Philosophiam* à prima sui parte in hoc libro, qui dicitur *ETHI.*

3, CORVM, præmittit præmium, &c. Cum enim alia quoddammodo sit ratio boni viri, alia boni patris familiæ, alia boni civis; primò unicuiq; studendū est ut vir probus sit: deinde enim, & consequenter, bonus pater familiæ, atq; optimus civis esse poterit. Itaque Philosophia *Ethica* hæc libris tradita potissimum instituit privatam vitā hominis probi, non tam solitariā (qualis erat Anachoretarū, & quorundā Gentilium Philosophorum, licet illi etiam magna ex parte adaptari possit) quàm ducendam in humano convictu, seu societate. Eo namq; spectat quod præcipue in hoc Opere dicitur de Virtutibus & vitijs, actionibusq; ex ijs procedentibus, ac nominatim de Fortitudine, Liberalitate, Magnificentiâ, Mansuetudine, Affabilitate, Veracitate, Comitatu, Iustitiâ, Æquitate, Amicitia, & Benevolentia, ac vitijs contrarijs; quæ omnia patet esse *ωπὸς ἑαυτὸν, ad alterū*. Non enim exerceri possunt ab homine erga seipsum, neque in vsum functionemvè prodire, si quis solitariam omnino vitam agat, & ab omni hominum consortio alienam.

3 HINC Apparet, Philosophiam *Ethicam*, seu *Monasticam*, in qua versamur, esse præparationē quandam ad *Oeconomicam*, & *Civilem* sicuti proba vita singulorū hominū est præparatio quædam ad ineundā rectè societate, tum domesticā, tum & civile. Quod satis expressit Arist. lib. 1. *Magn. Moral.* c. 1. ubi concludit: *Itaque, ut apparet, Politicæ pars est & principii tractatio de Moribus*. Et quidē *pars*: quatenus doctrina ipsa *Ethica* sive *Moralis* videtur frequenter principijs generalibus doctrinæ *Politice*, ut infra amplius patebit; prætereaque tota Philosophia actuosæ solet denominari *Politica*, seu *Civilis*, denominatione sumpta à principaliori parte, quæ est *Politica*. Dicitur quoque tractatio de *Moribus principium Politicæ*: quia sicut quilibet primū curare debet ut probus sit, quò deinde bonus pater familiæ, & bonus civis evadat: ita etiam Philosophia actuosæ, seu *Moralis* initium facere debet ab institutione privata singulorum, quæ præstat in *Ethica*, ut deinde sequatur institutio quam præstant *Oeconomica*, & *Politica*. Ergo Philosophia *Ethica*, sive de *Moribus*, quæ in hæc libris traditur, est quoddammodo pars, & quoddammodo principium doctrinæ *Civilis*, seu *Politice*. Eoque sensu quandoque ab ipso Aristotele appellatur doctrina *Civilis*: ut patet lib. 1. huius Operis, cap. 2. fine, ubi inquit

Ista igitur appetit hæc doctrina, cum sit facultas quadam civilis. Nimirum, tota Philosophia activa appellari solet quandoque Civilis, seu Politica, denominatione sumpta à præcipua ipsius parte, quæ traditur in libris Politicorum: quandoque autem Moralis audit, quoniam in omnibus suis partibus tradit præceptiones informandis moribus opportunas. Verum proprius loquendo, & iuxta frequentem loquendi usum, nomine Philosophiæ Moralis intelligitur Ethica, hæc libris Nicomachæis tradita: nomine autem Doctrinæ Civilis, illa dumtaxat, quæ continetur in libris Politicorum, sive de Republica.

4 **QUARE** Philosophia activa, seu Moralis, univèrsè sumpta dividitur à D. Thoma in tres species: Monasticam (quam Ethicam communiter appellamus) Oeconomicam, & Politicam: quarum prima instituit privatam hominis vitam, secunda domesticam, tertia civilem. Verba S. Doctoris sunt ferè in Proæmio Ethicorum aientis: Moralis Philosophia in tres partes dividitur: quarum prima considerat operationes unius hominis, ordinatas ad finem, quæ vocatur Monastica: secunda autem operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur Oeconomica: tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur Politica. Eandem ferè doctrinam tradit 2. 2. q. 48. art. 1. 1. eamque antea tradiderant Alcinoüs lib. de doctrina Platonis, Philo Iudæus lib. de Temulentia, Eustratius Græcus & antiquus Interpretæ Aristotelis, & Albertus Magnus, uterque in Commentarijs Ethicorum. Ratio D. Thom. est, quoniam Philosophia Moralis generatim accepta docet dirigere actiones humanas in debitum finem. Ergo species, sive partes ipsius debent multiplicari iuxta varietatem actionum humanarum, quæ in debitum finem diriguntur. Illæ verò sunt in triplici differentia, quædam singulorum, quædam familiæ, quædam civitatis. Ergo & Philosophia generatim dividitur in Monasticam, Oeconomicam, & Politicam: quarum prima dirigit actiones singulorum, secunda familiæ, & tertia civitatis.

5 **CONTRA** Hanc communem & veram doctrinam plura congerit Franciscus Piccolomineus in Introductione ad decem gradus suæ Philosophiæ de Moribus c. 7. ferè per totum, ubi multis probare conatur in his libris Ethicorum non considerari actiones singulorum hominum, seu institutionem privatam uniuscuiusque. *Primò:* Quoniam in omni disciplina ea initio sunt declaranda, quæ sunt principia, & communia fundamenta univèrsæ disciplinæ: ut docet Arist. in Proæmio Physicorum, alijsque locis. Ergo in Philosophia Morali debent initio declarari quæ communia sunt omni vitæ generi, non verò ea quæ pertinent ad peculiare vitæ genus, seu privatam singulorum. *Secundò.* Quia quælibet disciplina debet habere unum com-

mune subiectum, proindeque & principia communia, & affectiones communes. Cuius igitur hæc doctrina sit una disciplina, debet esse prædita communibus principijs, communi fine, communibusque affectionibus primo declarandis. Falsum ergo est asserere in ea primo tractari de peculiari singulorum bono. *Tertiò.* Idipsum enim evincitur considerando progressus Arist. in hisce Ethicorum libris. Primo enim disserit de summo bono, non quidem vitæ privata, sed hominis quælibet vitam agentis, quodque habet rationem finis totius vitæ civilis. Ideoque neque in libris Politicorum, nec de Oeconomica, seu curâ familiari, explicuit aliud civile bonum, præter illud, quod Ethica exponit. Insuper & definitio summi boni tradita lib. 1. huius Operis univèrsè convenit omni civili bono: scilicet, quod in actione ex perfecta virtute prodeunte sit positum. Ideoque idem Arist. lib. 1. c. 2. Ethicorum eorundem ait: „ Nam etsi idem unius hominis & civitatis bonum sit, civitatis tamè bonum & consequi, & conservare, maior res quædam esse & perfectior videtur. Enim verò præclare nobiscum agitur, si id, quod vel uni soli utile, reperire possimus: sed longè certè pulchrius & divinius id, quod gentibus & civitatibus usui est. Huius igitur methodo hæc proposita sunt cum hæc doctrina sit facultas quadam civilis. Vbi Philosophus proponit declaranda ea, quæ sunt communia omni generi civilis vitæ, non autem peculiaris singulorum. *Quartò:* Quia Arist. in hisce libris agit ex professo de Virtutibus, tum moralibus, tum & intellectualibus. Ex verò sunt principia communia singulorum graduum civilis vitæ: ideoque ipse lib. 3. de Republ. c. 12. tradit per easdem res & virum probum, & civitatem probam constitui: ac lib. 7. cap. 2. pronunciat, eandem esse singulorum & civitatis felicitatem. Neque aliud sunt leges, de quibus in libris de Republica agitur, nisi præcepta Virtutum in hisce libris Ethicis explanatarum: ideoque lib. 5. dicitur, leges emanare à Virtutibus, & ad eas dirigi, ac servantem leges ducere vitam Virtuti conformem. Ergo in hoc Opere non solum agitur de instruenda singulorum vita, sed & declarantur principia communia totius Doctrinæ Civilis. *Quintò.* Nam lib. 8. latissimè agit de Amicitia, & ob id considerandam affirmat, quia videtur Rempublicam continere, fuisseque Legumlatoribus in maiori studio, quam Iustitiam. Ergo quoniam in ea tractatione non tam quærebat institutionem singulorum, quam publicam & civilem. Eidem opinioni subscribit Gallutius, *Prolegom.* 3.

6 **HIS** Ferè argumentis communem & veram sententiam impetit Piccolomineus: sed irritò planè conatu. Quod ut luculenter appareat, observandum est, in hisce libris tradi quidem principia generalia & communia omnibus speciebus Philosophiæ Moralis: qualia

Haec sunt quae de ultimo hominis fine, seu bono dixeruntur, & de omnibus ijs Virtutibus, quae sunt ad alteram, & de Amicitia, ac Benevolentia: ut supra *num. 2.* praemissimus. Ceterum ea ipsa principia in Ethica, seu in hisce libris, potissimum tractantur, atque ex peculiari & proprio fine, non, ut quis bonus paterfamilias sit, neque ut bonus civis (horum enim prius ad Oeconomicam, posterius ad Politicam spectat) sed ut sit probus in se. Idque morali demonstratione haec probatur. Ad omnia ea genera rerum, in quibus homo gravem difficultatem patitur, & quae maximi momenti sunt, institutus debet esse per se aliquis habitus intellectualis, quo dirigatur, ut absque errore aut difficultate operetur. Hoc enim omnium Sapientum iudicio verum est, & evincitur ratione a priori, quam colligimus existentiam omnium habituum, tam intellectualium, quam moralium; tam speculativorum, quam practicum. Atqui homo gravem difficultatem patitur, ut probus in se sit, seu ut omnes actiones suae vitae singularis exerceat ad totius honestatis praescriptum; idque res maximi momenti est, ut ex se patet. Unde & idem Auctor sine allegati capitis fateretur, usum Virtutis in privato homine erga se ipsum esse saluberrimum; optimamque victoriam, quam de seipso reportat, ut aiebant Stoici; moderationemque perturbationum animi esse rem honestissimam, & fundamentum ceterorum bonorum. Ergo aliquis habitus intellectualis debet esse per se institutus, quo dirigatur, ut probus in se sit, sive ut omnes actiones suae vitae singularis exerceat ad totius honestatis praescriptum. Eiusmodi autem habitus certe nullus est alius, quam Doctrina Ethica hisce libris tradita. In ea quippe potissimum traditur quomodo quis perturbationes animi moderetur, sive reducat ad mediocritatem, quam obtenta evadit probus. Ergo Doctrina Ethica hisce libris tradita est per se instituta, ut homo in seipso, sive in singulari vita, evadat probus.

67 CONFIRMATVR Ratione, quam D. Thomas loco allegato ex 2. 2. q. 48. art. 11. probat, prudentiam monasticam, seu circa bonum singulare cuiusque hominis, differre specie, tum a prudentia oeconomica, quam providet familiae suae, tum & a prudentia politica, quae curat bonum commune civitatis, vel regni. Probat vero id ex generali principio a se statuto art. 5. eiusdem questionis, & 1. 2. q. 54. art. 2. quod, nimirum, species habituum variantur secundum diversitatem obiecti, quae attenditur penes rationem formalem ipsius. Ratio autem formalis omnium, quae sunt ad finem, attenditur ex parte finis: ut idem S. Doctor supponit probatum in proemio Primae Secundae, & q. 101. art. 1. ideoque habitus differre debent specie ex habitudine ad diversos fines. Atqui

diversi fines sunt bonum proprium unius, & bonum familiae, ac bonum civitatis. Ergo & diversi habitus prudentiae secundum speciem sunt, quibus attenditur proprium bonum, insuper bonum familiae, & bonum civitatis. Haec autem ipsa ratio aequae urget in disciplina Morali: quoniam aut est eadem cum prudentia, ut multi existimant, aut valde affinis ipsi est: ideoque specie multiplicari debet in ordine ad bonum proprium, vel familiae, vel civitatis.

8 AD Argumenta vero in oppositum unica solutione ac facili responderi potest, principia illa, ex quibus procedit Arist. in hisce libris, communia quidem esse omni vitae humanae, seu singulorum, seu patrum familias, seu civium: atque adeo communia tribus speciebus Philosophiae Moralis in genere, quae dividitur in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam, ut in diversas species. Id enim commune est omni scientiae in varias species distribuae, ut tradat quaedam principia univversa, seu generalia ijs omnibus, idque initio, ut conclusiones uniuscuiusque earum propriae inferatur, secundum quod peculiare illarum sunt. Hoc ergo ipsum accidit in praesentiarum. Nam Aristoteles tractaturus totam Philosophiam Moraalem, incipit ab Ethica, & initio tradit principia generalia summi boni, ac Virtutum moralium, & intellectualium, quae sunt communia omnibus speciebus Moralis Philosophiae. Ceterum sicut illa ipsa principia communia in Oeconomica ordinantur speciatim proprieque ad bonum familiae, & in Politica ad bonum civitatis; ita etiam in Ethica ad bonum privatum vitae singulorum. Quo demum evincitur, Philosophiae Morali, prout in hisce libris traditur, & Ethica speciatim dicitur, curae tantummodo esse institutionem privatam singulorum circa mores: quamvis ea ipsa morum probitas ordinetur subinde, & consequenter, ad bonum familiae, ac denique ad bonum civitatis, vel Regni.

9 OBJICIES. Ea, quorum unum ordinatur ad aliud, non variant speciem habituum. At bonum proprium singulorum ordinatur ad bonum familiae, & hoc ad bonum civitatis, ut modo ferebatur. Ergo id triplex genus boni non variat speciem habituum. Quare Ethica, quam tractamus, non erit habitus specie diversus ab Oeconomica, & Politica.

10 RESP. Hanc ipsam objectionem fuisse propositam a D. Thom. loco allegato, veluti rationem dubitandi adversus distinctionem specificam prudentiae penes monasticam, oeconomicam, & politicam. Quare occurrendum est mutatis fere ab ipso S. Doctore verbis, dicendumque, etiam diversos fines, quorum unus ordinatur ad alium, sufficere ad variandam speciem habituum: sicut disciplinae Equestris, Militaris, & Civilis, distinctio specifica est, quamvis finis unius ordinatur ad finem alterius.

Quare licet finis, seu privatum hominis bonum inspectum à prudentia monastica, sicut & à Philosophia Ethica, ordinetur ad bonum prudentiæ doctrinæque Oeconomicae, subindeque & Civilis; adhuc locus est, ut prudentia, tum & Philosophia Moralis, dividatur specie in Monasticam, sive Ethicam; Oeconomicam, & Civilem. Nimirum habitus variantur specie ex objecto & fine proximo, quem si-

bi præscribunt, quamvis secundariò, sive ex consequenti, finis unius ordinetur ad finem alterius, veluti principaliorè. Id tamen addendū ex eodem D. Angelico, quemadmodū prudentia civilis præstantior est economica & monastica, tanquā finis illarum; ita etiam Philosophiā Civilem esse præstantiorè hac nostra Ethica, & Oeconomica: quippe quarū utraque ad illam, veluti finē, quamvis secundariū, ordinatur.

CAPVT SEXTVM.

Philosophiam hęc libris traditam, speciatim proprieque appellari Ethicam, seu Moralem, quoniam de Moribus differit. Varia morum acceptiones metaphoricæ, ac minùs propria. Quo sensu tractatio de ijs sit peculiaris huius disciplinae.



DIXIMVS Superiori capite, Philosophiam Moralem generatim acceptam dividi in Monasticam (quam communiter Ethicā dicimus) Oeconomicā, & Politicā. Nunc addendum, appellationem Philosophiæ Moralis, quæ communis etiam est ijs tribus speciebus, peculiariter adaptari Ethicæ doctrinæ hęc Nicomachæis libris comprehensæ: quoniam in ea speciatim informantur mores hominis, ut probus evadat: proindeque aptus ad Oeconomiam, & Politicam. Nimirum, probitas morū est fundamentum totius societatis humanæ, seu familiaris, seu civilis: ideoque Philosophiæ pars, quæ illā docet, iure ac merito Moralis, seu Ethica, nominatur. Græci enim τὰ ἠθῆ, mores appellant: unde & ἠθικός, moralis. Porro neque apud Græcos τὸ ἠθός, nec; mos apud Latinos, accipitur nisi de agentibus ratione ac libertate præditis: ideoque si quando rebus insensibilibus, & animantibus brutis tribuitur, id solū est per quandā metaphoram. qualiter cum dicitur:

*Ventos, & varium cæli prædiscere morē
Cura sit, ac patrios cultus, habitusq; locorū;
Et quid quaque ferat regio, & quid quæque
recuset.*

*Hic segetes, illic veniunt felicius vna,
Arboris sætus alibi, atque iniussa vivescunt
Gramina. Nonne vides croceos ut Twolus
adores,*

*India mittit ebur, molles sua thura Sabai?
At Chalybes nudi ferrum, virosa que Pontus
Castorea, Eliadum palmas Epiros equarum?
Eodē stilo vsus fuerat antea Lucretius lib. I. vbi
annibus & ventis mores tribuit, dū accinit:*

*Quare etiā atq; etiā sunt venti corpora cæca:
Quādo quia factis, ac moribus annula magnis
Annibus inveniuntur.*

*Nec solū Poetæ, sed & alij severioribus lo-
quendi legibus adstricti. Columella in præ-*

fatione Operis de re rustica sic perfectū agricolam admonet: Cæli & anni præsentis mores intueatur, neque enim semper eundem, veluti ex præscripto, habitū gerunt. Plinius quoque lib. 14. c. 1. Ad solī naturā, ad loci ingenium, ad cæli cuiusque mores, dirigenda solertia est. Nimirum ab ijs mos pro qualitate cæli ac solī vsurpatur: quemadmodum & apud Græcos ποιότης, qualitas terræ cuiuslibet. Quare Nazianzenus in Apol. cū dixisset, nō omnia omnibus cōvenire, subdidit varia exempla, & addit: ἄλλε γῆς ποιότητες αἰ ἀνταί, neque terra qualitates eadem. Quin etiam de ipso homine mos quandoque translaticie accipitur, cū significatur aliquid, quod non ad actiones animi, sed ad ornatū corporis spectat. qualiter apud Virgilium:

*Virginibus Tyrijs mos est gestare pharetam,
Purpureoque altè suras vincire coturno.*

Imò & ipsi animo tribui mos metaphoricè solet, etiā in hęc libris, & apud Auctores varios: quoties, nimirū, eo nomine significantur quasi semina Virtutū animo insita, & propensio naturæ ad illas paradās, atque exercendas. Quare libro sexto capite extremo inquit Arist. πάντες γὰρ δυνεὶ ἕκαστα τῶν ἠθῶν ἰσχυρὰν φύσιν ἔχουσιν, Omnibus enim videntur singuli ex moribus esse quoddammodo natura. Fortassis & ea acceptione τῶν ἠθῶν, vsus est Galenus dum docuit, mores sequi temperamentū corporum. de quò latè in disputationibus Ethicis. Scilicet, ea moris acceptione larga significatur, quæ apud Latinos indoles, seu ingenium cuiusque hominis dici solet. Ideoque Cicero mutuans locum quendā Platonis in Phædro appellantis τὰ ἠθῆ, mores, ea Virtutum semina, Latine reddidit indolem, ingeniumque naturæ

2 CÆTERVM Mores, à quibus Philosophia hæc Moralis appellatur, longè alij sunt, & illi dumtaxat dicuntur, qui vsu quodam & assuetudine comparantur. Quod Arist. in hoc Opere libro secundo c. 1. docet, atq; inter alia, probat ab etymologia, & similitudine nominis: quo-

quoniam *ἤθος, mos*, dicitur *ἄνω ἤθος* & *consuetudine*. Verum cum etiam in ijs, quæ assuetudine comparamus, duo sint, quorum alterum est habitus, seu qualitas per frequentationem actionum comparata; alterum verò actio ipsa ex habitu procedens; *mos* quandoque accipitur pro habitu, quandoque pro actione. In habitu autem consistit firmitas illa animi, & consistentia, quæ hominem reddit facile & expeditum ad operandum, quoniam consuetudine comparatur: quæ proinde dicitur quasi natura altera. Quemadmodum verò actiones, quibus eos habitus adquirimus, aut sunt probæ, aut improbæ; ita & habitus, iuxta illarum qualitatem, probi aut pravi evadunt.

3 ITAQUE Philosophia Ethica, seu

Moralis, dicitur hæc ipsa, quam explanandam aggredimur: quoniam versatur circa mores, non quidem metaphoricè, aut largâ quadam acceptione usurpatos, sed strictè dictos: nimirum, diuturno usu & consuetudine comparatos, animoque firmiter inhaerentes, & quidem illos, qui probis actionibus gignuntur, appellaturque Virtutes morales: non autem eos, qui actionibus pravis generantur, dicunturque habitus vitiorum. Scilicet, quamvis de his etiam disserat passim Arist. in hoc Opere, non aliter se gerit, quam Medicina dum de venenis agit: nimirum, ut præcaveantur, & fugiantur. Itaque sicut eâ ob causam Medicina solum disserit de venenis per accidens, ita etiam Ethica de vitijs: de actionibus autem Virtutum directè & per se.

CAPVT SEPTIMUM.

Differitur de materia, sive subiecto Philosophiæ actuosæ, tam generatim acceptæ, quàm divisè in tres species, Ethicæ, Oeconomicæ, ac Politicæ. Quinque aliorum opiniones refutantur.



IXIMVS Paulo antè, Philosophiam Ethicam versari circa Mores, id est, Virtutes usu & consuetudine bonarum actionum comparatas. Id autem ampliori explicatione opus ha-

bet, propter varietatem opinionum aliam atque aliam materiam designantium. Supposita autem ex præcedentibus divisione Philosophiæ actuosæ, sive practicæ, in Ethicam (quam diximus esse Monasticam, seu institutam ad bonum privatum singulorum) Oeconomicam, & Politicam, veluti generis in species, querendum modo est, quænam sit materia propria, sive obiectum eiusdem Philosophiæ practicæ, in genere considerata: exinde enim constabit quid sit dicendum circa species illius singulas.

2 PLERIQUE Cum Ant. Mirandula Episcopo Casertæ *lib. de Honore*, volunt universæ Philosophiæ Moralis materiam esse summum bonum, sive felicitatem hominis. *Secundò* alij hominem ipsum pro materia constituunt, sed diversimodè consideratum. Quidam enim cum Giraldo Odonis assignant hominem quatenus liberum. Alij plures hominem, prout ad beatitudinem naturam, ac factum. *Tertiò* quidam cum Zabarella hominem animalè, sive secundum affectiones animæ consideratum. Aiunt enim, perinde Philosophiam practicam esse sollicitam de salute animæ, ac Medicinam de bona valetudine corporis: atque adeo quemadmodum huius materia est homo sanabilis secundum corpus, ita & illius esse hominem prout sanabilem secundum animam. *Quartò* alij cum Marsilio Ficino in *Dial. Platonis de Sapientia*, aiunt, subiectum, seu materiam huius disciplinæ esse Civitatem. *Quintò* plu-

res cum Averroë initio Paraphrasis librorum Platonis de Republica volunt, materiam Philosophiæ Civilis esse res voluntarias, & pendentes ab arbitrio hominis dum fiunt, quarum principium est voluntas & electio. Quod idem Averroës etiam docet initio Physicorum, dum ait, Philosophiam Moralem de voluntarijs actionibus agere.

3 VT Autem controversia hæc facile dirimatur, & plures earum opinionum ad concordiam redigantur, oportet nonnulla præmittere, ab omnibus tradita in primis Dialecticæ rudimentis. *Primum* est, materiam in qua versatur quælibet disciplina, seu scientia, alteram esse remotam, quæquæ omnino præsupponitur, alteram verò proximam, in qua propriè ac per se habitus versatur. Exemplo res declaratur in visu, seu potentia ad videndum instituta: cuius materia proxima est color, remota autem subiectum colore affectum, quod natura sua præsupponitur colori. *Secundum*, distingui etiam debere inter finem proximum, & remotum cuiuslibet disciplinæ. Prior enim est, quem habitus ex primaria inclinatione querit: posterior verò, ad quem ultimè, atque ex secundaria consideratione, idem habitus ordinatur. Exemplum sit in Dialectica, cuius finis primarius & proximus est cognitio secundarum intentionum: secundarius verò & remotus directio intellectus ne erret in materia aliarum scientiarum. De quo plura dedimus tractat. 1. Logicæ. *Tertium*, communiter ab Auctoribus pro vno eodemque accipi subiectum, & materiam cuiuslibet disciplinæ. Quamvis enim Giphanius nullam vocem admittens, nisi Cicero *Diadama*, nolit unquam subiectum dicere, sed *stratum*, quod

materiam appellamus; adhuc ea vox retinenda est propter communem & antiquissimam Scholasticam usum. Materia enim, in qua disciplina que libet versatur, quasi subiecitur eidem, ut de illa proprias affectiones demonstrat. Quare idem est subiectum disciplinae, ac materia circa quam versatur. *Quartum*, in omni arte & disciplina practica distingui debere materiam affectionis, actionis, & materiam considerationis. Prior est illa, in qua, aut circa quam ars vel disciplina practica efficit, vel agit. Ut enim constat ex lib. 6. huius Operis cap. 2. & 4. efficere est proprium artis, quoniam perfectionem suam obtinet in opere externo, quod efficit: agere autem proprium est disciplinae practicae, seu moralis, quae perfectionem suam obtinet in bonis affectionibus voluntariis, internisque. Materia itaque affectionis in artibus v.g. est ferrum, aes, lignum: in quibus versantur affectiones externae artis aetariae aut lignariae. Materia autem humanarum actionum sunt res contingentes in hominum arbitrio collocatae. Et quidem eiusmodi materia non est proprium subiectum artis, aut disciplinae moralis: sed tantum dici potest subiectum affectionum artis, seu actionum moralium: quoniam & effectio externa, & actio interna, circa ea versantur. Posterior autem materia, id est, considerationis, in artibus & disciplinis practicis est totum id quod ab ijs efficitur sive agitur; quemadmodum in disciplinis theoreticis materia considerationis est totum id quod illae speculantur, vel contemplantur. His statutis, in quibus nulla controversia esse potest, accedamus ad ferendum iudicium de singulis opinionibus *num. 2.* relatis.

4 **PRIMA** Opinio asserentium, materiam universae Philosophiae practicae esse summum bonum, seu felicitatem hominis, est plane absurda: quia confundit finem cuius gratia, & quidem finem ultimum, seu remotum cum materia eiusdem disciplinae. nimirum, summum bonum, seu felicitas, est finis ultimus, in quem denique Philosophia Moralis ducit, & quod mens hominis per illius instructionem contendit. Absurdum est autem confundere finem cuiuslibet disciplinae, & praesertim remotum, sive ultimum, cum materia illius, sive subiecto. *Confirmatur.* In tradenda Philosophia Morali Aristoteles ordinem analyticum, seu resolutivum servavit, ut omnes Interpretes consentiunt. Ordo autem resolutivus disciplinae is est, ut a fine initium ducatur, exindeque procedat circa ea, quae sunt ad finem. Incepit vero Aristoteles tractare Philosophiam Moralem ab ipso summo bono, seu felicitate hominis: ut patet ex toto libro primo Ethicorum. Ergo quia summum bonum, sive felicitas, est finis eiusdem Moralis Philosophiae, non autem subiectum, sive materia propria. Sic enim ordo resolutivus non esset. *Vltimus.* Cum Philosophia practica gene-

ratim accepta instituat omnes vitae gradus, nulla ratione adstringi potest illius subiectum ad solam felicitatem, sive summum hominis bonum, quod certe unicuique gradum constituit, & in re paucissimis hominum commune. Ergo subiectum, seu materia circa quem universa Philosophia practica versatur, non est felicitas, sive summum hominis bonum. *Denique.* Omnis disciplina se habens per modum generis ad diversas species, debet habere materiam genericam etiam communem diversis speciebus: ut patet, tum ex prima ratione conceptus generici, tum & ab instantia in omnibus gradibus scientiarum, in genere aliquo considerata, v.g. in scientia speculativa, aut practica; reali, aut rationali. Ergo idem dicendum est de Philosophia actuosa, quae pariter se habet instae generis ad Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. Atqui bonum summum, seu felicitas hominis, quae illarum praesidio obtineri potest, non est aliquid genericum commune diversis speciebus. Neque enim sunt diversae species felicitatis activae, sed unica tantum, habens rationem unius finis ultimi, ad quem ordinantur caeteri: ut patebit infra ex lib. 1. cap. 1. & 2. Ergo bonum summum, seu felicitas hominis, non est materia propria Philosophiae practicae, sive actuosae, considerata in genere.

5 **SECUNDA** Opinio ponentium materiam, sive subiectum proprium Philosophiae actuosae in homine, refellitur: quia confundit subiectum remotum, seu materiam remotam disciplinae cum proxima. Homo enim, sicut & quidquid ad ipsius constitutionem, perfectionemque innatam spectat, praesupponitur cognitum per Philosophiam Naturae speculatricem, antequam sub considerationem Philosophiae practicae cadat. Quare sive consideretur ut homo, sive ut liber, sive ut natus est ad beatitudinem, non est materia proxima, sive proximum subiectum, sed remotum & praesuppositum ad Philosophiam practicam. Nimirum, in homine esse liberum, & capacem beatitudinis assequendae, est quid spectans ad ipsius constitutionem, saltem per modum proprietatis conaturalis. *Confirmatur.* Neque libertas hominis, neque capacitas ipsius ad beatitudinem, est aliquid agibile ab homine: cum praesupponatur ante omnem ipsius actionem. Atqui materia propria Philosophiae actuosae, prout distincta a theoria, debet esse aliquid agibile ab homine, ut patet. Ergo neque libertas hominis, neque capacitas ipsius ad beatitudinem, est materia propria Philosophiae actuosae. Male ergo illius materia collocatur in homine prout libero, aut capaci beatitudinis assequendae.

6 **TERTIA** Zabarella opinio, asserens hominem sanabilem secundum animam esse subiectum, sive materiam propriam Philo-

sophiæ actuosa, sicut homo sanabilis secundum corpus est materia & subiectum Medicinæ, rejicitur, propter disparitatem manifestam utriusque disciplinæ. Licet enim ambæ conveniant in sanando homine secundum alteram & alteram sui partem, aliunde maxime differunt. Medicina enim cum sit disciplina effectrix, seu ars, non habet pro materia sive subiecto effectiorem, sed id quod per eam fit. Hoc, nimirum, est de ratione artis simpliciter dictæ, ut infra lib. 6. c. 2. & 4. patebit, ut obiectum seu materia propria & adæquata ipsius sit solum res externa, quæ per illam fit, & quam unam querit; non autem effectio, seu operatio, quæ illam efficit. Contrà verò accidit in disciplinâ illâ, quæ non est effectrix, sive factiva, sed speculativa, aut activa. Speculativa enim habet pro materia sive obiecto veritatem solam, quam contemplatur: activa verò actionem humanam, sive liberam, quæ agens ipsum immanenter perficitur. Atqui Philosophia actuosa non est ars simpliciter, ut omnes docent, proindeque nec effectrix, sed solum disciplina activa. Ergo materia, sive subiectum ipsius, nihil aliud esse potest præter ipsam humanam, seu liberam actionem. Sed de hoc plenius infra.

7 **QUARTA** Marsilij Ficini facilius improbat: Quoniam assignat materiam sive subiectum longe angustius, quam Philosophia practica universe considerata exigat. Nō enim solum illa querit bonum Civitatis, sed etiam familiæ, imò & privatum singulorum. Ergo materia, sive subiectum illius in genere, non est Civitas, sed aliquid magis commune. *Vterius.* Non est eadem materia sive subiectum librorum Ethicæ, Oeconomicæ, ac Politicæ: ut patet ex ipsorum instituto, imò & ex epigraphâ ipsâ. At materia librorum Politicæ est civitas. Ergo eadem non est materia librorum Ethicæ, atque Oeconomicæ. Ergo neque totius Philosophiæ actuosa: quoniam hæc comprehendit Ethicam, Oeconomicam, ac Politicam. *Deinde* Materia totius alicuius disciplinæ latius vagatur, quam materia alicuius determinatæ partis illius, quamvis ea ceteris præstantior sit: ut inductione patet in omnibus scientijs, quotquot partitionem aliquam subeunt. Atqui Civitas est materia propria solum Politicæ, quæ est pars quædam Philosophiæ actuosæ, quamvis ceteris eiusdem partibus præstantior. Ergo materia totius Philosophiæ actuosæ non est Civitas. *Denique.* Nullius disciplinæ adæquatum subiectum est eiusmodi, ut adhuc eo ablato ipsa persisteret. Atqui ablata Civitate adhuc persisteret Philosophia activa, adhuc enim institueret vitam monasticam, sive singulorum; & oeconomicam, sive familiæ. Civitas ergo non est adæquatum subiectum Philosophiæ activæ.

8 **QUINTA** Averrois opinio non

fatis exponit materiam sive subiectum proprium Philosophiæ activæ, dum ait situm esse in actionibus humanis, tanquam in re considerata; modum autem, seu rationem sub quâ considerantur, esse, vel quatenus ex voluntate humana procedunt, vel quatenus diriguntur ad gubernandas civitates. Non, inquam, satis exponit materiam propriam Philosophiæ activæ in genere, utrovis modo ex prædictis accipiat. Non priore illorum: nam licet verum sit actiones humanas esse rem consideratam ab hac disciplina; adhuc tamen illæ non considerantur per se quatenus indifferenter se habent ut bonæ aut malæ sint: sed solum quatenus bonæ sunt. Philosophia enim practica nec de virtijs, nec de actionibus improbis differit per se, sed solum per accidens: ut ex communi sententia dictum est, circa finem præcedentis capituli. Atqui actiones humanæ, etiam prout a voluntate libera procedunt, indifferenter se habent ut bonæ aut malæ sint: tam enim actiones improbæ, quam probæ, à liberâ voluntate procedunt. Ergo actiones humanæ prout à liberâ voluntate procedunt, non considerantur per se ab hac disciplina. Neque etiâ posteriore modo satis accedit ad veritatem opinio Averrois: quoniam patitur easdem impugnationes, ac opinio Marsilij Ficini paulo antè explicata. Actiones enim humanæ prout diriguntur ad gubernandas civitates, solum possunt esse materia inadæquata, licet principalis, Philosophiæ practicæ; non autem totalis seu adæquata. Solum quippe possunt esse materia propria Politicæ, quæ est species præcipua Philosophiæ activæ; non autem aliarum specierum, quæ sunt Monastica, & Oeconomica. Amplior itaque materia assignari debet Philosophiæ activæ in genere considerata.

9 **DICES:** Bonum privatum singulorum hominum, & familiæ, ordinatur ad bonum commune Civitatis. Ergo alterendo bonum commune Civitatis esse materiam adæquatam totius Philosophiæ actuosæ, sufficienter assignatur omne bonum ab ipsa inspectum secundum Monasticam, & Oeconomicam. **RESP.** Negando consequentiam: quia licet bonum privatum singulorum, sicut & familiæ, ordinetur ad bonum commune Civitatis, tanquam ad aliquid præstantius; adhuc tamen unumquodque eorum bonorum per se & primario queritur à duobus speciebus Philosophiæ activæ, quæ sunt Monastica, sive Ethica, & Oeconomica. Sic etiam bonum inspectum ab arte Equestri ordinatur ad bonum Militaris, & huius bonum ad bonum Reipublicæ: ceterum non propterea Equestris aut Militaris ars desinit inspicere per se bonum proprium, veluti primarium finem. Imò & in unica secundum speciem scientia, qualis est Logica, aliquid simi-

simile cernitur: quoniam licet definitio & divisio ordinentur ad demonstrationem tanquam ad aliquid præstantius, & in quo apparet perfectionis humanæ apex, adhuc definitio ipsa, & divisio, per se attinguntur à Logica: ut latè tradidimus in Cursu Phil. tract. 1. disp. 6. quoniam utraque per se habet quiddam exigitur secundum propriam rationem, ut per se attingatur, atque independenter ab ordine ad aliud. Idque, vel inviti, debent dicere Adversarij ne incidant in primam opinionem supra impugnatam: nam non solum bonum singulorum, & familiæ, sed ipsius etiam Civitatis, ordina-

tur ad summum bonum, seu felicitatem: & tamen summum bonum, seu felicitas, non est materia, sive subiectum Politicæ, sed tantum finis remotus, sive ultimus, in quem tandem illa contendit. Ergo licet bonum inspectum à Monastica & Oeconomica ordinetur ad bonum Civitatis, non propter hoc erit materia, sive subiectum Monasticæ, & Oeconomicæ, sed dumtaxat finis remotus. Nimirum, ut supra cap. 4. n. 4. ostensum est, tam bonum privatum singulorum, quam familiæ, sunt aliquid dignum per se inspicere & queri ab aliquâ disciplinâ.

CAPVT OCTAVVM.

*Assignatur subiectum, seu materia propria Philosophiæ activæ, tum generatim acceptæ, tum
& in tres species distributæ, iuxta sententiam D. THOMÆ, frustratim
à Piccolomineo impugnatam.*



RELICTIS Itaque aliorum opinionibus, præferenda est sententia D. Thomæ in præmio Ethicorum, quam quia noluit satis expendere atque introspicere Franciscus Piccolomineus cap. 4. Introductionis suæ ad decem Gradus, non solum reiecit, sed ausus præterea fuit appellare *errorem conspicuum*. Ausus, inquam est: quia immodeste & præter veritatem tulit censuram adversus sententiam. S. Doctoris, quam demum ipse volens nolens sequitur, licet dicat esse suam ipsius propriam.

2 D. Thomas igitur loco allegato distinguit quatuor ordines rerum diversimodè comparatos rationi. Primus est, quem ratio non facit, sed considerat: qualis est ordo rerum naturalium. Secundus, quem ratio considerando facit in proprio actu: ut cum ordinat conceptus suos ad invicem, & signa conceptum, quæ sunt voces significativæ. Tertius est, quem ratio considerando facit in actionibus voluntatis. Quartus est, quem ipsa ratio efficit in exterioribus rebus, quarum ipsa est causa, sicut in arca & domo. Quia verò consideratio rationis per habitum perficitur, addit S. Doctor, secundum eos quatuor ordines diversos, quos proprie ratio considerat, esse pariter diversos scientiarum habitus. Primus est Philosophiæ Naturalis prout comprehendit Physiologiam & Metaphysicam: nam ad eum habitum generatim consideratum pertinet ordo rerum, quem ratio humana considerat, sed non facit. Secundus est Philosophiæ Rationalis, ad quam pertinet ordo, quem ratio considerando facit in proprio actu: ut quando considerat ordinem partium orationis ad invicem, ac principio-

rum inter se & cum conclusionibus collatorum. Tertius est Philosophiæ Moralis, ad cuius considerationem spectat ordo actionum voluntariarum. Quartus est artium mechanicarum, ad quas pertinet ordo, quem ratio considerando facit in rebus exterioribus constitutis per rationem humanam. Præmissa verò hæc doctrina, subdit statim: *Sic ergo Moralis Philosophiæ, circa quam versatur præsens intentio, proprium est considerare operationes humanas, secundum quòd sunt ordinatæ ad invicem, & ad finem. Dico autem operationes humanas, quæ procedunt à voluntate hominis secundum ordinem rationis. Nam si quæ operationes in homine inveniuntur quæ non subiacent voluntati & rationi, non dicuntur proprie humane, sed naturales: sicut patet de operationibus animæ vegetativæ, quæ nullo modo cadunt sub consideratione Moralis Philosophiæ. Sicut igitur subiectum Philosophiæ Naturalis est motus, vel res mobilis: ita subiectum Moralis Philosophiæ est operatio humana ordinata in finem, vel etiam homo, prout est voluntariè agens propter finem. Et hæc quidem loquendo de Philosophiæ Morali generatim. Postea verò expendit necessitatem alicuius societatis, tum domesticæ, tum & civilis, ut homo vivat, habeatque sufficientiam perfectam, quantum ad corporalia & moralia: subditque ex ijs capitibus opus esse homini, tum societate domesticæ, tum & politicæ, seu civili. Ac denique accedit ad dividendum Philosophiam Moralem in varias partes, assignandumque proprium subiectum singularum, his verbis: *Moralis Philosophiæ in tres partes dividitur: quarum prima considerat operationes unius hominis ordina-**

res ad finem, quæ vocatur *Monastica*: secunda autem considerat operationes multitudinis domesticæ, quæ vocatur *Oeconomica*: tertia autem considerat operationes multitudinis civilis, quæ vocatur *politica*. Hæc ibi.

3 ITAQUE D. Thomas disertè docet, subiectum sive materiam, circa quam versatur Philosophia Moralis, prout distincta à Naturali, ac Rationali, & ab artibus mechanicis, esse actiones humanas, quæ procedunt à voluntate hominis secundum ordinem rationis. Quibus planè expressit, & materiam propriam quæ attingitur à Morali Philosophia, & rationem sub quâ attingitur. Materia, scilicet, sunt operationes humanæ: id est, quæ humano arbitrio subiacent, sive procedant immediate à voluntate libera, sive à potentijs internis subiectis voluntati, ex ipsius consensu. Modus autem, seu ratio sub quâ eæ actiones attinguntur à Philosophia Morali, est ordo rationis ipsarum, tum inter se, tum in ordine ad finem. Vtramque huius sententiæ partem probare oportet.

4 PRIOR Pars probatur. Aliqua debet esse disciplina per se instituta ad considerandum actiones humanas, seu proprias hominis, quatenus differunt ab actionibus merè naturalibus, & ab artificiosis, tum liberalibus, tum & mechanicis. Nimirum, actiones humanæ, seu propriæ hominis, sunt materia nobilissima, ac dignissima consideratione alicuius disciplinæ, non minùs, quàm ceteræ actiones nuper expressæ. Atqui nulla alia disciplina eiusmodi est, nisi Philosophia Moralis generatim accepta. Neque enim vlla alia assignari potest cum fundamento, adhuc apparente. Igitur Philosophia Moralis est per se instituta ad considerandum actiones humanas, seu proprias hominis, quatenus differunt ab alijs actionibus. *Confirmatur*. Materia circa quam versatur Philosophia Moralis, debet spectare ad genus Moris. Atqui solæ actiones humanæ, seu propriæ hominis liberè operantis, spectant ad genus Moris: cum solæ illæ sint laude aut virtutis, præmio aut pœnâ dignæ. Ergo solæ eiusmodi actiones sunt Materia, circa quam versatur Philosophia Moralis. Et quantum ad hoc convenit sententia hæc cum opinione Averrois.

5 POSTERIOR Pars suadetur eadem ferè ratione, quâ impugnavimus opinionem Averrois cap. præced. num. 8. Quamvis enim Philosophia Moralis consideret universas actiones humanas, seu voluntarias, ratio tamen formalis, secundum quam eas considerat, ac directè & primariò attingit, non est quòd voluntariæ aut liberæ sint, sed quòd servant ordinem rationis. Non enim Philosophia Moralis directè & primariò attingit actiones secundum aliquem gradum communem actio-

nibus pravis & probis: cum de actionibus pravis solùm indirectè agat & per accidens, quemadmodum Medicina de venenis, ut supra c. 6. n. 3, dictum est. Ergo Philosophia Moralis directè & primariò non considerat actiones humanas sub ratione formali voluntarietatis, & libertatis, quarum utraque est communis etiã actionibus pravis, sed tantùm secundum ordinem rationis, quem solæ actiones honestæ servant. Nimirum, servare ordinem rationis dumtaxat competit ijs actionibus, quæ sunt conformes rationi: quales profectò sunt tantùm actiones honestæ. *Confirmatur* Actiones humanae considerantur directè & per se à Philosophia Morali, quatenus in genere Moris perficiunt naturam humanam. At solùm perficiunt in genere Moris naturam humanam quatenus servant ordinem rationis, proindeque honestæ sunt: nam actiones turpes potius sedant & inficiunt, quàm perficiant naturam humanam. Solùm ergo quatenus servant ordinem rationis, & honestæ sunt, considerantur directè & per se à Philosophia Morali. Quare sententia hæc dissidet ab opinione quinta Averrois cap. præcedenti impugnatâ, quatenus assignat pro ratione formali obiecti Philosophiæ Moralis aliquid commune solis actionibus moraliter honestis.

6 QUANDO Autem D. Tho. verbis supra exscriptis ait, subiectum Moralis Philosophiæ esse operationem humanam ordinatam in finem, vel etiã hominem prout est voluntariè agens propter finem; sicut subiectum Philosophiæ Naturalis est motus, vel res mobilis; loquitur solùm proportione quadam, ac disiunctivè, ut patet ex ipsis verbis. Proportio enim est in eo quòd sicut Philosophia Naturalis considerat res mobiles & ipsum motum; ita etiã Moralis hominem voluntariè agentem propter finem, & ipsam operationem voluntariam ordinatam in finem, quòd sanè verissimum est. Aliunde verò latum discrimen intercedit: quoniam subiectum per se & directè inspectum à Philosophia Naturali, nimirum, Physicâ (de hac enim loquitur S. Doctor) non est motus, sed ens mobile: ut cum communi ferè sententia docuimus disp. 1. Physicæ: subiectum autem per se & directè consideratum à Philosophia Morali non tam est homo operans voluntariè, quàm ipsa operatio voluntaria ordinata in finem; scilicet, ordine illo, qui est secundum rationem. Homo enim potius est subiectum receptionis, quàm considerationis moralis: quæ directè & primariò solùm considerat mores, & ratione illorum distulit de ipso homine. Et hæc quidem omnia, loquendo de Philosophia Morali in genere.

7 DEVENIENDO Ad tres species ipsius supra explicatas, facilè apparet quòdam

nam

nam cuiusque illarum sit proprium subiectum. Id enim dilucide explanat D. Thomas verbis extremis supra nu. 2. relatis. Monastica enim, que communi loquendi consuetudine appellatur Ethica, versatur circa actiones singulorum hominum ordinatas ad finem: nimirum, honestum & rationi conformem. Oeconomica circa actiones multitudinis domesticæ, pariter ad congruum & rationabilem finem ordinatas. Denique Politica circa actiones multitudinis civilis, quatenus publicæ honestati & bono Reipublicæ conformes. Porro tres prædictæ partes Philosophiæ Moralis differunt specie inter se: conveniunt autem in unitate ordinis, tum quoniam Monastica ordinatur, quamvis secundario, ad Oeconomicam, sicuti & hæc ad Politicam, tanquam ad speciem præstantiorem: tum etiam, quod earum trium unus sit finis ultimus, qui est summum bonum, seu felicitas hominis.

8 SENTENTIA S. Doctoris sic explicata, nullam vim habere possunt impugnationes Piccolominei adversus illam, quas propterea omittendas censeo. Adhuc tamen alie difficultates in eam proponi possunt. PRIMA est, quod subiectum Philosophiæ Moralis generatim videatur esse summum bonum: quoniam huius existentia præsupponitur, definitur, dividiturque in Philosophia Morali, & ad ipsum referuntur omnia, quæ illa considerat. *Confirmatur*: Quia summum bonum humanum ex sententia Aristotelis situm est in actione perfecta secundum virtutem. Ergo si actiones virtutum sunt subiectum, seu materia Philosophiæ Moralis, idem dicendum est de summo bono humano. SECUNDA. Quemadmodum Medicina medetur corpori, ita & Philosophia Moralis animo. Atqui Medicina ita medetur corpori, ut non sit eius subiectum effectio salutis in infirmo, sed corpus infirmi sanabile ab arte. Ergo nec Philosophiæ Moralis subiectum est actio virtutis sanativa animæ, sed

anima ipsa prout sanabilis.

9 HÆC Tamen parum vrgent, AD I. Nego summum bonum humanum esse Philosophiæ Moralis subiectum. Neque id probat obiectio, sed tantum illud esse finem ultimum, quod tandem ipsa contendit. Cum vero eadem disciplina tradatur ordine analytico, seu resolutivo, oportuit præaccipi in illa finem, ac definiti & dividi, ut deinde disseratur de actionibus probis, & illarum principijs. Oportuit præterea initio Philosophiæ Moralis commendare illius præstantiam, quæ potissimum ex nobilitate finis cognoscitur. Patet verò longè aliud esse subiectum disciplinæ, & finem ultimum illius, seu remotum. AD *Confirm.* dicimus, summum hominis bonum esse situm in actione perfecta secundum virtutem: de quo infra lib. 1. & 10. non tamen in omni actione virtutis. Innumera enim sunt actiones virtutum, in quibus sita non est beatitudo huius vitæ. Dum autem asserimus actiones probas esse subiectum huius disciplinæ, solum loquimur generatim de actionibus virtutum: non autem de illa, in quâ consistit felicitas hominis. Hæc enim non est subiectum, sive res considerata à Philosopho Morali, sed tantum scopus, sive finis extremus, in quem omnia ordinantur, & referuntur. AD II. Medicinæ cum sit ars, & proinde effectrix, non habet pro subiecto, sive materiâ, effectiorem ipsam, sed solum salutem quam efficit, & hanc in ipso corpore sanabili. Philosophia autem Moralis, cum non sit ars, sive virtus effectrix, sed activa solum, habet pro subiecto, sive materia, actionem ipsam, quâ homo interiùs perficitur. Nimirum, ut apparebit lib. 6. cap. 4. id discriminis est inter artem & virtutem activam, quod prior directè solum querit opus externum, non verò effectiorem, quâ id exequitur: posterior verò per se & directè querit solum actionem immanentem, quâ agens intimè perficitur.

CAPVT NONVM.

Philosophiam Moralem esse scientiam, non speculat vicem, sed practicam; activam tamen, non vero effectricem. Quo ordine addiscenda.



OLLIGES Philosophiam Moralem esse scientiam practicam, non quidem effectricem, sed activam. Porro scientiam esse, patet: Quia licet plerumque non vsque adeo exactis demonstrationibus utatur ac Physiologia, Metaphysica, & Mathematica, ideoque non ita strictè scientia sit; adhuc tamen pro conditione ma-

terix minùs firmæ, in quâ versatur, nimirum, humanæ, & mutabilis iuxta varietatem locorum, personarum, ac temporum, demonstrativè procedit. Quin & sæpe ex principijs moralibus deducit necessario conclusiones, quæ aliter se habere non possunt. ut cum probat avaritiam, adulationemque esse fugiendam, quoniam recedunt à mediocritate, & omnis recessus à mediocritate in rebus moralibus est vi-

1. *in* *sc* *ac* *fug* *end* *us*. Proprietates vero, seu affectiones, quas Philosophia Moralis peruestigat in suo objecto, sunt voluntarietas, ut communiter loquimur, libertas, consultatio, electio, aliaque eiusmodi. Insuper in plerisque Virtutibus, & illarum actionibus, examinantur peculiare conditiones, proprietates, seu affectiones. Verum id necessatio fatendum est, in hac disciplina, plerumque & frequenter, non demonstrationibus, sed coniecturis moralibus agi: ut Arist. saepe monet, & D. Thom. 1. Ethic. lect. 2. dum ait: *Bona autem & iusta, de quibus Civis intendit, tantam habent differentiam & errorem, ut videantur lege sola esse, non vero natura.* Et praeterea idem S. Doctor lect. 3. *Non potest esse tanta certitudo in materia variabili & contingenti, sicut in materia necessaria, semper eodem modo se habente.*

2. **PORRO** Eam non esse scientiam speculativam, sed practicam, communis Philosophorum consensus est cum Arist. qui saepe in libris Ethicorum docet, disciplinam hanc non in speculatione sitam esse, neque mentem dirigere ad sciendum, sed ad operandum recte laudabiliterque. Differentia autem practici & speculativi in habitibus potissimum spectatur ex fine proximo, qui in speculativis est contemplatio veritatis; in practicis vero actio: ut late docuimus disp. 5. Logicae. Insuper ex ibidem fusc traditis, constat, praxim proprie non inveniri in intellectu, sed solum in actibus voluntatis, aut alterius potentiae voluntati subdita. Cum igitur supra ostensum sit, obiectum Philosophiae Moralis non esse actus intellectus, sed voluntatis, & aliarum potentiarum operantium cum subiectione ad voluntatem; plane deducitur, illam esse habitum practicum, utpote cuius obiectum sit praxis.

3. **DENIQUE** Philosophiam Moralem esse habitum, practicum, non factivum, sed activum, patet ex dictis. Etenim iuxta Aristotelem in hoc Opere lib. 6. cap. 4. disciplina effectrix in hoc differt ab activa solum, quod prior non habet pro fine effectioem, sed rem factam: ut patet in omnibus artibus simpliciter & proprie dictis: quae, quoniam effectrices sunt, non in operatione, sed in re effecta, suum finem constituunt. Vnde nec pictores, statuarii sive laudamus propter operationem, sed propter elegantiam picturae, aut statuae. Caeterum disciplina activa solum quaerit actionem internam, qua agens ipsum perficitur, in eaque vna proximum sibi finem constituit. Cum igitur supra probatum sit obiectum finemque proximum Philosophiae Moralis esse actiones morales & internas, quibus perficitur homo, plane deducitur, illam esse disciplinam practicam quidem, non tamen effectricem, sed activam.

4. **ACTIVA** Itaque est Philosophia

Moralis, non theoretica aut speculatrix: quoniam non tam a nobis exigit subtilem considerationem, quam probam actionem. Huc spectant ingeminata Philosophi Cordubensis voces, Philosophiam Moralem appellantis *vita legem, ac praeterea non in dicendo positam, sed in agendo: item, animorum magistram esse.* Ac rursus Epist. 53. *Eligamus, inquit, non eos qui verba magna celeritate praecipitant, & communes locos volvunt, & in privato circulantur: sed eos qui vitam docent.* Activa igitur illa est, non theoretica, seu speculativa.

5. **SI** Autem quaeras, quo ordine ad discenda sit, occurrit huic interrogationi S. Thomas lib. 6. Ethic. lect. 7. ad mentem Aristotelis, hisce verbis: Erit ordo congruus addiscendi, ut primo quidem pueri Logicalibus, instruuntur, quia Logica docet modum totius Philosophiae. Secundo autem sunt instruendi in Mathematicis, quae nec experientia indigent, nec imaginationem transcendunt. Tertio autem in Naturalibus, quae etsi non transcendunt sensum, & imaginationem, requirunt tamen experientiam. Quarto in Moralibus, quae requirunt experientiam, & animum a passionibus liberum, ut in primo habitum est. Quinto in sapientialibus & divinis, quae transcendunt imaginationem, & requirunt validum intellectum. Hucusque S. Doctor.

6. **In** Quibus duo observanda sunt: Primum est, expedire plurimum, ut studium Logicae, Mathematicarum, & Physiologiae, praecedat, gradumque faciat ad studium Philosophiae Moralis: quoniam ijs praesidijs instruitur mens humana ad plene intelligendum quidquid de Virtutibus ac virijs dilleritur; & in quorum tractatione saepe supponuntur aliqua ex praedictis disciplinis, quae praenosci debent. Verum id solum est necessarium ad exactam, & numeris omnibus absolutam notitiam Philosophiae Moralis, qualem habuit Aristoteles, & quidam pauci. Caeterum ad illam intelligendam quantum satis sit ad differendum communiter, etiam inter doctos viros, & ad instruendam mentem voluntatemque hominis, ut recte se gerat, tum in singulari vita, tum in humano convictu & societate, seu domestica, seu civili, non exigitur praevium earum disciplinarum studium. Ad summum opus erit didicisse methodum arguendi, quae tradi solet in ipso Dialecticae tyrocinio. Nulla enim disciplina aequae facilis est, ac Philosophia Moralis: cuius considerationes omnes humanae sunt, & practicae, quaeque ad sensum patere videntur. Fateor autem eam notitiam minime habituram rationem scientiae strictae in eo, qui nullatenus mentem excoluit aliquo studio Dialecticae, si haec omnino necessaria sit ad scientiam strictam in quolibet statu acquirendam: ut fusc ostendit

ostendi in Logica disp. 2. per totam. Sed hoc idem periculum Iurisconsultis imminet, nisi prius ijs Dialecticæ documentis instruantur. Quare Cicero 2. Tuscul. QQ. præferens Servianum Sulpicium omnibus sui ævi Iurisperitis, ait: *Nunquam ille ad tantam iuris peritiam pervenisset, nisi Dialecticam didicisset.*

7. SECUNDVM Observatum dignum in verbis D. Thomæ est, duo exigi ad studium Philosophiæ Moralis. Alterum est experientia: alterum verò, animus à passionibus liber. Prius illud patet: quoniam, cum Philosophia Moralis versetur in rebus & actionibus humanis, quæ frequentissimè rediguntur ad praxim, sive, quod perinde est, usu & re ipsa exercentur, oportet, ut illam addiscens, aliquod experimentum habeat, sive in proprijs actionibus, sive in alienis saltem. Insuper, cum virtutes morales, à Philosophia Morali explicatæ, usu & consuetudine adquirantur, ut lib. 2. Ethic. c. 1. ostenditur, oportet illius auditorem manus operi admoveat, & exercitatione atque experimento sibi facere gradum ad eas virtutes acquirendas. Ergo experientia aliqua ad studium Philosophiæ Moralis exigitur. Posterius autem, nimirum, requiri animum à passionibus liberum, ut quis in hac disciplina progressum faciat, tradit ex professo Arist. lib. 1. Ethic. cap. 3. ubi & nos latè in Commentario eius capitis.

8. ITAQUE Ab huius nobilissimæ

disciplinæ sacratio, ardentur ijs, quorum animus impotenter abducitur effræni perturbationum impetu. Ideo Arist. loco nuper indicato agens de eo qui iuvenis est, non tam ætate, quam moribus, inquit: *ἐτι δὲ τοῖς πάθει καὶ ἀπολυτικὸς αἶν*, &c. *Ita verò cum libidine s animi sequatur, frustra & inutiliter audit: quandoquidem finis huius non in cognitione, sed in actione consistit.* Quare si quis alius Philosophorum, præceptor huius doctrinæ è iuggero clamare posset cum Platone in Theætefo: *ἀθρα δὲ περισκοπῶν, μηδὲ τὴν ἀμύνην ἐπαύσει.* *Circumspice in partes omnes, nequis profanus audiat.* Et cum Callimacho apud Barabam Briss. lib. 1. Formul. *ἐκὰς, ἐκὰς, ὄσιν ἀλίτῃς, Procul, procul, quisquis iniustus.* Cum Statio etiam 3. Sylvarum *procul ite nocentes, Si cui corde nefas tacitum.* Nimirum, vel apud Ethnicos, profani à rebus sacris arcebantur: ut testantur plurimi, præsertim, Herodotus lib. de vita Homeri, Julius Cæsar lib. 6. Civil. Arnobius lib. 1. Tertullianus in Apolog. ac Pollux lib. 8. maxime dum ait: *ἄγρον ἢ ἱερῶν, &c. Arcebantur à sacris & foro, qui in cadis accusatione erant, usque ad diem iudicij.* Porro Philosophia Morum SACRVM QUID ET VENERABILE EST, ut loquebamur cum Seneca supra initio cap. 2. Quidni igitur ab eius sacratio & penitioribus adytis profanè arceantur?

CAPVT DECIMVM.

Synopsis, sive summa brevis doctrinæ decem libris Ethicorum ad Nicomachum comprehensa.

SUPEREST In compendium redigere doctrinam decem Ethicorum libris contentam, ut unico intuitu summa illius capita pertingantur, ac facillè ingenio & memoriâ comprehendendi possint. Præmittendum verò est, finem in rebus moralibus esse principium: atq; adeo sicut Metaphysicus agit prius de principijs, essentia, existentia, & gradibus universalibus, quàm de consequentibus, ita etiam Philosophum Moralem prius de fine agere, quàm de cæteris omnibus, quotquot à fine dependent. Hinc oritur ut in hac disciplina, sicut & in alijs habitibus practicis, seruetur ordo analyticus, seu resolutivus: in habitibus autem theoreticis ordo aut methodus compositiva: quod in ipis Dialecticæ redimentis tradi solet. Cum ergo disciplina hæc sit Moralis & practica, Aristoteles in eâ initium ducit à fine, qui est

Felicitas, seu summum bonum humanum, idèò que procedit modo compositivo. Deinde distulit de actionibus humanis, quæcumque idonea media sunt ad eum finem obtinendum, insuper & de Virtutibus, tum moralibus, tum & intellectualibus, quæ sunt principia eandem actionum. Præterea agit de quibusdam habitibus, seu qualitatibus, quæ licet proprie non sint Virtutes, magnam cum ea affinitatem habent. Quoniam verò ad eandem disciplinam spectat agere de oppositis, consequens fuit, ut Aristoteles disserens de Virtutibus, etiâ de vitijs contrarijs disputaret. Denique velati retexendo, & redordiendo vnde cæperat, pro coronide Operis tractat de fine ultimo, seu Felicitate hominis, illamque dividit in theoreticam, & actuosam, seu speculativam & practicam, atque utramque ex professo explanat. Quin & introductionem exhibet ad Doctrinam Civilem, contentam in libris Politicorū.

Et

Et hoc quidem generatim loquendo de forma, seu Idea huius Operis. Veniamus modo ad singulos libros summam indicandos.

2 LIBRO I. Proœmium Operis præmittit, in eoque aperit dicendi consilium de fine ultimo, seu bono summo vitæ humanæ: atque initio statuit, *bonum esse illud quod omnia appetunt*. Deinde varios fines distinguit, atque vnum omnium extremum, ad quem cæteri gradum faciant. Præterea modum in tradenda addiscendaque Philosophia Ethica exponit, ut non sit ita exactus, nec demonstrativus, ac in Metaphysica, aut Mathematicis: quoniam magna huius disciplinæ pars pendet ab humanis legibus, aliisque circumstantiis instabilibus, & quæ pro varietate locorum, personarum, ac temporum, varietatem subeunt. Deinde auditorem Ethicæ idoneum esse monet, qui possit rectum de auditis iudicium ferre: id verò iudicium exigere animum minimè præoccupatum tumultibus perturbationum, insuper & exercitatum in humanis actibus. Ratio est, quoniam in Ethicis non accipitur pro principio *propter quid*, sed tantum *quia est*, v.g. quod concupiscentiæ per temperantiam superentur. Hoc enim apud animum statuto, non nimium refert scire *propter quid*. Sic in Medico ad curandum sufficit scire, hanc vel illam herbam, hoc vel illud pharmacum, habere vim ad curandum hanc aut illam ægritudinem. quod sanè experimento dignoscitur. Ita etiam in Ethicis principium *quia est*, ut in exemplo paulo ante proposito, cognoscitur experientia & consuetudine. Ergo idoneus Ethicæ auditor debet habere experimentum in rebus humanis, & consuetudinem. Cum verò iuvenes, præsertim tumultibus passionum præoccupati, eiusmodi experimento & consuetudine careant, sunt minus idonei ad Ethicam addiscendam.

3 HIS Statutis loco proœmij, differit latè de summo bono, seu Felicitate hominis: ac rejicit varias opiniones eorum qui illam collocant in aliquo bono sensibili, aut fortunæ, aut separato ab ipso homine: tandemque exponit in quoniam illa consistat, atque ex aliarum opinionibus id seligit, quod verum videtur, suæque sententiæ conforme. Aliquot præterea attributa Felicitatis exponit, & discernit, illam potius esse bonum honorabile, quam laudabile. Denique agit de divisione facultatum animæ, ut iaciat fundamentum doctrinæ progressu Operis stabiliendæ.

4 LIBRO II. Progreditur ad exponenda media, quibus ultimus finis obtinetur: nimirum, de Virtutibus, præsertim moralibus ex professo differit, an sint naturâ inditæ, an potius consuetudine bonarum operationum adquiritantur: qualiter corrumpantur: ad quas actiones inclinent: in qua materia verientur.

Deinde assignato discrimine inter iusta agere, & iustè agere, definit Virtutem, tam ex capite rationis genericæ consistentis in habitu, quam specificæ positæ in mediocritate inter exuperantiam & defectum. Hinc pergit ad eandem mediocritatem disponendam inter extrema, atque oppositionem inter Virtutes & vitia: ac denique præceptiones quasdam statuit, quibus ad medium ipsum deveniatur.

5 LIBRO III. Agit de actibus humanis, quibus & Virtutes parantur & exercentur: ac primò & generatim de voluntario atque involuntario: deinceps de electione, consultatione, voluntate, & ijs quæ sub illius potestate continentur. Quibus statutis, descendit iam ad differendum de Virtutibus Moralibus in specie: ac primò de Fortitudine, ac vitij extremis, de materiâ in quâ versatur, ac proprietatibus, & fucatis speciebus ipsius. Præterea agit de Temperantia, & diversis cupiditatibus, quibus illa moderatur, & vitij extremis, quibus intercipitur.

6 LIBRO IV. Prosequitur tractationem de Virtutibus Moralibus in specie: vè de Liberalitate, Magnificentia, Magnanimitate, Modestia, Mansuetudine, Affabilitate, Veritate, & Comitatu, atque illarum omnium extremis. Denique differit de Verecundia, quæ licet Virtus propriè non sit, magnam cum ea affinitatem habet.

7 LIBRO V. Latè examinat quid quid ad Iustitiam & ius spectat. Ac primò quidem differit de Iustitia & iniustitia ac modis iniusti. Deinde Iustitiam particularem accuratè expendit ac dividit: similiter & iustum in distributivum, & commutativum. Præterea agit de talione, & iusto civili, herili, œconomico, naturali, & legitimo. Insuper de duplici nocimento iniusto, ac perpessione iniuriæ. Denique de Æquitate, seu Epikia, quæ est benigna quædam legum emendatio, ac de irrogatione iniuriæ.

8 LIBRO VI. Differit de Virtutibus Intellectualibus: ac primò & generatim de reâ ratione, duplici virtute, & partibus animæ, ac principiis agendi. Deinde speciatim agit de eisdem Virtutibus: nimirum, Scientia, Arte, Intellectu, Prudentia, eiusque partibus, & Sapientia, atque de vtriusque utilitate. Denique de connexionione Prudentiæ & cæterarum Virtutum.

9 LIBRO VII. Agit de Virtute Heroica: item de Continentia & incontinentia, constantia & inconstantia: multipliciterque illas inter se comparat, & similiter subiecta illarum. Deinde latè differit de Voluptate, ac varijs speciebus ipsius, præsertim ad corpus spectantibus.

10 LIBRO VIII. Fusè disputat de Amicitia, ac multiplici eius specie, ac variâ

con

conditione & officijs amicorum. Occasione autem delumpta ex varijs Amicitia speciebus divertit ad varias Reipublicæ seu Politicæ species, easque invicem comparat.

11 LIBRO IX. Pervestigat ea præfidia, quibus Amicitia servatur, traditque modum, quo singulis pro dignitate conferantur beneficia, & designat propria Amicitia opera. Hinc progreditur ad agendum de Benevolentia, Concordia, Beneficentia, atque amore quo quilibet potest aut debet seipsum diligere. Denique disputat de amicis, an sint necessarii homini felici, & in quo numero, & an magis aut æquè, ac in statu misero, seu infortunato; & de præcipuo illorum munere, seu boni, seu mali sint.

12 LIBRO X. Iterum disputationem instituit de Voluptate: an unversè bona, an potiùs mala cènseri debeat: quidque sentiendù sit de opinione Eudoxi probantis illam, & aliorum ex adverso improbantium. Hinc progreditur ad vestigandum, qualiter ipsa habeat esse, an momento indivisibili, an potiùs tempore successivo; & in quo consistat, ac qualiter operationem perficiat; quot etiã speciebus distinguatur. Exinde verò regreditur ad differendum de Felicitate, quam à princi-

pio Operis solùm vmbriticè aut in typo examinaverat: docerique; illam non esse sitam in habitu, sed in actione, eaque per se expectabili, què proinde non sit actio ludi, sed Virtutis perfectæ, & optimæ, secundum optimam facultatem. Quænam verò sit optimã facultas, an intellectus, an voluntas, operosè examinat, & demum pro intellectu sententiam fert: atque adeò Felicitatem perfectam in contemplatione sitam docet; quippe quæ actione præstantior sit, & Felicitate activa. Regulas deinde præscribit, iuxta quas vir felix se gerere debet in rebus externis. Denique aureum & politissimum Opus concludit asserendo, non iufficere homini notitiam, quæ ex Philosophia Ethica habetur, nisi & præterea usu exercitationeque contendat in omnem morum honestatem. Hanc verò parari institutione optimarum legum. Addit etiã unicuique præterea enitendum esse, vt idoneus sit condendis legibus, & præscribit modum, quo id obtineat. Eo autem

peracto, tradit institutionem quandam ad Doctrinam Civilem, & sese accingit, atque animum Lectoris præparat ad libros Politicorum.



[Faint, mostly illegible text from the reverse side of the page is visible through the paper.]



COMMENTARIUS IN DECEM LIBROS ETHI-

CORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM,
LATINE EXPRESSOS A IOANNE ARGY-
ROPYLO, BIZANTINO.

LIBER PRIMVS,


SVMMA LIBRI.

DISSERIT Arist. hoc primo libro de vltimo Fine huma-
narum actionum, qui est Beatitudo, seu Felicitas. Divi-
ditque totum illū in quatuor tractatus. In primo quæ-
rit, vtrum sit aliquis finis vltimus actionum humanarū,
isq̄ue possibilis cōsequutu. Demōstrat vero, esse quidē
prædictum finem, & ab homine obtineri posse, consistereque in sum-
mo hominis bono, quod est Felicitas. In secundo tractatu inquitit exa-
ctissima disputatione, quidnam sit ipsa Felicitas, & in quibus rebus
posita. In tertio tres instituit quæstiones circa originem, subiectum, &
tempus eiusdem Felicitatis. In quarto demum disputat, quale bonum
sit Felicitas; laudabile, an honorabile: & in qua animæ parte seu facul-
tate sedem habeat. Et hæc quidem generatim circa librum primum.
Nunc ad litteram, & Cōmentarium vniuscuiusque capitis veniamus.

CAPVT PRIMVM.

De universalis boni appetitu, & finium varietate.

ARIST. πᾶσα τέχνη, καὶ πάντα μέθοδος, &c.



OMNIS Ars, omnisque doctrina, atque actus, itidem &
electio, bonum quoddam appetere videtur. Quapropter bene veteres bonum ipsum id esse dixerunt, quod
omnia appetunt. Finium autem differentia quedam
esse

A

esse

esse videtur. Quidam enim sunt operationes: quidam, præter has ipsas, opera quædam. Atque in quibus præter operationes alij quidam sunt fines, in ijs ipsa opera sunt operationibus præstabiliora. Cum vero complures sint actus, & artes, atque scientiæ; fit, vt multi sint etiã fines. Medicinæ namque finis est sanitas: artis extruendarum navium, navis: facultas rei militaris, victoria: & familiaris rei gubernandæ, divitiæ. Quæ autem talium, sub aliqua vna potentia sunt, vt ars conficiendorum frænorum, cæteræque omnes instrumentorum equestrium effectrices, sese habent ad facultatem equestrem, & hæc cum illis, omnisque actio bellica ad militarem facultatem, & ad alias aliæ simili modo. In ijs omnibus fines earum, quæ rationem architecturæ subeunt, magis sunt expetibiles, quàm omnes fines inferiorum: illi namque horum gratia expetuntur. Atque nihil interest, siue fines actuum ipsæ sint operationes, siue præter ipsas aliquid aliud, vt in dictis facultatibus intueri licet.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Aliquem extremum finem esse, quò omnes actiones humane contendant: vnum quoque alio præstantiorem, iuxta rerum ac facultatum, siue artium varietatem.



VM Præcipuus scopus Arist. in hoc Opere sit tractatio de vltimo fine, seu Felicitate hominis; omnia quæ in eo traduntur, dirigit in ordine ad eundem finem consequendum. Et vt ostendat illum esse positum in rebus humanis, seu in ijs quæ geruntur ab homine, præmittit initio, quatuor præcipuas affectiones, seu motus illius, in prædictum finem tendere. Sunt autem ea quatuor, ars, doctrina, actio, & electio. Vt autem monet in præsentis D. Thomas, duo priora illorum trahunt originem ab intellectu; posteriora duo ab appetitu. In intellectu enim distinguitur vis contemplatrix, & operatrix; seu speculativa, & practica: in appetitu autem vis eligendi, & exequendi. ARS, quæ definitur *habitus cum recta effluens ratione*, atque ex multis experimentis collectus, vt addit Eustratius, nobilis & antiquus Interpres Arist. in hoc opere; ortum ducit ab intellectu practico. Desumiturque ars in præsentis prout extenditur etiam ad omnem scientiam activam. DOCTRINA, seu discendi ratio: Græcè *μάθος*, accipitur in præsentis pro scientiâ speculativâ, quæ ab intellectu secundum vim contemplatricem proficiscitur. ACTIO est operatio secundum electionem hominis: proceditque ab appetitu secundum vim exequen-

di. ELECTIO denique est determinatio, quæ ex pluribus propositis sibi voluntas eligit vnum, potius quàm aliud. Oritur autem illa ex appetitu secundum vim eligendi.

2 DIVIDIT Autem Arist. caput in tres partes. In primâ statuit esse aliquem finem bonum in rebus humanis. In secunda docet, etiam in eisdem rebus esse vnum finem alio præstantiorem; & variarum artium varios fines designat. In tertia denique quaestionem quandam proponit & solvit.

3 CIRCA Primam partem, vt dicebamus, statuit, humanarum rerum aliquem finem bonum esse. Quod ex ipsius Philosophi doctrinâ, vt plurimum emphaticâ, & succinctâ, ac longè plus ponderis, quàm vrborem præ se ferente, sic probatur. Si principia omnia rerum humanarum sunt propter aliquem finem bonum, aliquis est bonus finis omnium rerum humanarum. At principia omnia rerum humanarum, nimirum, ars, doctrina, actio, & electio, sunt propter aliquem bonum finem. Ergo aliquis est bonus finis rerum humanarum. CONFIRMATVR. Cum omnia rerum finem appetant, planè sequitur finem quarumcumque rerum, esse bonum illarum. Atqui principia omnia rerum humanarum, nimirum, quatuor prædicta, aliquod bonum appetunt. Ergo & omnia illa appetunt aliquem finem

nem. Omnes igitur res humanæ habent aliquem bonum finem.

4 **PORRO** Aristotelem sufficienter enumerasse principia humanarum rerum in quatuor prædictis, arte, doctrinâ, actione, & lectione, probat Albertus Magnus: Quia omne principium rerum humanarum, prout spectat ad Philosophum Moralem, aut dirigit, aut profectitur. Si dirigit, dupliciter hoc præstari potest: aut in ordine ad verum, aut ad opus aliquod. Si dirigit ad verum, est doctrina, seu scientia speculativa. Si ad opus, adhuc id bifariam accipitur. Aut enim dirigit ad opus, quod fit: & sic est ars. Si autem ad opus, quod agi propriè dicitur, est scientia actuosa, seu activa, quæ innuitur per electionem. Si autem principium rerum humanarum non dirigit, sed prosequitur, erit actio, quâ homo exequitur res agendas. Patet igitur solum ea quatuor, artem, doctrinam, electionem, & actionem, esse principia omnium rerum humanarum, prout attinent ad Moralem Philosophum: cuius studium est plenè collocatum in omnibus humanis operationibus rectè dirigendis & exequendis. Observandum tamen est cum Acciaio hoc loci, prædictos habitus, seu principia omnium rerum humanarum, fuisse ab Arist. enumeratos ordine præpostero. Doctrina enim arti præponenda videbatur, & electio actioni. Sed tamen quoniam oportet incipere à notioribus, & ars notior est quàm doctrina, seu speculativa scientia; similiter & actio, quàm electio; censuit Arist. eum ordinem initio libri opportunè mutandum fuisse.

5 **QUANDO** Autem docet Arist. quatuor prædicta appetere bonum quoddam, duplex sensus esse potest. Primus est, ut omnia illa appetant summum bonum, sive supremum, quoniam ad illud ultimò referuntur, tamquam ad id quod omnia appetunt, & ex cuius participatione sunt bona, quæcumque bona sunt. Secundus est, ut omnia prædicta appetant quoddam bonum, prout abstrahit à summo & non summo, seu etiam à vero & apparenti. Hoc posteriori sensu accipienda videtur propositio illa Arist. tum quia in textu ipso solum dicitur *το αγαθον*, quod est bonum indifferens ad summum & non summum, ad verum & apparentem: tum etiam, quia non initio capitis, sed postea in progressu probat esse aliquod summum bonum, & ultimum finem, ad quem ceteri ordinantur.

6 **RVRSVS**, Quod ex veteri Philosophorum definitione ita ut initio Arist. bonum esse id quod omnia appetunt, verissimum est, & comprobatur inductione facta in omni appetitu, qui semper fertur ad aliquod bonum. Aut enim est appetitus pure innatus, qualis in rebus inanimatis, ut gravibus & levibus ad

proprium centrum: & sic est ad aliquod bonum ipsorum. Aut est appetitus, qui dicitur vegetabilis, ut in plantis, ad nutritionem & augmentationem sui: & hoc plane bonum aliquod, illarum est. Aut est appetitus, qui dicitur animalis, & est in brutis, coniunctus imaginationi representanti aliquod bonum ipsorum. Aut denique est appetitus rationalis, qui dicitur voluntas, & fertur ad bonum in communem. Cùmque ijs quatuor gradibus comprehendantur omnia que ad hunc mundum inferiorum attinent, & illorum appetitus, plenè colligitur, omnem appetitum ferri ad aliquod bonum: ac proinde bonum esse id, quod omnia appetunt. Quare hoc Philosophi effato passim utuntur Patres: ut Dionysius cap. 4. de Divinis nomin. Nyssenus lib. de Beatitud. Ambrosius lib. de Isaac & Animâ, ca. 7. Basilius in Psalm. 44. Bernardus Epist. 66. Anselmus Epist. ad Philemonem, Boethius de Consol. Prosa 11. & D. Thomas sapius. Quia & Cicero lib. 1. de Finibus ait: Omnes Philosophi in hoc contenti, senserunt, illud esse summum bonum, quod ab omnibus expetitur. Contentit Seneca, Epist. 118.

7 **CIRCA** Secundum partem docet, esse latum discrimen inter fines: ut exinde probet in ipsis rebus humanis esse vnum finem præstantiorem alio. Ac primo dividit fines, ut quidam consistant in operatione, quidam autem in opere, quod mediante operatione fit. Ij autem aliquem ordinem dignitatis inter se habere debent: atque adeo præstantior ille est, ad quem alius ordinatur: cum natura procedat de imperfecto ad perfectum. Quare ubi finis est operatio, erit perfectior omnibus ad illam ordinatis. Vbi autem finis fuerit opus, erit opus ipsum perfectius omnibus operationibus præcedentibus, & ordinatis ad illud. Declarat ut res exemplo. Tunc dicitur opus esse finis, quando ex operationibus relinquatur effectus aliquis, qui per se quærebatur: ut opus statuæ, aut picturæ v.g. est finis artis statuariæ, aut pictoriæ: quoniam per se inspicitur ab arte, non in alio fine operas suas collocante, quam in statuâ aut picturâ, manentibus etiam post transactam operationem. Quare in ijs opus est præstantius operatione. Tunc autem operatio est finis, quando ipsa propter se quæritur, nec relinquatur opus aliquod, saltem per se loquendo: ut patet in arte citharizandi, quæ solum operationem, seu pulsationem citharæ quærit, nec relinquatur post se opus aliud. Et eiusmodi finis perfectior est omnibus ijs rebus, quæ ad eum præparant, ordinanturque.

8 **HINC** Gradum facit, ut ostendat plures esse fines in rebus humanis, & subinde vnum alio præstantiorem. PRIMVM probat ferè sic. Vbi sunt plura, quæ appetunt, fines proprios & bona sua, sunt etiam plures fines. Ar-

qui in rebus humanis sunt. plura, quæ appetunt fines proprios, & bona sua. Ergo in rebus humanis sunt plures fines. Maior cum consequentia patet. Minor autem probatur in ipso textu, tam exemplo finium consistentium in operatione, quam in opere. Medicina enim finis est sanitas: artis extruendarum navium, navis. discipline militaris, victoria: familiaris rei gubernanda, seu œconomica, divitiæ, nimirum, opinione vulgi. Nam idem Phil. libro *O Economicæ* inquit, divitiæ, non esse finem, sed instrumenta, sive subsidia ad aliquem finem bonum. Ergo in rebus humanis sunt plura quæ appetunt fines proprios, & bona sua. SECVNDVM verò probat sic. Quoties res ipsæ ordinatæ ad finem sunt inæquales, & aliæ alijs præstantiores, etiam fines ipsi debent esse inæquales, ac proinde vnus alio præstantior. Atqui in rebus humanis ordinatis ad finem quædam sunt inæquales, & aliæ alijs præstantiores. Ergo & rebus humanis fines sunt inæquales, & vnus alio præstantior. Maior patet: quia res desumunt suam perfectionem ex ordine ad finem: ac proinde quales fuerint illarum fines, tales debent esse in se. Minor autem declaratur exemplis ab Arist. Nam equus est præstantior fræno ad ipsum ordinato; sicut & ars equestris, ad quam equus ordinatur, est præstantior arte ordinatâ ad efficiendum frænum. Et similiter victoria est quid nobilius equo, ad ipsam ordinato, sicut & ars militaris ordinata ad victoriam est nobilior equestri. Idemque patet in alijs similibus. Ergo in rebus humanis ad finem ordinatis sunt quædam alijs præstantiores.

9 ALIVD Quoque exemplum affert in arte imperante, ac principatum inter alias obtinente, quæ ab Arist. tam hoc loco, quam in Politicis, dicitur *αρχιτεκτονική*, & iam frequenter mutuato à Græcis vocabulo dicitur apud Latinos Architectonica, proculdubio ab architectis originem ducens. Quemadmodum enim ijs subijciuntur inferiores operarij, vt lignarij, ferrarij, cementarij, ac denique fabri omnes; sic & illorum artes minores subduntur Architectonicae vt principi, quoniam ad eam ordinantur. Similiter & apud Platonem dicuntur Epicraticæ artes, id est, Imperatoricæ, seu Imperatrices; quibus aliæ quædam ancillantur. Eiusmodi autem est medicina, quæ chirurgis imperat, & pharmacopolis, & vnguentarijs, iuxta eundem Arist. in Politicis. Similiter & textoria, quæ principatum obtinet in pectinariam, carminatoriamque; & in totum genus lanificij. Patet igitur in rebus humanis esse quædam artes, & ipsarum fines alijs præstantiores, quorum quidam proinde ad aliarum fines ordinantur.

10 CIRCA Tertiam movet dubitationem ex præcedenti doctrinâ ortam. Dixerat enim, finium alium esse opus, alium opera-

tionem; & in quibus rebus finis est opus, in eisdem opus esse perfectius operatione. Quia vero nuper sermo fuit de habitibus, artibusque comparatis inter se, vt altera sit superior, altera inferior & ad eam ordinata; poterit quispiam merito dubitare, an eiusmodi habitus perfectionem imperfectionemve suam dimeriantur ex fine; id est, an semper id fiat, vt quoties operatio est finis, habitus, cuius finis est operatio, debeat esse perfectior quolibet habitu deserviente & ordinato in eam operationem, quamvis hic habeat pro fine proprio aliquod opus. Respondet vero, nihil obesse eam doctrinam, vt dicamus imperfectionem esse habitum ex naturâ suâ ordinatum ad alium: sive alter præ altero habeat pro fine operationem, sive opus. Quod probatur: quia in exemplis relatis, & pluribus alijs, quandoque finis proprius artis, sive habitus inferioris, ac deservientis alteri, est operatio; quandoque opus distinctum ab operatione. Similiter & in ipso habitu superiori quandoque finis est operatio, quandoque opus. Ergo distinctio tradita finium, vt alius sit operatio, alius vero opus ab operatione distinctum; non impedit vt habitus quidam, & illorum fines, sint inferiores habitu alio & fine, ad quem ordinantur. Eo namque ipso quod vnus naturâ suâ ordinetur ad serviendum alteri, imperfectionior erit, sive habeat pro fine operationem, sive opus.

11 QVOD Explicat S. Tho. nominatim in arte equestri, quæ absque dubio præstantior est arte electrice fræni. Et tamen finis equestris artis, non est opus, sed operatio equitandi: finis vero efficientis frænum, non est operatio quâ illud fit, sed opus ipsum post illam permanens. Ergo fieri potest vt ars quæ habet pro fine operationem, sit præstantior arte habente pro fine opus. E contra etiam accidere potest, vt ars quæ habet pro fine opus sit præstantior eâ, cuius finis est operatio. Id patet in medicina, cui subordinatur inferiorque est gymnastica. Hæc enim habet pro fine operationem, scilicet, opportunam corporis agitationem, corporis valetudini deservientem. Et tamen medicina, ipsi imperans, ac plane superior, habet pro fine opus, sive rem ipsam, quæ est valetudo. Ergo vt vnus habitus, finisve, sit præstantior alio, non tam est attendendum, vter eorum habeat pro fine operationem, an opus; sed vter in alterum ordinetur, deserviatve alteri, an potius imperet.

12 QVARE Doctrina superius n. 7. tradita de maiore perfectione operis, quam operationis, & e contra, intelligenda est solium, quando opus & operatio ad eundem habitum, sive artem spectant: vt edificatio & domus. Perfectior est enim domus, seu opus ipsum, aedificatione; quoniam hæc est operatio in domum, vt finem, ordinata. Cuius rationem

generatim assignat S. Tho. quoniam operatio est veluti generatio in gratiam operis instituta: opus autem, siue terminus, est quid præstantius generatione sui. E contra autem in arte citharizandi, cuius finis est operatio pulsandi

citharam, opus est minus perfectum; nimirum, cithara ipsa; quoniam ordinatur ad operationem.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 1. & 8. per totas, eiusque Interpretes ibidem.

CAPVT SECVNDVM.

Quod vnus agibilem finis, qui civilis sit facultatis.



igitur si quispiam rerum agendarum est finis, quem nos propter se ipsum, cætera autem propter hunc volumus, (neque sit vt omnia propter aliud expetamus: esset enim hoc modo sine vlllo fine progressus, atque hinc noster appetitus inanis esset, & vanus) constat hunc talem finem summum bonum, ipsumque optimum esse.

Et ad humanam igitur vitam, magnam huiusce cognitio operem affert. Nam vt sagittarij signum habentes, magis id, quod oportet, attingere possumus.

Quod si ita sit, enittendum est, hunc ipsum figura quidnam sit comprehendere, & cuius sit scientiæ vel facultatis percipere. Videbitur autem eius esse, quæ maximè dominatur, maximèque rationem subit architecturæ. Talem autem in sese offert ipsa civilis facultas. Hæc enim, & quas scientias in civitatibus esse, & quales quenque discere, & quousque, oportet, instituire solet. Eas præterea facultates, quæ summis afficiuntur honoribus: vt rei militaris, rei que familiaris facultatem, ac oratoriam artem huic subesse facultati videmus. Cum igitur cæteris activis scientijs hæc vtatur, & leges ferat, atque instituat quid quisque agere, & à quibus abstinere debeat: huius finis cæterarum omnium facultatum continet fines. Quo fit, vt hic finis sit bonum ipsum humanum. Quamquam enim vnus hominis idem & civitatis est bonum, civitatis tamen comparare, conservareque bonum, maius, atque perfectius esse videtur. Nam amabile est, etsi vni soli: maius autem, atque divinius est, si genti, civitatibusve sit acquisitum, partimque conservetur. Hæc igitur appetit hæc doctrina, cum sit facultas quædam civilis.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECYNDI.

Esse in rebus humanis aliquem finem vltimum, ac praestantissimum, qui solus per se expetatur.
 Aliquam quoque disciplinam existere debere, quae doceat quomodo ille obtinendus sit.
 Eam vero esse Civilem, seu Politicam.



IONIAM Arist. superiori capite statuit humanarum rerum alios atque alios fine esse, quorum vnus appetatur in ordine ad alium; nunc ex professo demonstrandum attulit, vnum aliquem vltimum finem existere, supremumque omnium, qui solius sui gratia quaeratur, & ad alium nullatenus ordinetur. Dividit autem caput in duas partes. Priore illarum decernit, in rebus humanis esse vnum finem postremum, & praestantissimum, cuius cognitio sit homini admodum necessaria. Posteriore autem tradit, aliquam esse disciplinam, quae ex instituto differat de eo fine vltimo: illam vero non aliam esse, quam Civilem.

2 CIRCA Priorem partem statuit pro assertionem, in rebus humanis esse aliquem finem vltimum, qui proinde sit summum bonum. Idque probat: Quia ex traditis superiori capite constat, multos esse fines, quorum vnus propter alium expetatur, seu ametur. Ergo si aliquis inveniatur finis, qui propter alium non expetatur, sed omnes alij propter ipsum; perfectio ille erit vltimus finis. Atqui in rebus humanis inveniatur aliquis finis, qui propter alium non expetatur, sed omnes alij propter ipsum. Aliquis ergo finis est vltimus rerum omnium humanarum. Minor subsumpta, quae in toto hoc discursu probatione eget, suadet ab Arist. argumento petito ex eo loco Dialecticorum, quem Graeci ἀδύνατον, Latini impossibile dicunt. Si enim in rebus humanis non inveniatur aliquis finis, qui propter alium non expeteretur, sed potius omnes alij propter ipsum; fieret plane in infinitum abitio, seu procellus; quia nondum invento fine omnium postremo, semper restaret alius & alius quaerendus. Abitio autem, seu progressus in infinitum, plane impossibilis est: cum infinitum nunquam possit pertransiri. Ergo in rebus humanis inveniatur aliquis finis, qui propter alium non expetatur, sed ceteri propter ipsum.

3 CONFIRMAT. Quia natura nihil frustra molitur: cum omnia eius opera prudentissime ordinata sint. Ergo appetitus humanus à natura inditus, nequaquam frustraneus est. Atqui frustraneus ille enet, si procellu infinito appeteret alios subinde fines; neque vnus aliquis demum inveniatur, in cuius possessione conquiesceret, seu terminum haberet. Semper enim maneret inexplētus, & insatiatus, utpote suo praecipuo desiderio frustratus. Ergo cum hoc sit absurdum, dicendum plane est, vnum

aliquem finem esse, in cuius possessione appetitus conquiescat. Quae ipsa ratio in moralibus, siue ordinatis ex electione ad finem, eadem ferè est cum illa, quae in physicis, metaphysicisque probari solet, vnum aliquem esse primum motorem, & primam omnium causam: quia si nulum detur primum movens, ac prima causa, à quibus primo procedat motus, & omnis causalitas; dabitur procellus in infinitum, omnisque virtus creata ad movendum & causandum erit frustranea: cum neque motus, neque causalitas vna existere valeat, nisi procedat ab vno aliquo primo principio, quod per se concurrat, sitque causa ceterorum. Pariiter ergo in moralibus, siue ordinatis ex electione ad finem, nisi detur vnus aliquis, qui sit vltimus omnium, dabitur procellus in infinitum, omnisque virtus appetens erit frustranea. Non enim existere poterit actio aliqua, ad finem ordinata, nisi sit propter aliquem finem, qui sit vltimus ceterorum.

4 VBI Notanda sunt quaedam ex Interpretibus Arist. in hoc caput. PRIMVM est, pro eodem accipi summum bonum & finem vltimum: quia ex statutis cap praeced. constat, idem esse bonum ac finem. Ergo & vltimus ac supremus finis est vltimum ac supremum bonum. Quare dum statuitur aliquem esse vltimum finem rerum humanarum, consequenter decernitur, aliquid esse supremum bonum hominis, siue sumum. SECYNDVM est, hoc loci non esse sermonem de summo bono simpliciter & in omni genere, quod est solus Deus: sed solum de summo bono humano, id est, de Felicitate morali & politica, quam quisque sibi parere possit, veluti faber suae sortis: ut ex progressu Operis constabit.

5 STATVTO Itaque vno aliquo fine vltimo, eoque optimo, subdit Arist. de illo: πρὸς τὸν βίον ἐν ᾧ αὐτὸ μέγιστον ἔχει ροπήν. Ad vitam (scilicet, humanam, & rationi conformem) cognitio ipsius magnam habet momentum. Ratio autem, qua probat est: Quia vltimus finis rerum humanarum est in ordine ad actiones hominis, sicut scopus relatè ad sagittarium, vel iaculatorem. Ergo quemadmodum cognitio intenta scopi pernecessaria est iaculatori, ne frustra iaculum mittat, & erret; sic & homini necessaria est cognitio vltimi finis, ne frustra agat, & erret à scopo totius rationalis vitae. Hoc eodem exemplo sagittarij iaculatorisque in idem probandum vltus fuerat antea Plato lib. 12. de Legibus, & lib. 3. & 4. de Republ. Et praeterea lib. 6. idipsum suadet similitudine de-

sump-

sumpta à possessione rerum. Quemadmodum enim possessio quarumlibet rerum inutilis ferè est, ac nullius pretij, sine possessione ultimi finis; ita etiam & quarumlibet rerum notitia, absque ultimi finis cognitione, frustranea atque inutilis est.

6 VERVM Oecurrit hoc loci perplexa quaestio à Gallutio excitata: quid sibi velit Arist. dum decernit, aliquem esse ultimum finem humanarum actionum, quem proinde nosse, & per spectum omnino habere oporteat ad vitam instituendam. Quatuor enim modis id intelligi potest. PRIMVS est, in singulis negotijs, sive in singulis causarum generibus, aliquid esse, quod tanquam ultimum expetatur. Hoc sensu, valetudo erit ultimus finis omnium actionum à medicina procedentium, & victoria militarium, quamvis ij fines possint in aliam ulteriorem finem referri ab eo qui medetur, aut militat. Similiter & ultimus finis appellari poterit, quemcumque certâ aliquâ actione homo expetit, non referendo illum ad aliud reipia, quia non cogitat de alio; referret autem, si in mentem veniret. SECVNDVS sensus esse potest, in totâ collectione humanarum actionum esse aliquam, quae expetat finem ultimum simpliciter: id est, praepositum ceteris omnibus, & qui in nullum alium referri possit: qualis est Felicitas. TERTIVS, actiones quae ultimum sibi finem praescribunt, semper sibi praescribere verum totius humanae finem, qui est Felicitas. Hoc enim indicat Arist. dum ait ultimum finem ac summum bonum esse, quod nullius rei gratiâ quaeritur, sed solum propter se. QVARTVS est, hominem, quoties aliquid agit, debere sibi proponere finem verè ultimum; id est, ratione ac lege divina praescriptum.

7 RESP. Doctrinam Arist. iuxta ipsius mentem solum habere locum in secundo sensu: non autem in ceteris. *Non in primo:* Quoniam hoc loco decernit esse ultimum aliquem finem simpliciter, in quem ceteri omnes referantur, quique in nullum alium ordinari possit. At finis ultimus in singulis negotijs, & causarum generibus, non est ultimus simpliciter, sed solum secundum quid, & cum addito: nec ceteri omnes fines in eum referuntur: quin potius ipse in alium finem ordinari potest: ut valetudo, & victoria, in quibus exemplum assignatur. Ergo dum hoc loco decernit esse ultimum aliquem finem, non loquitur de fine ultimo in singulis negotijs, & causarum generibus. *Non in tertio sensu:* Quia quemadmodum capite praecedenti dicebatur, omnes artes, doctrinas, electiones, & actiones, expetere aliquod bonum; sermo fuit de bono communi, prout abstrahit à vero & apparente: in hoc loci, ubi de ultimo fine communi & generali disseritur, abstrahitur etiam ab ultimo fine vero apparentique, sive à Felicitate solidâ & existimatâ, de quibus tamen infra teor-

sim agitur. Nemo autem est qui Felicitatem sibi non expetat, sive existimatam, sive veram. *Non in quarto sensu:* Quia in praesenti solum decernit Arist. vnum aliquem finem esse ultimum, quem nullus praeterea sequatur: sive is sit verus, & rationi, ac legi divinae conformis; sive putatus, & consonus inordinato appetitui.

8 QVARE Restat ut doctrina Arist. in secundo sensu accipiatur: esse, scilicet, in tota collectione humanarum actionum aliquam, quae expetat finem ultimum simpliciter: id est, non ordinatum ad aliquem alium, & in quem ceteri omnes humanae vitae actionisque fines ordinantur. Is autem est Felicitas. Quam esse possibilem probat duplici ratione supra expensa. Altera, quia in appetitionibus vitandus est progressus infinitus: atque adeo deinceps assignari debet aliquis finis ultimè simpliciter, qui sanè est Felicitas hominis. Altera, quoniam appetitus Felicitatis inditus nobis à natura non est frustaneus. Ergo Felicitas possibilis est, seu obtineri potest.

9 CIRCA Secundam partem decernit cognitionem eius ultimi finis humani spectare ad doctrinam Civilem. Quod probat: Quia cognitio ultimi finis humani pertinet ad eam doctrinam, quae maxime dominatur, & habet rationem Architectonicam respectu aliarum. At doctrina Civilis est eiusmodi. Ergo ad illam spectat cognitio ultimi finis humani. Maior patet ex dictis *cap. praed.* & suadetur breviter: Quoniam cognitio nobilissimi finis pertinet ad doctrinam nobilissimam. At ultimus finis humanus est nobilissimus, & doctrina quae maxime alijs dominatur, habetque rationem Architectonicam, est omnium nobilissima. Minor autem probatur. Doctrina enim illa, quae imperat alijs disciplinis artibusque, est domina aliarum, & habet rationem Architectonicam. At doctrina Civilis est eiusmodi: quoniam ad illam spectat considerare, quamnam aliarum disciplinarum & artium sit utilis aut inutilis Reipublicae: & si quidem viderit aliquam, aut plures expedire, ijs vitur, veluti Architectonica inferioribus artibus ad praecipuum opus. Ergo doctrina Civilis maxime dominatur, habetque rationem Architectonicam respectu aliarum.

10 VBI Notanda sunt nonnulla ex observatione Interpretum. PRIMVM est, duas ab Arist. assignari condiciones, ut doctrina aliqua praestet alijs. Prior est, ut maxime dominetur: posterior, ut habeat rationem Architectonicam relatè ad alias. Divergent autem sunt ex condiciones: cum una possit esse sine alia. Potest enim quis dominari alijs, & tamen non vi eorum ministerio: ut patet in eo qui dominus ac superior est: sed tamen non vult sibi exhiberi

subditorum officia, Cæterum nemo potest habere rationem architecti, nisi inferiorum ministerio utatur, ut fossorum, cementariorum, doltorum, & eorum omnium, qui ipsius directioni, imperioque subduntur. Hoc igitur posteriori modo se habet, nec solum priori, doctrina Civilis relatè ad alias. SECUNDVM est, doctrinam Civilem diversimodè uti scientijs speculativis, & activis. Nam speculativis solum utitur imperando ut doceantur & addiscantur in civitate: non autem præscribendo ijs modum, quo procedere debeant in probandis suis assertionibus. Neque enim Civilis doctrinæ est præscribere Geometræ modum, quo probet v. g. triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; cum eiusmodi conclusio sit necessaria, & quæ aliter se habere non possit. Scientijs verò activis, & artibus propriè dictis, utitur dupliciter doctrina Civilis. Non enim solum præcipit eas doceri & addisci in civitate ob publicum bonum: sed insuper imperat eis ut hoc vel illo modo procedant, & hac vel illà materiã utantur: prout visum fuerit expedire utilitati communi. Quo sensu Civilis doctrina dicitur imperare discipline militari, equestri, rhetorica, œconomica, aliisque similibus. Quandoque autem nonnullas earum expellit è civitate, quod inutiles, aut etiam perniciosæ sint. Sic Plato in illam suam civitatem imaginariam nonnullas induxit disciplinas, quæ vitales videbantur: alias verò expulit, ut Poesim, eiusque studiosos, quoniam excitant in hominibus affectiones inordinatas, eosque effæminatos reddunt. Romani quoque, teste Tacito 1. Hist. Genethliacos expulerunt: idque postea varijs legibus vetitum fuit, tum sacris, tum & politicis. De quo vide plura à nobis observata in Laurea Theolog. Lud. 6. & recènter apud Tarquinium hoc loco.

II INFERT Arist. ex prædictis quædam veluti corollaria. PRIMVM est, Civilem doctrinam continere omnium cæterarum fines. Habitus enim imperans omnibus alijs facultatibus instar Architectonicæ, debet continere omnium illarum fines, & ordinare ad bonum aliquod excellentius. At doctrina Civilis est habitus imperans omnibus alijs facultatibus instar Architectonicæ, ut probatum est supra. Er-

go debet continere earum omnium fines, illosque ordinare ad aliquod excellentius bonum. Cum vero eiusmodi bonum sit ipsum bonum humanum, consequens est ut in hoc sit positus finis eiusdem doctrinæ. SECUNDVM est, bonum per se inspectum à doctrinâ Civili, non esse peculiare unius hominis, sed commune civitatis. Finis enim, seu bonum per se inspectum à doctrinâ Civili, debet esse bonum aliquod excellentius, ad quod cæterarum disciplinarum fines ordinantur. At bonum excellentius, ad quod cæterarum disciplinarum fines ordinantur, non est bonum peculiare unius alteriusve hominis; sed commune civitatis. Maius enim & divinius est, inquit, si genti, civitatibusve sit acquisitum, partumque conservetur, quam si unius hominis sit, & amabile ab eo solo. Ergo finis, si-ve bonum per se inspectum à doctrinâ Civili, non est bonum peculiare unius alteriusve hominis, sed commune civitatis. Quare illud est (concludit Arist. quod ipsa appetit, cum sit doctrina Civilis. Sive, ut in Græco habetur, πολιτικῆς, Politica quedam.

12 VNDE Oritur dubitatio: Quia ultimus finis humanus videtur potius spectare ad doctrinam Ethicam, si-ve Moralem, quàm ad Politicam. At bonum commune civitatis est ultimus finis humanus. Ergo videtur potius spectare ad doctrinam Ethicam, quàm ad Politicam. Quomodo ergo Arist. in fine capituli docet, id ad Politicam spectare? RESP. Ultimam finem humanum spectare tam ad doctrinam Ethicam, quàm ad Politicam: diversimodè tamen. nam ad Ethicam spectat, prout est bonum huius & illius hominis in singulari: ad Politicam verò pertinet prout se extendit in communi ad civitatem. Propterea enim dicitur Politicam, seu Civilem: quia intenta est bono civitatis, quod est commune civium. Potest etiam Ethica ipsa denominari Civilis, ut notat Acciaiolus: quia bonum peculiare uniuscuiusque, quod quæritur Ethica, ordinatur ad bonum commune Civitatis, inspectum à doctrinâ Civili.

VIDE D. Thom. 1 2. q. 1. & 8.

eiusque Interpretes

Ibidem.

(*)

(?)



ETHICA LIB. III. DE VIRTUTIBUS
9
CAPVT TERTIVM.

De modo procedendi, & auditore morali.

DICETVR autem satis, si declarabitur perinde, atque subiecta materia postulat. Ipsum enim exactum, non est in omnibus simili modo rationibus flagitandum, sicut nec in hisce, quæ per artem conficiuntur. Honesta autem, & iusta, de quibus civilis considerat, tantam differentiam, erroremque habent, vt lege tantum esse videantur, & non natura. Talem etiam quendam errorem habent & ipsa bona, quia compluribus ex ipsis accidunt detrimenta. Iam enim quidam ob divitias, quidam ob fortitudinem periere. Amabile igitur de talibus, atque ex talibus dicentes, pingui Minerva, figuraque verum ipsum ostendere, & de ijs, quæ sunt plerunque, atque ex talibus dicentes, talia & concludere. Eodem modo & vnumquemque auditorem ea, quæ dicuntur, acceptare oportet. Est enim eruditi, exactum ipsum eatenus in vnoquoque genere flagitare, quatenus fert ipsius rei natura. Simile namque videtur esse, Mathematicum suadentem probare, & ab Oratore demonstrationes exigere. Atqui bene quisque iudicat ea, quæ cognoscit, & ipsorum bonus est iudex. Is ergo in vnaquaque re bene iudicat, qui in illa est eruditus, absolutè autem, qui est in omnibus eruditus. Quapropter iuuenis, civilis disciplinæ non est idoneus auditor. Est enim rudis actuum vitæ. Ex his autem, & de his ipsæ rationes efficiuntur. Præterea, cum perturbationes sequatur, incassum, & sine fructu audiet: quippe cum finis non cognitio sit, sed actio. Interest autem nihil, iuuenis sit ætate, an moribus iuveni similis. Non enim defectus est ob tempus: sed quia vivit, & persequitur singula cum perturbatione, talibus enim inuulis sit ipsa cognitio perinde atque incontinentibus ipsis. Ijs autem, qui suas rationi subijciunt appetitiones, cum rationeque agunt, magnam afferre potest vtilitatem. De auditore igitur, & quoniam modo rationes sunt acceptandæ, quidque proponimus, tot exordij loco dicta sint.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Tradenda Morali Disciplina non congruere modum demonstratiuum, seu methodum exactam, propter varietatem & inconstantiam rerum humanarum. Quisnam sit idoneus Ethicæ auditor? cuius ætatis, ac genij esse debeat?



SCOPVS Arist. in hoc capite est ostendere, certam quædam procedendi viam, docendique & discendi rationem, & exigi in

Philosophia Morali. Præmisserat enim capite superiore, considerandum esse, cuius scientie sit auertere de summo bono, seu qualiter procedat scientia, quæ versatur circa illud: & præterea in quo

quo eiusmodi bonum collocatū sit. Nunc priorē questionis partem expedit, dividitque caput in duas partes. In primā præscribit modum rationemque congruentem doctōri ad tradendum scientiam hanc, & auditori ad eam addiscendam, circa summum hominis bonum. In secunda ostendit quis aptus, aut ineptus, minusve idoneus doctrinæ Ethicæ auditor existimandus sit.

2 CIRCA Priorē partem decernit, tradendæ doctrinæ Moralis, addiscendæque, non esse aptum modum demonstrativum. Probat penē sic. Vnicuique doctrinæ tradendæ is modus conveniens est, qui congruit materiæ, in quâ illa versatur. Atqui materiæ, in quâ doctrina Moralis versatur, non congruit modus demonstrativus. Ergo doctrinæ Morali tradendæ non est conveniens modus demonstrativus. Maiorē probat: Quia modus tradendæ veritatis in qualibet doctrina similis debet esse modo, quo virtutis variopifices in agendo. Modus vero opificum in agendo est solus ille, qui congruit materiæ, in quâ versantur. Alius enim modus agendi est pictorum, qui coloribus vivunt: alius fictorum, qui ceram aut lutum tractant: alius confectorum, qui metalla varia colliquefaciunt: alius denique eorum, qui statuas faciunt; & ut quidam cecinit, *vivos ducunt è marmore vultus*. Vnicuique igitur doctrinæ tradendæ is modus consentaneus est, qui congruit materiæ, in quâ illa versatur.

3 MINOR Verò præcipui syllogismi suadetur ab Arist. Quia nulli materiæ omnino mutabili, & incertæ congruit modus demonstrativus docendi: quoniam hic solū est circa res omnino certas & immutabiles. At materia, in quâ versatur doctrina Moralis, est omnino mutabilis & incerta. Ergo materiæ, in quâ versatur doctrina Moralis, non congruit modus docendi demonstrativus. Porro eam prius mutabilem & incertam esse (quod solum restat probandum) demonstrat: Quia doctrina Moralis sita est, velut in materia propriâ, in actionibus humanis præcipue; & deinde in rebus externis. Vtraque autem materia valde mutabilis & incerta est.

4 PRIMO Enim actiones humanæ passim obnoxie sunt errori, inconstantie, incertitudini, & mutationi. Quædam vno tempore, loco, aut modo, iustæ sunt: alio autem iniustæ. Quædam apud nonnullas nationes existimantur honestæ: apud alias turpes. Quædam in personis certi alicuius status, conditionisve, laudantur: in alijs viruperantur. Denique ea actionum humanarum varietas & æstimatio est in ordine ad mores, ut teste Arist. alijsque, nonnulli crediderint, quamvis falso, & turpi quodam errore, nihil honestum esse aut turpe ex naturâ rei, quæ nunquam mutatur: sed tantum ex decreto, aut lege, quæ mutabilis est, & va-

rietatem subit pro diversitate temporum, locorum, & personarum. Ignis enim apud nos virtus sicuti apud Persas, & alias nationes: quoniam naturâ suâ id habet. Quæ verò ad mores spectant, aliter apud illos, aliter apud alios, aliter apud nos iudicantur. Persæ enim (quod mirari quis possit in nobilissimo eorum Imperio) filiarum coniunctione matrimonioque vivebantur, putantes id honestum esse: verum id apud Græcos, Romanosque, horribile ac turpissimū existimatum fuit. Massagetae communes vtro citroque uxores habuerunt, connubia vaga, & incertam prolem: cæteræ verò nationes id execratæ sunt. Esculentorum furta apud Sparranos honesta & ingenua censebantur: quæ tamen apud cæteros vilia, & sordida. Athenis cum ob aliquam seditionem divideretur populus in varias partes, qui neutram sequebatur, peccabat in legem Solonis. Contra apud Romanos, extremi supplicij reus erat, quisquis alteri factionum se adiungebat. Denique saltare, & choros ducere ad citharam Græcis decorum fuit: Romanis verò turpe, & ignobile.

5 EA, Inquam, actionum humanarum varietas penes imputationem, in causa fuit, ut quidam putaverint nihil naturâ suâ iustum, iniustumve esse: sed solâ lege præcipiente, aut prohibente. Quem errorem primus tradidisse videtur Archelaus Physicus, Socratis Magister, qui, teste Diogene Laertio, nihil naturâ iustum docuit; sed solâ opinione hominum. Id etiam postea tradidit Epicurus, quem refellit Cicero *lib. I. de Legibus*, quod leges & iussa Principum populorumque, non possint naturæ iura mutare, nec præcipere aliquid rationi contrarium. Verum quamvis error prædictus adipalis sit, non parum confert ad demonstrandum, quanta sit humanarum actionum varietas, & incertitudo, quantum ad mores: cum aliter atque aliter apud diversas nationes feratur de ijs iudicium; & quidam arbitrati sint, nulli illarum annexam esse honestatem, aut turpitudinem.

6 SECUNDO, Res externæ, seu bonæ corporis & fortunæ, de quibus agit Philosophus Moralis, mutabiles etiam & incertæ sunt, ut propterea non sit de ijs diiudicandum ratione exactâ, ac modo demonstrativo. Porro exemplum ab Arist. offertur hoc loco generatim in ijs bonis, quoniam aliquibus in malum versa sunt, detrimentumque attulerunt. Deinde & in singulari id ipsum pronunciat de divitijs, & fortitudine, propter quæ duo aliqui perierunt. Fortitudine, inquam: non tamen illa, quæ Virtus moralis est, & solidum bonum: sed ea solam, quæ in robore corporum, & laterum firmitate sita est. Vox enim Græca *ἀρδία*, quæ virtus hic Arist. quamvis indifferens sit ad eam quæ Virtus moralis, & eam quæ robusta habitudo corporis est, in præsentatum accipitur hoc posteriori sensu, non in priori: & fortitudo corporis

Latine vertitur à Lambino; ab alijs vero, ut Eustratio, Turnebo, Gallutio, & Argyropilo, qui mihi modo ob oculos sunt, fortitudo solum; sed quantum ex ijs conijcitur, accepta pro illa, quae solius corporis est. quidquid contra opinetur Obertus Giphanius, nolens unquam *ἀρδία* sumi pro firmitudine corporis, quae *ἰσχυρὸς* proprie dicitur. Verum refellitur: Quoniam de illa firmitudine agit Arist. quam asserit detrimento quibusdam fuisse, & causam mortis; non utique gloriosae, sed infelicis. Id enim denotat vox illa Arist. *ἀπωλοντο, perierunt*: & exempla ipsa, quae subobscurè indicat, praesertim Milonis, de quo infra. Atqui firmitudo, seu *ἀρδία* accepta pro Virtute morali nunquam detrimento fuit alicui, neque ob eam aliqui infeliciter perierunt. Ergo firmitudo, seu *ἀρδία*, non accipitur ab Arist. pro Virtute morali. Restat igitur ut ab eo sumatur pro sola fortitudine corporis. Haec enim, quamvis minus proprie, aut translate, nonnumquam fortitudo audit: ut est apud Ciceronem lib. 1. de Officijs: ubi inquit: *In feris adesse fortitudinem saepe dicimus, ut in leonibus: iustitiam, bonitatem, aequitatem, non dicimus.* Patet autem in brutis fortitudinem non accipi pro ea, quae est Virtus moralis.

7 VERVM Exempla ipsa ab Aristot. adducta, tum generatim, tum & specie, oportet in singulari exponere. Fortitudo, seu firmitas corporis, detrimento fuit quibusdam, & miseræ morti. In quo videtur Arist. duo exempla indicare. Alterum est, Androgei filij Minois, Cretae Regis: qui, cum esset admodum lacertosus & robustus, proptereaque perpetuam victoriam referret ex Atheniensibus, & Megarensibus, tantam sui concitavit invidiam, ut ab ijs per insidias occideretur. Alterum, adhuc celebrius, est Milonis Crotoniatis, cui immanes & prodigiosae corporis vires, temeritatem primum, deinde & mortem miseram pepererunt. Tam robustus enim fuit, ut dicatur occidisse taurum in Olympico certamine, solo ictu nudae atque exarmatae dexterae; & absque defatigatione portasse supra humeros per stadij spatium, totumque comedisse eam ipsa die. Verum quam mortem ipsi pepererit temeritas ex tantis viribus orta, testatur Gellius lib. 15. cap. 16. per haec verba: Milo Crotoniensis, athleta illustris, quem in Chronicis scriptum est, Olympiade primam coronatum esse; exitum habuit vitae miserandum. Cum iam natu grandis atque athleticam desisset, iterque faceret forte solus in locis Italiae sylvestribus, quercum vidit proximè viam, patulis in mediâ parte ramis hincem. Tunc expectari, credo, etiam tum volens, an vlla tibi reliquae vires aderent; immisisis in cavernas arborum digitis, diducere ac rescindere quercum conatus est: ac mediam quidem partem discidit, divellitque. Quercus autem in duas diducta partes, cum

ille (quasi perfectio quod erat connixus) manus laxasset, cessante vi redijt in naturam: manibusque eius retentis inclusisque, stricta denuo & cohaesa, dilacerandum hominem feris praebuit. Haecenas Gellius. Eundem Milonis casum respexit Naso, execratione illa in Ibis:

*Utque Milo robur diducere fissile tentes,
Nec possis captas inde referre manus.*

8 Idemque indicat Iuvenalis Sat. 10. dum ait:

*————— viribus ille
Confusus perijt admirandisque lacertis.*

Nimirum confidentia nimia, seu temeritas ex ingenti corporis robore generari solet, quae Miloni, & alijs pluribus, detrimento, & interitui fuit.

9 ALTERVM Exemplum, quo vititur, in divitijs est. Quippe constat quotidianis pene experimentis, earum occasione plures subire detrimento valetudinis, & ipsius vitae: tum quoniam anam praestant ad nimias epulas, & ventris ingluviem, quae eximiales morbos excitat: tum etiam, quia saepe haeredes ac filios movent, ut earum possei vitam auferant, spe adquirendi. Quod idem de honoribus & dignitatibus saepe accidit, & probat ius tot Romanorum Caesarum misera mors a finito Imperio Augusti vique ad Constantinum, plerumque illata ex ambitione, aut desiderio regnandi aliorum. Vnde illud praesallegati Iuvenalis, non Ethnico Poeta, sed Christiano Philosopho dignum:

*————— qui primis optabat honores,
Et nimias poscebat opes, numerosa parabat
Excelsae turris tabulata: unde altior esset
Casus, & impulse praecipit immane ruina.
Quid Crassus, quid Pompeius evertit, & illi,
Ad sua qui domitos deduxit flagra Quirites?
Summus nampe locus, nulla non ars petitus,
Magnaque Numinibus vota exaudita magnis.
Ab generum Cereris sine caede & vulvere,
pauci.
Descendant Reges, & sicca morte Tyranni.*

10 PORRO Ex praedictis, & pluribus similibus, quae advocari huc facile possunt, constat bona corporis & fortunae, incerta proptus ac mutabilia esse: quaeque varium exitum habeant, & quibusdam sint in occasionem felicitatis, quibusdam detrimenti atque extremae miseriae. Igitur nihil certi de ijs in genere definiti, aut demonstrari potest, circa mores, ut proficua, aut nociva alienantur. Ergo Philosophus Moralis nequit dillerere de ijs modo demonstrativo: sed solum populari, & probabiliter, ut inquit Aristot. *ἀρχαίως, καὶ τυγχόντως*, id est, *crasè & in figura*. Quibus tacite refellere videtur Platonem, ut notat Giphanius: quoniam ar-

arbitratus est, etiam in Politicâ tradendâ, utendum esse demonstrationibus exactis, quemadmodum in theoreticis disciplinis. Satis itaque est in Ethicâ & Politicâ tradendâ servare modum materiae incertae ac mutabili, de quâ differunt, congruentem, ex ijs quae plerumque sunt. Neque eruditus vir, auditorve, aliam in docendo subtilitatem quaerere debet, quam rerum materia patiatur. Et, ut idem Arist. monet, non minus peccaret, qui demonstrationes exigeret à Politico aut Morali Philosopho, quam qui ab Oratore eas peteret, aut qui à Mathematico rationes probabiles. Quippe Mathematici solum est demonstrare: Oratoris autem rationibus probabilibus ad persuadendum uti.

11 CIRCA Secundam partem describit qualitates necessarias, ut quis sit auditor idoneus Ethicâ disciplinae: ac primo excludit iuvenem, quoniam non potest de rebus morum ferre prudens iudicium. Quod probat: Quia nemo potest ferre prudens iudicium de ijs, quae non satis novit, nec probe intellexit. At iuvenis res morum satis non novit, nec probe intelligit. Iuvenis ergo de rebus morum non potest ferre iudicium prudens. Minor, sive a sumptio, quae sola eget probatione, suadet: Res enim morum, quoniam sub actionem humanam cadunt, satis nosci, aut probe intelligi non possunt, sine multiplici ac diuturno experimento. Non enim generalibus quibusdam & firmis principijs nituntur, ut ante dictum est; sed variae, ac mutabiles sunt, & aliae atque aliae in singulari: ideoque exacta illarum notitia semel ac subito haberi non potest; sed lentiori gradu, & diuturnâ observatione. At iuvenis nequit habere multiplex rerum experimentum, & diuturnam observationem, ut patet. Non ergo satis noscere potest, aut probe intelligere res morum. Aliiter poterit accidere in Mathematicis disciplinis: tum quia universalibus nituntur principijs & infallibilibus, quae brevius addisci possunt, praesertim ministerio phantasiae, quae in pueris accerrima & potentissima est. Ideoque olim prius Mathematicarum, praesertim Geometriae notitia imbuebantur, priusquam Philosophiam addicerent: & propterea in Academia Platoni praeforibus scriptum fuisse dicitur: *μηδεις ἀγεωμέτρως ἐπίστω* Nemo, nisi Geometria, ingreditur.

12 ALTERA Arist. ratio in idem probandum desumitur ab affectibus animi turbidis & impuris, quibus iuvenes plerumque agitari & rapi solent. Hinc enim oritur, ut frustra Philosophiam Moralem addiscant, quoniam licet aliquam notitiam eius assequantur, inutilis fere erit: si quidem Ethica non tam curat de instituendo intellectu ad cognitionem, quam de excitanda voluntate ad honestas operationes. Unde & ratio sic efformari potest. Quisquis male dispositus est ad finem doctrinae Moralis con-

sequendum, non est idoneus eius auditor: At iuvenes plerumque sunt male dispositi ad finem doctrinae Moralis consequendum. Finis enim praecipuus illius est rectitudo morum, ad quam male dispositi sunt plerumque iuvenes, propter affectiones turbidas & impuras, quibus ducuntur. Ergo iuvenes plerumque non sunt idonei auditores doctrinae Moralis.

13 SED Nec iuvenes solos excludit Arist. ab aula Moralis disciplinae, quin & maiores natu, atque aetatis protractae, si instar iuvenum impotenter rapiantur voluptatibus & affectionibus. In ijs enim urget eadem ratio, quae modo circa iuvenes expensa fuit: neque ab ijs differunt satis sola aetate, nisi & moribus distindeant, quibus idoneos se praebent ad doctrinam morum addiscendam, simul & exequendam. Quippe & nonnulli, etiam in aetate devexa sunt, quibus adaptari possit illud, quod de iuvenibus idem Arist. notat lib. 2. Rhetoric. cap. 12. dum ait: *οἱ μὲν οὐρ ἦσιν, &c.* Ac iuvenes, quidem moribus tuat cupidi, & parati ad ea, efficienda, quae concupierint: & ex cupiditatibus, quae circa corpus versantur, maxime eius sectatores sunt, quae circa res venerabiles est; & incontinentes ipsius, & in horas mutabiles, & fallidiosi in cupiditatibus. Et illud etiam Horatij in Arte Poet.

*Cereus in vitium flecti, monitoribus asper,
Utilium tardus provisor, prodigus auis,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere
peruix.*

14 NEC Mirum si incontinentes, quamvis protracti aetate, aut etiam senes, ab Arist. arceantur ab aula Ethicae Philosophiae, sicut iuvenes: quoniam & ij iuvenes censeri possunt. Cuius rei elegans est sententia illa Philonis lib. de Abrahamo, loquentis: Revera senior, non ex longitudine temporis, sed ex laudata vita spectatur: quidem qui multum aetatis in corpore vixerunt sine probitate, LONGAEVI PVERI DICENDI SUNT. Et Ambrosius lib. 2. de Abrahamo, cap. 9. ad illa verba Geneseos 15. v. 15. Tu autem ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona, quae Abrahamo dicta sunt; ita loquitur: Non dixit in senectute LONGA, sed BONA: quia iustus bene senescit: iniustorum autem nemo, quamvis cornicibus vivacibus diuturniore vita vivat. Quo etiam spectat illud cuiusdam Veterum Graecorum distichon:

*Αἰσολογαὶ οὐν νῦν γρηγορώτεροι· αἱ γὰρ ἀτιμῶν
Μάλλον τὴν πολλὴν ὀνειδισιν ὀφείδονται.
Canicam prudentia honoratior est. qui autem
sine prudentia
Potius multorum sunt dedecus annorum.*

1 VERVM Quemadmodum senes, si iuvenes moribus sint, à sacratio Ethicae repel-

Iunior; ita & iuvenes; si fortè maturi & senes moribus existant, ad illius studium admittuntur. Non enim quoscumque iuvenes excludit Arist. sed tantum & nominatim τὸ ἄβελος, & ἄπειρος, moribus iuniores: id est, turbidos, & perulantes, lascivientesque. Quamvis enim plerumque accidat, ut iuvenilis ætas in vitijs & passionum licentiâ effræni posita sit; adhuc interdum evenit, & non rarò fieri potest, ut honestissimè ducatur. Cuius rei obvia sunt exempla in sacris & profanis historijs, quæ commemorare longum esset. Quicumque verò cœlestem genium nacti, & honestam indolem, in florenti ætate similem animum gestant; ij longè aptiores sunt, quàm viri, aut senes incontinentes ad Ethicam doctrinam addiscendam, sicut & exequendam: quoniam licet immatura ætas, & brevitæ vite antea, non dederit sufficiens experimentum, & observationem rerum diversarum, qualis exigitur ad perfectam Prudentiam; adhuc tamen docilitas animi, nullis perturbationibus agitati, idoneos reddit ad discendum à Magistro, quod vñ nondum, experientiaque didicerunt; simul & paratos ad rectitudinem operationis, quæ Philosophiæ Ethicæ potissimum cura est. Contra verò senes moribus virentes & immaturi, licet diuturno vñ potuerint plura observare & experiri, non ideo Prudentiam nacti sunt, quæ sine cæteris Virtutibus nunquam est. Quin & pravorum habituum densa caligine obtenebrati, vix possunt mentis oculos dirigere in honestatem morum, quam Ethica disciplina docet.

2 DENIQUE Incontinentes omnes (quos Giphanius *impotentes* dicendos vult, quasi *incontinentis* vox barbara sit; cum tamen apud Ciceronem inveniatur pro eo quod est Græcè ἀπειρος) excluduntur ab Arist. veluti inepti auditores Ethicæ: quoniam eius studium, & finis, non est situm in contemplatione, quam utcumque assequi possent: sed in actione, vñque Virtutum. Quemadmodum enim nummi, non tam inventi sunt ut numerentur, quàm ut deseruiant vitæ humanæ in commercijs & necessitatibus: sic doctrina Moralis non traditur, ut solum cognoscantur illius præcepta & documenta; sed ut opere & vñ ipso exerceantur. à quo sine quàm nimium distant incontinentes omnes. Nimirum, Ethicæ studiolum debet esse longè magis vitæ Philosophi, quàm doctrinæ. Quam in rem notanda est Imperatorum Diocletiani, & Maximiniani sententia l. *profectio*, Cod. de *maneribus patrum*. contra Philosophum quendam onera patrimonij dep. eca. nem. Sic enim illum reprehendant: *Profectio & desiderium tuum, inter se discrepant. Nam cum Philosophum te esse proponas, vinceris avaritia, & rapacitate. & onera quæ tuo patrimonio immanè iunguntur, solus recusare poteris. quod frustra te succere, cæterorum exemplo poteris edoceri.*

3 EODEM Fere modo quidam noraverunt nostrum Senecam, quasi Philosophus esset doctrinæ, non tamen divitiarum contemptor. Sed immeritò tamen, si habenda sit fides eruditissimo Lipsio in *Admiradis*, cap. 15. At enim solam possedisse septuagies quinquies centena millia: quæ summa, iuxta Aldum Manutium, & Tarquinium, dumtaxat reddit nostrorum aureorum ducenta millia & viginti quinque. Sed quid hoc eo tempore, & in primario viro, atque ipsius Imperatoris magistro? Frugalitas, aut parsimonia æstimabitur, si conferatur cum censu longè maiore aliorum eius ævi, etiam libertorum, & abiecta fortis. Etenim de Pallanti liberto testatur Tacitus, Sestertij sex millies possessorem fuisse: id est, possedisse octodecim miliones, ut dicimus, nummorum aureorum, iuxta eiusdem Manutij supputationem. Quæ Nero Imperator ira Senecam alloquitur apud eundem Tacitum lib. 14. *Annal. Quæ à me habes, hortii, & fœnus, & v. l. e. casibus innoxia sunt, at licet multa videantur, peritque huiusquam artibus tuis pares, plura tenent. Pudet referre libertinos, qui etiam ditiores spectantur. Unde etiam rubori mihi est quod præcipuus charitate non dum omnes fortuna antecellit.* Quibus Nero testari videtur, se parcum fuisse in donando, & Senecam modestum in recipiendo.

4 QVOD Si verò postea fortè ampliores divitias habuit, id sane fuit donandi dem Cesaris, non dantis solum, sed conpellentis invitum ad recipiendum: ut est apud allegatum Tacitum lib. 13. *Annal.* Ceterum quantumcumque fuerint, ipse non semel testatur, omnes eas viluisse sibi, & contemptas animo fuisse, quasi nihil euent, quod sane si verum, dignum Philosopho. Verum autem fuisse, inter alia probat, quod nunquam divitijs ad pompam, imperantiamve vitæ sit, vñque adeo, ut idem Tacitus lib. 15. *Annal.* testatur, simplici cum victu, atque agrestibus pomis, ac, si sitis admoneret, aqua profluente vitam tolerasse. Ipse quoque sic de suo quotidiano victu loquitur, non quidem Epistola 84. ubi allegari solet, sed 83. per hæc verba frugalitatis plena: Non multum mihi ad balneum superest. Panis deinde siccus (id est, sine oblatio, ut Lipsius ibid. interpretatur) & hinc menta prandium; post quod non stant lavandæ manus. Docuito minimum. Conscientiam meam noxi. Brevissimo somno utitur, & quasi inervigilo. Satis est mihi, vigilare desine. Nunquid dormit, se se totum aliquando suspicor. Epist. 109. Inde in balneo vitam viginti o. annorum; quoniam optimus odor in corpore est, vñ us. In de vñb. caret bonis, vñ. Inde tu omnem vitam balneum fugimus. Et paulo ante præmiserat: Ostreis holerisque in omnem vitam renunciatum est. Hæc enim non tibi, sed oblectamen-

5, menta sunt, ad edendum saturos cogentia. Mitto plura alia, ex quibus facile intelligi possunt, Senecam immerito à quibusdam notari, veluti fucatum Philosophum, & qui Ethicam tradiderit doctrinam, non vitam. Hæc autem ideo adduximus, quoniam qui intemperanter vivunt, &

impotenter animi perturbationibus abripiuntur, quamvis aliquam doctrinam Moralem potius assequi possint; non tamen apti sunt ad eam serio addiscendam: quia, ut inquit hoc loco Arist. potius in opere, & exercitio Virtutum, quam in contemplatione sita est.

CAPUT QVARTVM.

De summo bono, & recta auditoris educatione.

SED Nunc repetentes dicamus, cum omnis cognitio, atque electio bonum quoddam affectet, quidnam sit id, quod civilem appetere dicimus facultatem, & quid id, quod omnium rerum agendarum supremum est bonum. Nomine igitur omnes ferè de ipso consentiunt. Nam & vulgus, & elegantes felicitatem inquirunt esse: atque bene vivere, beneque agere, & felicem esse, eadem esse putant. De felicitate autem quænam sit, dissentiunt, & non similiter vulgus, ac sapientes eam assignant. Quidam enim vnum quid eorum, quæ clara, manifesta que sunt, ipsam esse putant: ut voluntatem, aut divitias, aut honorem. Quidam aliquid aliud. Per sæpe etiam vnus idemque diversum. Nam cum ægrotat, sanitatem: cum pauper est, divitias. Ignorantiam verò conscientiam suam, eos admirantur, qui magnum aliquid, & ultra vires ipsorum dicunt. Quidam autem præter hæc plura bona, aliud quoddam per se esse putabant, quod quidem & his vniversis, ut sint bona, censuere causam esse. Omnes igitur opiniones scrutari, supervacaneum est fortasse. Satis autem erit, si eas scrutabimur, quæ maximè extant, aut rationem aliquam habere videntur. At enim ne lateat nos, eas inter sese rationes differre, quæ à principiis proficiscuntur, & quæ ad principia pergunt. Rectè enim & Plato dubitabat, atque quærebat, vtrum à principiis, an ad principia sit ipsa via: ut in stadio, ad calcem ex ijsce, quæ præmia ponunt, an contra? Enimverò semper est à notis incipiendum. Hæc autem duobus modis talia sunt. Alia nanque sunt nobis, alia simpliciter nota. Nobis igitur fortitan ex ijs incipiendum est, quæ nobis sunt nota. Quo circa bene institutum moribus eum esse oportet, qui de honestis, & iustis, & omni civilisatione est sufficienter auditurus.

EST Enim principium ex se. Atque si hoc satis constet, non opus erit ipso, cur, & quam ob causam est. Talis autem, aut habet principia, aut accipere facile potest. Cui verò neutrum horum inest, is Hesiodi sententiam audiat hisce carminibus explicatam.

Opti-

*Optimus ille quidem est, ex sese qui omnia novit:
Præceptis, quæ post, & semper sunt meliora.
Is rursus bonus est, parer qui recta monenti:
At qui ex se nescit, cuiquam nec porrigit aures,
Ut bona percipiat, demens, & inutilis ille est.*

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Felicitatem esse ultimum finem hominis, & quomodo illa vestiganda sit. Porro auditorem Ethicæ parantis viam ad felicitatem, debere esse probe institutum ab ipsa pueritia.



VCVSQVE Arist. videtur præloquutus solum, seu in Operis præmio versatus. Iam nunc ad rem ipsam accedit, & docet, Felicitatem esse ultimum hominis finem: eiusque investigationem à notioribus aggrediendam: auditorem verò huius doctrinæ debere esse rectè institutum. Dividit autem hoc caput in tres partes. In primâ tentat viam ad inquisitionem summi boni, iam definiti, atque huic doctrinæ præpositi, ex varijs Philosophorum placitis. In secunda differit, quænam sit aptior methodus, ratioque vestigandi summi boni. In tertiâ denique monet, rectè à puero instituti oportere auditorem idoneum Ethicæ disciplinæ.

2 CIRCA Primam partem, per ἀνακεφαλαίωσιν καὶ ἀναλήψιν, id est, recapitulationem & resumptionem, breviter repetit, quoad fusiùs antea docuerat, appetitionem boni omnibus rebus à natura institam esse. Quare nunc inquirendum, quodnam sit illud bonum, quod appetit doctrina Civilis; & quid omnium rerum agendarum sit supremum bonum. Quæ disputatio non est de nomine, sed de re. Omnes enim in nomine conveniunt, & docti, & indocti, dum summum hominis bonum appellant Felicitatem. Omnes etiam in eo contentiunt, quòd idem sit, bene vivere, bene agere, & felicem esse. At quænam sit Felicitas, seu in quo bono consistat, dissidium grave est inter vulgus, & sapientes. Quidam enim vnum aliquid eorum esse putant, quæ clara, manifesta que sunt, & ad sensum patent: ut voluptatem, aut divitias, au honorem: quidam aliquid aliud: sepe etiam vñus idemque diversum. nam cum ægrotat, arbitratur felicitatem in bona valetudine sitam esse: cum pauper est, in divitijs: cum ignorantis suæ conscius est, in sapientia, qua emicere putat eos, à quibus mira aliqua & magna audit, veluti ipsius capum superantia. Quidam autem Felicitatem in compluribus alijs bonis collocant: quidam in aliquo, quod per se existat, & sit ceterorum bonorum causa. Tot itaque opiniones sunt, ut eas seorsim scrutari, existi-

met supervacaneum. Satis itaque esse scrutari illas, quæ maxime extant, aut rationem aliquam habere videntur. Et hæc ferè ad litteram habet Arist. in prima capitis parte.

3 NEC Mirum censeat inutile aut frustraneum examen omnium opinionum circa id, in quo sita est Felicitas, sive summum hominis bonum; cum ea fuerint propemodum innumerabiles, & ex ijs Varro recenseat ducentas octoginta quatuor: ut testatur. S. Augustin. lib. 19. de Civitat. cap. 1. vbi tamen addit, eas omnes posse ad duodecim præcipuas revocari posse. S. Ambrosius lib. 2. offic. cap. 3. eas ad minorem numerum contrahit. Lactantius lib. 3. divin. Institut. cap. 7. decem solas, veluti capitales refert. De quibus omnibus alibi in Disputationibus Ethicis. Arist. in præsentem non cogit eas ad certum numerum, sed distinguit primum inter opinionem sapientum, & indoctorum: deinde eas subdividit, secundum quod alij in vno bonorum genere, alij in diversis Felicitatem constituebant. Non vult autem omnes illas seorsim examinare, quòd sit inutilis & prolixus labor: sed illas tantum, quæ verosimiles apparent, aut aliquali ratione nituntur.

4 CIRCA Secundam partem vestigat, quænam sit methodus aptior inquirendæ naturæ summi boni, seu Felicitatis. Vbi plura à se vberius tradita in Analyticis præstringit: & exinde tradit, rationem vestigandi in qualibet disciplinâ veritatē esse in duplici differentia: alteram à principijs ad effecta: alteram ab effectis ad principia. Prior a Platone, Proclo, & Galeno *Synthetis* dicuntur: ab Arist. τὸ ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, propter quid, à Scholasticis, a priori. Posterior ab eisdem Platone, Proclo, & Galeno, *ana ysis* nominatur: ab Arist. τὸ ἀπὸ τῶν ἐπιπέδων, quod: à Scholasticis autem, à posteriori. Eam verò duplicem methodum esse inquirendi veritatem, probat Arist. similitudine desumpta à cursoribus, in stadio, quod dicebatur *ἀγῶνας*. Cursum in eo erat reciprocus, ab initio stadij usque ad metam percurrere spatium totum, & deinde à metâ usque ad initium. Intusque & præmia proponantur cursoribus, non in extremo stadij, sed

initio, à munerarijs, seu ludorum Praefectis ibi sedentibus, quos Graeci Agonothetas, seu Athloretas, seu *βραβευτὰς* appellabant. Ad hunc itaque modum inquit Arist. duplicem esse rationem veritatis indaganda: sicut in stadio duplex erat certus ille reflexus ab initio stadij ubi munerarij sedebant, usque ad metam, & à meta usque ad initium. Quod & confirmat auctoritate Platonis: qui dubitavit uter modus procedendi melior eiet, an à principijs ad affectum, an contra.

5 VERVM Huic dubitationi Platonis responderet Arist. in omnibus doctrinis initium fieri debere à notioribus. Ceterum notiora esse in duplici genere: alia in ordine ad cognitionem nostram, alia autem simpliciter, sive in seipsis. Priora videtur ea, quae sub sensum cadunt, quoniam corporata sunt: posteriora autem, quae ab intellectu comprehenduntur, quoniam simplicia ac per se intelligibilia sunt. Quae distinctione praemissa decernit, initium cuiuslibet doctrinae fieri debere ab ijs, quae notiora sunt, non quidem simpliciter, & in seipsis, sed in ordine ad cognitionem nostram: quoniam attentio naturali certu ac proceuu intellectus nostri, facilius capiuntur posteriora haec, & gradum faciunt ad priora illa capienda. Quod si vero accidat, ut eadem & notiora fiat quo ad nos, & in seipsis, ab ijs incipiendum est. Et ita fieri debet in Mathematicis disciplinis, quatum principia utroque modo notiora sunt, quam effecta. Verum cum e contra accidat in Politicâ ac Morali doctrinâ, quarum conclusiones, sive effecta, notiora sunt nobis, quam principia; recta exigit ratio ut in ijs ducatur initium ab effectis, seu conclusionibus; indeque ad principia deveniatur.

6 CIRCA Tertiam partem docet, quod superiori capite tradiderat, debere esse optimè institutum à puero, & honestis operationibus assuetum, quicumque idoneus huius doctrinae auditor futurus sit: ut pote quem oporteat navare operam suam in rebus honestis, iustisque. Ratio autem oritur ex ijs, quae paulò ante constituta sunt. Cum enim initium aditendi disciplinam hanc non debeat fieri à principijs ad effecta, sed ab effectis ad principia; nimirum, ab actionibus honestis, quae sunt nobis notiores, ad Virtutes ipsas, quae sunt earum principia; consequens est, ut iisdem actionibus debeat esse assuetus, qui earum bonitatem, & oppositionem cum pravis operationibus discere incipit. Neque enim facile crederet v.g. aliquis, iram patientia sedari, nisi qui id aut fuerit expectatus.

7 ITAQUE Ab expositione honestarum operationum exordium debet iua documenta Philosophus Moralis, & praecepta disciplinae, quae auditoribus ingenerent. Neque alia exactè demonstrandi via utendum est: cum in hac ma-

teria, propter varietatem & inconstantiâ suâ, satis sit, discipulos tenere *το ὅτι, quod est*; sive rem ita se habere. Hoc enim cognitio, ut rectè & honeste vitam instituant, non est ijs opus scire *διότι, propter quid*, seu cur ita res se habeat. Quippe in hac doctrina, quae ad sanandos animi mores inventa est, idem fere accidit, ac in medicinâ sanandis corporibus institutâ. Ut enim quis alicui morbo medeatur, sufficit scire tale medicamentum prodesse, seu praeditum esse virtute sanandi; nec opus omnino est, ut eius rei accuratam rationem reddat. Ita etiâ, ut quis addiscat doctrinam Moralem, honestis operationibus praecipue intentam, sufficit si ex disciplinae magistri, & proprio experimento cognoscat hanc aut illam actionem honestam esse; neque omnino exigitur ut causam, propter quam ita est, initio perspectam habeat. Hoc enim progressu temporis atque ut, si ingenio polleat, aut rectè instituat. Alterutrum enim necessarium est, ad plenioram huius doctrinae cognitionem atque consequendam.

8 QVOD Si verò quis tam infelici genio praeditus sit, aut adeo pravâ imbutus educatione, ut neque per seipsum possit cognoscere principia honestarum actionum, nec velit aut valeat ab alio addiscere; is sciat aulam Philosophiae Moralis tibi omnino clausam, neque ullum ipsi perire ingressum ab Hesiodo illis versibus:

ὄυτος μὲν ἀναγίγσκει, &c.

*Optimus est sepe qui novit cuncta magistro:
Spectans quae post, quae semper prodesse va-
lebunt.*

Ille etiam bonus est, audit qui recta monentem.

*At cui consilium desit, non vult quae momenti
auscultare alij, demum vir inutilis ille est.*

9 Vbi primas defert ijs, qui ingenio polleant ad quaerendam veritatem seu rectam morum doctrinam, per seipsum, eosque *ἀναγίγσκει*, id est, per quam optimos vocat. Secundo loco ponit eos, qui licet ingenio non eminent, dociles tamen sunt, & auscultant praecipienti recta ac salubria. Illos verò qui neutrum ex ijs habent, nec volunt alienae institutioni acquiescere, deploratissimos iudicat. Sententiam eandem Hesiodi quo ad duas priores partes expressit Sophocles in Antigone, dum accinit:

— id equidem dico longè excellere,

Vitum refertum multimoda scientia.

*Quòd si secus (va. ò enim hoc contingere
Solet) bonum est audire dicentes bene.*

10 VNDE Et illud Senecae Epist. 53. satis tritum: Nemo per se satis valet, ut emergat. Oportet manum aliquis porrigat, aliquis adducat. Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adiutorio exire, fecisse sibi viâ. Hos

maximè laudat, quibus ex se impetus fuit,
 qui seiplos protulerunt. Quosdam indigere
 ope aliena; non ituros, si nemo præcellerit;
 sed bene secuturos. Præclarum hoc quoque:

sed secundæ sortis ingeniū. Hæc tamen ille,
 & oportune.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. secunda &
 tertia, eiusque Interpretes ibidem.

CAPVT QVINTVM.

Quòd felicitas non sit voluptas, honor, virtus, aut diuitia.



ED nos eò redeamus, vnde digressi sumus. Summum enim bonum, felicitatemque, non sine ratione ex vivendi modo videntur existimare. Vulgus quidem, & importunissimi, voluptatem. quapropter & deditam voluptatibus vitam amant. Tres enim sunt maximè, quæ præcellunt: ea, quæ nunc dicta est, & civilis, & contemplativa tertia. Vulgus igitur mancipij simile penitus esse videtur, pecorum vitam deligendo. Habet autem rationem, quòd complures eorum, qui sunt in potestatibus constituti, perinde, atque Sardanapalus, vivunt. Elegantes autem, & ad agendum idonei, honorem. Honor enim, finis ferè civilis est vitæ. Videtur autem ab eo distare quòd quærimus. Nam in ijs potiùs, qui afficiunt, quam in ijs qui afficiuntur honoribus, esse videtur. Summum autè bonum, proprium quid, taleque esse vaticinamur, vt auferri facile nequeat. Prætereà, honorem persequuntur homines, vt seiplos bonos esse credant. Itaque à prudentibus, & apud eos, qui ipsos cognoscunt, & ob virtutem, honoribus affici quærent. Constat igitur, secundùm hos ipsos honore præstantiorem esse virtutem. Atque forsità, & finem quispiam civilis vitæ magis hanc esse putaverit: verùm & ipsa videtur imperfectior esse. Videtur enim posse virtutem habentem, & dormire, aut non agere quicquam per vitam, & insuper maximis malis, atque adversa fortuna laborare: eum verò, qui ita se habet, nemo felicem dixerit, nisi qui positionem conservat. Sed hæc hæcenus. Satis enim de his est & in conversionibus dictum. De contemplatrice autem vita, quam tertiam diximus, in sequentibus considerationem faciemus. Ea verò, quæ pecunijs incumbit, violenta quædam est vita: ipsæque diuitiæ, non sunt id, quòd quærimus, bonum. Vtiles enim sunt, & ob aliud quæri solent. Quapropter ea, quæ priùs sunt dicta, potiùs quispiam fines esse existimaverit: quippe cum propter se expectantur. At neque etiam illa videntur, quamquam ad ipsa complures iactæ sunt rationes. Hæc igitur nulla faciamus.

B

SVMMA

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QUINTI

Refellit opiniones eorum, qui ultimum hominis finem constituerunt in voluptate, honore, & Virtute secundum habitum: maxime autem eos, qui in virtute



M Præcedenti capite præmisit Arist. varias opiniones circa id, in quo Felicitas, seu Beatitudo hominis sita est; simulque modum, quo oporteat illam vestigare; & dispositionem convenientem in eo qui doctrinam Moralem audit; nunc iam procedit ad excludendū præcipuas quasdam opiniones aliorum, Beatitudinem collocantium in quibusdā bonis minoris notæ, aut non summe perfectis. Collendit itaque hoc loco, illam non esse sitam in voluptate, honore, Virtute, aut divitijs. Quare dividit caput in quatuor partes. In prima se dicit ad præcipuam disputationem, de summo bono, aliquantisper intermissam, & confutat eos, qui Felicitatem in voluptate sitam esse arbitrati sunt. In secunda docet, minus aberrasse eos, qui in honore eam statuerunt: aberrasse tamen. In tertia refellit existimantes, positam esse in Virtute. In quarta demum ostendit, præ ceteris errasse quotquot eam in divitijs consistere putaverunt.

2 CIRCA Primam partem initio præmittit, quamvis multi in assignanda Beatitudinis ratione graviter erraverint, in hoc tamen convenire, quod verissimum est: eam, nimirum, consistere in aliquo ad vitam humanam spectante: quoniam beatum esse ex ipsa notionem, quam primo apprehendimus, idem est, ac feliciter vivere, abstrahendo ab eo, utrum eiusmodi vita sit voluptaria, ut aliqui ineptissime existimant; an potius vita alterius rationis. Triplex namque series bonorum & celebratorum vitæ humanæ est, ut notat in præsentiarū Arist. Prima vulgaris, in voluptate posita. Secunda civilis, & Politicorum propria, in honore consistens. Tertia demum contemplativa, ad Philosophos spectans, & in cognitione veritatis sita. Primam appetunt vulgares homines, id est, quæ quoque plebeo & abiecto animo sunt, quavis forte purpuram induant, ad prædæ gestent. Ut iam enim Felicitatem esse putant, nisi provenientem ex bonis hisce corporatis, ac sensibilibus: ideoque in voluptate, aut divitijs solum positam arbitrantur. Secundam querunt Politici, quorum vota omnia cogitationeque eorum præcipue tendunt, ut stabiliorem in Republica locum obtineant, indeque honorem, & gloriam assequantur. Tertiam affectant Philosophi, quibus assiduum studium, & ardentissimus amor inveniendæ veritatis est: quare tunc solum se felices existimant, cum nudam, & puram veritatem contemplantur.

3 EAMDEM Vitæ humanæ partitionem

in tres prædictos gradus tradiderat antea Pythagoras, longe antiquior Aristotele, in illo celesti sermone habito ad Leontium Philaiorum Regem, ut est apud Ciceronem in Tuscul. Etenim, ut rationem redderet, cur Philosophum se appellari mallet, qui in Sophum, seu sapientem, dixit, homines perinde vivere, ac spectatores, sive undique confluentes in magnam illam ludorum Olympiæ gratiam celebrarent. Quidam enim eo accurrebant, ut decertarent, indeque ex victoria assequerentur coronam, & munerarijs; quod summi honoris erat. Quidam autem, ut emendo ac vendendo questum facerent. Quidam denique solum ut inspicerent, quæ in ludis issegeretantur. Haud aliter, aiebat Pythagoras, homines in hunc mundum confluere ex ista alla vitæ & civitate imaginaria, quam ipse somniavit. Alii enim veniunt ut gloriam & honores assequantur. Alii, ut pecunias, & voluptates corporis. Alii denique, quæ Philosophi, ut a curis temporalibus liberi contemplantur pulcherrima hæc Univerſi molem, & Naturæ varietatem. Qui postmodum vitæ generi tantum honoris deferebat Anaxagoras, ille inter Veteres celeberrimus, ut euidam roganti cur optabilis sit vivere, quam non vivere, auferit oculos in cæli pulchritudine elevare, quo significavit, celestium rerum contemplationem esse vitæ ipsæ longe amabiliorem, neque hæc ulli pretio dignam videri, nisi impensam cognitioni Univerſitatis rerum, & Auctoris eorum.

4 HIS Politis inveniuntur primum adversus eos, qui Felicitatem collocant in voluptuario vitæ genere, idque duplici ratione, quamvis brevissime perstricta ab Arist. pro more suo. Prior sic proponi & ampliari quoddammodo potest. Beatitudo hominis præcipue non, nisi ineptissime, ponitur in eo bono, quod facit hominem viventem instar mancipiorum. At illud bonum, quod in corporum voluptate consistit, facit hominem viventem instar mancipiorum: cum faciat servare animam nobilissimam corporis indigni. Ergo Beatitudo hominis non, nisi ineptissime, ponitur in corporis voluptate. Posterior est huiusmodi. Indignum est præcipuam hominis perfectionem & summam, qualis est Beatitudo, collocari in aliquo bono, quod & bellis commune sit. Atque bonum corporeæ voluptatis, etiam bellis commune est. Indignum ergo est Beatitudinem hominis in corporeis voluptatibus collocare.

5 ADDIT Philosophus, ut existimantes non adeo desipuisse, ut omni prorsus ratione destituerent, apparet, si talis est confirmatio hæc erroris. Nitebatur namque in eo, quod plures poterant

est in Republica, & Reges etiam ipsi, & ut Sardanapalus, suam felicitatem in corporeis voluptatibus collocarent. Fuit autem Sardanapalus, Assyriorum postremus Rex, qui, teste Iustino, in omni voluptatum genere vitam mollem traduxit. Ad quem cum aliquando veniret Abarctus, unus ex Praefectis, reperit muliebri habitu indutum, & colo purpuram mentem, in numerofo pellicum choro, ipsis foeminis longè effeminatiore, & veluti monstrum execrande libidinis. Indignatus Abarctus, & ipsius hortatu ceteri Assyriorum, non modo Regno & purpuram spoliavere Sardanapalum; sed etiam eò miserie detulerunt, & extractam ardentem pyram in ipsam Regiam, ardore effrenatae libidinis vlticibus lueret flammis. Ac de ipso lego haec apud Clementem Alex.
 3. Paedag. c. 11. Talem utique introducunt effeminatum Sardanapalum Regem Assyriorum, in lecto pedibus sursum sublatum sedentem, purpuram, carpentem, & albuginem oculorum versantem. Eius igitur miserimi Regis, seu potius vitiorum macipij, mentionem facit Arist. quasi fuerit molliciti & turpissimae voluptatis idea. Simulque ipsius exemplo monet quam perniciosum sit, Principem, aut praefectum alijs, vitiosum existere: quoniam subditi inde ansam sibi sumunt ad simile vitae genus: cumque videant superiores sibi in voluptatibus corporis suam beatitatem collocare, ac delicijs aras erigere, in ijs quoque Felicitatem sibi constituendam arbitrantur, & eidem numini inserviendum. Quare Quintilianus *Declam. 4.* hortatur quoslibet Reges ad probitatem, quonia ipsorum mores ceteris sunt lex, & forma vivendi. Vnde sententia illa Imperatorum Theodosij & Valentianiani Cod. de Legibus & Constit. Principum: Digna vox est maiestate regnantis, legibus alligatum se principem profiteri: adeo de auctoritate iuris nostra pendet auctoritas. Et revera maius Imperio est summittere legibus principatum. Oraculo praesentis edicti, quod nobis licere non patimur, alijs indicamus. Et Claudianus eandem sententiam optimè versibus expressit in Panegyri de quarto Honorij Consulatu, dum accinit:

*Prinus iussa sibi. Tunc observantior equi
 Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum
 Auctorem parere sibi. Componitur orbis
 Regis ad exemplum: nec sic inflectere sensus
 Humanos edicta valent, quam vita regis.
 Mobile mutatur semper cum Principe vindex.*

6 CIRCA Secundam partem disputat adversus eos, qui Beatitudinem collocant in honore. Eos vero *χαριετας* appellat, id est, elegantes, urbanos, politioresque ceteris, veluti nihil commune habentes cum rusticitate eorum, qui Beatitudinem in voluptate corporis ponebant, & propterea ab eodem Arist. *μεγιστάταις*, scilicet, inptissimi dicuntur. Ita iones vero, quibus dislerit advertum elegantes, politio-

resve, videtur tres, quavis dum communiter expedi soleant. *Prima* est. Beatitudo hominis debet esse sita in aliquo bono maxime solido, & praestantissimo. Atqui honor non est bonum maxime solidum & praestantissimum. Ut enim idem Philosophus hoc loco observat, τιμὴ, id est, honor qui magistratibus, & personis in dignitate constitutis defertur, φαίνεται ἐπιπολαῖον, τρεπὸν εἶναι τῷ ἡτιοῦμένῳ. Videtur levius bonum esse, quam quod quaeritur. Ergo Beatitudo hominis debet esse sita in alio bono, quam in honore. *Secunda.* Beatitudo debet esse intrinsece in ipso homine, qui dicitur & est beatus. Atqui honor non est intrinsece in eo qui dicitur & est honoratus, sed potius in honorate. Igitur Beatitudo non est sita in honore. Quem discursum diversimode aliqui exponunt. Gualterus Burreus sic. Beatitudo in actione aliqua felicitatis hominis, cuiusque potestate posita est. Atqui honor felici devotus, non in aliqua ipsius actione, neque sub potestate illius positus est, sed tantum in actione, & potestate honorantis. Ergo Beatitudo non est posita in honore. Alacrus Magnus ita expendit. Beatitudo est bonum non extrinsece aut obiective afficiens felicem, sed intrinsece & subiective. Atqui honor solum afficit honoratum extrinsece aut obiective, non intrinsece & subiective. Hoc enim modo solum afficit honorantem. Ergo Beatitudo non est honor. Posset quoque sic proponi, iuxta verba Arist. Summum bonum, seu felicitas hominis, debet esse stabile bonum, & proprium illius, talisque natura, ut auferri facile ab eo nequeat. Ita enim omnes *παρὰ τὰ ἔθνη, ἀφ' ἑαυτοῦ*, aut anguramur, in re adeo abstrusa. Atqui honor delatus felici non est stabile bonum, & ipsius proprium, nec eius natura, ut auferri facile ab eo nequeat. quippe quod in libera alterius potestate est, & auferri pro libito potest. Ergo summum bonum, sive felicitas hominis, non debet constitui in honore.

7 TERTIA Ratio. Felicitas solum ratione sui quaeritur, absque vlla relatione ad aliud bonum humanum: cum sit vltimus finis humanae vitae. Atqui honor non quaeritur solum ratione sui, neque sine vlla relatione ad aliud bonum humanum. Quaeritur enim veluti indicium, aut testimoniū virtutis existentis in honorato: atque adeo non tam propter ipsum honorem, quam propter Virtutem. Ergo felicitas non est honor, sive non est posita in honore.

8 CIRCA Tertiam partem confutat eos, qui Felicitatem in Virtute vitam esse censuerunt: quorum opinio tempore Arist. celeberrima fuit, plurimosque & praestantissimos defensores habuit, ut testatur Gellius *lib. 18. c. 1.* atque inter eos Cleanthem, Anaximandrem, Diogenem, Hecatonem, Ptolemaeum, & Zenonem. Ij enim docebant, Beatitudinis sedem & basilicam Virtutem esse. Adstipulati sunt Stoici, quorum

crebra sententia audiebatur, virtutem solam sibi sufficere ad beue & beatè vivendū, quamvis alia omnia naturæ fortunæque adiumenta desint; & eā præditum, omnino felicem fore, etiam in equuleo, aut rotā, vel intra æneum Phalaridis taurum. Accinebant & Poetæ, præsertim Silius lib. 13. & Claudianus in *Consulatu Manlij*, ijs versibus satis notis:

*Ipsa quidem virtus sibi met pulcherrima
merces:*

*Nil opis externæ cupiens, nec indiga lau-
dis:*

*Divitijs animosa suis, immotaque cunctis
Casibus, ex alta mortalia despicit arce.*

9 RATIO Arist. duplex est in opinionem hanc. Prior sic proponi potest. Felicitas est bonum perfectissimum: atque adeo non existens in potentia ad perfectionem, sed in actu. At Virtus non est bonum perfectissimum: utpote sæpe existens in potentia ad perfectionem, & non in actu. Ita enim accidit, quoties is, qui Virtutis habitu præditus est, dormit, aut ex oblivione, industriavè, non operatur actu secundum Virtutem. Insuper & in eo, qui vellet quidem, exercere actiones Magnanimitatis v.g. aut Magnificentiae, nec tamen potest defectu divitiarum, sine quibus nullæ magnificæ actiones sunt. Ergo Felicitas non consistit in Virtute. Posterior ratio sic ferè proponitur à D. Thomā. Sæpe accidit ut quis Virtutis habitu præditus, sit infortunatus, & plures huius vitæ miseras subeat. At qui infortunatus est, & plures huius vitæ miseras subit, non est felix. Ergo sæpe accidit ut Virtutis habitu præditus, non sit felix. Ergo Felicitas non est sita in habitu Virtutis. Utraque consequentia est perspicua. Maior quotidiano ferè experimento patet. Minorem autem nemo negare potest, inquit Aristoteles, *εὐμὴ θέσιν ἀσφραγίστων, nisi propositionem admirabilem tuatur*. Videtur enim mirabile, imò incredibile, & paradoxis simillimum, ut qui infortunatus est, & plures huius vitæ miseras subit, adhuc felix reputetur & sit. Hoc enim abhorret à communi hominum sensu. Quod verò subdit, abundè in Encyclijs de hoc dictum esse, indicat fortasse Opus eo titulo inscriptum, quod decursu temporum perierit, ut & alia plura huius insignis Philosophi.

10 DVOBVS Vitæ generibus iam explicatis, succedebat tertium in contemplatione positum. de quo nunc disputare non vult: quoniam modò solum agit de Felicitate activā & civili, quæ potius in operatione, quam in contemplatione sita est: ideoque eam controversiam differt in ultimum librum huius Operis, ubi plura de vita contemplative, & Beatitudine theoreticā.

11 CIRCA Quartam partem rejicit opinionem eorum, qui consent Beatitudinem

esse positam in divitijs, præsertim ijs, quæ pecuniariae sunt. Vitam verò in ijs positam appellat alio nomine à tribus præcedentibus, *χρηματιστήν*, id est, *quæstuosam*, seu in qua sita pecuniæ sita: quamvis & rationes statim proponendæ æqualiter ferè probent, Felicitatem non esse constituendam in alio divitiarum quorumlibet genere, ac in divitijs.

12 RATIO Prima est. Vita quæstuosæ, seu in divitijs posita, est violenta, vel laboriosa, vel minimè vitalis, aut naturæ contraria. Ita enim ab alijs atque alijs Interpretibus vertitur illud, *βίαιός τις ἐστίν*. *violenta quædam est*, vita. Et experimento patet in ijs, qui vitam in quæstu pecuniæ, & quarumlibet divitiarum ponunt. Ergo absurdum est dicere, in eâ sitam esse Beatitudinem, quæ planè vita perfectissima & incundissima est: non violenta, non laboriosa, nec naturæ contraria, & maximè vitalis. Quare in eam vitam quæstuosam, & ab omni tranquillitate alienam ita exclamat, Seneca Epist. 116. O quantum lachrymarum, o quantum laborum exigit! quam misera desideratis, quam misera paratis! Adijce quotidianas sollicitudines, quæ pro modo habendi quemque diceruciant. Maiore tormento pecunia possidetur, quam quæritur. Et Propertius lib. 3. Elegia 6. ita accinit.

Ergo sollicita tu causa, pecunia, vitæ es:

Per te immatura mortis adimus iter.

Tu vitijs hominum crudelia pabula præbes:

Semma curarum de capite orta tuo.

13 RATIO Secunda Arist. Felicitas est ultimus finis hominis, ideoque tale bonum, ut solius sui gratiâ quærat, non verò propter aliquid aliud. Atqui divitiæ non sunt tale bonum, ut solius sui gratiâ quærat, sed propter aliquid aliud. Non enim sunt propter se experibiles, sed solum vitales, veluti adiumenta exercendæ Liberalitatis, aut Magnificentiae, aut Misericordiae; necessitativè propriae sublevandæ. Ergo Felicitas non est sita in divitijs. Quare multo magis errant qui in ijs collocant Beatitudinem, quam qui in voluptate, aut honore. Hæc enim duo experibilia sunt propter se: divitiæ autem solum propter aliud, cum in seipsis nec sint bona iucunda, nec honesta, sed vitia solum.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. 2. & 3. eiusque Interpretes ibidem.



CAPVT SEXTVM.

Quod non sit Idea.

PRÆSTAT Autem fortasse de vniuersali bono considerare, & quonam modo dicitur dubitare. Quamquam hæc quæstio perardua nobis est, propterea quòd amici sunt, qui formas ipsas introduxerunt. Verùm melius forsitan, & oportere videbitur sua quoque, præsertim philosophos, pro veritatis salute refellere. Nam cum ambo sint amici, sanctum est, honori veritatem præferre. Qui igitur hanc attulerunt opinionem, in his rebus non faciebant ideas, in quibus prius & posterius esse dicebant. Idcirco neque numerorum ideam ponebant. At bonum & substantia dicitur, & in quali, & in eo, quod est ad aliquid. Atque id, quod est per se, substantiave, prius est eo natura, quod est ad aliquid. Est enim hoc appendici, & accidenti eius, quod est, simile. Quibus efficitur, vt non sit in omnibus communis quædam idea. Prætereà, cum bonum æquè ac id, quod est, dicatur, (nam & in substantia dicitur bonum, vt mens, & Deus: & in quali, virtus: & in quanto, mediocre: & in relatione, vtile: & in tempore, occasio: & in loco, mora: & alia istiusmodi) constat non esse communem quicquam vniuersale, ac vnum. Non enim in omnibus prædicamentis, sed in vno tantummodo diceretur. Prætereà, cum eorum, quæ vnã habent ideam, vna sit & scientia, bonorum etiam omnium vna scientia quædam esset. Nunc autem plures sunt & eorum, quæ sub eodem prædicamento sunt collocata: vt temporis, in bello quidem militaris facultas, in ægritudine autem ars medendi: & mediocris, in alimento quidem medicina, in laboribus autem ars corporis exercendi. Dubitauerit autem quispiam, quidnam & velint dicere ipsum quodque, si vna & eadem hominis est ratio, & in ipso homine, & in homine. Nam quo vterque est homo, hoc differentiam inter sese nullam habebunt. Quod si ita est; neque quò vtrumque est bonum. At verò neque quia perpetuum est, ideo magis erit bonum. Siquidem neque diuturnum album, magis est album, quàm vnus album diei. Probabilius autem de ipso videntur dicere Pythagorici, ipsum vnum in bonorum serie collocantes: quos secutus videtur & Speusippus. Sed de his quidem alius erit sermo. In ijs autem, quæ dicta sunt, controversia quædam videtur, quòd rationes non de omni bono sunt dictæ. Dicuntur autem vna specie bona, ea, quæ amantur

per se: ea verò, quæ hæc afficiunt, aut aliquo modo conservant, aut contraria prohibent, propter hæc ipsa, modoque alio, bona dicuntur. Constat igitur, bona bifariam dici: alia per se, alia propter illa. Seiunctis igitur per se bonis, à bonis utilibus, consideremus si ea, quæ sunt per se, vna idea bona dicantur. At quænam quispiam posuerit per se bona? an ea, quæ & sine alijs persequimur, quale est sapere, & videre, & voluptates nonnullæ, atque honores? Hæc enim tametsi propter aliud quippiam persequimur, tamen ex ijs esse posuerit quispiam, quæ sunt per se bona. an nihil aliud præter ideam ponendum est: quare forma res quædam erit inanis. Quod si hæc quoque per se sunt bona, eandem in his omnibus ipsius boni rationem in esse oportebit, perinde atque albedinis ratio eadem est in nive, atque cerusa. At honoris prudentiæ, voluptatis, hoc ipso, quo bona sunt, diversæ sunt rationes, ac differentes. Ipsum ergo bonum non est quid commune vna idea. At quoniam modo dicuntur? non enim ijsce similia sunt, quæ nomine eodem fortuito nuncupantur. Dicunturne igitur, quia sunt ab vno, aut ad vnum omnia conferuntur: an comparatione potius rationum? Etenim vt est in corpore visus, sic est in anima mens, & aliud item in alio. Sed hæc in præsentia forsitan omittenda sunt. Nam exactè ipsa discutere, ad aliam magis spectat philosophiam. Et de idea similiter. Constat enim & sic est aliquod vnum bonum, quod communiter dicatur, aut separatim quid ipsum per se: non tamen aut agi, aut acquiri ab homine posse: nunc autem tale quæritur. Fortasse autem cuiuspiam melius esse videbitur cognoscere ipsum, ad ea bona, quæ possideri, ac agi possunt. Nam velut exemplar id habentes, magis ea, quæ nobis sunt bona, sciemus: & si scierimus, assequemur. Hæc igitur ratio habet quandam probabilitatem: à scientijs autem discrepare videtur. Vniuersæ namque bonum affectantes quoddam, idque, quod deest, perquirentes, huius prætermittunt cognitionem. Tantam tamen opem vniuersos artifices ignorare, & non perquirere, non est consentaneum rationi. Dubium autem est, & quidnam ad suam artem, aut textori confert, aut fabro, si ipsum scierit bonum: aut quoniam modo, vel medicus, vel dux evadet peritior, qui ideam ipsam aspexerit. Neque enim valetudinem hoc modo medicus, sed hominis, imò verò huius fortasse considerat: quippe cum singulis hominibus medeatur. Sed de his hæc.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Differit cum Platone collocante Felicitatem hominis in Idea Boni, eiusque existimationem multipliciter refellit.



MPVGNATIS iam frequentioribus opinionibus, tum vulgarium hominum, tum & Philosophorum, circa id, in quo Felicitas hominis sita est, nunc acrius certamen ac difficilius

inquit Arist. cum Magistro suo Platone, & toto hoc capite contendit, summam hominis Beatitudinem non esse ipsam Ideam boni. Dividit verò totum caput in quinque partes. In primâ proponit sibi necessarium esse disputationem in Ideas dirigere, quamvis decertandum propterea sit cum Platone. In secunda docet, non esse vaam bonorum omnium Ideam. In tertia probat bonum separatum, quod est Idea ipsa, non esse per se bonum. In quarta colligit ex divisione boni, bonum separatum non esse communem Ideam bonorum omnium. In quinta denique concludit, quamvis eiusmodi Idea existeret, illam non spectare ad doctrinam Ethicam.

2 CIRCA Primam partem inquit, necessarium esse disserere, an summum bonum Idea sit, & verum Felicitas sit ponenda in eius contemplatione. Hanc verò controversiâ inquit cum Platone, qui omnium rerum Ideas ponebat, id est, formas separatas, perfectissimas, absolutissimas, & sempiternas, à quibus singula oriretur, & ad quarum similitudinem exprimerentur. Quare & Ideam boni constituit, à qua ortum ducerent bona omnia. Quæstio itaque est, an obiectiva Felicitas in eâ boni Idea sit, formalis verò in ipsius contemplatione. Quam controversiâ longè graviolem esse ait, quanto de re universaliori est. Excusat se autem, modestiæ causa, quod disputationem instituat cum Platone Magistro & amico suo, quia veritatis amor omnibus alijs titulis præferendus est. Et quod olim ipse Plato dicebat de Præceptore suo, *Amicus Socrates: sed magis amica veritas*: idiplum pene Arist. hoc loco de Platone ait. Et verè dissidium non est cum eo solo: quoniam iam ante Platonem Ideas introduxerant Parmenides, & Epicharmus, teste Eustratio in præsentibus: & iuxta alios, Sphæreus ac Socrates. Quamvis verum appareat, quod Proclus arbitratur, Ideas ab alijs prius fuisse adinventas, postea tamè a Platone admodum illustratas, & eo primùm nomine significatas. Cui etiâ opinioni Procli subscripsisse videtur Eusebius Cæsariensis *lib. 11. de Præpar. c. 1.* & S. Aug. *lib. 83. q. 46.* Secuti sunt postea Platonem Ammonius, Hermias, Iamblichus Ægyptius, Numenius, Plotinus, Porphyrius, & plures alij. Porro Idea apud Græcos nihil aliud significat, quam formam illam, ad cuius similitudinem aliquid fit. Latine exemplar dicitur.

3 SCIO Multos esse, qui adversus Arist. indignentur hoc loco, & novent cum nō modo de ingrati animi vitio contra Platonem, sed etiâ de impudentissimo mendatio: quasi imposuerit ipsi longè alias Ideas ab ijs, quas tradidit, solum ut fingeret hostem, quem feriret. Alios item, qui asserant, Platonem non posuisse Ideas distinctas à Mente divina; sed indistinctas: quas Patres Ecclesiæ & Theologi passim in Deo agnoscunt, veluti exemplaria quædam, ad quorum similitudinem creaturas effingit. Alios inuper qui dicant, Platonem verè constituisse Ideas à Deo distinctas, & seorsim existentes, in eoque desipuisse. Alios demum, & in primis Eustratiū, Græcum, atque eximium Interpretem Arist. in hoc Opere, qui dicant, Aristotelem nec ingratum fuisse, nec impostorem: quoniam hoc loco non differit contra Platonem, neque adversus Ideas, prout ab eo constitutæ sunt: sed contra quosdam amicos, qui Ideas tuebatur longè alio sensu, quàm à Platone positæ fuissent. Scio, inquam, varietatē hanc opinionum esse inter Auctores. Verum quid in hac re sentiendū sit nō definiō vlg; ad disputationem de Idea boni in qua doctrinam huius capitis plenius examinabimus. Eo verò nunc prætermino, institutum protequamur.

4 CIRCA Secundam partem differit triplici argumento, sive adversus Platonem, sive adversus sinistros eius Interpretes, scilicet, esse, & probat non existere Ideam communem bonorum omnium. PRIMVM Argumentum instituit ex ipsa positione Platoniorum, qui nullam constituebant Ideam in ijs rerum generibus, in quibus est aliquid prius, & aliud posterius: idque declarabant in numeris, inter quos binarius ternarius prior est, & ternarius quaternario. Quare & dicebant, numerum communem non esse aliquam communem Ideam, & separatam: sed singulos numeros esse ideales quoddammodo & separatos. Cuius ratio ex ipsorum mente à D. Thoma assignatur, quod ea, in quibus unum est prius, & aliud posterius, non videantur esse eiusdem ordinis & rationis, ac propterea nō possint habere unam aliquam communem Ideam. Hoc supposito, argumentum Arist. ita procedit. Ideo, etiâ ex Adversariorum mente, nō existit Idea aliqua communis & separata numeri, quoniam numeri omnes inæquales omnino sunt, & unus prior alio. Atqui etiam bona omnia inæqualia sunt, & unum prius alio. Ergo neque bonorum omnium existit Idea aliqua communis & separata. Minorē, sive assumptionē, in qua sola est difficultas, probat Arist. Quia bonum est in substantiâ, bonum est in qualitate, in quantitate, in relatione, & in alijs denique, quorum singula bona sunt. Et in his quidem ordo prioris ac posterioris est, inæqualitasque, secundum perfectionem essen-

essentialem. Prior enim est natura & præstantior substantia accidentibus; quoniam ex ea procedunt, & propter ipsam sunt, veluti affectiones quedam. Et prius natura homo est substantia, sive ens per se subsistens, quam magis aut parvus à quantitate, albus aut niger à qualitate, pater aut filius à relatione. Ergo bona omnia inæqualia sunt, & unum prius alio: quæ erat assumptio argumenti. Proindeque, sicuti ob eam causam non existit Idea aliqua communis & separata numeri, sic neque bonorum omnium.

5 **SECUNDA** Ratio præsupponit similiter ex mente Adversariorum, Ideam essentiam esse rerum earum quæ bonæ dicuntur. Ut enim Ideam hominis assererent esse omnium hominum essentiam, & Ideam equi essentiam omnium equorum; ita etiam Ideam boni arbitrabantur esse singulorum bonorum essentiam, cum ijs æque & univoce communicatam. Eo vero præmissis, sic procedit argumentum. Quæcumque non conveniunt univoce in aliqua communi & generali ratione, nequeunt habere unam aliquam communem & universalem Ideam. Atqui bona omnia non conveniunt univoce in aliqua communi & generali ratione. Ergo nequeunt habere unam communem & universalem Ideam. Maior præsupponitur ex Adversariorum doctrina. Minor vero ostenditur: Quia in omnibus rerum classibus, sive categorijs, id est, prædicamentis, invenitur ratio boni, non conveniens univoce cum aliis: ut constabit discurrendo per singula. Bonum enim dicitur de Deo, & mente, spectantibus ad rationem substantiæ (qualitercumque id sit.) Similiter & rationem boni habent in qualitate, Virtutes; & in quantitate, mediocre; & in relatione, vtile; & in tempore, occasio; & in loco, diversorium, & alia huiusmodi. At ea bona non conveniunt univoce in aliqua ratione communi. Alioquin non spectarent ad plura & adeo diversa prædicamenta, sed ad unum. Ergo bona omnia non conveniunt univoce in aliqua ratione generali & communi.

6 **TERTIA** Ratio est ab inconveniēti, sive absurdo. Si enim omnium bonorum esset una Idea communis, omnium quoque eorum esset una scientia. Omnia enim bona essent bona ex participatione eiusdem formæ, atque adeo unam speciem & substantiam haberent; & per consequens sub unius scientiæ ambitu cadere possent. Hoc autem absurdum & fallum esse, patet: Quia vel illa bona, quæ continentur sub eodem prædicamento, non spectant ad eandem doctrinam, sed ad diversas. Nam tempus, sive opportunitas temporis, est unius prædicamenti: & tamen non ad unam, sed ad diversas disciplinas pertinent. Alii enim consideratur opportunitas temporis à doctrina militari & Imperatoriâ ad committend-

dum, vel omittendum bellum: aliter à medicina in procuranda valetudine corporis, cibo, pharmaco, & remedio tempore contentaneo: aliter ab arte gymnasticâ in ordine ad exercendas vires in arena aut palestra: aliter denique ab arte nautica, quæ attendit tempus serenitatis & procellæ, ut vela det, aut in portu expectet. Cum igitur, de unius quidem boni, & eodem prædicamento conclusi, una sit doctrina; multo minus esse potest una aliqua, quæ simul extendatur ad consideranda omnia bona quorumlibet prædicamentorum.

7 **CLICA** Tertiam partem capitis differit adversus Platonicos, quatenus asserant, bonum illud separatum non modo esse Ideam, sed etiam *αυτοεικαστον*, id est, *per se bonum*, ut frequenter vertitur, quasi *αυτοαγαθον*, *ipsum bonum*. Probat vero Arist. neque hoc modo posse illos tueri opinionem suam, & longe melius Pythagoricos sensisse de communi bono. Vbi tamen putandum non est, ut recte observat Gallutius, Aristotelem non contendere absolute, nullum esse bonum per se, a quo pendeant cetera bona. Etenim *lib. 2. Metaph. text. 52.* aperte fatetur esse bonum quoddam a toto universo separatum, a quo omnia bona procedant, & in quod referantur, sicut totus exercitus refertur ad bonum Imperatoris. Solum ergo impugnat illud per se bonum Platonicorum, quatenus asserant, illud non modo esse causam effectricem, & exemplar bonorum omnium, verum & formam intrinsecam, & substantiam eorum. Impugnat autem sic: Quia Platonicus volentes nolentes, concedere debent illud per se bonum, & separatum a singularibus bonis, esse eisdem omnino rationis cum ipsis quantum ad essentiam. Homo enim separatus a concretione materiæ, & homo materiâ constans, non differunt in ratione formali hominis, cum uterque sit animal rationale: sed tantum in eo quod aliter sit expertus materiæ, aliter vero particeps. Ergo eiusdem speciei & rationis formalis erunt. Consequens vero absurdissimum esse patet: quia bonum illud, quod à materia omnino separatum est, & ceterorum omnium fons atque exemplar habetur, neque non esse ordinis excellentioris, & rationis formalis longè sublimioris, quam hæc singularia & inferiora bona.

4 **NEQUE** Satis occurrit pro Platonicis qui dixerit, illud per se bonum, & separatum, esse ceteris præstantius & melius eo nomine, quod præ ijs immortale & æternum sit. Hanc enim evasionem præoccupat Arist. quia distinctio penes durationem longam, aut brevem, æternam aut temporariam, non sufficit ad diversitatem specificam, vel rationis formalis duorum. Album enim unius diei non differt specie ab albo unius anni, aut etiam sæculi. Sæpe etiam quod longioris durationis est,

est, perfectione essentiali exceditur ab eo, quod brevius durat: ut adamas v.g. longè diuturnior est, quàm equus, aut leo; à quibus tamen longè excellitur in naturâ. Ideo neque incorruptibilitas sola probat excessum perfectionis supra corruptibilia. Constat enim, materiam primam incorruptibilem esse, & tamen longè minus perfectam cæteris substantijs, sive formis omnino corruptibilibus. Ergo quamvis illud per se bonum, & separatum, ponatur incorruptibile præ singularibus bonis, non propterea erit naturæ simpliciter excellentius, nisi aliunde sit rationis formalis omnino diversæ. quod Platonici negant, aut negare tenentur.

9 IAM verò minus aberrasse in hoc Pythagoricos, quàm Platonicos, probat: Quia Pythagorici non posuerunt rationem bonitatis in aliquo bono separato; sed in unitate, quæ ipsi rebus insit. Aiebant enim, unamquamque rem obtinere suam unitatem ex unitate intrinsecâ, quâ est, & conservatur. Quoties enim anima coniungitur corpori, unum quid efficitur homo: cum elementa coeunt, unum fit mistum, ut lapis, ferrum, æs: cum variæ conspirant voces, unus fit concentus, seu harmonia; & sic de alijs. quo planè convinci allerebant, cuiuslibet rei perfectionem, seu bonitatem, in unitatem positam. Contrà verò malum in multitudine situm putabant: quia quoties ex vno composito fiunt duo aliqua illud dissolvitur, seu definit esse quod antea erat. Vnde & finitum arbitrabantur bonum, quia unitati appropinquat: infinitum verò malum, quoniam ab unitate recedit. Ideo & ijs numerus impar inter bona accensebatur, quoniam cum dividi non possit, imitatur unitatem: numerus autem par inter mala, quoniam dividuus est, & ab unitate recedens. Hanc verò Pythagoricorum estimationem, quantumvis a vero alienam, docet Arist. verosimiliorem esse, quàm illam aliam Platoniorum. Priorès enim non posuerunt bonitatem rerum in bono aliquo ab ijs separato; sed in unitate ipsâ numerica, quæ est quid unicuique coniunctum. Hoc autem non adeò abhorrens videtur à veritate: ideoque & placuit Speusippo, Aristotelis nepote ex sorore; qui, ut Pythagoricos imitaretur, non dubitavit avunculi sententiam deserere.

10 CIRCA Quartam partem proponit controversiam, quæ ex præiactis suboriri posset, si, nimirum, Platonici respondeant, non fuisse positum à Platone bonum aliquod separatum, æquè commune omnibus bonis. Cum enim sit bonorum duplex genus, alterum eorum, quæ per se bona sunt, & propter se quaeruntur; alterum eorum, quæ nec per se bona sunt, nec propter se quaeruntur, sed propter aliud; Idea communis boni nequit esse æquè communis utriusque. Quare superest ut ex mente Platonis solum sit communis rebus, sive bo-

nis prioris generis: quæ, quoniam propter se amantur, possunt habere unam aliquam ideam boni æquè communem. Sed contra arguit Arist. nam neque eorum, quæ per se bona sunt, & propter se expetuntur, potest esse aliqua Idea æquè seu univocè communis. Aut enim apud mortales sunt aliqua per se bona, & propter se expetibilia, v.g. scire, & videre, quæ utique expeterentur, etiam si inde nulla utilitas sequeretur: aut non sunt. Si hoc secundum asseratur, inutilis est distinctio data inter duplex genus bonorum, ut quædam per se bona sint, & propter se amantur; quædam verò solum propter aliud. Si autem dicatur primum; frustra erit Idea boni communis. Ad hoc enim excogitata est, ut constituat quæ per se bona sunt. Si igitur quædam apud nos per se bona sunt, & propter se amantur, ut scire, videre, & voluptatem honestam capere; frustra est Idea: ut ipse quæ solum præstare possit, ut hæc ipsa erent bona.

11 RURSUS. Si aliqua apud nos sunt per se bona, quorum sit communis Idea; omnia illa eiusdem rationis erunt, sicut & Idea illorum univoca est. Consequens autem absurdum esse patet: cum ea, quæ per se bona apud nos sunt, diversæ rationis, & inæqualis perfectionis sint: ut honor, prudentia, sapientia, & voluptas. Sapientia enim est bonum per se eius conditionis, ut perficiat habentem, & in ipsius potestate sit: honor autem pendet ab alio, & non est in potestate eius qui honoratur: prudentia est habitus intellectualis electivus, quod cæteris per se bonis non competit: voluptas denique est perfectio quædam consequens actionem, vel operationem. Patet igitur, hæc omnia diversæ & inæqualis rationis esse: ac proinde non participare univocè eandem ideam. Si enim ita esset, omnium eorum ratio formalis & definitio eadem foret: sicuti est alberis, tam in nive, quàm in cerussa: nimirum, in illo medicamento faciei admodum candido, quod Arist. in ipso textu appellat *ψευδοβιον*, & Hispanicè dicimus, *albaya*, de Italicè *biacca*.

12 CVM autem quæcumque inter nos per se bona sunt, non sit eiusdem aut æqualis rationis; quaerit Arist. quomodo ea omnia convenient in communi ratione boni. Non enim univocè, ut dictum est. Sed neque equivocè, sive penes solum nomen, ut Taurus mons, & taurus animal; aut Canis cælestis, & terrestris. Respondet autem huic dubitationi, rationem communem boni convenire ijs omnibus secundum analogiam, seu proportionem: idque declarat similitudine perita à visu & intellectu, qui eatenus conveniunt in communi ratione boni, quatenus sicut vilus est bonus corpori, ita & intellectus animæ, proportionem quadam. Insuper & in eo convenient, quod omnia proveniant ab vno eodemque principio bonitatis, & ad unum finem referantur; non ita

ut primum bonum, siue separatum, sit omnium bonorum essentia & ratio, ut ponebant Platonici: sed quia eorum origo sit, & finis ultimus.

13 CIRCA Quintam partem præmittit, quamvis esset Idea, adhuc non spectaturam ad doctrinam Moralem, sed ad Metaphysicam: neque aptam fore ad constituendam Felicitatem humanam. Non enim esset aliquid à nobis ipsis factum, paratumve, aut intrinsecè inherens felici, ut oportet ad rationem humanæ Felicitatis: sed quid separatum, & per se existens, ac minime factum à nobis, nec consistens in actione nostrâ. Neque sufficit dicere, Ideam esse exemplar bonorum omnium, quæ fiunt: ideoque conferre plurimum, ut ad illud attendentes bene operemur, & felices simus. Non, inquam, sufficit: quia omnes artes & doctrinæ appetunt bonum proprium, & circa illud operantur, nullâ habitâ ratione aut consideratione eius boni separati, & confecti à Platonici: neque quisquam ad humanam Felicitatem quæ-

rendam ducitur cognitione eiusmodi exemplaris. Ergo etiâ ad finem rectæ operationis, & adeptionis boni, inutilis est consideratio eius Ideæ. Vnde & colligit Arist. inutilem esse prædictam Ideam adquirendis artibus, & exercendis earum actionibus: quia experimento patet, neminem fieri aut magis medicum, aut magis militem, aut magis textorem, aut magis fabricum, nec melius actionem suam exequi, ex eo quod sibi ob oculos mentis statuatur Ideam boni separatum. Rationemque subiungit, quia solius eius exemplaris consideratio prodest operationi rectæ, quod est simillimum operi faciendo, atque exprimendo: ut patet in pictoribus, quoties imaginem aliquam exprimunt intuentes prototypum. Hoc autem locum non habet in Ideâ boni separata: quæ, cum sit communis tot rebus inter se diversis, nequit ab unâ aliquâ illarum per similitudinem exprimi. Quare inutilis erit artibus, & doctrinis consideratio illius, ad similitudinem in actione aut opere exprimendam.

CAPVT SEPTIMUM.

De Felicitatis subiecto, substantia, & præceptis in unaquaque scientia seruandis.



NVNC Rursus redeamus ad id, quod quærimus, bonum, & quid tandem sit ipsum, investigemus. Esse enim aliud in alia actione, & arte videtur. Aliud est enim in medicina, & in re militari, & in cæteris simili modo. Quid igitur unicuique bonum est? an id, gratia cuius cætera aguntur? Hoc autem in medicina quidem est sanitas: in rei verò militaris facultate, victoria: & in extruendarum ædium arte, domus: & in alia aliud. In actione etiam omni, electione ve, id, quod est finis. Huius enim gratia cætera omnes agunt. Quare si quis omnium rerum agendarum sit finis, is ipsum bonum agendum erit: sin verò plures, hi ipsi. Oratio igitur migrando ad idem accessit. Enitendum autem est magis hoc declarare. Cum itaque plures sint fines, & horum quosdam ob alios expetamus, ut divitias, fistulas, instrumentaque omnino, perspicuum est, non omnes fines esse perfectos. At finem optimum, perfectum quid esse constat. Quare si tantum unus perfectus sit finis, is hic erit, qui quæritur: sin plures, is, qui bonum est perfectissimum. Eum autem, qui per se est expetibilis, perfectiorem eo dicimus esse, qui est propter alium expetendus: & cum,

eum, qui nunquam ob alium expetitur, ijs vniversis, qui per se, & propter illum etiam expetuntur. Et eum igitur perfectum simpliciter, qui per se semper est, & nunquam ob alium est expetendus. Talis autem, finis, ipsa felicitas maximè esse videtur. Hanc enim propter se ipsam semper, & nunquam ob aliud quicquam expetimus. Honorem autem, voluptatem, mentem, virtutem denique omnem, & propter se expetimus, (quippe cum ipsorum vnumquodque expeteremus, si nihil inde etiam proveniret) & felicitatis etiam gratia, per hæc ipsa felices fore nos arbitrâtes. Sed illorum gratia felicitatem, aut ob aliud prorsus, expetit nemo. Idem & ex sufficientia videtur accidere. Perfectum namque bonum, per se sufficiens est. Sufficiens autem dicimus, non ipsi soli qui vitam solitariam agit, sed & parentibus, & natis, & vxori, & amicis omnino, ac civibus: quandoquidem homo natura civilis est. Atque sumendus est in his terminus quidam. Nam si ad parentes hoc ipsum, & natorum natos, & amicorum amicos extenderis, in infinitum fiet progressio. Sed de hoc considerandum est postea. Id autem sufficiens esse ponimus, quod solum à cæteris segregatum, expetibilem vitam facit, reique nullius indigentem. Talem autem felicitatem ipsam esse existimamus. Et insuper cum non numeratur cum cæteris, maximè omnium expetibilem: cum numeratur, magis expetibilem cum minimo bonorum esse putamus. Augmentum enim bonorum fit, id quod adiungitur. Id autem semper magis est expetibile, quod maius est bonum. Perfectum igitur quoddam, & sufficiens est felicitas, cum sit rerum agenda omnium finis. Sed forsitan felicitatem quidem summi esse bonum dicere, ab vniversis conceditur. Desideratur autem, vt dilucidius, quidnam sit ipsa dicatur. Hoc igitur fortasse fuerit, si opus hominis caperetur. Vt enim modulatoris, statuarij, cæterorumque artificum, & eorum omnium omnino, quorum est opus aliquod, actiove bonum, & id, quod bene sese habet, in ipso opere videtur consistere: sic & hominis bonum in opere ipsius esse constabit, si sit ipsius aliquod opus. Fabrice igitur, & futoris, opera sunt quædam, actionesve: hominis autem nullum est opus, sed est otiosus homo natura? An vt oculi, manus, pedis, & cuiusque omnino partis aliquod opus est, sic & hominis præter hæc omnia quispiam aliquod posuerit opus? Quid igitur id fuerit tandem? Vivere enim homini cum plantis commune est. Opus autem proprium ipsius hominis quaritur. Segreganda est ergo, nutriendi, augendique vita. Hanc sentiendi sequitur vita: at ipsam etiam homini cum equo, ac bove, omni que animali constat esse communem. Restat igitur activa quædam vita rationem habentis. Huius autem aliud est vt obediens rationi, aliud vt eam habens, atque intelligens. Sed cum hæc etiam bifa-

riam

riam dicatur, exponenda est, quæ est actus: hæc enim magis propriè dicitur vita. Est igitur opus hominis operatio animæ per rationem, aut nõ sine ratione: at verò opus huius, ac studiosi huius, idem esse genere dicimus: vt citharædi, studiosique citharædi. & hoc in omnibus absolute, operi adiuncta perfectione, quæ est à propria virtute. Citharædi namque opus est, citharam pulsare: studiosi verò, bene pulsare. Eodem modo cum hominis opus vitam quandam esse ponamus, & hanc ipsam operationem animæ, atque actus cum ratione: studiosi profectò viri hæc ipsa sunt, cum bene, recteque fiunt: singula autem bene, per propriam virtutem efficiuntur. Quæ cum ita sint, fit vt bonum humanum animæ sit operatio per virtutem: & si plures sint virtutes, per optimam nimirum, & perfectissimam, & insuper in vita perfecta. Ver enim nec vna facit hirundo, nec vnus dies: & beatum hominem eodem modo, felicemve, nec vnus dies, nec breve vllum efficit tempus. Summum igitur bonum hoc circumscribuntur modo. Primum namque forsitan, vt figuram quandam describere, postea depingere ipsum oportet. Videtur autem cuiuslibet esse ea, quæ bene sunt circumscripita, producere, & explicare, atque exponere. Tempusque talium inventor est, atque adiutor bonus. Vnde & artium facta sunt incrementa. Est enim cuiusuis id, quod deest, supplere, ac addere. Oportet autem & ea, quæ supra diximus, in memoria habere, & ipsum exactum non in omnibus eodem modo, sed in singulis, & vt patitur subiecta materia: & eousque quousque ad doctrinam attinet flagitare. Nam faber, & geometra, diverso modo angulum rectum inquirunt. Alter enim, quoad utilis est ad opus: alter quidnam sit, & quale quid, ipsum inquirunt: contemplator enim est veritatis. Idem modus & in cæteris est seruandus, ne hisce quæ institui mus agere, plura fiant ea, quæ fines illorum egrediuntur. Nec in omnibus simili modo causa postulanda est, sed sat est in quibusdam, si bene demonstrata fuerint esse: quod quidem & in ipsis principijs fit. Atque hic modus primus est, & principium. Principiorum autem alia inductione, alia sensu, alia assuetudine quadam, alia alio modo perspiciuntur. Enitendum est autem singula pertractare, vt suapte natura percipi possunt: & adhibenda est diligentia, vt bene definiantur, nam magnam ad ea, quæ sequuntur, afferunt opem. Principium enim plus, quam dimidium totius, esse videtur: & eorum, quæ quærentur, complura, per ipsum manifesta fieri solent.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Descriptio humane Felicitatis per quedam ipsius attributa: item & definitio per genus & differentiam. Regula quedam, seu præceptiones observatu dignæ in tradendis disciplinis, ac speciatim in Ethica.



FELICITATIS Iam aliorum opinionibus circa Felicitatem, Aristoteles denique sensum suum profert, eamque describit. Dividitur autem caput in tres partes. In prima exponitur Felicitas per quedam attributa, quibus significari solet. In secundâ definitur, tum per rationem genericam, tum & differentialem. In tertiâ denique præscribitur ordo, seu modus procedendi in qualibet disciplinâ observandas, quem & ipse Arist. in tradenda Morali Philoſophia sibi præfixit.

2 CIRCA Primam partem describitur Felicitas per quedam attributa ipsi convenientia. **PRIMUM** est, quod sit perfectissimum bonum humanum. Finis enim omnium rerum agendarum est summum bonum humanum. At Felicitas est finis rerum omnium agendarum. Ergo est summum, sive perfectissimum bonum humanum. Declaratur assumptum. Multi enim sunt ac diversi fines in alijs atque alijs operationibus, sive artibus; & alter ordinatur ad alterum, quoadusque deveniatur ad unum aliquem, propter quem sint omnes cæteri, & qui propter nullum alium sit. Is ergo finis censetur ultimum bonum humanum, ac proinde summum, sive optimum. Sicut enim finis habet rationem boni, cuius gratia aliquid fit; ita & finis ultimus, cuius gratia cætera omnia fiunt, quique nullius alterius gratia queritur, debet esse ultimum, sive summum bonum. Quare singulæ artes tendunt ad aliquem proprium finem, sive bonum speciale: ut medicina ad valetudinem, militaris ars ad victoriam, architectonica ad domum construendam, & sic de alijs. Nullus autem ex ijs finibus videtur summum bonum, quia nullus eorum apparet finis ultimus, eò quod expectitur propter alium finem. Nam & bona valetudo, & victoria, & domus, & divitiæ, & tibiæ, & instrumenta quæque propter alios fines experimus. quo planè ostenditur, nullum ex ijs bonis esse bonum perfectum, ac proinde nec optimum, sive summum. Perfectum enim & absolutissimum in genere finis illud tantum est, quod propter se tantum queritur, & cuius gratiâ appetuntur reliqua. Felicitas autem est huiusmodi: quoniam ratione sui ab omnibus appetitur, & nunquam propter alium finem. Illa ergo est summum, optimum, ac perfectissimum bonum humanum.

3 CONFIRMATUR. Quia licet honor, & voluptas, & intelligentia, & omnis virtus per se ametur, aut queratur, siquidem

nullo inde proveniente, singula ex ijs optaremus; adhuc ea omnia expectuntur Felicitatis gratiâ, sive ex fine illius attingendæ. At verò Felicitatem ipsam, neque propter aliquid ex prædictis, neque ob quidquam aliud experimus. Ergo facta comparatione inter omnia humana, Felicitas est optimum ac perfectissimum bonum. Hoc enim situm esse debet in eo, quod ita propter se amatur, ut non ametur propter aliud, sed omnia propter illud. Ratio autem ne Felicitas queratur propter aliud, sed propter se tantum, redditur ab Arist. illis verbis: τὸ γὰρ τέλειον ἀγαθόν, αὐταρκὲς εἶναι δοκεῖ. *Quod enim bonum perfectum (sive consummatum) est, satis instructum videtur.* Scilicet, ipsa Felicitatis notio, videtur afferre sufficientiam bonorum omnium, ac proinde excludere indigentiam alicuius boni. Ergo nullus est locus ut Felicitas propter aliud bonum queratur; quin & opus est, ut cætera propter illam ametur, quoniam in illa est sufficientiâ omnium bonorum, & ipsum bonum summum, sive optimum.

4 HANC Verò sufficientiam, seu affluentiam bonorum, subdit non solum convenire debere felici solitariam vitam agentem quoniam hoc loco de Felicitate civili agitur, & in ordine ad convictum humanum. Quare opus est ut Felicitas, de qua procedit sermo, afferat sufficientiam bonorum, tum ipsi felici, tum & parentibus, liberis, coniugi, atque amicis, & concivibus: quoniam homo naturâ suâ civilis est, sive non sibi tantum natus, sed & alijs, quibuscum degit. Verum & in hoc ipso terminus aliquis statuendus est. Non enim Felicitas debet afferre sufficientiam bonorum, etiam relatè ad amicos amicorum, & ipsorum parentes, posterisque. Sic enim abiremus in infinitum. Satis ergo est ad Felicitatem, quod se solâ vitam expectibilem faciat, & nihil ulterius requirentem: quod sane beatitudo præstat. Insuper, quod factâ comparatione illius cum cæteris bonis, ijs omnibus maximè præferendâ sit. Quod si verò eum ijs simul accipiatur, palam est illam vel minimo alteri bono coniunctam & pluris haberi, quam se solâ: quia exuperantia cuiuslibet boni, accessionem aliqualem facit Felicitati, quamvis illa seorsim aliquid magis bonum sit, & proinde magis expectandum. Patet igitur, Felicitatem esse bonum perfectum, & omnibus bonis satis instructum, ut potè finem ultimum eorum omnium. Quod & videtur apud omnes exploratum esse, cum nemo inveniatur qui neget, Felicitatem esse bonum

num optimum: quidquid sit de varietate opinionum circa id, in quo tale bonum consistit.

5 CIRCA Secundam partem, quaerit quid tandem sit ipsa Felicitas, seu in quo bono sita sit, ut rectam illius definitionem proferat. Ad id vestigandum monet, opportunam esse considerationem eorum, quae hominis bona propria sunt, & non solum communia ceteris animantibus. Ut enim tibicini, & statuario, omnique artificio, & quibuslibet operantibus, seu agentibus, opus, quod extruunt, est bonum ab ijs quaesitum, & quo peracto bene se habent; ita & homini bonum esse oportet opus illud quod efficit, quatenus homo est. Et indignum quidem esset, ut fabro, ac sutori, certa aliqua munera, actionesque essent, ut bonum illorum; homo autem nihil praestaret quae homo est, sed otiosus existeret. Cum etiam oculi, manus, pedes, singulaque partium corporis sua propria munera obeant; absurdum esset si homo nihil operaretur, secundum propriam rationem hominis. Hoc autem nequit esse ratio solius vitae, scilicet, vegetativae, & generativae sumptae: quoniam haec etiam stirpibus communis est. Neque etiam operatio vitae sentientis, quoniam & haec per species equi, & bovis, & ceterorum animantium vagatur, ideoque hominis propria non est. Restat igitur ut operatio hominis propria sit vita octuosa rationalis animi. Haec autem duplex est: una rationalis per essentiam, superior, & imperans: altera rationalis solum per participationem, inferior, & obediens, atque immediate pertinens ad appetitum, quando obtemperat ipsi rationi. Rursus utraque subdividitur, ut alia sit in potentia ad agendum, alia autem in actu, sive exercitio. Cum vero perfectio in actu secundo sit praestantior perfectione in actu primo, consequens est, ut Felicitas, quae ultimam & supremam hominis perfectionem importat, non constituatur per vitam rationalem in actu primo, seu potentia: sed in actu secundo, sive exercitio. Ergo opus proprium hominis, in quo consistit eius Felicitas, est rationalis operatio, sive, ut in textu habetur, *ψυχῆς ἐπιγνῶσις κατὰ λόγον, ἢ μὴ ἀπὸ λόγου: animi actio rationi congrua, aut non absque ratione.*

6 VERVM Ratio haec non est specifica & propriissima Felicitatis, sed generica, in qua convenit cum omni operatione hominis propria, quaecumque illa sit, & sive constituat beatum, sive non. Quare pergit ulterius Arist. & assignat differentiam propriam Felicitatis, ut non sit qualibet operatio, sed perfecta secundum virtutem. Quemadmodum enim homo studiosus, sive virtute praeditus, differt ratione Virtutis ab alio homine non studioso; & dexter citharædus disidet a non dextro per rectam & artificiosam citharæ pulsationem; ita etiam operatio hominis, consti-

tuens Felicitatem, quatenus perfecta, sive recta, & secundum Virtutem est, differt ab alijs operationibus hominis; quae secundum Virtutem non sunt, quamvis secundum rationem sint, aut non sine ratione. Possunt enim eiusmodi operationes esse non recte, nec secundum Virtutem; ut si fiant coacte, vel à causa, vel ficto animo; aut solum ex doctrinâ alterius; & sine virtute in operantis animo, residente. Quare operatio, in qua sita est Felicitas, debet esse libera ab ijs naevis; utpote perfecta, & ex propria operantis Virtute orta. Vbi & notandum est discrimen habentis Virtutem à non habente. Hic enim non operabitur recte & bene quando & quoties voluerit, licet fortasse aliquando recte operetur: sicuti non praeditus arte Grammaticae nequit recte loqui quoties placuerit, quamvis semel forte aut iterum recte loquatur. Ille vero è converso se habet: quoniam virtutis habitu praeditus est: ideoque iuxta illam, prout libuerit, operabitur: sicut & Grammaticae habitu praediti facile & recte loquuntur, quoties volunt. Operatio igitur constituens hominem felicem, debet ab habitu Virtutis procedere. Et quidem ab habitu Virtutis perfectissimae, sive optimae: quoniam optimum & perfectissimum bonum inter ea omnia, quae hominis propria opera sunt, debet ex optima & perfectissimâ Virtute procedere. At Felicitas est optimum & perfectissimum bonum inter ea omnia, quae hominis propria opera sunt. Ergo Felicitas debet ex optima & perfectissimâ virtute procedere. Ergo & operatio, in qua Felicitas consistit.

7 ADDIT Philosophus, consistere Felicitatem in pluribus operationibus, si plures sint virtutes optimae & perfectissimae, *ἐπι δ' ἐν βέλῳ τελευτῆ, ἀπὸ πρῶτου ἐν βίῳ περὶ τὴν τελειότητα.* Rationemque statim subdit: *μία γὰρ χελιδὼν ἐστὶν ἢ ὅμοιοι. ὁ δ' ἐμὴν ἡμεῖς.* Una enim hirundo non facit ver, nec dies unus. Itaque quemadmodum neque una hirundo, neque dies unus, quamvis latissimus & valde temperatus, sufficit ad tempus vernum constituendum; ita etiam neque ad vitam beatam sufficit unica operatio perfecta secundum virtutem, sed exiguntur plures; & illae quidem non brevi tempore durantes, sed diuturnae, & quae perficiant vitae periodum. Sine hac enim operationum multiplicitate & diuturnitate, non obtinet homo, nec obtinere putandus est summum bonum suum, in quo Felicitas consistit. Ceterum doctrina haec non est accipienda de Felicitate simplici, sive activâ. Harum enim quaelibet in simplici aliqua operatione consistit, & momento temporis exerceri potest, ubi quis iam adeptus est habitum perfectae virtutis intellectualis, aut moralis. Sermo igitur est de Felicitate activa civili, sive sumptâ pro aggregato: quâ ratione importat multiplices operationes secundum virtutem.

virtutes perfectissimas, quae momento aut brevi tempore fieri nequeunt, in super, & diuturnum vitae tempus, ac caeterorum bonorum corporis ac fortunae sufficientiam: quoniam sine his omnibus, aut illorum aliquo, nemo existimatur, nec est felix, quantum ad civilem convictum; esto felix sit, vel appellari possit considerata quidditate beatitudinis in homine solitariam vitam agente. Et priori quidem ratione circumscribitur seu definitur hominis Felicitatem, sive summum bonum tradit, ut proinde iuxta Arist. nihil aliud sit, quam operatio humana multiplex ac diuturna secundum virtutem in vita perfecta.

S **CIRCA** Tertiam partem, ut eandem doctrinam uberioris edisserat, in toto Operis huius progressu, tradit praecipua quaedam in disciplinis observandas. **PRIMO** quidem statim, in superioribus, solum tradita esse veluti prima Felicitatis lineamenta, ut in sequentibus illa ipsa accuratius depingatur, & tuis exponatur per singulas partes. Quod quidem haud difficile esse monet: quia iactis disciplinae alicuius principis atque fundamentis, obvium cuique, scilicet, viro docto, est ea ipsa uberiorius explicare, & accessionem facere: vade artes processu temporis excoluntur, atque illustriores evadunt. Facile quippe est inventis addere. **SECUNDO** monet, subtilitatem non aequo in omnibus esse quaerendam, sed solum iuxta naturam rei, de qua agitur, & congruentiam doctrinae. Quod patet in fabro & geometra, dissimiliter investigantibus angulum rectum: quoniam prior illum considerat, quatenus utilem extruendo operi, posterior vero, quatenus conducentem ad veritates mathematicas, deprehendendas. quod sane aliquid subtilius est. Itaque curandum ut praedicto ordine disciplina tradatur: ne, si prius iacta non fuerint fundamenta, oporteat ea stabilire progressu aut fine artis; ideoque operis lacina seu appendix maior sit, quam praecipuum corpus ipsius operis. **TERTIO** observat non in omnibus aequaliter exigendam esse cautam rei, sed sufficere saepe ut nonnullis in locis res demonstrata sit recte, ut etiam sit in principis. Porro principium, & quidem primum, est, rem esse, sive existere: quo stabilito, plura inde facile colliguntur. Principiorum autem quaedam inductione deprehenduntur, quaedam sensu, quaedam consuetudine, quaedam alijs modis. Inductione quidem cognoscuntur quaedam principia mathematica, v.g. illud: *Si ab aequalibus equalia demas, quae remanent sunt equalia.* Hoc enim principium a geometra deprehenditur dicitur modo per plura, aequaliter imminuta, quae equalia manent; nequit autem ab eo probari demonstratione propter quod, seu propter cautam, quia hoc ad alio rem disciplinam spectat. Sensu autem percipiuntur multa ex principis natura-

libus; ut quod ignis sit calidus, & aqua frigida; quoniam utrumque ad sensum patet, atque in quolibet igne & aqua percipitur. Consuetudine addiscuntur quaedam principia, praesertim ethica, sive ad mores spectantia, ut quod abstinens a cupiditatibus possit fieri temperatus: quod perfectus virtutum usus pariat delectationem in animo. Experimento etiam quaedam principia dignoscuntur: ut in Medicina, quod omne agaricum purgat phlegma, & omne rheubarbarum purgat choleram. Sic enim deprehensum fuit assiduo medicorum experimento. **Definitione** tandem aliqua principia noscuntur, quamvis a posteriori probari possint: ut quod punctum careat omni dimensione: quod linea est longitudo sine latitudine, & alia eiusmodi: quia, nimirum, omne quod terminat aliud, excedit ab eo in una dimensione.

S **SINGULA** Itaque tractanda sunt, ut ferri illorum natura: curandumque ut ea recte definiantur: quoniam haec maximo conferunt ad ea, quae subsequuntur, & plusquam dimidium totius est hinc principia secisse, quae claritatem afferant circa ea, de quibus dicendum erit. Quam doctrinam observat perfecte idem Philosophus in toto hoc Opere. **PRIMO** enim, & in praesenti, definit Felicitatem hominis, quae est finis totius Philosophiae Ethicae, postquam in alijs locis de illa confuse ac generaliter dixerit. Deinde partes definitionis, quae sunt operatio humana & virtus, exponit dividitque in subsequentibus, ut quaedam virtus sit intellectualis, quaedam moralis. **Secundo** libro explicat naturam virtutis moralis, & partes eius subiectivas, in eodem, quam tertio, quarto, & quinto libro: in quibus etiam de varijs operationibus, tum ad intellectum, tum & ad voluntatem spectantibus, in ordine ad mores sermo est. **In sexto** exponit virtutes intellectuales: & in septimo agit de quibusdam, quae existimantur virtutes aut vitia, nec tamen sunt. **Deinde octavo & nono** libris fuse tractat de amicitia, quoniam haec potissimum habet locum inter bona externa, sine quorum sufficientia nulla videtur esse Felicitas civilis, & relate ad alios. **Denique** quoniam omnem operationem procedentem ex habitu perfecta virtutis consequitur delectatio, de hac plene disserit decimo & ultimo libro. Ex quibus patet quomodo Aristoteles re ipsa servaverit in Philosophia Ethica praecipua quaedam in praesenti circa studium vniuersitatisque disciplinae, quod & distinctius apparebit progressu Operis. **VIDE** D. Thomam

1. 2. 9. 2. 3. & 4. cuiusque Interpretes.

CAP. VII.

CAPVT OCTAVVM.

De dictorum antiquorum cum vera felicitate consensu, ac de triplici bono ad felicitatem necessario.



CONSIDERANDVM Est igitur de ipso, non ex conclusione solum, & ijs, ex quibus est ipsa ratio, sed ex ijs etiam, quæ de ipso dicuntur. Verò namque omnia, quæ competunt, consona sunt: à falso autem citò ipsum discrepat verum. Cùm igitur bona in tria sunt divisa, & alia externa, alia circa animam, alia circa corpus bona dicantur: ea, quæ sunt circa animam, propriissimè, maximeque dicimus bona. At actus, & operationes animæ, circa animam esse ponimus. Quare hac opinione cùm antiqua, tum à philosophantibus concessa, bene dicitur, finem ipsum actus quosdam, & operationes esse. Sic enim fit, ut fit ex ipsis animæ bonis, & non ex bonis externis. Consonum est etiam ipsi rationi & id, quod dicitur, felice m, inquam, bene vivere, beneque agere. Finis enim bona quædam vita, bonaque actio dictus est. Cuncta prætereà, quæ circa felicitatem quæruntur, ei, quod dictum est, inesse videntur. Alijs namque virtus, alijs prudentia, alijs sapientia quædam, alijs hæc, aut horum aliquod cum voluptate, aut non sine voluptate felicitas esse videtur. Sunt & qui externam etiam affluentiam simul accipiunt. Atque hæc partim multi, & antiqui, partim pauci, virique dicunt præclari: quorum neutros tota via aberrare, sed aliqua ex parte, & in pluribus vera attingere consentaneum est rationi. Eorum igitur sententiæ, qui vel omnem, vel aliquam virtutem felicitatē asserunt esse, ipsa ratio consona est. Huius est enim ea operatio, quæ per ipsum efficitur. Interest autem fortasse non parum, in possessione, an in usu, & in habitu, an in operatione, summum consistere bonum putare. Fieri enim potest, ut habitus quidem & si inest, nullum efficiat bonum: ut in dormiente, vel etiam alio modo quodam otioso facto. Ut operatio autem nihil efficiat boni, fieri nequit. Qui namque operatur, aget utique necessariò, & bene etiam aget. Atque ut in Olympia non hi, qui sunt elegantissimi forma, præstantissimique robore, sed ij, qui decertant, coronis afficiuntur, (ipsorum enim aliqui vincunt) sic & qui bene agunt, eorum, quæ sunt in vita pulchra, bonaque, compotes fiunt. Est autem vita ipsorum per se iucunda. Nam voluptate quidem affici, ex his est quæ ad animam pertinent: id autem est cuique voluptati, cuius amator dicitur unusquisque: ut equus equorum amanti: & spectaculum spectaculorum identidem amanti: eodem modo & amanti iustorum, iusta: & omnino virtutum amanti, ea, quæ per

per virtutem efficiuntur. Quæ igitur voluptati sunt vulgo, ea repugnantia sunt, propterea quòd non natura talia sunt. Sed amatoribus honestatis ea sunt voluptati, quæ sunt natura iucunda. Tales autem eæ sunt actiones, quæ à virtute emanant: quare & his ipsæ sunt voluptati, atque per se ipsas iucundæ. Ipsorum igitur vita non indiget voluptate, tanquam aliqua foris adingenda, sed habet in se ipsa voluptatem. Præter enim ea, quæ dicta sunt, neque bonus is est, qui bonis actionibus non delectatur. Nam neque iustum eum quisquam dixerit, qui iustis non gaudet: neque liberalẽ eum, qui liberalibus actionibus non delectatur: & in cæteris eodẽ modo. Quòd si hæc ita sunt, actiones, eæ quæ à virtute proficiuntur, per se ipsas sunt voluptati, atq; iucundæ. At verò bonæ quoque sunt, & etiã pulchræ, atq; horũ vnumquodque maximè ipsius competit, si rectè de his ipse iudicat studiosus: iudicat autem, vt est dictum. Optimum ergo, & pulcherrimum, & iucundissimum est ipsa felicitas, & non se iunguntur hæc, perinde atque in illo Deliaeo carmine separantur:

Summè est pulchrum, ex Astrea quod gignitur alma:

Optima, si valeas, res est, quod quilibet optat:

Summè est iucundum, si re potiaris amata.

Hæc enim operationibus omnia competunt. Has autem ipsas, vt vnã ipsarum, quæ sit optima, felicitatem ipsam dicimus esse. Videtur tamen & externis indigere bonis, vt diximus. Fieri enim non potest, aut non facilè fit, vt is res agat præclaras, cui facultates desunt. Multa namque per amicos, per divitias, per civilem potentiam, tanquam per instrumenta aguntur. Quibusdam autem carentes, vt nobilitate, bona prole, pulchritudine, beatitudinem maculant. Non enim satis ad felicitatem idoneus est, qui penitus est deformis, aut ignobilis, aut solitarius sine prole: & minùs etiam fortasse, si cui perpravi sint filij, vel amici, aut boni mortui sint. Vt igitur diximus, videtur felicitas, & talis indigere prosperitatis. Vnde quidam prosperitatem fortunæ, quidam virtutem, felicitatem esse dicunt.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Aliorum opiniones circa id, in quo sita est Felicitas, non prorsus alienas esse à veritate.

Quatenus vnaqueque illarum admittenda sit, aut potius respicienda.



OST Felicitatis definitionem capite superiori traditam, Aristoteles nunc eam vberius exponendam assumit, præsertim ex varijs Philosopherum opinionibus: vt siquid in ijs rectè dictum est, probetur; sin minus autem,

reijciatur. Dividitur caput hoc in quatuor partes successivè exponendas.

2 CIRCA Primam partem inquit, considerandum esse principium, seu definitionem Felicitatis antea traditam; idq; non modò ex cõclusionibus iam allatis, nec ex principijs tantum, e quibus conclusiones illæ deducuntur;

C

sed

sed etiam ex pluribus Philosophorum sententijs circa ipsam Felicitatem: nam & ex ijs constabit, definitionem superius assignatam, optimam esse, quatenus illæ continent aliquid veri: quamvis non prout admittent aliquid falsi. Quidquid enim verè dicitur de re aliqua, concordat cum ijs omnibus, quæ verè ipsi cõpetunt: sicuti & quidquid falsò de illa enuntiat, discrepat ab ijs omnibus, quæ illi conveniunt. Et sanè oportet adaptare doctrinam traditam communi hominum sensui: præsertim Sapientum, à quibus omnibus dissentire, videtur esse se audacis & insipientis animi: ut idem Aristoteles aliàs docet, ac Plato in Hippia minore: præsertim verò in rebus Ethicis & Politicis, quoniam plurimum pendent ex iudicio & experimento communi.

3 PRIMA Itaque Philosophorum opinio in præsentì relata est, qua asseritur ex communi placito triplex genus bonorum; nimirum, animi, corporis, & fortunæ, sive externorum; & speciatim additur, bona animi esse potissima, ac maxime bona. Nimirum ea divisio Academicis placuit, & à Platone tradita est in Euthydemo, ac Philebo, & lib. 5. ac 9. de Legibus. Illamque probat Cicero in 5. QQ. Tuscul. Subde modò Aristoteles. Felicitas est potissimum, & maximum bonum hominis. Ergo est bonum animi. Quare opinio hæc consonat sententiæ ipsius Aristotelis capite superiori statuentis, Felicitatem in operatione animi sitam esse. *Secunda* opinio est, Felicitatem esse bonum ut finem: & hæc etiam consonat doctrinæ traditæ. Omne enim quod est bonum animæ ut finis, est operatio ipsius. At iuxta doctrinam traditam Felicitas est bonum animæ ut finis. Ergo & iuxta illam Felicitas est operatio animæ. Maior constat: quia anima medijs omnibus suis potentijs & habitibus, tendit ad operationem, tanquam ad finem suum. Minor verò æquè constat: quia finis inspectus & per se questus ab anima, est Felicitas, sive summum bonum ipsius. *Tertia* est aliorum, qui dixerunt, felicem esse, qui benè vivit, & benè agit. Etenim felicitatem nihil aliud existimant, quam *εὐφροσύνην, ἢ εὐνομίαν, bonam operationem, & bonam vitam.* Hæc etiam nobiscum convenit: quoniam statuimus præcedentibus, Felicitatem in bona operatione animi, ac proinde in bona vita collocatam esse.

4 QUARTA Opinio est eorum, qui Felicitatem ponunt in virtute, una, vel pluribus; sive illa sit virtus moralis; sive intellectualis, ut prudentia, & sapientia; sive omnes illæ simul, veluti perfectiones trium potentiarum animæ: nam virtus moralis est perfectio appetitus, prudentia est perfectio intellectus

activi, sapientia speculativi. At neque ij à nobis dissident quantum ad hoc: quoniam & nos Felicitatem collocavimus in operatione virtutis. *Quinta*, illorum, qui virtutibus dictis addiderunt voluptatem. Quòd si accipiat de illa, veluti parte essentiali Felicitatis, reiiciendum est: quoniam voluptas, quamvis bona (nam de mala non agimus) nequit esse Felicitatis pars essentialis, sed quoddam quasi corollarium, aut effectus ipsam consequens: veluti pulchritudo sequitur bonam complexionem, & compositionem partium corporis, atque umbra corpus interpositum comitatur: de quo infra lib. 10. cap. 4. Melius itaque alij dixerunt, Felicitatem non sine voluptate esse: quoniam licet illius pars essentialis non sit, illam semper comitatur. Patet igitur, in omnibus prædictis opinionibus esse aliquid veri. Idque vel exinde constat, quòd eas tradiderint, aut multi & antiqui ex Philosophis, aut pauci & præclari: ideoque par sit existimare, utrosvis illorum veritatem atsecutos, saltem ex parte.

5 CIRCA Secundam partem amplius expendit opinionem quarto loco relata, & ex parte approbat illam, ac reiicit. Approbat, quatenus in ea asseritur, Felicitatem sitam esse, aut in virtute morali, aut in prudentia, aut in sapientia, abstrahendò ab eo quòd sit operatio, vel habitus: nam secundum hunc dicendi modum verificatur, Felicitatem esse aliquid ad virtutem spectans, quòd & superioribus traditum est. Reiicit autem eam opinionem, si accipiat pro habitu, & non pro operatione. Cùm enim ex communi placito, & prima terminorum notione, Felicitas sit bonum optimum; debet esse potius sita in eo quòd est bonum cæteris melius, quàm in eo quòd minus bonum est. At usus & operatio virtutis est bonum melius, quàm ipsius habitus & possessio: Ergo Felicitas potius sita est in usu & operatione virtutis, quàm in eius habitu & possessione. Suadetur & explicatur minor, in qua sola potest esse dissidium. Melius enim est bonum agere, quàm non agere. At usus & operatio virtutis est ipsum bonum agere; habitus autem solus, seu possessio virtutis non est agere bonum, immò & coherere potest cum hoc quòd est nihil boni agere: ut patet in dormiente, aut otioso, quamquam virtutum habitibus prædito. Ergo usus & operatio virtutis melius bonum est, quàm ipsius habitus & possessio. Et confirmat hoc ipsum à pari in ludis Olympicis. In ijs enim nõ coronantur qui robustissimi & fortissimi sunt, quasi in habitu solù, sive in actu primo: sed ij tantù qui re ipsa atq; operatione deccerant, & cæteris supereminent. Ideoq; & lib. 2. Eudem. ait: *Fincentes corona donantur: non qui possint vincere, nec vincunt tamen.* Nec coronam triumphalem

lem obrinuerunt; aut felices existimati sunt, Timoleon Corinthius, Marcus Livius, aut Camillus, quamvis præditi habitu fortitudinis, & artis militaris, dum ruri degebant, separati à populo, & exercitu: sed postquam inde evocati, ac militiae præpositi, patriæ suæ insignem victoriam reportarunt. De quo legendus Livius Decad. 3. lib. 7. Non enim laude & honore digna fuit virtus illa animi in se cellu ab hominum convictu, & absque ullo usu, aut utilitate populi; nisi postquam in lucem prodijt, seu in operationem internæ virtutis indicem. Similiter ergo nec Felicitas consistere puranda est in habitu, quamvis optimo, sed potius in exercitio optimæ & honestissimæ operationis.

6 CIRCA Tertiam partem expendit ultimam ex prædictis opinionibus, quæ asserbatur, Felicitatem consistere in virtute, aut virtutibus, cum voluptate, aut non sine voluptate. Et circa hoc statuit quasdam theses. *Prima* est, Felicitatem esse talis naturæ, ut contineat voluptatem, seu iucunda sit. Omne enim quod amatur ab unoquoque, nequit non esse ipsi iucundum: ideoque amatori equorum iucundus est equus: similiter, & spectacula iucunda sunt theatrorum cupido. At Felicitas amatur ab unoquoquoque, cum omnes velint esse felices. Ergo Felicitas nequit non esse iucunda. Præterea, cum Felicitas consistat in exercitio perfectæ virtutis, nequit non esse iucunda: quoniam omne perfectum exercitium virtutis, iucundum est. *Secunda*, Felicitatem, non quomocumque iucundam esse, aut ἀσπιρ περιάωλις τῆς, *veluti appendice quadam*; sed per se. Id enim quod est iucundum naturâ suâ, est per se iucundum. At operatio secundum virtutem, in quâ consistit Felicitas, est naturâ suâ iucunda. Ergo operatio secundum virtutem, ac proinde & Felicitas, naturâ suâ iucunda est. Maior cum consequentia constat. Minor suadetur adnotato discrimine eorum, quæ multitudini iucunda sunt, ab operationibus secundum virtutem. Priora enim repugnantes effectus voluptatis, aut tristitiæ pariunt in diversis subiectis, immo & in eodem subiecto iuxta aliud, & aliud tempus, eo quod natura sua non sint iucunda, sed indifferentia ad iucunditatem, aut tristitiam generandam. At operatio secundum virtutem in omnibus subiectis, & semper, iucunditatem parit, seu illam affert operanti: utpote bono & prudenti viro, cuius est incorruptum & firmum ferre iudicium de rebus, & honestate operis. Ergo operatio secundum virtutem, natura sua est iucunda. Idque experimento patet in quolibet perfecte secundum virtutem operante, v.g. in materia iustitiæ, aut liberalitatis. Delectatur enim & gaudet in ipsa operatione: alioqui enim non esset iustus, aut studiosus honesti, sed simulator, aut am-

bitiosus, inaniter gloriæ cupidus. Iucunditas ergo, seu voluptas est quid per se conveniens Felicitati, non autem sicut appendix, seu forma aliqua foris adiungenda, ut verit Argypopilus: vel quasi additum amuletum, aut periapton, ut exprimit P. Victorius. Periapton enim, quod est in textu Aristoteles Græco, idem significat, ac amuletum, seu quiddam à mulierculis superstitioni deditis suspendebatur è collo infantum, aut virorum agrotantium, ad avertendas fascinationes, vel morbos. Qui mos olim apud Ethnicos increbuit, donec prohibitus fuit. Caracalla Imperator enim veluti capitis reos damnavit gestantes collo remedia tertianæ, aut quartanæ febris: quoniam putabantur adhiberi operâ Magorum. Inde forsitan visus quorundam amuletorum vanissimorum apud nonnullos, etiam ex Christianis reprehensus à Patribus, præsertim à Chrysostomo. *Tertia*, Felicitatem esse non modo iucundam, sed etiam bonam, pulchram, atque honestam. Ratio est: quia talem illam reputant omnes viri sapientes, & studiosi, quorum est rectum de rebus iudicare, & proferre iudicium. *Quarta*, esse quid optimum, & pulcherrimum, & iucundissimum. Omnia enim illa, quæ Felicitati tribuuntur, debeat ipsi competere in superlativo, sive summo gradu. At bonitas, pulchritudo, & iucunditas, Felicitati tribuuntur. Ergo ipsi in superlativo, sive summo gradu competunt: ideoque optima, pulcherrima, & iucundissima est. Quæ tria hæc simul coniuncta inveniuntur in Felicitate: non autem disincta, ut in Deliceo carmine habetur:

Καλλίστην τὸ δίκαιότατον. καὶ ὄντων
ἡδίστην δὲ πέρυχ' ὅτις ὄρα τὸ τυχεῖον.
*Est pulcherrima res, iustissima: amata tenere,
Iucundissima res: optima, si valeas.*

7 Omnia enim hæc insunt optimis operationibus, in quarum una, aut pluribus, consistit Felicitas: ita tamen, ut carmina intelligantur de operatione secundum iustitiam, seu honestatem virtutis, cui pulchritudo tribuitur, de iucunditate Felicitatis comite, & denique de sanitate, seu bona valetudine animi: sic enim accipiendum τὸ ὀγαίνων.

8 CIRCA Quartam capitis partem subdit, videri Felicitatem indigere bonis externis. Probat: Quicumque enim Felicitatem allequitur, eo ipso potest res præclaras gerere. At sine bonis externis, quæ sunt amicorum subsidia, opes, & potentia civilis, non potest, aut vix potest quis res præclaras gerere: quoniam ea necessaria existimantur, veluti instrumenta quædam. Ergo sine ijs bonis externis nemo potest obtinere Felicitatem. Hinc etiam spectat quod & illa exigat quædam alia ceteri modi bonorum: ut nobilitatem, filios, & pulchritudinem. Non enim beatus est cæcandus ignobilis,

aut omnino deformis, aut liberis carens; neque ille, cui liberi improbiſſimi ſunt, aut ſi optimi, iam vita exceſſerunt. Omnis ergo proſperitas ex bonis externis conſurgens videtur neceſſaria eſſe ad plenam Felicitatem. Unde ortum eſt, ut quidam exiſtimaverint idē eſſe Felicitatem, ac proſperam ſive ſecundam fortunam: quidam autem eam in virtute collocent. Verū in præſenti obſervandum (quod & progreſſu Operis ampliùs innoſceſcet) Felicitatem dupliciter accipi poſſe. Primò, ut perficit habentem, & eſt in ordine ad ipſum.

Secundò, prout ſpeſtat ad civilem conſuetum, eſtque in ordine ad alios. Priori ſenſu vix eget bonis externis, ſalvaturque in perfectio virtutum exercitio, ut capite præcedenti ſtatutum eſt. Poſteriori vero, ijs bonis eget, veluti instrumentis neceſſarijs ad exequenda virtutum opera. Quare Ariſtoteles, dum neceſſitatem eiſmodi bonorum adſtruit, non eſt accipiendus de quacumque Felicitate, ſed de civili, & in ordine ad alios.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 2. 3. & 4. atque eius Interpretes ibidem.

CAPVT NONVM

De modo aſſequenda Felicitatis.



VND E Et dubitatùr, vtrum diſciplina, an potius aſſuetudine, an alio quodam modo per exercitium acquiri poſſit: an aliqua divina forte, an & ob fortunam proveniat. Si igitur & aliquid aliud deorum eſt munus hominibus, conſentaneum eſt rationi & felicitatem à dijs ipſis dari: & eò magis, quò cæteris humanis bonis eſt præſtabilius. Verū hoc ad aliam magis conſiderationem forſitan pertinet. Videtur tamen, & ſi non à dijs immortalibus mittitur, ſed virtute, diſcipline quadam, vel exercitatione comparatur, diviniffimum eſſe. Præmiū enim, finis que virtutis, optimum, & divinum quoddam atque beatum eſſe conſtat. Eſt prætereà multū commune. Fieri nanque poſteſt, ut diſciplina quadam, ac diligentia ab vniuerſis ijs comparetur, qui nullo principio labefactato, idonei ſunt ad conſequendam virtutem. Quod ſi melius eſt hoc modo, quàm ob fortunam felicem eſſe, rem ita ſe habere conſentaneum eſt rationi. Siquidem ea, quæ ſunt ſecundum naturam, ut quàm optimè ſeſe habere poſſunt, ſic ſe habent ſuapte natura: & ea ſimiliter, quæ per artem conficiuntur, atque à quacumque proveniunt cauſa: & ea maximè, quæ à præſtantiffima proficiuntur. Id autem, quod maximum, aut pulcherrimū eſt, fortunæ adſcribere abſurdū videtur in primis. Patet etiam ex ipſa ratione, quod quæritur. Dicta eſt enim operatio animæ per virtutem. Cæterorū autem bonorum, alia inſunt neceſſariò, alia adiuvant, ſuntque vtilia, ut instrumenta: hæc & ijs conſona ſunt, quæ in principio diximus. Ipſum enim finē facultatis civilis optimū ponebamus. Hæc autē magnam adhibet diligentia, ut cives ipſos diſponat, bonoſque faciat, & ad honeſtas res agendas idoneos reddat. Merito igitur, nec bovem, nec equum, nec aliud quicquam animantium dicimus felix. Quippe cum fieri

ne-

nequeat, ut ipsorum quicquam talis sit particeps operationis. Hanc autem ob causam neque puer est felix: nondum enim est idoneus ad res tales agendas propter ætatem. Qui dicuntur felices, ob spem dicuntur. Est enim opus, ut diximus, & perfecta virtute, & perfecta etiam vita. Multæ namque mutationes in vita fiunt, variæque fortunæ; atque fieri potest, ut is, qui maximè bonis abundat, in magnas incidat in senectute calamitates, ut in heroicis de Priamo dicitur. Eum autem, qui tali fortuna est usus, & miserabiliter obiit, nemo felicem dicet.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Quomodo obtineatur Felicitas; an industria, aut arte hominis; an potius divina sorte, aut fortuna? Quinam è mortalium cætu sint inepti ad Felicitatem habendam: quinam autem idonei?



POSTQVAM Aristoteles defini- vit Felicitatem humanam, differit iam de causa efficiente, ac subiecto ipsius, dividitque illud in quatuor partes. In prima excitat dubium à quâ causa efficiente proveniat, & arguit pro divina sorte, aut fortuna. In secunda probat directè non ab ïjs provenire, sed à principio intrinseco homini. In tertia exponit, quibus non conveniat esse subiecta receptiva Felicitatis. In quarta demum statuit quodnam sit Felicitatis subiectum.

2 CIRCA Primam partem in- quirir unde oriatur Felicitas, seu, quod per- ãnde est, à quam efficiente causa proveniat? An à causa intrinsecâ ipsi homini, qualis est disciplina, assuetudo, & quodlibet exerci- cium; an potius intrinseca, qualis est di- divina fors & fortuna. Ut verò dubij diffi- cultas intelligatur, notandum est, illa bona dici nobis intrinseca, quorum adquisitio, & amissio sunt in potestate libera nostri arbi- trij. Ideo huius generis censentur scientiæ, quæ per disciplinam acquiruntur; virtutes, quæ honestarum operationum assuetudine comparantur; & nonnullæ artes, ut dextræ saltandi, cantandi, citharizandi, & luctan- di, quas non, nisi longa exercitatione, as- sequimur. Alia autem bona dicuntur extrin- seca, quoniam in potestate nostra non sunt collocata, sed ex divina sorte, aut fortuna proveniunt: ut esse nobilem, pulchrum, nas- ci divitem, optimæ complexionis, &c. Du- bitatur itaque utro ex duobus predictis mo- dis proveniat in nos Felicitas. Et proponitur ratio dubitandi, ut censetur illam potius divinam sorte, aut fortuna provenire, quam à causa homini intrinseca. Quia nobilissimus

effectus debet provenire à causa omnium præ- stantissima, qualis est divina. Felicitas autem est effectus nobilissimus omnium eorum, qui homini convenire possunt; cum sit cæterorum finis, ac summus apex. Igitur provenire debet non aliunde, quâ à causa omnium præ- stantissima, ac proinde divina: quam Cicero divi- num beneficium, & deorum munus appellat: Iurisconsulti autem *vim maiorem* dicunt, ut hoc loco observat Giphanius: Antiquus Inter- pretes *Divinam Providentiam* vertit, quo- niam *μὲν ἡ βία*, id significat, tum in textu, tum & apud Xenophontem: ac denique Al- bertus Magnus & D. Thom. legerunt *divi- nam particulam* in codicibus sui temporis.

3 CIRCA Secundam partem sta- tuit pro Assertionem, Felicitatem provenire à à causa intrinseca & humana, non autem ab extrinseca, quales sunt divina sorte, & fortu- na. Priorem & affirmantem partem probat dupliciter. Primò. Quidquid homines acqui- runt doctrinâ, assuetudine virtutum, aut aliquo exercitationis genere, provenit à causa huma- na. Ac felicitas acquiritur ab hominibus do- ctriâ, assuetudine virtutum, aut aliquo exer- citationis genere. Ergo provenit à causa hu- mana. Maior intellecta, ut debet intelligi, de causa particulari, explorata est. Quamvis enim omnia effecta creata, quotquot aliquid bonita- tis habent, à Deo ut prima causa proveniant, etiam ex mente Philotopii, non tamen omnia ab eo proficiscuntur, ut à causa particulari, nisi ea tantum, quæ speciatim ipsius dona sunt, aut sine libera hominis cooperatione obti- neantur. Cætera enim solum tribuuntur Deo, ut universali causæ, sive intra naturæ ordi- nem operanti, sive supra naturam. Ergo quidquid homines acquirunt libero voluntatis exercitio, sive per doctrinam,

sive per assuetudinem virtutum, sive per alia exercitia, totum id provenit à causa humanâ, scilicet, tanquam à causâ particulari. Iam minor illa principalis suadetur: Omnes enim homines usu rationis præditi, ac potentijs, & sensibus naturam humanam comitantibus, habent in liberâ potestate suâ ut sint, vel fiant felices: quia hoc interest ad perfectionem naturæ humanæ, prout cæteras animantium, & insensibilium supergreditur. Ergo omnes eiusmodi homines, quoties serio ad id conantur & prosequuntur, ut sint vel fiant felices, proculdubio ipsam Felicitatem adquirent. At non adquirent illam, nisi vel doctrinæ studio, vel virtutum assuetudine, vel exercitijs, quibus se voluntariè exercent. Ergo Felicitas aliquo ex ijs modis adquiretur ab hominibus.

4 POSTERIOREM Et negantem partem sic ferè probat, simul & confirmat priorem. Nobilissimus quisque effectus non debet provenire ab ignobilissimâ causa. At Felicitas est nobilissimus effectus, fortuna verò & casus sunt causæ ignobilissimæ. Ergo Felicitas nequit ab ijs provenire. Maior patet, quia ignobilissima causa nequit continere in se perfectiorem effectum, ideoque nec producere. Minor quo ad priorem partem constat. Quò ad posteriorem suadetur: quia facta inter causas comparatione, causa per se est longè perfectior, quam causa per accidens: quoniam præ illa continet effectum, ipsumque reddit à se dependentem simpliciter, & absolute. At fortuna & casus est causa, non per se, sed per accidens: ut latè docet idem Philosophus *lib. 2. Physic.* ubi & nos cum ipso, *disput. 17.* per totam. Fortuna igitur & casus sunt causæ ignobilissimæ. CONFIRM. I. & illustratur. Quæcumque fiunt à naturâ, optimè se habent, cum fiant secundum exigentiam connaturalem, ac perfectionem sibi debitam. Similiter & rectè se habent quæcumque secundum artem fiunt, quoniam & sic nata sunt fieri. Quidquid verò qualitercumque in suo esse aberrat à naturâ, vel arte, defectuosum, seu deforme censetur. Ratio utriusque est: quoniam natura respectu effectuum naturalium, & ars respectu artificialium, sunt duæ causæ per se: & omnis effectus habet suam perfectionem per ordinem ac similitudinem ad suam causam. E contra se habent quæcumque procedunt a casu & fortuna. A casu dicitur procedere id quod evenit præter intentionem naturæ: ut quando aliquis oritur cum sex digitis in aliqua manu, præter ordinem naturæ ex se inclinantis ad eam cum solis quinque digitis informandam. A fortuna autem provenit quidquid accidit commodi, aut incommodi præter intentionem agentis: ut si quis fodiens ter-

ram ex fine colendi vineam, inveniatur thesaurum latentem; & in artificialibus, si pingens manum hominis excedat præter intentionem in numero digitorum. Porro eiusmodi effectus dicuntur, & sunt entia per accidens, ac proinde imperfectissima: quia non procedunt ab aliqua causa per se, neque naturali, itaque artificiali, sed a causis per accidens, sive præter intentionem naturæ, & agentis mente præditi. Atqui Felicitas humana est perfectissimus nobilissimisque effectus: vi potestate quo rationalis natura ultimo perficitur. Ergo non procedit à casu aut fortunâ, sed à naturâ, vel ab arte, sive, quod perinde est, ab industria, & exercitio proprio uniuscuiusque felicitis. At non à naturâ, ut ex se patet: cum omnis homo post naturam à genetrante acceptam sit indifferens ad felicitatem & infelicitatem. Superest igitur ut Felicitas proveniat ab arte, sive industria uniuscuiusque, qualis est, doctrina, assuetudo virtutum, & quodlibet voluntarium exercitium. CONFIRM. II. Omnis operatio animi per virtutem, est effectus proveniens ab ipso homine; non verò à fortuna & casu. Habet enim causam intrinsecam & sufficientem in ipso homine, & fit penes ipsius arbitrium. At Felicitas est operatio animi per virtutem, seu consistit in eiusmodi operatione, ut cap. præcedenti statutum fuit. Ergo Felicitas est effectus proveniens ab ipso homine; non autem à casu, aut fortuna. CONFIRM. III. Finis civilis disciplinæ est optimum, sive summum bonum, ac proinde ipsa Felicitas: ut initio huius libri traditum à se supponit Aristoteles. At finis disciplinæ civilis, non à casu & fortunâ, sed ab eadem disciplina civili, atque homini intrinseca procedit. Ideo enim homo civilem doctrinam addiscit, & intra se acquirit, ut ipsius finem assequatur. Ergo optimum sive summum bonum, ac proinde Felicitas, non à casu, aut fortuna, sed à causa intrinsecâ homini procedit. Quare concludit, esse *πλημμελές*, id est, scelus nefarium, sive *absurdum*, ut vertit Argyropilus; sive *flagitiosum*, ut Lambinus; sive *pravum*, ut Felicianus; tribuere fortunæ perfectionem omnium præstantissimam, qualis est Felicitas.

5 CIRCA Tertiam partem, consequenter ad doctrinam hucusque traditam, assignat quid non sit subiectum ipsius Felicitatis. Ac primo quidem excludit illam à brutis, seu quibuslibet animantibus ratione carentibus: Quia licet moveantur & operentur per appetitum, non possunt se exercere in operatione virtutis, quoniam nunc carent. At Felicitas consistit in exercitio seu operatione virtutis. Ergo brutæ nequeunt eam obtinere felicitatem. CONFIRM. Cum ostentum sit Felicitatem debere procedere à causa

Intrinsicâ ipsi felici, necessum est illam esse non posse in eo subiecto, à quo talis causa abest. At causa intrinsicâ Felicitatis est virtus, quæ non inest brutis, sicut nec ratio. Ergo necessum est Felicitatem in brutis nullatenus esse posse. Secundò docet, Felicitatem nec in hominibus adhuc pueris locum habere. Quotquot enim nequeunt esse subiecto studiosarum & perfectarum operationum, non habent in se Felicitatem: utpote in eisdem operationibus consistentem. At pueri, defectu ætatis & maturi iudicij, non sunt subiecta capacia studiosarum ac perfectarum operationum, pro eo statu, ut patet. Ergo non habent in se Felicitatem. Differunt autem à brutis, quatenus hæc defectu rationis nequeunt Felicitatem assequi: pueri vero non defectu rationis simpliciter, sed perfectæ tantum, quæ pro maturitate iudicij accipitur. Verùm quoniam obijci posset, aliquos puerorum existimari felices propter egregiam animi indolem, & honestatem morum, quam præferunt; addit, illos censeri, aut appellari felices solum ob spem, quam exitant; non verò quòd iam felices actu sint. Perfectio autem, quæ non est actu, sed potentia talis, aut expectatione tantum, non est simpliciter perfectio, ideoque nec Felicitas: quemadmodum non est simpliciter albus, qui actu quidem albus non est, quamvis postea talis esse possit, aut futurus sit.

6 CIRCA Quartam partem decernit positivè quodnam sit Felicitatis subiectum: statuitque esse solum hominem habentem virtutem perfectam in vitâ perfectâ. Probat: Quoniam solum illud est subiectum Felicitatis, quod intra se habet id, quo ipsa Felicitas constituitur. At Felicitas constituitur per virtutem perfectam in vitâ perfectâ. Ergo solum homo habens intra se perfectam virtutem in vitâ perfectâ est subiectum Felicitatis. Suadetur & declaratur minor. Felicitas enim non consistit in virtute inchoare, qualis est puerorum, aut imperfectorum, ut modo dictum est; sed in virtute perfectâ ac robustâ. Deinde additur *in vitâ perfectâ*, sive, ut in Græco habetur, *ἐν τῇ βίῃ τελείῃ, & vitâ completâ*. Quoniam licet virtus perfectâ iam sit, nisi etiam diuturna existat, & usque ad finem vitæ perseveret, non erit perfectâ Felicitas.

5, Multæ enim mutationes in vitâ, inquit, varijque eventus existunt: fierique potest, ut qui optimè fortunatus sit, in magnas incidat calamitates in senectute: ut in Heroicis de Priamo ferunt fabulæ. Qui autem eiusmodi fortunâ usus sit, ad extremum autem miserè finierit, nemo dicet beatum. Quasi ita argueret: Quisquis infelicitè se habet in decurtu vitæ, non est putandus simpliciter felix. At fieri potest ut qui perfectam virtutem adeptus est, infelicitè se habeat in decurtu vitæ: utpote mutabilis, & calamitatibus obnoxia. Ergo & fieri potest, ut qui virtutem perfectam adeptus est, non debeat existimari simpliciter felix. Opus igitur est ultra virtutem perfectam, quòd illa persittat, usque ad finem vitæ.

7 VBI Quedam notanda sunt. Primum est, in hoc ipso discursu Aristotelis, atque pro ratione dubitandi assumi, neminem esse posse simpliciter felicem, si infortunia, & calamitates experiat: quia bona fortunæ, & quælibet alia externa, quamvis non spectent ad essentiam beatitudinis, sunt quedam adiumenta ad illam comparandam, & sine quibus ipsa non obtinetur. Verùm quid circa hoc absolutè sit censendum, in præsentia non determinat, sed capite sequenti, quod est illius consecrarium. Ratio vero præcipua dubitandi à principio huius capitis proposita, ut Felicitas contingat ex divina sorte, veluti nobilissimus effectus ex causa nobilissimâ, facile solvitur ex dictis: quia non agimus in præsentia de causa prima & universali, à quâ certum est omne bonum provenire, & maxime perfectum, qualis est Felicitas. Sermo igitur est de causa particulari & hanc dicimus non esse fortunam, aut casum, sive sortem; sed potius aliquid intrinsicum homini: quoniam eo ipso quòd Felicitas sit res adeò perfectâ, debet provenire à causa particulari perfectâ, & quæ per se talis sit: non verò à causis per accidens. Fortuna autem, & casus, sive sortis, sunt causæ per accidens: ceterum virtus homini intrinsicâ est causa Felicitatis per se.

VIDE D. v. Thomam 1. 2. quæst. 5. artic. 5. & 6. atque illius inter-

preti.



CAPVT DECIMVM.

Quòd quis in hac vita dicendus sit felix, & quid felix.



NVLLVSNE igitur homo felix, quandiu vivit dicendus est, sed Solonis sententia, finem spectare oportet: Quod si & ita ponendum est, tunc felix est, cum à vita decesserit: An id absurdum est penitus, nobis præsertim, qui felicitatem, operationem quandam dicimus esse: Quod si mortuum felicem non dicimus, neque Solon id vult: sed tunc dici beatum hominem tutò posse, quia iam est extra omnia mala, calamitatesque. Habet quidem & hoc controversiam quandam. Mortuo namque bonum & malum videtur aliquod esse, siquidem & viventi, non autem sentienti: ut honores, infamiae, & filiorum, posterorumque omnino prosperitates, atque adversitates. Dubitationem autem & hæc afferunt. Ei namque, qui ad senectutem usque beatè vixerit, secundumque rationem decessit, multas circa posteros accidere mutationes contingit: & alios ipsorum esse bonos, vitamque consecutos esse pro dignitate: alios contrà. Constat autem & distantijs ad parentes, multis, varijsque modis ipsos sese habere posse. Absurdum igitur est, si defunctus simul etiam mutaretur, & nunc felix fieret, nunc miser. Absurdum est etiam, & minimè, nec aliquod ad tempus, posterorum ad parentes res pertinere. Sed redeundum est ad id, quod prius est dubitatum. Ex illo namque & id, quod nunc quæritur, fortasse perspicietur. Si igitur finem spectare oportet, & tunc beatum dicere quemque, non quia beatus tunc est, sed quòd prius erat: quo modo non est absurdum, si cum est felix, non verè de ipso dicetur quod inest. Quia viventes, dicere beatos ob mutationes nolumus: & quia felicitatem quidè stabile quiddam, nulloque modo facilè mutabile esse putamus: fortunam autem in eisdem sæpe revolui. Nam si fortunam sequamur, sæpe numero felicem, ac miserum eundem dicemus, chamæleontè quendam ostendentes ipsum felicem esse, ac debiliter collocatum. An fortunam sequi, nullo modo est rectum? Non est enim in ipsa bene vel malè vivere situm, sed indiget humana vita ipsius, ut diximus. Operationum autem contrariarum, quæ à virtute proficiuntur, felicitatis: eæ verò, quæ sunt contrarij dominæ sunt. Attestatur huic sententiæ & id, quod nunc dubitavimus: etenim nullis in operibus humanis tanta est firmitas, quanta est in operationibus hisce, quæ à virtute proficiuntur, hæc namque stabiliores, & scientijs ipsis esse videntur. Harum autem ipsarum eæ,
quæ

quæ cæteris antecellunt, maximè stabiles sunt, propterea quòd in his ipsi beati, & maximè, & continuatissimè vivunt. Hoc enim simile est causæ, ut ipsarum non fiat oblivio. Id igitur, quòd quæritur, competit ipsi felici, & erit talis per vitam. Nam semper aut maximè ea ager, & contemplabitur, quæ prodeunt à virtute, fortuna inque feret pulcherrimè, & omni ex parte concinnè, ac æquabiliter: quippe qui verè bonus, atque quadratus est, sine vituperatione. Cùm autem à fortuna multa eveniant, & magnitudine, parvitateq; differant: parva quidem, siue sint secunda, siue adversa, constat non facere vitæ momentum. Grandia verò, ac multa, si secunda sint, beatioram vitam efficiunt: quippe cùm ad decorandum sint apta, & usus ipsorum pulcher studiosusque fiat. Sin adversa, premunt, læduntque vitam beatam. Afferunt enim dolores, & multas operationes impediunt. Attamen & in ijs ipsis perlucet ipsa honestas, cùm multas quispiam, ac magnas adversitates facilè perfert, non ob insensibilitatē, sed quia generosus est, atque magnanimus. Quod si operationes dominæ sunt (ut diximus) vitæ, nemo beatorum fuerit miser. Numquàm enim odiosum quicquam, atque improbum ager. Eum enim, qui verè bonus est, atque prudens, fortunam omnem decore perferre, pro facultateque rerum semper res pulcherrimas agere: ut & ducem bonum præsentibus uti castris ad optimè gerendum bellum, & bonum item suturem ex sibi datis pellibus pulcherrimum conficere calceum, cæterosque omnes identidem artifices, arbitramur. Quæ cùm ita sint, miser quidem nunquàm fuerit ipse felix. Beatus tamen non erit, si in Priami calamitates incidèrit. Nec igitur varius, facilèque mutabilis erit. Neque enim ex felicitate facilè, aut à quibusvis, sed ab ingentibus, & multis adversitatibus dimovebitur: & ex talibus non in parvo, sed in longo quondam, perfectòve tempore rursus fuerit felix, magnas in eo res, præclarasque nactus. Quid igitur obstat, eum felicem dicere, qui per virtutem operatur perfectam, & bonis externis satis abundat, non quovis in tempore, sed in vita perfecta? An est addendum, & ita est victurus, & secundum rationem moriturus? quippe cùm futuri quidem incertum sit nobis: felicitatem autem finem, & omnino perfectam omni ex parte ponamus? Quod si ita sit, viventium eos, quibus ea, quæ diximus, & insunt, & inerunt, beatos dicemus: beatos autem homines. Sed de his quidem eousque sit definitum.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.
An quis in hac vita existimandus sit felix: an potius expectare oporteat vitæ finem, ut felix existimetur, iuxta vetus effatum Solonis.



HOC Caput est confectarium præcedentis, tenditque præcipue ad determinandam questionem in eo excitatam, quando, & qua ratione possit quis appellari felix. Dividitur in tres partes. In prima excitatur dubium, an quis in hac vita dicendus sit felix, an potius expectandus sit vitæ finis, iuxta dictum Solonis. In secunda dictum illud expenditur, & refellitur multipliciter. In tertia denique plura Corollaria inferuntur pro felicitate possibili totius vitæ.

2 CIRCA Primam partem inquiri, an in hac vitâ dum aliquis est felix, appellari felix possit: an solum post mortem. Et ratio dubitandi oritur ex dictis cap. præcedenti circa finem: ubi traditum est, si quis post virtutem perfectam incidat in ærumnas calamitatesque Priami, & in ijs constitutus diem extremum clauserit, non videri appellandum felicem. Quare tunc inquiri, an quisquam dum vivit, appellari possit felix; an potius expectari oporteat exitum vitæ ipsius, ut felix dicatur, iuxta illam Solonis sententiam. *ἄξιον τὴν εὐεργασίαν: oportet finem expectare.* Cui etiam consentiunt ex antiquis Plato lib. 7. de Legibus, Euripides in Andromacha, Cicero 3. de Finibus extremo, Plinius lib. 7. cap. 40. idque expressit eleganter Ovidius 3. Metamorph. dum accinit

*ultima semper
 Expectanda dies homini: dicique beatus
 Ante obitum nemo superneque funera debet.*
 Nec solum excitat dubium de eo, qui iustar Priami ærumnas circa extremum vitæ experitur, sed etiam de quolibet alio hominè, vitam quandiu vivit dicendus sit felix, necne?

3 CIRCA Secundam partem expendit dictum illud Solonis: moneturque duobus modis id intelligi posse. PRIMVS est, quod in vita non sit Felicitas, sed statim post mortem. Hoc autem rejicit, veluti contrarium doctrinæ superioribus traditæ, quæ statutum fuit, Felicitatem humanam in operatione virtutis consistere; quam virtutis operationem nequit habere homo postquam obiit, etiam iuxta Solonis doctrinam, sed dum in hac vita veritatur. Ergo felicitas humana non accidit statim post mortem, sed habetur in hac vitâ. SECVNDVS sentus est, ideo hominem post mortem tunc posse appellari felicem, quia iam est solutus extra omnia mala, calamitatesque. Verum & hoc rejiciendum videtur. Non enim apparet extra calamitates potius ille, qui bona & mala subire

potest. At homo post obitum bona & mala subire potest. Ergo homo post obitum non apparet extra calamitates solutus. Suadetur minor ab exemplo vivorum, qui, etiam dum absentes sunt, & in loco distant ignoranti quidnam alibi de rebus ipsorum fiat, bona ac mala subire possunt. Contingit enim sæpe ut absenti conferatur aut detrahatur honor, vel præmium. Hoc autem modo etiam quis post mortem bona & mala subire potest: siquidem sæpe fama illius periclitatur: aut notam subit, aut laudem apud vivos consequitur, quamvis ipse nesciat, Ergo homo post mortem bona & mala subire potest, ideoque ex eo capite non erit felix censendus. CONFIRM. Impugnatio prædicta. Etenamque, qui in senectute bona ac felici dormivit, seu obiit, necesse est accidere multas mutationes fortunæ circa posteros suos, quorum aliqui iusti, alij improbi evadunt; quidam præmia pro meritis assequuntur, quidam non obtinent. Ergo & ille qui feliciter vixit, ac diem clausit extremum, expositus est calamitatibus circa res suas. Immo & iuxta Solonis opinionem, mutabitur de felici in infelicem iuxta vicissitudines varias posterorum, aut fama sua apud vivos, quæ & eodem tempore post fata erit simul felix & infelix: nimirum, si quis ex posteris bene habeat, alius autem male, vno eodemque tempore. Absurdum quippe esset dicere, res posterorum nihil, neque ad vllum quidem tempus, spectare ad parentes. Quid verò circa hoc censendum sit, differt in caput sequens.

4 SUPEREST Igitur, ut sententia ille Solonis aliter intelligatur, quasi finis expectandus sit, ac tunc quisque beatus existimandus; non quia post mortem beatus sit, sed quædã antea talis fuerit. Hoc autem etiam videtur absurdum: Quia omnis propositio de præterito tunc est vera, & non alias, quando id quod enuntiat, fuit de præterito verum. Si ergo propositio enuntians de præterito hominem aliquem fuisse felicem, vera est; oportet, ut ille de præterito, sive olim, fuerit felix. Alioquin enim falsa esset propositio, sicut hæc, *Socrates fuit albus*, nisi Socrates præcedenti tempore albus extiterit. Ergo si de homine adhuc vivente non licet unquam affirmare felicem esse de præterito, nec etiam post mortem id licet dicere de præterito. Ut ergo post obitum quis dicatur fuisse felix, opus est quod etiam dum viveret, felix esset, & actu felix appellari poterit. Neque videtur in oppositum ratio Solonis ex eo desumpta, quod vita humana mutationibus varijs fortunæ obnoxia sit, ideoque nemo dum vivit center possit felix. In contrarium enim est quod

quod Felicitas non sit aliquid fluxum, aut mutationibus fortunæ expositum, sed firmum & stabile. Ergo quisquis Felicitatem assequitur, liber est, & superior omnibus fortunæ vicissitudinibus. Alioquin facile mutaretur à fortunâ prosperâ in adversam, essetque ac desineret esse beatus, instar chamæleontis; scilicet, non habentis proprium colorem, sed illum mutuâris à te contigua, atque ipsius colorem, quicumque ille sit, exprimentis. Cum igitur hoc absurdum sit, etiam est patandum absurdum quod nemo dum vivit assequatur Felicitatem.

5 CONFIRMATVR. Felicitas, neque quò ad sui inchoationem, neque quò ad progressum, neque quò ad consummationem, sita est in potestate fortunæ. Ergo homo dum vivit, potest esse ac persistere felix, quantumcumque varia & adversa fortuna esse possit. Consequentia patet, & assumptum suadet dupliciter. PRIMO. Id quod positum est in nostro arbitrio & potestate, nullatenus situm est in potestate fortunæ. Atqui Felicitas posita est in potestate fortunæ. Ergo maior constat: Quia nihil situm in potestate causæ per se, est sub potestate causæ per accidens: cum hæc duo opponantur. Atqui arbitriū ac potestas nostra est causa per se, fortuna autē est causa per accidens: ut patet ex doctrina capitis præcedentis. Id igitur quod in nostro arbitrio & potestate situm est, nequit esse in potestate fortunæ. Minor autem præcipui syllogismi, probatur ex statutis supra cap. 8. ubi ostensum est, Felicitatem esse operationem animi per virtutem. Manifestum est autem, operationem animi per virtutem, tam in sui inceptione, quam progressu, & consummatione, positam esse in nostro arbitrio & potestate. Ergo & Felicitas sub eadem potestate atque arbitrio posita est. Quod etiam planè constat per locum à contrario in infelicitate, quæ sita est in arbitrio nostro, & ortum ducit ab actibus vitij. Quare opus est ut Felicitas ipsi contraria etiam sub arbitrio nostro sit, & originem ducat ab actibus virtutis.

6 SECVNDO idem assumptum probat hoc ferè discursu. Felicitas est bonum maxime stabile in rebus humanis, etiam iuxta Solonem, qui propterea negavit illam vitæ humanæ, quod hæc valde mutabilis sit, ideoque incapax boni adeò permanentis. Ergo independens omnino est à mutationibus fortunæ, ut sit ac permaneat: quia quod maxime firmum est, nullatenus subiacet mutationi. Præterea. Scientiæ in rebus humanis videntur esse maxime stabiles. At virtutes morales, ex quibus oritur Felicitas, adhuc sunt firmiores scientijs. Ergo in rebus humanis virtutes morales, ex quibus provenit Felicitas, maxime stabiles sunt. Maior patet: Quia scientiæ sunt certissimæ, & de rebus necessarijs, ac perpetuis, quæ ali-

ter se habere non possunt. Minor autem suadet & explicatur, observata diversitate bonorum vitæ humanæ: quorum quædam ad corpus, quædam ad animum spectant. Prioris generis sunt habitus naturales, ut pulchritudo, bona valerudo, robur; & quidam acquisiti, ad eos perficiendos, ut dexteritas, ac celeritas, alijque similes, qui studio & exercitatione comparantur, quia habent causam per se corruptibilem, quæ est corpus. Posterioris vero generis sunt habitus intellectuales, qui dividuntur in speculativos, & activos, seu morales. Et hi habent causam per se manentem atque æternam, quæ est rationalis animus: ideoque non corrumpuntur, nisi per accidens, & ex defectu organi, sive instrumenti corporei, quo anima eget ad intelligendum, sive exercendum eorundem habituum operationes. Unde patet, habitus intellectuales esse longè stabiliores corporis, quia nullam causam per se corruptionis habent, sicut ij, sed per accidens tantum.

7 RVRSVS, instituta comparatione inter habitus speculativos ex vna parte, & activos, sive morales ex altera, videntur hi stabiliores esse, quia ab ijs frequentiores procedunt operationes, & pæssim ferè circa illorum materiam versantur; cum tamen secus accidat in habitibus speculativis, præsertim quò ad partem demonstrativam, quæ raro, aut non ita frequenter exercetur. Aliunde autem habitus speculativi videntur stabiliores: quoniam versantur circa materiam necessariam, ex qua inferunt conclusiones. Verum utrumque componitur, quòd sub diversâ, sive aliâ atque aliâ ratione, habitus speculativi stabiliores sint activis, quatenus versantur circa materiam necessariam: activi autem in stabilitate excedant, sive sub ratione habitus, quatenus frequentius exercentur, versanturque circa materiam familiarem & pæssim occurrentem in vita civili, seu convictu humano, de quo solum est sermo in præsentia. Nam alioquin in homine solitario, & purè contemplativo, & solis speculationibus dedito, ac potius divinam vitam, quam humanam agente, posset esse frequentior usus speculativi habitus, quam activi. Ergo in cæteris, quotquot vitam humanam agunt, stabiliior est virtus activa ex capite frequentia, quam virtus speculativa. Ergo & Felicitas ex virtute activâ intellectuali procedens, maxime stabilis est, ideoque minime obnoxia fortunæ mutabilitati, atque inconstanti. Ergo non est opus expectandi finem vitæ propter metum & inconstanciam fortunæ, ut quis verè sit & censeatur felix.

8 CONFIRMATVR II. Eo ipso quòd causa Felicitatis sit sita in nobis, ut iam probatum est, potest quis esse felix per totam vitam. Ergo non est necessum expectare obitum, ut sit & censeatur felix. Probatur assumptum.

Quil-

Quisquis præditus est habitu aliquo, operatur secundum ipsum quoties & quando vult, atque adeo per totam vitam, si velit. At nonnulli sunt præditi habitibus præcellentissimarum virtutum, & ad omnem morum honestatem compositi. Ergo operantur secundum eisdem habitus, quoties & quando volunt, atque adeo per totam vitam, si velint. At in eiusmodi operationibus frequentibus, & per totam vitam durantibus, sita est Felicitas. Ergo ijs hominibus Felicitas competere potest per totam vitam. Immo ut quis velit frequenter ita operari, ac proinde felix esse, allicit ipsa operationum delectatio, quam percipit, qui virtutum nobilissimarum habitibus exornatus est.

9 CIRCA Tertiam partem infert nonnulla veluti Corollaria ex præcedenti doctrina. PRIMVM est, felicem posse persistere in felicitate per totam vitam, ita ut non impediarur à fortuna, sed eam ferat æquo & constanti animo. Ratio, quam assignat, est, quod vir felix si ἀγαθὸς ἀληθῶς, καὶ τετραγώνιος, ἀρετῆς ἰσόμοιος: *vere bonus, & quadratus, atque irreprehensibilis.* Debet esse *bonus*: quia sine bonitate nulla potest esse Felicitas. Debet esse *quadratus*, scilicet, perfectus: quia felicitas nequit esse aut intelligi sine perfectione, quæ exprimitur per figuram quadratam, & numerum quaternarium. Quapropter quaternitas censetur numerus perfectus; continet enim decem unitates, quatenus directe importat III. dein III. præterea II. & insuper I. ex quibus confurgit denarius numerus, ultra quem non est numerus altus, sed solæ replicationes numerorum. Figura quoque quadrata est perfecta: continet enim quatuor lineas æquales, & similiter habet quatuor æquales angulos. Similiter & corpus quadratum est perfectum, ut cubus: quoniam habet sex superficies quadratas æquales, quarum unaquæque constat quatuor lineis, ac totidem angulis, & quomodocumque iaceat, semper stat rectus, eodemque modo, quia omnes partes eius æquales sunt. Hoc igitur patet vir felix iuxta Arist. τετραγώνιος, scilicet, *quadratus* dicitur: quia in quibuslibet fortunæ vicissitudinibus eodem semper modo se habet, & propter virtutes, quibus exornatus est, ubique retinet æquabilitatem quandam. Est instar numeri, quaternarij: quia ut partes istius sunt similes & æquales, sic operationes boni ac perfecti viri, in quacumque re, & fortuna, erunt similes, & mediocritatem à virtute præscriptam servabunt. Ac quemadmodum numerus continet in se omnem vim perfectionemque numeri; sic etiam vir bonus & felix continet intra se omnem vim ac perfectionem virtutum, quibus facile & recte utitur in quacumque fortuna. Est præterea instar figuræ quadratæ: quia sicut hæc constat quatuor lineis æqualibus, & totidem angulis rectis; sic etiam

bonus ac felix vir, in omni fortuna procedit æqualiter ac recte. Est denique instar corporis quadrati, ut cubi: quoniam ut hic qualitercumque iaciatur, semper stat rectus; ita & vir felix in quacumque fortuna, et si variâ & inconstanti, stat rectus, & æqualis, absque inflexione vllâ. Debet tandem esse ἀρετῆς ἰσόμοιος, *sine reprehensione*: quia eo ipso quod bonus ac perfectus sit, non se geret indecore, aut præter rationis præscriptum: sed decorè, generosè, & constantissimè se habebit in quacumque fortunâ. Patet igitur, quod felix sit bonus, quadratus, & alienus à reprehensione.

10 SECUNDVM Corollarium est, quod cum fortuna modo sit prospera, modo adversa, eaque contingat, siue in parvis, siue in magnis, non impediet, auferere felicitatem semel habitam. Porro in parvis neutra fortuna impediet, quoniam ea levis aut nullius momenti sunt ad immutandum animum perfectum, ac robustum in virtutibus, illarumque exercitio. Similiter in magnis nec prospera fortuna obstabit: quoniam magni, & prosperi eventus honestant Felicitatem, & frequenter adiumento esse possunt ad exercendas faciliè ac pulcherrimè virtutum operationes. Ergo Felicitas non impeditur per fortunam prosperam. In magnis adversa, videtur eam lædere, quatenus impedit faciliem delectabilemque usum honestarum operationum, in quibus felicitas sita est. Verum & in eâ ingenti fortunæ calamitate subdit, splendere pulchritudinem virtutis animo impressæ, operationesque iuxta illam evaluandas, atque adeo non parturas miseram vitam, quæ solius vitij proles est, sed honestam, & quæ ex adversis bona eliciat. Quod si verò quis vique adeo adversam fortunam experiat, ut in Priami calamitates incidat, non erit quidem beatus integre, & prout Felicitas importat aggregatum ex bonis internis animi, & externis: sed nec miser propterea erit, cum non ideo in vitia labatur, ex quibus oritur miseria. Bonus enim, & sapiens vir omnes fortunæ casus honestè feret, & quantum materia rerum patitur, semper pulchrè operabitur: sicuti bonus Imperator, seu dux, qualicumque exercitu bellicosissime utitur. Quare bonus vir in eas ærumnas coniectus, nec mutabit animum, nec facile a felicitate, scilicet omnino perfectas deieciatur, nisi raro, id est, vi magnorum, & gravium infortuniorum: quoniam sola hæc possunt ipsum disturbare à felicissimo statu, quem non brevi, sed diuturno tempore, & magna rerum prosperitate, fuerat abieciurus.

11 TERTIVM Est, nihil absurdum esse in eo quod vir perfecta virtute præditus, & externis bonis sufficienter instructus, sit felix, siue beatus, non ad tempus solum, sed & toto decurso vltioris vitæ, si ea virtus, & ea bona externa, vique ad finem vitæ permanerint.

seu permansura sint re ipsa. quod nobis incertum est. Verum hæc est conditio rerum humanarum, ac proinde instabilium: quæ non prohibet ut quis interim dum ijs bonis gaudet, sit felix; scilicet, felicitate humanâ, & infra illam quæ Dei, ac divorum propria est; atque solum auferibili aut impedibili raro. Vbi sermo videtur esse de felicitate civili, quæ sola à bonis

externis pendet; non verò de speculativa, & contemplativa, quæ nullis bonorum fortune adminiculis eget, nec ærumnis cedit, sed in qualibet fortunâ persistit, sola animi ac virtutum tranquillitate ac perfectione contenta.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 5. art. 3. & 4. atque illius Interpretes.

CAPVT VNDECIMVM.

Quòd posterorum fortuna ad defunctos pertineant.

FORTVNAM Autem posterorum, amicorumque omnium nihil conferre, longè ab amicitia finibus discedere, & opinionibus contrarium esse videtur. Cum verò multa sint ea, quæ eveniunt, variasque differentias habeant, & alia magis, alia minùs conferant: in singula quidem ipsa dividere, prolixum, & infinitum esse constat: sat autem erit fortasse, si de his ipsis vniversaliter, figurâque dicetur. Ut igitur aduersitatum earum quæ beatis eveniunt, aliæ pondus aliquod, momentumque habent ad vitam, aliæ sunt leviores: sic sese habent & ea, quæ circa amicos accidunt omnes. Viventibus autem, an mortuis calamitas accidat, multò magis refert, quàm res nefandæ, gravesque agantur, an in tragœdijs recitentur. Animadvertenda est igitur differentia hoc etiâ modo: imò verò considerandum forsitan est, si cuiuspiam boni vel mali participes sint defuncti. Videtur igitur etiam si quippiam ex his ad ipsos perveniat, sive bonum, sive contrarium, exile quid, ac paruum, aut simpliciter, aut illis esse: siquidem tantum, ac tale, ut neque beatos eos efficiat, qui beati non sunt, neque beatitudinem auferat à beatis. Videntur igitur tam prosperitas, quàm aduersitates amicorum, aliquid defunctis asferre: tale autem, ac tantum, ut neque, felices, infelices, nec aliud quicquam huiusmodi faciat.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

Virum bonum & felicem, dum superses est, an tangat amicorum fortuna. Quid etiam de illo existimare oporteat post fata.



VM Arist. disputaret cap. præcedenti contra Solonem, vocavit in dubium, an felicitates aut infortunia posterorum quoquo modo tangant mortuos, seu eorum intersit. Cumque id non definiert

eo loco, nunc accipit discutendum. Dividit autem caput in tres partes. In primâ præmittit questionem præcursoriam, seu præambulam præcipuæ controversiæ: inquiri que, Verum virum beatum, adhuc superses em, quoquo modo afficiat fortuna amicorum viventium.

In

In secundâ decernit, felicitates & infortunia amicorum viventium spectare ad amicos, tum viventes, tum & vitâ functos, quamvis non æqualiter, sed cum aliquâ diversitate. In tertiâ denique exponit, quâ ratione fortunæ seu eventa amicorum viventium tangerent mortuos, & ad eorum statum spectent.

2 CIRCA Primam partem decernit, si quis fortè asserat nullo modo tangere quemquam, aut viventem, aut vitâ functum, amicorum suorum fortunam prosperam aut adversam, eum planè quàm longissimè à vero aberrare. Veræ etiam amicitix lex est, & omnium sensus est, bona omnia malaque communia esse amicorum. Vetus namque illud adagium est, πάντα κοινὰ φίλων. Communia amicorum omnia. Id ipsum autem dupliciter probatur. Primo ab ipsa definitione, seu ratione formalis amicitix, quæ in communicatione rerum omnium posita est: ideoque exigit bona & mala amicorum esse communia. Secundo a communi sensu, tam sapientium, quàm non sapientium: quorum omnium sententia & iudicium tanti ponderis est, ut censendum non sit, omnino falsum esse, ut alio loco idem Arist. docet, & in præsentî monet S. Thomas post Eustratium.

3 VERVM Eo statuto in genere, restat vestigandum in specie, quænam eventa amicorum, vel fortunæ sint, quibus amicorum status mutationem subire possit de misero in felicem, aut è converso. Similiter, an si quis iam antea felix, vel miser sit, propter variam amicorum fortunam reddatur, aut felicior, aut inferior. Huic porro quæstioni respondet Arist. se non disserterum accuratè operoseque de omnibus bonis & malis ad amicos pertinentibus: sunt enim plurima, varia, atque inter se dissidentia: de quibus partite ac seorsim agere, res esset proluxa, ac ferè interminata. Satis itaque esse generatim, seu univèrsè dicere, ex bonis malisque fortunæ, quibus homo contingenter affici potest, quædam esse gravia, quædam levia; alia multa, alia pauca. Hinc autem colligit, non quælibet bona aut mala amicorum sufficere, ut status amicorum mutetur de felici in miserum, aut è contrâ: sed ea tantùm quæ magna aut multa sunt. Ratio est huiusmodi. Bona aut mala fortunæ, quæ non sufficiunt, ut quis in seipso mutationem status subeat à misero in felicem, aut è contrâ; nullatenus etiam sufficiunt ut subeat mutationem status ex bonis aut malis fortunæ amicorum: quippe quæ minus, aut certè non magis tangerent ipsum, quàm propria bona. Atqui bona aut mala fortunæ, quæ magna aut multa non sunt, nequaquam sufficiunt, ut quis in seipso mutationem subeat status à misero in felicem, aut è contrâ. Ergo neque bona aut mala fortunæ amicorum, nisi magna aut multa sint, sufficiunt ut

quis subeat mutationem status à misero in felicem, aut è contrâ. Etenim ex ijs, quæ levia aut pauca sunt, nullatenus mutatur beatitudo, miseriave extrema alicuius, sive eam mutationem patiat in seipso, sive in alijs, sibi coniunctis.

4 CIRCA Secundam partem asserit, quamvis amicorum fortunæ ad amicos superstites, seu viventes, & vitâ functos spectent; aliter tamen & aliter, seu inæqualiter ad modum, & πολύ μάλλον, ἢ τὰ παρὰ νομὴν, καὶ δὲ ἀνά προεπάρχεν ἐν ταῖς τραγωδίαις ἢ πρὸς τὴν ἐξουσίαν: id est, multo magis, quàm iniqua & nefanda res in tragædijs autè tractentur, an gerantur. Ita enim vertit Turnebus, ac ferè Lambinus: quasi Aristotelis sententia & comparatio sit, in tragædijs nimium interesse ad commovendos auditorum animos, utrum res illæ crudeles atque atroces, quæ inducuntur in scenam, verè aliquando acciderint; an solum fuerint Poetarum ingenio confictæ, & histrionum ministerio representatæ. Priores enim nimium commovent auditores: posteriores autem non item. Quare & amicorum res prosperæ atque adversæ longe aliter; & multo magis ad amicos viventes spectant, quàm ad mortuos: quippe quæ viventes possint graviter commovere; defunctos autem vix, aut ne vix quidem commovere possint. Obertus autem Giphanius aliter præiacta verba interpretatur, tanquam Arist. velit nimium aliter eventa amicorum spectare ad amicos viventes, quàm ad mortuos; sicuti permultum differunt res quæ narrantur à nuncijs in tragædijs, ab ijs quæ aguntur & spectatoribus ob oculos proponuntur in scenâ. hæc etenim longè magis movent, quàm illæ. Cui interpretationi illustrandæ adaptat illud Horatij:

*Aut agitur res in scenis, aut acta refertur:
Segnius irritant animos demissa per aurem,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus.*

5 CÆTERVM Præferenda est interpretatio S. Thomæ, ac Burlei, quos imitatur Gallutius: ut Arist. nullam differentiam constituat inter res, quæ vno aut alio modo geruntur in tragædijs: sed inter eas, quæ reipsâ fiunt, & eas quæ in tragædijs representantur. Prioribus enim comparantur eventa amicorum in ordine ad amicos viventes, posterioribus autem in ordine ad mortuos. Quemadmodum enim quæ representantur in scenâ longè minus movent, quàm quæ reipsâ fiunt: ita etiam, quæ amicis eveniunt fausta infastave, multo minus amicos vitâ functos tangerunt, quàm adhuc superstites. Etenim vitâ functos solum tangerunt, quatenus per eos eventus excitatur eorum memoria, ut existimentur felices, infelices; iuxta variam posteriorum, tum & amicorum sortem. Felices enim habentur post fata patientes, amiceve, quorum filij, aut amici, faustam & lenocinantem fortunam adepti sunt: infelices

Res autem, si adversam & infaustam. Sed tamen commemoratio hæc nihil solidæ felicitatis infelicitatiivè affert defunctis, sed exiguæ & apparentis, aut quasi in scenâ repræsentatæ. Superstitibus autem longè magis afficit, cum eos gaudio aut tristitiâ afficiat, veluti agentes adhuc in humano convictu, ac res omnes amicorum, filiorumque vt proprias sui ipsorum existimâtes. Quæ interpretatio germana est, & optima ad rem illustrandam.

6 CIRCA Tertiam partem edisserit quâ ratione eventa, seu res prosperæ aut adversæ amicorum, ad mortuos spectent: nam spectare aliquomodo supponitur ex prædictis. Respondet verò, quamlibet amicorum sortem, sive secundam, sive infelicem, quamvis defunctos amicos tangat, leviter solum eos tangere, & nunquam ita, vt vel è miseris beatos faciat, vel è miseris felices. Id autem ferè probat hoc dilemmate. Aut enim res prosperæ adversæve, quæ amicis & posteris eveniunt, sunt pauca & leves, aut multæ & magnæ, sive gravis momenti. Quodcumque autem supponatur, parum aut nihil mortuos amicos & parentes tangunt, nec satis, ad mutandam eorum beatitudinem, miseriamvè. Si enim leves & pauca sunt, patet non esse sufficientes ad eam mutationem, etiam relatè ad amicos viventes, & ad quemlibet se-

licem ac miserum in seipso. Non enim ita facile aut leviter amittitur beatitudo, aut miseria exiit, vt qualicumque eventu desinat esse. Si autem res posterorum & amicorum multæ & magni ponderis sint in alterutram fortunam, seu prosperam, sive adversam, etiam leviter defunctos tangunt: qualiter res immanes & dire in tragœdiâ repræsentatæ, parum aut nihil conferunt ad felicitatem, infelicitatemvè eorum, quibus accidisse memorantur. Non magis enim mutationem aliquam subit amicus virâ functus ex magnâ superstitem amicorum posterorumvè felicitate aut infelicitate, quam subeat Hercules v. g. defunctus, per hoc quod in tragœdiâ repræsentetur immanis eius furor, & horribilis mors ex venenatâ tunicâ: aut quâ patiatur Thyestes mortuus, per hoc vt cæna ipsius exhibeatur in proscenio. Quippe vtraque repræsentatio solum est quædam refrectio memoriæ illorum, quæ nullius panè momenti est ad amittendam beatitudinem, aut miseriam, in quâ existit verus Hercules aut Thyestes. Atqui & quælibet amicorum ac posterorum eventa, quamvis multæ & magna sint, solum sunt quædam veluti refrectiones memoriæ amicorumvita functorum. Ergo nullius panè momenti sunt ad amittendam beatitudinem aut miseriam, in quâ existunt.

CAPVT DVODECIMVM.

Quod Felicitas bonum sit honorabile, potius quam laudabile.



IS Determinatis, de felicitate consideremus, vtrum laudabile sit quidam, an potius honorabile. Constat enim potentiam non esse. Omne autem laudabile ex eo laudari videtur, quia est affectum aliqua qualitate, & aliquo modo sese habet ad aliquid. Iustum enim, & fortem & bonum omnino virum, atque virtutem, ob opera laudamus & actiones. Robustum etiam, idoneumque ad cursum hominem, & cæterorum quenque similiter laudamus, quod affectus est aliqua qualitate, & ad bonum aliquod, studiosumque refertur. Id ita esse patet & ex deorum laudibus. Nam cum ad nos referuntur, ridiculæ sanè videtur. Quod quidem ex eo fit, quia laudes (vt diximus) per relationem efficiuntur. Quod si laus talium est, constat optimorum non esse laudem: sed maius aliquod, præstabiliusve, quemadmodum & videtur.

Nam

Nam & deos beatos, felicesque dicimus, & viros etiam eos, qui maxime sunt divini, & rerum bonarum simili modo. Nemo namque felicitatem laudat, ut iustitiam, sed ut divinius quiddam, præstabiliusve, rem dicit esse beatam. Videtur autem & Eudoxus rectè voluptati primas detulisse partes. Id enim (voluptatem, inquam, quæ quidem est bonum) non laudari, indicare putabat, præstabiliorem ipsam esse rebus laudabilibus univèrsis. Talem autem Deum & summum bonum esse dicebat: ad hæc enim cætera univèrsa referri. Etenim laus quidem virtutis est, hac enim ad res honestas agendas idonei fiunt. Commendationes autem operum sunt simili modo, tam corporis, quàm etiam animæ. Verùm hæc quidem exactè discutere, magis ad eos forsitan pertinet, qui laudandi munere funguntur. Nobis autem perspicuum ex his, quæ diximus, fuerit, felicitatem ex his esse, quæ honorabilia sunt, & perfectæ. Videtur autem & ex eo sic se habere, quia principium est. Cætera enim gratia eius agimus omnes: principium verò, causamque bonorum, honorabile quiddam, & divinum dicimus esse.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Quinam generi bonorum accenseri debeat Felicitas? laudabilium, an potius honorabilium? Decernitur, potius honorabilem esse, quàm laudabilem, cum solum sui ipsius gratia quaratur.



POSTQVAM Arist. tradidit rationem formalem, sive essentialiam Felicitatis, nunc gradum facit ad exponendas quasdam ei⁹ proprietates, seu attributa: & inquit an debeat recenseri inter bona laudabilia, an potius inter honorabilia. Dividitque totum caput in tres partes. In primâ præmittit, merito dubitari posse, inter quænam ex ijs bonis collocari debeat Felicitas hominis: quoniam necessariò ad alteram ex ijs generibus spectare debet. In secundâ statuit, non esse bonum laudabile, quoniam nõ refertur ad aliud. In tertiâ denique decernit, esse bonum honorabile, quoniam solius sui gratiâ quaritur.

2 CIRCA Primam partem proponit dubium, utrùm Felicitas laudabilibus bonis accensenda sit, an potius honorabilibus: scilicet, an censeri debeat bonum laude dignum, an potius honore. Necessariò enim spectare debet ad alterum ex ijs duobus. Quod indicat ijs verbis satis obscuris: *ἀπλὸν γὰρ ὅτι τὴν δυνάμειν οὐκ ἔστι.* Est enim perspicuum, eam inter facultates non numerari. Vbi Aristot. emphatico ac sibi familiari loquendi more includit syllogismum quemdam, in proprietate Græci sermonis latentem. Etenim, ut

notat in præsentî Eustratius, bona apud Græcos in triplici potissimum differentia sunt. Quædam appellantur *τιμια*, honorabilia, seu digna honore: quædam *ἐπαίετα*, laudabilia: quædam denique *δυνάμεις*, facultates. Bona honorabilia appellantur, quæ non ordinantur ad aliud: ut divina, & summa. Inter quæ non solum censetur Deus: sed & mens, beatitudo, principia rerum, fundamenta, & origines. Bona laudabilia sunt humanæ vitæ bona: ut Virtutes, & probæ actiones, quæ ex ijs ortum ducunt. Et omnia illa semper ac necessariò bona sunt. Facultates denique, seu potentia, sunt bona quædam: sed non semper ac necessariò bona, sed indifferenter se habent ad bonum malumque. Huic classi accensentur artes quædam, ut Rhetorica, & Dialectica: itemque bona corporis, & divitiæ: quoniam ijs possumus bene aut male uti. Ideoque *δυνάμεις*, sive *facultates* dicuntur communi appellatione. De quo legendus idem Arist. lib. 1. Magn. Moral. cap. 2 & lib. 1. Rhetoric. ad Alex. ac præterea Cicero lib. 4. de Finibus.

3 QVARE Syllogismus ijs verbis obscure clausus sic proponi potest. Omnia bona, aut laudabilia sunt, aut honorabilia, aut facultates seu potentia. At Felicitas est bonum aliquod: & non facultas seu potentia: tum quia con-

consistit in operatione, quæ differt à facultate & potentiâ: tum quia indifferens non est ad bonum & malum, sed necessariò ac semper bona, imò & summum hominis bonum. Felicitas ergo aut est bonum laudabile, aut honorabile.

4 CIRCA Secundam partem præmittit quid sit laus: ac deinde decernit, Felicitatem non esse bonum laudabile, sed aliquid excellentius. Porrò ut aliquid sit laudabile, monet debere esse affectum duplici conditione. Prima est, aliqua bona qualitas, ratione cuius mereatur laudem. Secunda, ut propter eam ipsam qualitatem referatur ad aliud. Quod inductione probat. Quæcumque enim laudabilia habentur, prædita sunt aliqua bona qualitate, quæ referantur ad aliud. Virtutes namque generatim propterea virum laudabilem constituunt, quod sint bonæ quædam qualitates natura sua ordinatæ ad honestam & optimam operationem. Et loquendo in specie; ideo laudabilis est vir iustus & fortis, quod sit præditus qualitate bona, qua ordinem exprimat ad honestas operationes iustitiæ, Fortitudinisque, in quibus se exercere possit. Neque circa bona corporis quisquam laudatur quod robustus, aut velox sit, nisi quia est affectus ijs qualitibus, ut possit præstare opera robusto, aut veloci homini congruentia; aut solitus sit ea præstare. Patet igitur, ut aliquod bonum sit laudabile, necessariò exigere, tum bonam aliquam qualitatem: tum etiam quod ratione illius ordinetur ad aliud præstantius bonum, ratione cuius laudatur, & queritur.

5 CONFIRMAT Doctrinam eandem exemplo Deorum, & Mentium ab omni materiæ concretione liberarum: quæ quoniam perfectione superant omnia alia, non laudantur eo modo, quo res humanæ, sed longè alio, eoque sublimiori. Sic enim laudes eorum *γελαιος deridiculo* essent: quoniam ijs significaretur, Deos, Mentelive adeò sublimes, ad nos referri, seu eius esse naturæ, ut in nostram utilitatem ordinentur. Ergo illa solum laudibus humanis digna habentur, quæ ita sunt bona, ut tamen non summa sint, sed inferiora, & quæ natura sua in aliud referantur. Rem amplius illustrat Eustratus: Quia laudes humanæ institutæ sunt, ut is qui laudatur, eo laudationis stimulo ad maiora quædam & præstantiora opera provocetur. At Dij, & Mentelive ab omni corporis concretione liberæ, nequeunt ad maiora quædam & præstantiora opera provocari. Summum enim perfectionis apicem obtinent, quo altiorem attingere nullatenus possint. Neque enim unquam sunt in habitu, aut potentia ad optimam operationem: sed semper in actu perfecto. Ergo Dij, Menteliveque ab omni corporis concretione li-

beræ, non sunt tales, ut ijs debeantur, exhiberive iure possint laudes humanæ. Quæ sane observatio Eustratij videtur ex ipso Arist. eruta *lib. 12. Metaph. cap. 6 & 7. ac lib. 2. de Cælo, cap. 3.* ijs maxime verbis: *Θεὸς δὲ ἐνέργεια, ἀθανασία. τὸτο δὲ ἐστὶ ζῶν αἰδίου ὡς ἐν τῷ Θεῷ κινήσει αἰδίου ἀρχῆν.* Dei verò actio immortalitas. Hoc est autem perpetua vita, ut necessarium sit divinitati motum sempiternum inesse. Non ergo humanis laudibus provocari potest Deus ut transeat ex habitu in operationem, neque ut aliquam vitæ actionem habeat, in qua ex æternitate non fuerit.

6 CIRCA Tertiam partem colligit ex præcedentibus, non deberi laudem rebus optimis, præcellentissimisque; sed aliquid longè sublimius laude. Eius verò generis docet esse in primis Deos: deinde & viros proximè Dij accedentes, quos proinde *ἄνδρων θεοτάτους*, id est, *virorum divinisimos* appellat. Denique eidem classi accenset generatim & rebus bonis eas, quæ optimæ & præstantissimæ habentur. Cum igitur Felicitas sit summum hominis bonum, proindeque optimum, & inter cætera præstantissimum, consequens est, ut non debeat censeri digna laude, sed officio aliquo præstantiore. Quare nemo laudat Felicitatem, veluti rem iustam: sed tanquam aliquid divinius, ac beatum, sive in quo ipsa beatitudo consistit.

7 CONFIRMAT Idipsum opinione Eudoxi Gaidij, qui fuit auditor Archite, philosophus, medicus, geometra, astronomus, pauper & modestus, ideoque laudatus ab ipso Arist. *infra lib. 10. cap. 2.* Is enim voluptatem assererat esse rem optimam & præstantissimam: ideoque non collocandam inter bona laudabilia; sed inter summa ac divina: quæ, cum non ordinentur ad aliud, sed gratia sui querantur, laudari non debeat, sed alio ampliore officio, seu obsequio extolli. Porrò eam Eudoxi opinionem non probat Arist. quin potius alibi ex professo impugnat. Verùm formam ac modum arguendi, quo viebatur Eudoxus, adaptat præsentis instituto, in hunc fere modum. Quoniam voluptas opinione Eudoxi est bonum aliquod non ordinatum ad aliud, sed ratione sui questum, ideoque præstantissimum, digna est præstantiori officio, quàm laude. At Felicitas est bonum aliquod non ordinatum ad aliud, sed ratione sui questum, ideoque præstantissimum. Felicitas ergo digna est præstantiori officio, quàm laude.

8 CONFIRMAT II. Quia, ut iam supra dixerat, laus est propria Virtutis, quoniam reddit nos idoneos ad præclara opera, in quæ natura sua refertur. Quamvis enim præcipue laus debeat operibus, deberet etiã suo modo, quamvis minus præcipue, habitibus Virtutum, à quibus ortum ducunt, quoniam principia eorum operum sunt, in eaque ordinantur.

Cum ergo Felicitas ad nullam operationem ordinetur, sed sit summum hominis bonum, in quo appetitus tandem quiescit, non est laude prosequenda; sed honore, qui est cultus rebus optimis, divinis, ac præstantissimis dignus.

9 VBI Notandum, Aristotelem distinguere in ipso textu *laudem*, & *encomium*: quod laus Virtutis sit, quoniam ex ipsa idonei sumus ad res honestas: encomium vero sit operum corporis & animi. Pro cuius intellectu notandum, Græcos adinvenisse certa quædam vocabula ad significandum diversa officia, quibus colimus, seu veneramur, aut commendamus res præcellentes operationesque. Hoc enim adnotato, plenius innotescet significatio laudis, encomij, honorisque, in quibus positum est ferè totum hoc caput. Ac primum illorum, *μακαρισμός* dicitur, id est, ratio propter quam quis beatus dicitur, & minùs Latine incompleta voce *beatificatio* dici potest: congruitque solum Deo & rebus divinis. Huic proxime accedit *εὐδαιμονισμός* significans honorem præstitum summo bono humano, & nulla tenus relato ad aliud eiusdem ordinis bonum. Tertium vocabulum est *ἐπαινος*, id est, *laus*: tribuiturque operibus honestis, atque ipsis Virtutum habitibus, prout ad opera ordinantur: Quartum *ἐγκώμιον*, *encomium*, quod datur operibus Virtutum, artiumque Reipublicæ utilium, & quibusdam corporis bonis, ut firmitati, velocitati, dexteritati, & alijs similibus, quibus homo rectè vitat in bonum vitæ civilis. Ijs addi potest *εὐδοξία*, *gloria*, quæ affinis est laudi: differt tamen ab ea, quod magnitudinem laudis significet, in communi hominû

existimatione positam: ut Aristot. docet *lib. I. Rhetor.* Similiter & adijci potest *fama*, quæ sæpe cum gloria coniungitur: sed differt ab ea, quatenus communi loquendi usu fama solum est eorum, qui vita fundi sunt, aut saltem absentes: gloria autem, etiam viventium, & præsentium. Verùm de his latius non agimus: quoniam, ut notat in præsentia Arist. potius ad Rethores, quam ad Philosophos Morales spectant.

10 CONCLVDITVR Ex dictis, Felicitatem non esse ex genere bonorum laudabilem, cum non referatur ad aliud; sed honorabilem, siue quibus *εὐδαιμονισμός* debetur. Quod alia Insuper ratione probat Arist. ferè sic: Quod enim est principium & causa omnium bonorum hominis, honorabile bonum est; utpote cæteris excellentius. Felicitas autem principium & causa est bonorum omnium hominis: cum omnes hominis operationesque ad Felicitatem, veluti ad finem ultimum, dirigantur. Felicitas ergo verè est bonum honorabile. Vbi nota cum Gallutio, tam honorem, quam laudem, excellentiæ tribui: sed differre, non modò in eo quod bonum laudabile præ honorabili referatur ad aliud, ut dictum est; verum & in eo insuper quod honor haberi possit sine verbis, alijs signis, aut etiam iudicio intereo: laus autem non, nisi verbis, orationeque; cum sit præconium alieno ore pronuntiatum. Insuper laus, etiam infimis rebus, quæ sunt bonæ in suo genere, tribuitur: ideoque laudari solet bonus ager, equus, domus. Honor autem solum præcellentibus rebus tribui solet.

CAPVT DE GIMVM TERTIVM.
De duplici anima parte, & Virtutis divisione.

CVM Autem felicitas animæ quædam per virtutem perfectam sit operatio, de virtute consideremus oportet. Hoc enim modo melius fortasse de felicitate etiam contemplantur. Videtur autem & is, qui verè civilis est, circa hæc maximè elaborare. Vult enim ipsos cives bonos efficere, legibusque obtemperantes. Atque horum exemplum legunt latores, tum Cretensium, tum Lacedæmoniorum habemus, & si qui alij tales fuerint. Quòd si hæc consideratio civilis est facultatis, constat inquisitionem hanc perinde, ut ab initio proposuimus, ac instituimus fore. De virtute autem humana considerandum est. Bonum enim humanum, ac felicitatem quære-

bamus humanam. Virtutem verò humanam dicimus, non eam, quæ corporis est, sed eam, quæ animæ: nam & felicitatem, operationem animæ dicimus. Quæ cum ita sint, patet, ipsum civilem aliqua ex parte de anima scire oportere: quemadmodum & eum, qui curaturus est oculos, totumque corpus, de ipsis scire oportet: & eo magis, quò facultas civilis honorabilior est, atque præstabilior medicina. Elegantes etiam medici multa planè circa cognitionem corporis tractant. Et civilis igitur ipse de anima contempletur oportet. Horum autem gratia, & quod satis est ad ea, quæ hic quærentur. Nam ulterius, exactiusve considerare, maius est opus, difficiliusve fortasse, quàm ea, quæ proponuntur. Dicuntur autem & in externis sermonibus aliqua de ipsa sufficienter, & utendum est ipsis: ut, partium eius aliam ratione vacare, aliam rationem habere. Atque nihil in præsentem refert, distinctæ sint hæc perinde, atque corporis partes, & omne partibile: an ratione quidem sint duæ, re verò seiungi non possint: ut in circumferentia sese habent concavum, & convexum. Partis autem ratione vacantis, alia quidem communis est, & vegetativa. Loquor autem de ea, quæ causa est, ut id, quod ipsam habet, nutriatur, incrementaque suscipiat. Talem enim animæ potentiam, in univèrsis, quæ nutriuntur, quispiam posuerit, & in fœtibus, & hanc eandem etiam in perfectis. Est enim magis consonum rationi, hanc eandem, quàm aliquam aliã, ponere. Huius igitur virtus communis quædam, & non humana videtur. Nam hæc pars & potentia in somnis maximè operatur: bonus autem, & malus minimè in somno discernitur. Quapropter inquit, à miseris felices in dimidio vitæ nihil differre. Hoc autè rectè accidit. Somnus enim, otium est animæ, tam studiosæ, quàm vitiosæ, nisi parumper motus proveniãt aliqui, atque ita modestorū meliora, quàm quorumvis visa fiat. Sed de his quidem hæcenus. Et nutriendi potentia, cum experta sit humanæ virtutis omittenda est. Videtur autem & alia quædam esse natura animæ, vacans ratione, aliqua tamen ex parte particeps rationis. Continentis enim, & incontinentis rationem, idque animi quod rationem habet, laudare solemus. Rectè namque & ad optimas res invitat. In ipsis autem & aliud quid præter rationem inesse constat, quod quidem repugnat, resistitque rationi. Nam ut dissolutæ corporis partis partes, si ad dextram movere velis, in sinistram feruntur: sic planè fit & in anima: ad contraria enim, incontinentiū appetitiones feruntur. Verū in corporibus quidē cernimus ea, quæ ad contrariam partem feruntur, in anima verò non cernimus. Fortasse autè non minus & in anima putandū est esse aliquid præter rationem, quod huic adversatur,

tur, & obstat. Dicere verò quo modo est diversum, nihil refert. Videtur autem & hoc rationis (vt diximus) particeps esse. Paret enim in ipso continente rationi, & in temperante, ac forti, magis forsitan eisdem obtemperat. Omnia enim in illis sunt consonationi. Pars igitur animæ ratione vacans, est duplex. Vegetativa namque nullo modo rationis est particeps: sed cupiendi vis, & omnino appetendi, rationis est quodam modo particeps, ea ratione, qua obedit ipsi, atque obtemperat. Sic & patris, & amicorum, & non vt rerum mathematicarum, dicimus rationem habere. Hanc autem partem ratione vacantē rationi obtemperare, admonitiones, & increpationes, & cohortationes etiam indicant. Quod si oportet, hanc quoque partem dicere rationem habere, duplex & ea pars erit, quæ rationem habet: & vna quidem propriè, & in se ipsa: altera verò vt is, qui obtemperat patri. Dividitur autem & virtus hac differentia. Virtutum enim alias intellectivas, alias morales dicimus esse. Sapientiam quidem, & prudentiam, & sagacitatem intellectivas: liberalitatem autem, & temperantiam morales. Nam cum de moribus cuiuspiam loquimur, non sapientem illū, aut sagacem, sed mitem, aut temperatum dicimus esse. Laudamus autem, & sapientem ob habitum. At habituum eos, qui laudabiles sunt, virtutes appellare solemus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI TERTII.

In quam animæ parte sedem habeat Felicitas? Eam quippe disputationem spectare etiam ad Philosophum Moralem, quamvis non exactam; sed maiori ex parte mutuam, aut præsuppositam ex superiori Philosophia. Porro Virtutum divisionem peti debere ex divisione facultatum animæ.



ROSEQVITVR Arist. tractatum de Felicitate, cui hactenus institit, & inquit in quam animæ parte posita sit: vt exinde innotescat, quanam animæ facultates Virtutibus excolendæ sint, vt ipsa demum Felicitas obtineatur. Dividit verò caput in tres partes. In primâ docet, Philosophiâ Moralem esse, non solum de Virtute, sed etiam de animâ, & ipsius facultatibus agere. In secundâ monet, nō quomodocumque agendum esse in præsentia de animâ, & illius facultatibus; neque eâ severitate disputationis, qua in Physiologia: sed solum certa ratione ac via; hoc est plana, & explicata. In tertiâ denique decernit, Virtutum divisionem petendam esse ex partitione facultatum animæ.

2 CIRCA Primam partem monet tractationem de Virtute ad doctrinam morū maxime spectare: idque probat dupliciter. *Primo.* Ad eandem doctrinam pertinet de Virtute discere, ac de Felicitate: nā hæc definitur ope-

ratio propria hominis secundum Virtutē perfectam. Atqui de Felicitate discere pertinet potissimum ad doctrinam morum, seu Philosophiam Moralem: vt supra multis demonstratum est. Ergo ad eandem pertinet agere de Virtute. Vbi notandum cum Alberto Magno, disputationem de Felicitate Politica, superioribus tractatam ab Arist. merito præcedere explanationem Virtutis, de cetero tradendam: disputationem verò de Felicitate Theorica, seu contemplatrice, quæ traditur infra lib. 10. exponi post tractationem Virtutum moralium: quoniam sine ijs in absoluto & perfecto gradu obtineri non potest, ob maximam sui perfectionem.

3 SECUNDO idipsum probat ab exemplo Politico: um, qui omnes circa Virtutē studium suū collocant. Enituntur enim toto conatu, vt cives probos, & legum observatores efficiant: neque aliud quidquam antiquus in votis habeat, si verè Politici sint. Vbi obiter insinuat pseudo-politicos: sicut & Cicero in quadā epistola ad Atticum, vbi malignitatem sui

temporis dolet, in quo nulli erant Romæ, qui umbram Politicæ Virtutis præ se ferrent: & ipse Arist. lib. 1. *Magn. Moral.* suo tempore observavit, conquestulque est, multos eorum, qui Politici vulgò audiebant, falsò sic appellatos. Quippe id esse proprium viri erga Virtutem probè affecti docuit suprà *cap. 9.* alijsque locis: quoniam vera Politica & Respublica solum illa est, quæ ita secundum Virtutem instituta invenitur, ut facillè possit bonos cives parere. Quod & Socrates in Gorgia confirmat, & exemplis quarundam Rerumpublicarum, populorumque, illustrat hoc loco Aristoteles, ut Lacedæmoniorum, & Cretensium, qui in Politicâ disciplinâ excellere putabantur: idque eo nomine, quòd legibus suis curarent optimos fieri cives, & in virtutibus perfectos. Ergo Politici est de Virtute disserere, poindeque & Philosophi Moralis, ad quem spectat tractatio Felicitatis Politicæ, quæ posita est in exercitio Virtutis.

4 ADDIT, Tractationem quoque de animâ, eiusque facultatibus, ad eandem disciplinam morum spectare: quam in præsentibus *Civilem*, seu *Politicam* appellat; quoniam refertur ad doctrinam Civilem, præcipuamque totius Philosophiæ practicæ. Spectare verò probat: Quia disciplina morum, seu Ethica, potissimum disserit de Virtutibus, non corporis, aut brutorum animantium, nec Mentium separatarum; sed hominum: quæ proinde hominis animo inhærent, veluti qualitates, aut accidentia in subiecto. Atqui eiusdem disciplinæ est agere de forma inhærente, & illius subiecto. Ergo disciplina morum, sive Ethicæ, est agere quoddammodo de animâ. Cumque diversæ Virtutes diversis animæ partibus inhæreant, ut infrâ apparebit; consequens est, ut & ad eandem doctrinam spectet quadamtenus agere de diversis partibus animæ.

5 CONFIRMAT Arist. exemplo medicorum: qui, quoniam agunt de valetudine corpori inhærente, agunt etiam de ipso corpore, & diversis illius partibus, ut subiecto valetudinis. Hoc enim licet non præstent medici vulgares ac rustici, ut ipse monet, attamen præstantiores & politiores præstant. Non enim, ut plerique alij apud Græcos, & olim apud Ægyptios, tantum student vni corporis parti, aut membro curando; sed omnibus: ut vnicuique eorum, si ægrotaverit, opportunum adhibeant remedium. De quo legendus Victorius in præsentibus, & apud ipsum Galenus, ac Cicero lib. 3. *de Oratore.* Ergo pariter cum Philosophus Moralis agat de Virtute inhærente animæ, ut subiecto, disserere etiam de eadem animâ, & ipsius partibus, quæcumque ex sint.

6 CIRCA Secundam partem docet, non ideo exquisitam animæ, aut partium eius investigationem spectare ad Philosophum Moralem. quippe id alterius esse instituti, ac doctrinæ. Satis itaque esse de ijs disserere, qualiter oportet agere de subiecto alicuius qualitatis, differentem de eadem qualitate. Cum igitur is non debeat absolutissimam tractationem instituere de subiecto, sed facillè, & ab alia doctrina plenius explicatam; consequens est, ut nec Philosophus Moralis debeat exquisitè agere de animâ, eiusque partibus, ut subiecto Virtutum. Sat itaque erit ea alibi docuisse, id est, in libris de Anima: & modò agere levius, ac veluti transitu quodam. Vbi quoniam Aristoteles indicat se de ijs tractasse ex professo in sermonibus Exotericis, nonnulli longissimam disputationem contexunt ad quærendum, quoniam ij sint. Nobis satis fuerit, si intelligatur Philosophum se referre ad libros de Anima, vbi quidquid ad eam spectat, & ad ipsius partes, docuit ex instituto. Sed de hoc latius alio.

7 FACILI itaque methodo docet, animæ partes esse duas: vnam rationis participem, alteram expertem. Quæ an loco dissideant, sicut corporis membra, an re ipsa vnum vel distinctum quid sint; an solum cogitatione dividantur sicut in eadem peripheria concavam & convexam; aut non esse hoc loci disputandum. Rursum eandem ipsam partem rationis expertem bipartitò dividit: ut altera ita sit rationis expertis, ut non tantum non obtineat per se rationem, sed ne obtemperare quidem rationi possit. Hanc docet esse communem viventium; sicut communis est animus & vita; eamque causam esse nutritionis, augmentique; non modò in viventibus perfectis, sed etiam imperfectis, imò & *ἐν τοῖς ἐμβρυοῖς*, in embryonibus, & in stirpibus, ac plantis, herbisque. Dicitur verò peculiari vocabulo facultas alitrix, seu nutritiva animæ. Porro hanc excludit Aristoteles à tractatione Ethicæ, quòd hominis propria non sit, sed communis omni viventi, nec rationi vllò modo obtemperans, ut propter eam quis bonus, aut malus censeri possit. Alitur enim maximè, & crescit in somno: quo tempore improbus a probò non differt, iuxta proverbium eo tempore celebrè, quo dicebatur, *ἡ δὲν διαφέρει τὸ ἡμίονο τὸ βίβητος ἐν δαίμονας τὸ ἀδλίω.* Nihil differre secundum dimidiâ vitæ beatos à miseris. Quod verisimè dictum probat Arist. quia in somno est cessatio & quies eius animæ partis, iuxta cuius operationem solam potest quis esse bonus, aut improbus. Ergo & cessatio est eius animæ partis, iuxta cuius operationem solâ potest esse felix, aut miser. Ergo in somno, qui dimidiâ circiter vitæ partem rapit, non differt felix à misero.

8 QVAMVIS Verò id effatum prober Arist. subdit, non nihil esse discriminis in somno inter miserum ac felicem. id verò fortasse positum esse in motu quodam (*κίνησις* enim appellat) qui accidit dormientibus. Is namque in causa esse potest, ut moderatis & optimis viris meliora visa somniorum contingant, quam improbis & flagitiosis. Quippe valde verosimile est ad vim imaginatricem vitrorumque longè diversas imagines, seu species emanare ex dissimilibus operibus, cognitionibusque in vigiliâ habitis. Quod ipsum non dubitanter, ut hoc loco, sed affirmatè docet *Probl. 13. sect. 30.* ubi causam ex instituto quaerit. Id etiam Cicero *lib. 1. de Divinatione*, testatur traditum à Socrate in Politia Platonis. Atque hæc quidè, loquendo de altrice, seu nutriente animæ parte, ab Ethico instituto aliena.

9 AD Alteram igitur partem eiusdem animæ facultatis transit, rationis etiam expertem, sed longè aliter à præcedenti: quoniã præ illa obtemperat rationi. Hæc autem est pars appetens, & posita in appetitu: qui, quoniam obaudit rationi, videtur eiusdè rationis quoddammodo particeps. Sed tamen secundum essentiam suam irrationalis est, solumque rationalis per determinationem à ratione, cui subicitur. *Atque ita sanè, inquit, & aliquem dicimus habere rationè patris & amicorù: non autem ut rerum mathematicarù.* Id est, pars prædicta solum dici potest rationalis, quatenus rationi obtemperat: sicut filius obediens patri prudenti dicitur quodammodo particeps prudentiæ paternæ: idemque est de eo qui ducitur consilio amici: & cæcus, qui videntem hominè sequitur, dici potest quoquomodo particeps visus: non verò ita ut in se rationalis, sit pars prædicta, quemadmodum qui instructus est in parte demonstrativâ disciplinæ mathematicæ. Hæc enim solum residet in eâ facultate animæ, quæ per essentiam suam rationalis est. *Præterea*, eandem partem appetentem esse rationis participem probat à posteriori, & ab absurdo: quia frustra essent admonitiones, & increpationes, si in nobis non esset pars aliqua apta ad obtemperandum rationi: sicut, quia pars alatrix, seu nutritiva apta non est ut rationi obtemperet, frustra admoneremur ad internam nutritionem. Necessariò enim ea peragitur vi naturalis caloris, neque vllâ admonitione inhibebitur ab eo munere sibi insito. Cum ergo non sint frustra admonitiones & increpationes circa opera procedentia à vi appetente, seu appetitu, consequens est, ut aptum sit obtemperare rationi. Siquis autem propterea partem hanc rationalem dicere voluerit, non renuit Arist. dummodo propriè & in seipsa rationalis non sit, ut alia initio explicata, sed impropriè, & quoniã rationi obtemperat, sicut filius patri.

10 CIRCA Tertiam partem dividit

etiam Virtutes in duo genera, sicut & bipartitò distinxit animæ facultates: ut indicaret, tot esse Virtutum genera, quot partes animæ sunt. Virtutes primi generis appellat *διανοητικὰς, Intellectivas*; quod sedem obtineant in eâ animæ parte, quæ propriè, & per essentiam rationalis, seu intelligens est. Virtutes posterioris generis cognominat *ἠθικὰς, Morales*; quoniam resident in parte appetente, quæ capax rationis est, non propriè & per essentiam, sed impropriè, & quatenus rationi obtemperat, ut paulò antè dicebamus. Priorum exemplum adhibet in Sapientiâ, Prudentiâ, & Sagacitate, seu Solertiâ, quæ resident in intellectu: posteriorum verò in Liberalitate & Temperantiâ, quæ in appetitu sedem habent. Eas verò omnes esse Virtutes ferè sic probat: Omnes enim habitus animæ laudabiles sunt Virtutes. Laus enim propriè loquendo in solam Virtutem cadit: ut capite præcedenti statutum est. Atqui habitus prædicti, tam intellectus, quam appetitus, sunt laudabiles: ideoque qui ijs præditi sunt, laudantur. Ergo habitus prædicti, Virtutes sunt.

11 IAM Verò quod prioris generis Virtutes sint Intellectuales, posteriores autem Morales, probat hoc pacto: Quia cum volumus aliquem laudare secundum partem intellectuales, non dicimus, eum esse fortem, aut temperatum; sed sapientem, prudentem, aut sagacem. Ergo Sapientia, Prudentia, & Sagacitas, Virtutes Intellectuales sunt. Quando autem volumus quemquam laudare secundum mores, sive partem appetentem; non dicimus, esse sapientem, prudentem, aut sagacem; sed fortem, aut temperatum. Ergo quia Fortitudo, & Temperantia sunt Virtutes Morales. Quòd si verò opponat quis, Sapientiam non videri laudabilem, sed honorabilem, cum solius sui gratia quaeratur, iuxta doctrinam capitis præcedentis: *Resp.* Aristoteles, Sapientiam laudabilem esse quatenus est habitus Virtutis, qui proinde refertur ad operationem: & omnes eiusmodi habitus laudabiles sunt eo sensu, ut ibidè dictum est. Si autè de Sapientia in actu sumpta sit sermo, & ea præcipue, in qua sita est Felicitas contemplativa; dicenda non est laudabilis, sed ampliori officio digna; proindeque honorabilis, veluti summum hominis bonum.

VIDE Sancti Thomam 1. 2. quaest. 57. 58. 59. & 60. atque eius Interpretes.

(?)





LIBER SECVNDVS ETHICORVM ARISTOTELIS

AD NICOMACHVM.

SVMMA LIBRI.



OSTQVAM Aristoteles vestigavit definivit-
que supremam hominis Felicitatem, & docuit
illam potissimum in operatione Virtutis perfe-
ctæ, atque in vita perfecta sitam esse; nunc iam
procedit ad inquirendam ipsius Virtutis ratio-
nem. Quod vt exequatur, præmittit initio hu-
ius libri ortum Virtutis, & causas ex quibus
procedit: inquitq; , an ex ipsa natura profluat;
an ex exercitatione, consuetudine, aut experimento oriatur. Deinde
exponit quales operationes sint effectrices, auctrices, & conservatri-
ces Virtutis iam partæ: similiter & quibusnam actionibus corrumpatur.
Eo autem ostenso, tradit Virtutis definitionem, tam ex capite ra-
tionis genericæ consistentis in habitu, quam differentialis, quæ sita
est in mediocritate inter exuperantiam & defectum. Deinde in singu-
lis Virtutibus peculiarem mediocritatem assignat, & extrema vitia,
quibuscum illæ pugnam habent. Denique quoniam mediocritas
inuentu difficillima est, præscribit plures, & opportunas regulas ad
eam deprehendendam: quibus observatis, non videatur inaccessa
Virtus, nec vsque adeo difficilis comparatu; sed quæ labore & in-
dustria obtineri possit. Tota ferè huius libri doctrina est observatu
dignissima, non modo ad internoscendas Virtutes & vitia ijs opposi-
tas; verùm ad instituendam rectè laudabiliterque vitam humanam,
& civilem, tum adquisitione veterum Virtutum, tum & earum aug-
mento penè assiduo, ac declinante ab extrinsecis oppositis exuperan-
tiæ, ac defectus.

CAPVT PRIMVM.

De productione virtutis intellectiva, ac moralis.

ARIST. ΑΙΤΤΗ ΔΕ Τῆ ΑΓΕΤΗΣ ΔΥΝΑΜΕΩΣ, & C.



VM Autem virtus sit duplex, intellectiva, in qua, atque moralis, intellectiva quidem plurimum ex doctrina & generationem habet, & incrementum: quapropter experientia indiget, temporeque. Moralis autem, assuetudine comparatur: vnde & nomen habuit tale. Ex his patet, nullam fieri virtutem morum in nobis natura. Nihil enim enim eorum, quae sunt natura, aliter assuescit: ut lapis, cui quidem natura competit ferri deorsum, nunquam assuescit ferri sursum, nec si millies ipsum assuefaciendi causa quispiam sursum proijceret. Simili modo nec ignis ferri deorsum, nec aliud quicquam aliter, quam sibi natura competit, assuescet. Neque igitur natura, neque praeter naturam virtutes in nobis efficiuntur: sed idonei quidem ad ipsas suscipiendas sumus natura. Suscipimus autem ipsas, atque perficimur per consuetudinem. Praeterea eorum, quae in nobis sunt natura, potentias prius accipimus, deinde reddimus operationes. quod quidem in ipsis sensibus intueri licet. Non enim ex eo, quia vidimus, vel audivimus saepe, sensus accepimus: sed contra, habentes usi sumus, non usi accepimus. At virtutes accepimus operati prius: quemadmodum & in artibus. Quae namque postea, quam didicerimus, facere oportet, ea facientes discimus. Aedificatores etenim, aedificantes, & citharædi, pullantes citharam fiunt: pari modo iusta agentes, iusti; & modesta, modesti; fortiaque; fortes efficiuntur. Testatur hoc & id, quod in civitatibus fieri solet. Legum namque latores ipsos cives assuefacientes, bonos efficiunt. Atque omnis quidem legumlatoris haec est voluntas. Qui vero non bene id faciunt, peccant. Atque hoc ipso Respublica bona, a mala Republica differt. Insuper ex eisdem & per eadem omnis virtus, & ars similiter, & fit, & corrumpitur. Ex eo namque; quia pullant citharam, & boni, & mali fiunt citharædi: simili ratione & aedificatores, & caeteri omnes. Nam ex eo, quia bene aedificant, boni: & ex eo quia male, mali fiunt aedificatores, & fabri. Quod nisi ita sese haberet, non esset opus docente, sed omnes boni fierent, aut mali. Sic igitur & in virtutibus res sese habet. Agentes enim ea, quae sunt in commercijs hominum, alij iusti, alij iniusti fiunt. Agentes etiam ea, quae sunt in terribilibus rebus, timereque assuescentes, aut con-

fide-

fidere, alij fortes, alij timidi fiunt. Idem & circa cupiditates, & iras evenire videtur. Alij enim temperati, ac mites fiunt: alij intemperati, ac iracundi: ex eo planè quia hoc in ipsis, aut hoc modo versantur. Atque, ut breviter dicam, omnes habitus ex operationibus similibus fiunt. Qua propter tales quasdam operationes reddere oportet: ipsarum nanque differentias habitus ipsi sequuntur. Non igitur, parùm, sed plurimùm, quin potius totum refert, sic, an non sic homines ab adolescentia consuescant.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Virtutem dividi in intellectualem ac moralem. Neutram earum natura insitam esse: sed priorem acquiri doctrina, & experimento; posteriorem vero consuetudine, & exercitatione bonarum actionum.



EPIGRAPHIA Capituli huius, iuxta quorundam editionem, Græcè est, ὅτι ἡ ἠθικὴ καὶ ἀρεταὶ ἔτε φύσει ἔτε παρὰ φύσιν ἐγγίνονται, ἀλλ' ἐξ ἐβουδ περιγιγνεται, id est, Quod Ethica & Virtutes, neque natura, neque præter naturam, sed consuetudine & usu acquiruntur. In quo tanè continetur summa & veluti medulla huius capituli. Dividitur verò illud in tres partes. In prima resumit divisionem Virtutis traditam postremo capite libri præcedentis, ut alia sit intellectualis, alia moralis. Nunc autem non, ut ibidem, venatur earum discrimen ex subiecto, sed ex principio efficiente, à quo procedunt. In secunda incipit speciatim agere de Virtute morali, quatenus distincta ab intellectuali, & assignat principium, ex quo oritur. In tertia denique ostendit, iuxta qualitatem actionum evadere habitus bonos, aut malos.

2 **CIRCA** Primam partem præmittit, duplex esse Virtutum genus: alterum earum, quæ dicuntur διανοητικὰ, vel λογικὰ, id est, intellectuales, seu rationales: illæ, nimirum, quas Cicero varijs locis, arque ex eius stylo Latini cæteri, Virtutes rationis & cogitationis appellant: alterum illarum quæ spectant ad appetitum, & dicuntur ἠθικὰ, id est, morales, quod propriè in instituendis & formandis moribus positæ sint. Supposita autem utrarumque distinctione, procedit ad vestigandas earum causas: sed intellectualium quidem parcissimè, quoniam vberiore de ijs tractationem differt in librum sextum huius Operis: moralium autem fusiùs, quoniam cum plurima circa illas dicturus sit prioribus huius libris, oportuit modò alius earum originem vestigare.

3 **DECERNIT** Itaque, & pro attentione statuit, Virtutem intellectualem, potissimùm oriri ex doctrinâ, eaque præcunte au-

geri, seu incrementum accipere. Potissimùm, inquam, seu magna ex parte. Id enim in textu significat τὸ πλεῖστον, quod Ioanni Maiori idem est, ac ut plurimum, seu plerumque: Giphanio autem, & alijs, magna ex parte. Ita enim communiter accidit, ut Virtutes intellectuales præcunte aliquo, & docente, seu viva voce, seu scriptis, comparentur, non tamen id omnino necessarium est, cum aliqui extiterint, qui sine duce, aut magistro, invenerint disciplinas, easque alijs tradiderint. Vnde illud Senecæ lib. 7. Epist. 53: *Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine vliius adiutorio exiisse. Hoc maxime laudat, quibus ex se impetus fuit, qui seipso protulerunt.* Quosdam, inquit: quoniam verè paucissimi fuerunt, qui in disciplinis absque prodromo, seu duce aliquo, inciperent, aut proficerent. Ipse Aristoteles, cuius opera præ manibus habemus Sole clariora, quanquam verè admittendus, & cui iam à viginti sæculis nemo ferè non allurgit, cum sæpe *Natura Ideæ* apud Auctores audiat, & immenti propemodum ingenij viri, adhuc tamen vix alicuius disciplinæ inventor habetur, sed tantùm vnius alteriusve sententiæ celebris. Vnde illud Ammonij de ipso: τῆ δὲ γὰρ φύσιν ἠὲ προσέθηκε τὸ πλεῖστον ἄριστον, &c. In *Phisica* quintam illam essentiam invenit. (nimirum substantiam cæli incorruptam, ac nullo modo coalescentem ex quatuor primis qualitibus.) In *Theologia* (scilicet, Metaphysicâ) etsi nullum eius extat inventum, perfectè tamen omnes eius partes est executus. Non enim, ut quidam falsò putant, terrestria tantùm, & que ad hunc mundum spectant, novit, sed & illa quoque, que supra hunc mundum sunt. Quæ cum ita sint, merito idem Philosophus hoc loco ait, Virtutes intellectuales pierumque, sive ut plurimum, comparari ex doctrinâ, seu præcunte magistro. Stando autem Giphaniij &

& aliorum interpretationi, ut τὸ πλεῖστον sit idem, ac magna ex parte, indicatur ab Aristotele, non solum magistri institutionem, sive doctrinam, esse principium, ex quo procedunt in nos Virtutes intellectuales; sed alia etiam praesidia concurrere: ut ingenij bonitatem, memoriae facilitatem tenacitatemve, exercitationem & experimentum multiplex.

4 DOCTRINAE Autem nomine hoc loci observat Acciaiolus, non intelligi solum institutionem illam, quae proficiscitur à docente: verum etiam ratiocinationem intelligentiae, ductam à principijs ad conclusiones. Experimentum vero Gualterus Burleus & Lincolnensis intelligunt, frequentationem actionum propriarum, & observationem alienarum intentam. Cumque hoc peragi nequeat momento temporis, necessarium est id spatium, seu mora, quae sufficiat observandis aliorum actionibus, exercendisque proprijs: quae certe, quavis ad intelligentiam spectent, ex eoque capite videantur posse facile ac breviter peragi; adhuc tamen praerequirunt sensuum exercitationem: quoniam intellectus operatio ducit initium ab exercitatione sensuum. Haec autem non momento fit, sed moras trahit. Experimentum ergo non momento fit, sed iusto temporis spatio. Quare disciplinae, seu Virtutes intellectuales, comparantur sensim, institutione magistri, & experimento: ideoque Galenus dixit, eas duobus quasi cruribus inniti, *ἡ δὲ διδασκαλία καὶ ἡ ἐμπειρία, doctrina & experientia.* Neque aliam ob causam Hippocrates euidam libro initium dedit illis verbis. *Ars longa, experientia periculosa, &c.*

5 QUAMVIS Autem principium seu originem Virtutum intellectualium doceat Arist. sitam esse in doctrina & experientia, non ideo excludit ipsam naturam intelligentem: utpote in qua est vis innata ad comparandum sibi quoslibet habitus, tum intellectuales, tum morales de quibus differitur in hoc Opere: nam de supernaturalibus seu theologicis alia omnino ratio est. Itaque quemadmodum appetitus, seu voluntas, partes suas habet in acquisitione Virtutum moralium, iuxta eundem Philosophum, ita etiam intelligentia, seu mens, in Virtutibus intellectualibus comparandis. Imò non desunt qui naturali intellectus acumini & perspicacitati potissimas in hac re partes, seu primas deferant. Idque nominatim in arte dicendi, seu Oratoria exponit Quintilianus dum ait, naturam sine doctrinâ plurimum posse; doctrinam vero sine natura, nihil. Est enim natura instar terrae, quae, nisi insitam fertilitatem habeat, frustra ab agricola exercetur. Hinc est quod eloquentissimus ille Graecorum Orator, atque eloquentiae magister Demosthenes, lapillis linguâ vertatis, & voce magnâ clamaret crebro iuxta fluminum sonantium ripas: ut ni-

mirum, naturalia illa eloquentiae instrumenta, linguam ac vocem, expoliret conformareque orationibus instituendis, tanquam potissima in eum finem praesidia.

6 ALIIS Contra placet, in negotio disciplinarum, seu Virtutum intellectualium, primas ferre experimentum, seu exercitationem assiduam: quasi haec potis sit expolite naturam hominis, etiam rudem. Quo pertinet trita illa apud Galenum sententia lib. 3. de Crasibus.

Stillula mollis aquae assiduo lapidem trahat ietu.

Similiter & quod Plinius observat in formicis, etiam silices durissimas inveniri pedibus earum attritas. Quo nihil exaggerari esse potest ad experimentum, quantum vim habeat assiduitas, seu frequentia. Unde & experimento patet, nonnullos homines taruioris ingenij, crebra & pertinaci exercitatione comparate sibi disciplinas quasdam in praecellenti gradu.

7 QVAPROPTER Dicendum est ex mente Aristotelis, & iuxta veritatem ipsam, ad Virtutum intellectualium, seu disciplinarum acquisitionem, & incrementum, conferre plurimum, & naturam, & industriam. Naturam porro hoc locis accipimus, pro ingenij perspicacitate, ac felicitate memoriae, atque idoneo temperamento corporis sensuumque ad discendum. Industria vero est, quae ex doctrinâ & experimento, atque observatione diuturnâ comparatur. De hac expressè loquitur in hoc capite dum ait initio ferè. *Intellectiva virtus quidem plurimum ex doctrina generationem habet; & incrementum, quae propter experientiam magis, temporeque.* De illa vero idipsum supponit ut manifestum: cum potentiae intelligenti, naturam nobis insitae, sit intima vis & facultas ad discernendum ab alijs, & ad observandum experimento diuturno, seu alieno, seu proprio vniuscuiusque. Quin & certam aliquam humanorum complexionem alicubi docet idoneam esse comparandis disciplinis aliam è contrâ adversam. Nam lib. 2. de Anima cap. 9. text. 49. αἱ τοὶ μέν τ' ἄρ' ἄκαρτοι σαρκοῦ ἀφ' οὗ τὸ δύνανται οἱ δὲ μαλακοὶ σαρκοῦ ἰσχυροῦς. *Qui nanique sunt duri carne, sunt ineptimente, qui vero sunt molles, ingeniosi existunt, menteque dextri.* Verum hoc loco non fuit opus expressè tradere quid sit necessarium ex parte naturae, cum haec ad omne genus Virtutis, tam intellectualis, quam moralis, debeat esse idonea: sed tantum cura fuit assignare id, ex quo speciatim Virtus intellectualis originem trahit.

8 VERVM Statim occurrit difficultas ab In. expressibus proposita: Quod, nimirum, in mente existit aliqua Virtus intellectualis, quae nullâ doctrinâ, aut experimento comparatur.

Non

Non igitur est verum vniversè, omnem Virtutem intellectualem acquiri doctrinâ & experientia. Assumptum probatur: Quoniam intellectus, sive habitus principiorum, est vna ex quinque Virtutibus intellectualibus, iuxta eundem Philosophum lib. 6. cap. 2. & 6. At eiusmodi habitus absque vllâ doctrinâ, aut experimento, obtinetur: cum omnis anima rationis compos statim ac naturaliter principijs primis assentiatur. Aliqua ergo Virtus intellectualis est, quæ habeatur absque vlla doctrina aut experimento.

9 SED Facile occurritur huic objectioni ex doctrinâ tradenda loco iam indicato cap. 6. in commentario. Fatemur enim infitam nobis intelligendi vim, propositis primis principijs, statim ijs assentiri, ita vt non possit iudicare oppositum. Adhuc tamen assentiri facile & promptè non contingit absque aliqua doctrina & experimento. Itaque facilitas & promptitudo, quâ assentimur principijs, provenit ab habitu superaddito intelligentiæ naturali: qui certè non est naturâ inditus, sed adquisitus, aliquali saltem doctrinâ, & vniuscuiusque experimento. Verùm de hoc plura ibidem.

10 ALIA Quoque obiectio solet in præsentiarum proponi, quod tempus potius sit causa oblivionis, quàm generationis & incrementi disciplinarum: ideoque perperam videatur Aristoteles docere, ad eas comparandas necessarium esse temporis intervallum. Hic autem scrupulus facile removetur, si dicamus cum Alberto Magno, tempus solum esse causam corruptionis oblivionisque, prout est numerus motus: sic enim efficit vt ea, quæ certo motu numerantur dividunturque, à seipsis quodammodo distent. Aliunde verò tempus ipsum est causa generationis & augmenti in ijs, quæ nata sunt, non subito, sed gradatim fieri, atque incrementum accipere. Porro de horum numero esse habitus intellectuales, palam est, vel proprio cuiusque experimento. Nemo enim deprehendit in se subito facilitatem & promptitudinem illam, quæ propria est habitus, in materia alicuius virtutis intellectualis; sed solum post diuturnam doctrinam & exercitationem.

11 EXPLICATA Iam causa vnde procedunt Virtutes intellectuales, procedit ad morales, asseritque illas non esse nobis infitas naturâ; quamvis non sine naturâ, nec præter naturam in nobis generentur. Cum enim in nobis sit naturalis infita facultas seu vis ad actiones honestas, & Virtuti conformes, Virtus ipsa nequit esse sine natura, aut præter naturam. Quo sensu etiam infra lib. 6. cap. 13. appellat Virtutem naturalem, atque nos naturâ evadere fortes ac temperatos. Insuper & hoc loco addit, doctrinam aliquid momenti con-

ferre in generationem Virtutum: eum manifestum sit doctrinâ præeunte cognosci quænam actiones sint honestæ & expediendæ; quænam verò pravæ & fugiendæ. Caterum potissimam causam generationis & incrementi Virtutum moralium, quatenus differunt ab intellectualibus, docet non esse positam in doctrina, sed in vñu, more, seu consuetudine exercendi actiones honestas.

12 HANC Assertionem statuit Aristoteles contra plures alios Philosophos. Ac primò quidem existimatur, statutam fuisse ab eo contra Platonem, qui in Menone ait, Virtutes infitas esse vnicuique animæ à Deo, tam intellectuales, quam morales, ab ipso conditionis momento, quam ipsam opinionem didicisse putatur Plato à magistro suo Socrate. Cumque vgerentur experimento vniuscuiusque hominum, nullatenus inventientium aut deprehendentium in se ipsis Virtutes illas donec assidua industria, seu doctrina, exercitatione, & consuetudine, illas sibi comparent; respondebant, animam quidem à principio eas Virtutes omnes infitas habuisse: verum per unionem ad corpus statim earum oblivisci, quasi hausto Letheo poculo, donec per exercitationem eas sibi in memoriam revoceret. Ita idem Plato in Phædro, & lib. 10. de Republica. Quam existimationem, seu potius errorem, reiecerunt non modo alij Philosophi, sed etiam Patres: vt Tertullianus lib. de anima, Augustinus lib. 12. de Civit. cap. vii. & cum ijs Albertus Magnus 1. Metaph. tract. 1. cap. 8. & D. Thom. 2. contra Gent. cap. 83. Insuper & Plato eam infusionem Virtutum in rationali animo docebat esse ante ipsam unionem ad corpus, quasi animæ prius tempore existerent, quàm corporibus coniungantur. Caterum & hanc animorum rationalium antegressionem ad corpora ipse Aristoteles supponere videtur hoc loco, prorsus commentitiam, quatenus reiecit opinionem Platonis in ea fundatam. Quin & expressè propemodum tradit oppositum libro de Proprietatibus Elementorum, vbi inquit, *in nato fieri spiritum vitæ iussu Dei, & ita videri non esse traducium à patre.* Si autem spiritus vitæ, seu rationalis animus esset conditus ante unionem ad corpus, non fieret in nato, sive genito; sed iam factus duratione præcedenti, solum vniretur corpori. Verùm adhuc maioris ponderis est, eam Platonis opinionem proscriptam fuisse iam diu ab Ecclesia in Concilio Bracharensi l. can. 6. & à S. Leone Papa, Epist. ad Turibium Episcopum, illis verbis: *Eos Catholica fides à corpore suæ unitatis absceidit, constanter prædicans, atque veraciter, quod à animæ hominum priusquam suis inspirarentur (forte legendum, inspirarentur) corporibus, non fuerit.* Idemque commentum reiecerunt ex Patribus Augustin. Epist. 18. ad Hieronymum,

Cyrillus Alexandrinus lib. 1. in Ioannem cap. 9. vbi viginti argumenta proponit, Hieronymus Epist. ad Pammachium, quæ est aduersus Ioannem Hierosolymitanum, Theophilus Alexandrinus lib. 1. Paschali, & Epiphanius hæresi 20.

13 NEC Platonis solum opinio hoc loci refellitur ab Aristotele, sed etiam alia celebris & pervagata Stoicorum, qui asserunt omnes Virtutes morales esse scientias, perfectæque facultatem animæ intelligentem. Ita enim ex ipsorum sensu referunt Plutarchus libello de Virtute Morali, & Cicero in 1. Academic. qui & rursus lib. 3. Offic. docuit, Temperantiam esse scientiam, quo ipso videtur secutus eandem existimationem. Verum Aristoteles in præfati eam refellit, tum quatenus omnino distinguit Virtutes intellectuales à moralibus; tum etiam quatenus docet, priores potissimum doctrinâ comparari, posteriores vero vsu. Manifestum autem est, omnes eos habitus, qui ex causis diversis proficiuntur, omnino à se differre.

14 CIRCA Secundam capitis partem aggreditur probare rationibus, Virtutes morales non esse naturâ insitas, sed vsu & bona consuetudine acquiri. PRIMA Ratio ducitur ab etymologia Virtutis moralis. Verum ut eius energia intelligatur ab ijs, qui Græci sermonis ignari sunt, sciendum est, ἦθος & ἠθος Græcè significare morem: sed cum aliquo discrimine, observato à Plutarcho vbi supra. Nam ἦθος est *ποιότης*, *qualitas* quædam comparata ex ἔθος. nimirum, est mos hærens nobis in animo, quem dicimus habitum. Cæterum ἠθος proprie significat vsu, assuetudinem, seu exercitationem, a qua ille habitus progignitur, & animo imprimitur. Hoc præmissis, ratio Arist. est ferè huiusmodi. Virtus moralis appellatur ἠθικὴ *ethica*, ab *ethos*, nimirum, à consuetudine. Ergo signum est, Virtutem moralem consuetudine generari. Quamvis enim aliqua fortasse non inde suam originem re ipsa ducant, vnde etymologiam trahunt; attamen vbi tanta est nominum cognatio, ac inter nomina consuetudinis & Virtutis moralis, videtur esse non levis coniectura, ut existimemus, hanc ab illa proficisci.

15 OCCVRRIT Difficultas observata ab Eustratio, seu Aspasio (non enim exploratum est, vter illorum librum hunc secundum fuerit interpretatus.) in hunc ferè modum. Paulo antè dictum est ab Arist. Virtutes intellectuales diuturno experimento comparari. At diuturnum experimentum idem est, ac assuetudo: neque enim in aliquo differre videntur. Ergo Virtutes intellectuales assuetudine comparantur. Non igitur ex hoc capite differunt ab illis Virtutes morales, neque harum proprium est, ut generentur assuetudine; prout tandem ipse Aristoteles docet.

16 RESP. Cum Peregrino, cui subscribit Gallutius, verum esse discrimen vtrarumque Virtutum ab Aristotele assignatum: nam experientia, quæ confert ad procreationem Virtutum intellectualium, longè differt ab assuetudine, quæ parens est moralium Virtutum. Experimentum enim haberi potest etiam ex actionibus aliorum: assuetudo autem non, nisi ex actionibus proprijs. Quod prædictus Auctor exponit duplici similitudine, seu exemplo. Si enim sepius observasti, evomentes sanguinem deficere paulatim, & denique vitam cum sanguine fundere, quin eiusmodi malum passus vnquam sis; experimentum tibi comparasti; non verò assuetudinem. Similiter, si videris & observatis diu ijs, qui gymnasticam frequenter exercent, didicisti, laborem exercitationemque mediocrem illorum esse causam tuendam bonæ valetudinis; proculdubio experimentum nactus es. Cæterum assuetudinem non habebis, nisi tute exerceas instar ipsorum. Aristoteles igitur docet, ac merito, Virtutes intellectuales comparari doctrinâ & experimento; nimirum, siue in alijs observato, siue etiam in seipso ab vnoquoque: Virtutes autem morales, non tam experimento, quam assuetudine.

17 ALIA Difficultas etiam est proposita ab Acciaio. Virtus enim intellectualis non solum acquiritur experimento & doctrinâ, sed etiam consuetudine. Acquiritur enim crebro vsu, seu repetitione actuum circa propriam materiam. Creber autem vsus, seu repetitio actuum in eadem materia, est consuetudo quædam. Ergo non est proprium Virtutis moralis, prout distinctæ ab intellectuali, ut acquiratur consuetudine.

18 RESP. Aristotelem hoc loci solum assignare principia per se vtrarumque Virtutum, non autem ea quæ κατὰ συμβεβηκός, seu ex accidenti se habent. Hoc autem posteriori modo dumtaxat comparatur consuetudo ad Virtutem intellectualem adquirendam: cum possit quis evadere doctus in qualibet disciplina, solo alterius magisterio, seu doctrinâ imbutus, atque experimentis alienis. Vnde ad generationem Virtutis intellectualis sola doctrina & experientia per se, siue præcipue concurrunt. Neque crebra illa exercitatio in actibus circa materiam alicuius scientiæ est proprie consuetudo, seu mos. Omne enim quod proprie ad mores pertinet, etiam spectat ad voluntatem, seu appetitum, directe ac per se. Exercitatio autem illa frequens in materia scientiarum, non spectat ad appetitum, sed ad intellectum. Non ergo est proprie mos, seu consuetudo. Contra verò crebra exercitatio in materia Virtutem moralium, cum spectet ad voluntatem directe, est mos proprie, seu consuetudo: & hæc per se concurrat ad generationem Virtutis moralis; doctrina autem & experimentum præ-

presuppositivè solùm, aut per modum dirigentis; non autem efficientis habitum ipsam Virtutis moralis.

19 SECUNDA Ratio in idipsum probandum, est huiusmodi: Quidquid naturâ insitum est, semper inest unicuique rei: nec fieri potest ut contrariâ assuetudine mutetur: ut patet in lapide, qui, licet sepe sursum projiciatur, non ideo amittit propensionem innatam, quâ propendet in centrum mundi; nec acquirit facilitatem ullam, aut propensionem in locum sursum. Nimirum, gravitas naturâ ipsi indita in causa est, ut semper deorsum, nunquam verò sursum, sponte suâ feratur. Atqui experimento diutino deprehenditur, Virtutem, seu promptitudinem, aut facilitatem ad actus bonos, non semper in nobis esse, sed potius interdum, ac plerumque, promptitudinem & facilitatem ad actus vitij contrarij. Virtus ergo, seu promptitudo, aut facilitas, ad actus bonos, non est aliquid naturâ nobis insitum.

20 QVO Spectat illud Horatij: *Naturam expellas furca: tamen usque recurret: quia, nimirum, quod naturæ conditione hausimus, firmum semper, & stabile sit.* Similiter & à *Δύρατος*, seu impossibile illud, quod expressit Pindarus Olymp. 13. *ἀμαχόν δὲ κούφαι το σὺν γυρὲς ἴθως. Difficile est occultare morem ingenitum.* Et Aristophanes Vespis: *Tegere difficile est quam quis naturam habeat.* Denique & epigramma illud Luciani, *εἰς τὴν πύρρον*, &c. quod Erastus ita Latine reddidit: *Abluis Ethiopem frustra: quin desinis artem?*

Haud unquam efficies, nox sit ut atra dies.

Spectat etiam huc illud Senecæ Epist. 11. *Nulla sapientiâ naturalia corporis & animi ponuntur vitia. Quidquid infixum & ingenitum est, leviter arte non vincitur. Quædam nec discipula, nec vltus unquam excutiet natura vim exercet suam, & illos vitij sui, etiam robustissimos admonet. Hæc, ut dixi, nulla sapientia abigit. alioqui haberet rerum naturam sub imperio sui, si omnia eraderet vitia. Quæcumque attribuit conditio nascendi, & corporis temperatura, cum multum se diuque animus composuerit, hærebunt. Nihil horum vitari potest, non magis, quam accersiri. Hactenus ille. Eandemque doctrinam attulit ad speciem singularis facti Vlpianus l. Precipiunt, ff. de Adilicio edicto, dum dixit: *Mancipia, quæ rudia sunt, præsumuntur esse simpliciora, & ad ministeria multo aptiora: ita verò & veteratiora difficile est reformare.* Hæc Vlpianus. Ex quibus omnibus constat, optimam esse rationem, quâ probat Aristoteles, Virtutes morales non esse homini naturâ inditas: quoniam experimento constat, plerisque hominum esse absque promptitudine & facilitate illa, quam prædictæ Virtutes præstant ad actus honestos:*

imò & habere promptitudinem facilitatemque ad actus vitij contrarij. Nemo autem potest acquirere sibi inclinationem contrariam propensioni naturâ inditæ. Virtutes igitur morales non sunt aliquid inditum natura.

21 TERTIA Ratio. Eorum omnium, quæ naturâ insunt nobis, prius Virtutem seu facultatem habemus, quam functionem & usum. Quod, inquit, Aristoteles, in ipsis sensibus intueri licet. Prius enim sensum videndi & audiendi recipimus, seu habemus, quam re ipsâ videamus & audiamus. Atqui in Virtutibus moralibus contra accidit: siquidem experimento unicuiusque constat, prius nos habere illarum functionem & usum, quam habitum, seu facilitatem. Neque enim hæc experimur, nisi post diuturnum usum, seu consuetudinem exercendi actiones honestas. Virtutes igitur morales nullatenus insunt nobis natura. Vbi vix necessarium monitu est, quod observandum vult Eustratius, sive Aspasius: *τὰς δὲ δυνάμεις, facultates, non accipi ab Arist. hoc loci propriè congruentibus, quas potentias dicimus, sed pro habitibus.* Etenim satis aperte in ipso textu distinguitur inter facultates naturales videndi & audiendi naturâ inditas, & priores operationibus ipsarum; ac Virtutes posteriores actionibus honestis, quibus acquiruntur.

22 ILLUSTRAT Idipsum exemplo in artibus. Prius enim, quam quis artem ædificandi, aut citharizandi obtineat, se diu ac sepe exercet in actibus ædificandi, aut pulsandi citharam, quorum crebra exercitatione eos habitus sibi comparat. Ergo & oportet, unumquemque diu ac sepe in actibus Virtutum se exercere, ut illius habitum allequatur. Sicut enim citharizantes efficiuntur citharædi, & ædificantes evadunt dextri in ædificando: ita etiam iuste agentes, iusti, & temperate viventes, sobrij ac temperati.

23 QUARTA Ratio ducitur ab auctoritate Legumlatorum, quibus cura est, ut propolis præmijs & supplicijs cives bonos efficiant, quod utique obtineri non potest, nisi cives ipsi honeste operentur, & idem idem se exerceant in actionibus Virtutum, ut eas sibi comparent. Hic enim est Legumlatorum scopus, etiam annuente Platone lib. 7. de Republ. & consentiente Cicerone lib. 1. de Legibus. Unde & ratio sub hæc formulam proponi potest. Id, cuius vi ac præsidio conantur Legumlatores efficere cives probos, habet proculdubio efficacitatem ad generandum habitum moralis Virtutis. At conantur efficere cives probos vi ac præsidio honestarum actionum. Igitur honestæ actiones habent efficacitatem ad generandum habitum moralis Virtutis.

24 CIRCA Tertiam partem tradit, oportere unicuique ut se exerceat in operatio-

ni.

nibus honestis: quia iuxta qualitatem actionum generabitur habitus bonus, aut pravus. Videmus enim ex ijs, qui malè ædificant, aut citharizant, malos fieri ædificatores, ac citharædos: bonos autem, vbi diu præcessit consuetudo rectè ædificandi, aut citharizandi. Similiter qui in commutationibus, seu synallagmatibus, iustè & ad æqualitatem se gerunt, evadunt iusti: qui autem aliter, iniusti. Idemque est de cæteris habitibus morum. Quare in fine capituli monet, non parum referre, sed imò plurimum afferre momenti, quomodo quis à pueritiâ, seu incunte ætate assueverit operari.

Quod postea Virgilius expressit, accinens
à teneris assuescere multum est.

Et Horatius tritis illis versibus, Quo semel est
imbuta ricens servabit odorem Testa diu. Sed
vberius lib. 3. Carm. Od. 24. duarum, potius

sensu Christiano, quam Ethnico

Eradenda cupidinis


Pravi sunt elementa, & tenera nimis

Mentes asperioribus

Formanda studijs.

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 63. eiusque In-

terpretes.



CAPVT SECVNDVM.

*Quòd Virtus ab excessu & defectu corrumpatur, ad mediocres
inclinans operationes.*



VM Autem præsens tractatio, non contemplationis sit, vt cæteræ, gratia (non enim vt sciamus quidnam sit virtus, sed vt efficiamur boni, consideramus, nam nulla ipsius esset utilitas) de actibus quonam modo sint agendi, considerare necesse est. Hi namque sunt authores, vt tales quidam ipsi habitus fiant, quemadmodum diximus. Agere igitur ratione recta commune est, & supponatur: posterius autem de iplo dicetur: & quid est ipsa recta ratio: & quomodo ad cæteras sese habet virtutes. Illud autem antea confiteamur oportet, omnem sermonem, qui est de rebus agendis, figura, & non exactè fieri debere, quemadmodum & ab initio diximus: rationes, inquam, vt materia postulat, semper esse efflagitandas. Actiones autem, & ea, quæ profunt, nullam habent stabilitatem, quemadmodum neque salubria ipsa. Atque cum talis sit sermo vniversalis, multò minùs is sermo certitudinis habet, qui de singularibus est. Nam neque sub artem, neque sub præceptionem vllam cadunt. Sed oportet ipsos agentes ea semper considerare, quæ ad tempus accommodantur: quemadmodum & medicina fit, & in gubernandi etiam arte. Verùm & si præsens sermo talis est, vti diximus, enitendum est tamen opem, & auxilium ferre. Primum igitur hoc contemplemur oportet, res istius modi tales esse, vt à nimio corrumpantur, & paucò, vt in vi-

ribus videmus, ac valetudine fieri. Nam pro rebus obscuris, claris indi-
cijs vtamur oportet. Nimij nanque labores, paucique, vires corru-
punt. Similiter potus, cibique, tam nimij, quàm pauci, valetudinem au-
ferunt: moderati verò faciunt, augent, & conservant. Sic igitur & in
fortitudine, ac temperantia, cæterisque virtutibus res sese habet. Qui
namque cuncta fugit, atque formidat, neque quicquam subire, perfer-
rèque patitur, is timidus fit. Qui nihil omnino timet, sed aggreditur
omnia, is audax nimirum efficitur. Simili modo qui voluptate omni
potitur, nec excipit ullam, intemperans: qui cunctas fugit, perinde at-
que agrestes homines, insensatus evadit. Etenim tam temperantia,
quàm fortitudo, à nimio quidem, & paucò corrumpitur; à mediocrita-
te autem conservatur. At enim non solùm ortus, & incrementa, cor-
ruptionesvè ex eisdem, & ab eisdem efficiuntur, sed & operationes in
eisdem etiam erunt. Nam & in cæteris, quæ sunt manifesta magis,
res ita sese habere videtur, vt in viribus. Vires enim non tam copia
cibi, quàm multorum laborum tolerantia, comparantur: & robustus
ipse multum sumere cibum, & multos labores tolerare maximè po-
test. Sic fit & in virtutibus ipsis. Nam abstinendo à voluptatibus,
efficimur temperati: & facti iam temperati, maximè ab ipsis possu-
mus abstinere. Idem & in fortitudine fit. Etenim assuescendo for-
midolosas res parvipendere, subireque ipsas, atque perferre, fortes eva-
dimus: factique fortes, maximè res formidolosas poterimus ferre.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

*Omnes actiones hominis debere esse consentaneas rectæ rationi, proindeque servantes me-
diocritatem inter exuperantiam & defectum, ut eorum ope acquirantur*

*Virtutes morales. Quenam sint eiusmodi actiones: item
& ipsæ contrariæ, quibus Virtus
corrumpitur.*



DO CET Arist. potissimum hoc
loco, mediocritate actionum
gigni Virtutes morales; cor-
rumpi autem exuperantia ac
defectu. Estque doctrina af-
finis tradita precedenti ca-
pite. Cùm enim ibidem tradiderit, Virtutes
morales non esse naturâ inditas, sed adquiri
exercitatione frequenti bonarum actionum;
consequens erat, vt nunc traderet, qualiter ex-
hibendæ sint actiones eiusmodi, vt honestæ
sint, & Virtutum procreatrices. Dividitur verò
totum caput in tres partes. In prima docet,
Philosophi moralis esse vestigare, quenam
actiones humanæ sint gignendis Virtutibus
opportunæ. In secunda easdem actiones expo-

nit, ac demonstrat ex quibus nascantur: in-
super & eas, quibus corrumpuntur. In tertia de-
nique declarat, quenam sint actiones à Virtu-
te iam parâ procedentes.

2. CIRCA I. Partem præmittit, Philoso-
phi Moralis esse, vt de actionibus humanis, &
de rebus, quæ sub actionem cadunt, potissime
disserat. Idque probat: quoniam finis doctrine
Politice, seu Civilis, non est cognitio theori-
ca, seu contemplatio, qualiter in alijs discipli-
nis, sed actio proba, & perfectioni vite civilis
consentanea. Similiter ergo finis Ethicæ, seu
Philosophiæ Moralis, non est cognitio the-
rica, sive contemplatio veritatum, sed actio op-
tima, aut perfecta secundum Virtutem. Igitur
& eiusdem doctrine est disserere de ipsa actio-
ni-

nibus, & rebus humanis, quæ sub actionem cadunt: quatenus, scilicet, deserviunt ad procreandum & augendum habitus Virtutum. Nimirum, ut præced. cap. 10. ait, & modo repetit, *ἐνταὶ τῇσι κινήσει τὸ ποιεῖν γενέσθαι τὰς ἐξ αὐτῶν ἰψῆς* (actiones) talium generandorum habituum dominæ sunt. Gignuntur enim ex malis actionibus pravi habitus, & ex honestis probi. neque alia turpido aut honestas est habitibus morum, nisi quam acceperint ab actionibus, tanquam à causa principe, & dominante in generationem habitum. Quare quidquid cognitionis est Virtutum in Philosopho Morali, non quaeritur propter se, sive propter notitiam ipsam; quæ sola nihil ferè utilitatis afferret: sed tantum propter actionem inde secutam, quæ homo efficitur probus.

3 PRÆMITTIT Autem, ut rem exploratam, & nulli non manifestam, omnes actiones nostras debere esse conformes rectæ rationi, ut secundum Virtutem sint. quippe quæ rationis amica est, & cum illius rectitudine nexum strictissimum habet. Ut enim progressu Operis plenius apparebit, prudens ratio est indagatrix mediocritatis, in quâ Virtus moralis sita est. Prudentia enim omni morali Virtuti facem præfert, ut eligat medium inter exuperantiam & defectum, ideoque modum, seu mensuram debitam servet. Addit insuper Aristoteles, & exponit, quamnam methodus, seu doctrinæ ratio ac via sit opportuna ad vestigandum ea, quæ nosse oportet studiosum Moralis disciplinæ virum. Et inquit, debere esse vulgarem, rudem, & non accuratam docendi rationem, quæque populari modo, & per similitudines quasdam tradatur. Neque enim hæc doctrina talis est, ut exquisitis rationibus aut demonstrationibus nitatur. quoniam tota est circa materiam mutabilem, & nullis principijs firmis ac stabilibus insistentem. Versatur enim circa operationes humanas, & bona corporis ac fortunæ, quæ pro varietate locorum, personarum, ac temporum, mutantur, & nunc bona, nunc mala censentur. Quare dissimilis est disciplina hæc Mathematicis, ac Metaphysicis, quæ abstractis & firmis rationibus ac principijs nituntur: similis autem Medicinæ, quæ incertam materiâ utitur, & pro varietate temporum, locorum, ac personarum, modo saluti opportuna, modo adversa.

4 QUAM Præmonitionem sic cum Giphano expendere poteris. Ratio omnis & oratio contentanea esse debet materiæ eius scientiæ seu disciplinæ, quæ est explicanda. Si materia est constans, firma, & perpetua, ut in mathematicis, & metaphysicis, & etiam in physicis; oratio erit exquisita. Si autem materia sit inconstans, fluxa, & instabilis, uti sunt facta & actiones humanæ, quæ est materia Iurisprudentiæ & Politicæ; ut sunt res salubres,

quæ est materia Medicinæ; tum oratio quoque & explicatio incerta, & nullatenus exquisita esse debet. Quare superest ut in hac disciplinâ solum confugiamus ad rationes probabiles, coniecturas, & similitudines: quoniam demonstrationibus exactis nullus est locus. In quem sensum rectè Gallutius videtur afferre illud Philosophi, *ἐν τῷ ποιεῖν, καὶ ἐν ἀνεπιβόῳ, ῥυθμίσθη, & non exactè.* quasi præceptiones huius doctrinæ tradendæ sint per figuras quasdam, ac similitudines rerum, pro capiti popularium.


5 CIRCA Secundam exponit, quibus operationibus generentur Virtutes, quibus etiam corrumpantur. Quod ut edisserat, dividit actiones humanas in triplicem classem: nimirum, earum, quæ exuperantiam habent; earum etiam, quæ defectu peccant; & earum denique, quæ mediocritatem obtinent inter virumque extremum. Hoc posito docet, Virtutes progigni, augeri, conservarique illis tantum operationibus, quas ratio dirigit ac metitur iuxta mediocritatis præscriptum. è contra autem corrumpi ijs, quæ dignoscuntur à medio aberrasse in alterum extremorum, sive exuperando, sive deficiendo. Probatque decretum hoc similitudine quadam, & ut ipse ait, *ἡμετέροις μακροτέρως, claris testimonijs, ex rerum.* Hæc naturâ delumptis, ut corporis vi, & valitudine, generatur, augetur, & conservatur ijs subsidijs, quæ iuxta mediocritatem sunt: corrumpitur autem exuperantia & defectu. Quod patet in exercitatione Gymnastij, quæ, si mediocris sit, bonæ valetudinis causa est: ruina verò, si plus æquo maior sit, qualis illa Lacedæmoniorum apud eundem Arist. lib. 8. Polit. cap. 4. ubi eos carpit, quod fierent quoddammodo bellua tam crebra & nimia exercitatione; aut etiam, si iusto minor, qualem habent, qui sedentario vitæ genere tempus insumunt. Valetudo igitur mediocritatem exercitationis corporalis exoptat; excellam & defectum adversarium habet. Idem in cibo & potu dignoscitur: quoniam si moderatus sit iuxta necessitatis præscriptum, gignit, auget, tueturque valetudinem: si autem nimius sit, aut iusto minor, illam evertit. Ergo pariter de Virtute existimandum, ijs actionibus gigni, augeri, conservarique, quæ mensuram iustam mediocritatis servant; ijs verò corrumpi, quæ divertunt in alterutrum extremorum, aut exuperando, aut deficiendo.

6 ADDIT Insuper exemplum in duplici Virtute nobilissimâ, Fortitudine, & Temperantiâ. Fortitudo enim ijs gignitur, augetur, & stabilitur operationibus, quæ media viâ incedunt inter timiditatem, & audaciam, quarum prior defectu, posterior excellâ peccat: ijs autem corrumpitur; quibus aliquis aut nimium audet, aut nimium timet. Similiter & Temperantiâ ijs actionibus procreatur, crescit,

conservaturque, quæ circa voluptates mediocriter se habent: ijs autem evertitur, quæ recedunt à medio, sive exuperando, sive deficienti. Qui enim omnium voluptatum desiderio rapitur, neque ullam sibi infert vim, intemperantiæ habitum sibi parit: qui autem omnes penitus voluptates, absque discrimine villo, repellit à se, dicitur stupidus; sive *ἀναισθητός*, ab eâ quæ, *sensus vacuitas* dicitur: communi autem stylo, licet minus Latino, & Antiquis ignoto, *insensibilitas* appellari solet. Porro licet Arist. solum in prædictis duabus Virtutibus exemplum adhibuerit, doctrinam generalem tradit circa omnem Virtutem moralem: quam mediocritate vult gigni & consistere, excessu autem & defectu corrumpi. Quod & luculentius probat in *Eudemij* lib. 2. cap. 1. vbi sic ferè argumentatur: Omnis affectio, sive *διαθεσις*, eo quod nimium, & eo quod parum, interit: medio autem existit, & servatur. At Virtus est affectio, & quidem optima. Ergo eo quod est nimium, & eo quod parum, interit: medio autem existit & servatur. Idque tam alacriter Veteribus persuasum fuit, ut Plato in *Erastis* ad extendat ad scientias, velique neque nimium esse sciendum, neque parum, sed moderatè. Ut etiam in Philosopho Ethnico agnoscas illud Apostoli: *Non plus sapere, quam oportet sapere; sed sapere ad sobrietatem.*

6 CIRCA Tertiam docet, Virtutes semel acquisitas & conservatas actionibus in mediocritate consistentibus inter excessum, & defectum, postea inclinare in operationes ijs similes, illasque proferre ex se melius, iucundius, atque facilius. Omnis enim habitus inclinat ad operationes similes ijs, quibus generatur, & stabilitur in suo esse. Atqui Virtutum

habitus generantur & stabiliantur in suo esse actionibus in mediocritate positis. Ergo & inclinant ad operationes in mediocritate positas. Idque adhuc confirmare pergit obvijs exemplis, & cuique notis, in cibo & potu copioso, ac laboribus magnis. Qui enim ijs assuevit, eo ipso comparavit sibi vires ingentes & robur corporis: quibus præditus, iam inclinatur, & facilis est ad copiosum victum sumendum, & ingentes labores facile sustinendos. Quapropter medici, & præcipue Cælius, hortantur eos qui optime concoquunt, seu digerunt, ad sumendum victum in quantitate copiosa: quoniam ea consuetudine, adaugent, & stabiliant vires: quibus semel comparatis, de cætero facile convertunt cibum in propriam substantiam, & magnis laboribus perferendis idonei redduntur. Ita etiam in Virtutibus vsu venit. Etenim actionibus circa voluptates moderatis, seu exuperantiam & stupiditatem interiacentibus, comparamus nobis habitum Temperantiæ, eoque instructi similes operationes de cætero exequimur, absque difficultate vllâ, immo & cum voluptate. Eadem quoque ratio est de Fortitudine. Semel enim acquisita per mediocrem despicientiam, & perperationem periculorum, ita disponit animum, ut absque negotio exequamur operationes similes contemnendi & tubeundi pericula. Ac tandem de Virtutibus generatim affirmari potest, illarum semel acquisitarum operationes eundem esse rationis cum ijs, quibus ad illarum generationem parata est via; nisi quod posteriores addunt facilitatem & suavitatem ab habitu superadditum, quam tamen non habuerunt priores illæ, quæ ad generationem habitus disposuerunt.



CAPUT TERTIVM.

Quod virtus moralis sit circa voluptates, ac tristitias.



TQVI signum habituum sit oportet ea voluptas, quæ ipsis actionibus advenit, & identidem dolor. Qui namque à corporis abstinet voluptatibus, si hoc ipso gaudet, temperans est: sin molestè fert, intemperans. Rursus qui pericula subit, & gaudet, aut saltem non dolet, fortis: qui verò dolet, timidus est. Moralis namque virtus circa voluptates, doloresque versatur. Ob voluptatem enim res improbas agimus: ob dolorem verò res posthabemus honestas. Quapropter homines ab ipsa statim adolescentia, ut inquit Plato, ita

E

insti-

institutos esse oportet, ut ijs gaudeant, doleantque, quibus dolere, gaudereque oportet. Hæc est enim educatio, ac eruditio recta. Præterea, si virtutes sunt circa actiones, atque affectus, omnem verò affectum, & actionem omnem voluptas sequitur, aut dolor, virtus ob id ipsum etiam circa voluptates, doloresque versatur. Indicant id ita esse & pœnæ, quippe cum per ipsos fiant dolores. Sunt enim medicamenta quædam: medicamenta autem per contraria fiunt. Præterea, omnis habitus animi (ut & antea diximus) ad eas res & in his suam habet naturam, à quibus deterior, meliorque efficitur. At ob voluptates doloresque, pravi habitus fiunt. Ex eo sanè quia persequuntur homines, atque fugiunt, aut quas, & quos non oportet, aut cum non oportet, aut quemadmodum non oportet, aut quot modis alijs à à ratione, talia præscribuntur. Quapropter & sunt, qui definiunt virtutes, affectuum ipsas inquiunt esse vacuitates, tranquillitatesque quasdam. Sed non rectè, quia simpliciter dicunt, & non addunt, ut oportet, & quando oportet, & cætera, quæ adduntur. Virtus ergo talis supponitur esse facultas agendi res optimas circa voluptates, atque dolores: vitium autem, contrarium. Fuerit autem nobis de ipsis, & ex his etiam manifestum. Nam cum tria sint, ob quæ quispiam expetit, honestum, utile, iucundum: & tria illis contraria, ob quæ fugit, turpe, inutile, atque molestum: bonus quidem vir circa hæc omnia rectè agit: malus autem peccat, & maxime circa voluptatem. Hæc enim & communis est animalibus, & omnia, quæ in expeditionem cadunt, comitatur: quippe cum & honestum, & utile, videtur esse iucundum. Præterea cunctis vni cum hominibus ab ipsis incunabulis est enutrita. Quapropter arduum est, hunc affectum insitum vitæ extrudere. Iudicamus etiam & actiones ipsas alij magis, alij minus, voluptate, atque dolore. Idcirco totum ipsum negotium circa hæc esse necesse est. Non enim parum potest ad actus, bene, aut malè, gaudere, aut dolere. Difficilius est etiam, ut Heraclito placet, voluptati repugnare, quam iræ. At circa difficilius semper & ars fit, & virtus. Id enim, quod in hoc efficitur bene, præstabilius est. Quare propter hoc etiam, circa voluptates, doloresque totum negotium est ipsius virtutis, & civilis etiam facultatis. Qui namque bene his utitur, bonus erit, qui verò malè, malus. Dictum sit igitur, virtutem circa voluptates, doloresque versari: & ex quibus fit, ab ijs ipsis augeri: & cum non eodem modo fiunt, corrumpi: & circa illa etiam operari, ex quibus est orta.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Posse unumquemque in se deprehendere, ex aliquibus signis, & notis, an fuerit adeptus perfecta Virtutis habitum. Ipsam verò Virtutem moralem potissimum versari circa voluptates & dolores.



VIDAM Aliter inferibunt hoc caput, desumpta fere epigrapha à primis verbis, quibus id inchoat Arist. dum ait, σημιον τ' ε'ξων, τω' επιγνωμενω' η' δολω', η' λυπω τοις ε'ργοις: id est, *signum esse habituum consequentem voluptatem, aut dolorem in operibus.* Verum licet hinc initium faciat, revera præcipuam capitis partem expendit circa doctrinam à nobis in titulo præfixam. Duo itaque potissimum tradit in hoc capite. Primum est, posse unumquemque in se conijcere, utrum perfectæ Virtutis habitum fuerit iam adeptus, necne, ex aliquibus signis & notis. Secundum, Virtutem moralem versari circa voluptates, & dolores. Quibus duabus partibus comprehenditur tota doctrina in præsen-
gi tradita.

3 CIRCA Primam sic procedit. Cum ea, quæ geruntur in animo, arcana sint, & quæ nulli externorum sensuum patent; nequeunt aliquo sensibili signo manifestari. Quare reliquum est, ut interno aliquo indicio, si-
ve notâ deprehendantur. Quare cum habitus Virtutum moralium non extra hominem, neque in eius figurâ aut vultu sedem habeant, sed animo hæreant; oportet illorum existentiam conijcere ex internis signis. Hæc porro manifesta sunt, si quis in operationibus moralium Virtutum experiat voluptatem. Neque enim fieri potest, ut quis in ipsa continentia à corporis voluptatibus delectationem sentiat, nisi iam adquisierit habitum perfectæ Virtutis, cuius est eiusmodi delectationem asserre. Quippe Virtus, eo ipso quod radices in animo fixerit, & assidua exercitatione adoleverit, quasi elevat naturam, ut vel in ipsa continentia à voluptatibus, quibus antea demulcebatur, longè maiorem sentiat delectationem, quam ab ijs capere poterit. E contra verò si quis in exercitio, seu operatione circa materiam Virtutis, experiat dolorem; signum est nondum perfectum esse Virtutis habitum, sed inchoatum, & qui egeat uberiori exercitio ad sui perfectionem atque incrementum.

3 EXEMPLVM Adhibet, ut sæpe alias hoc libro, in duabus Virtutibus, Temperantiâ & Fortitudine. Quisquis enim usque adeo se exercuit in operationibus moderatis circa voluptates sensuum tactus & gustus, ut iam in continentia ab excessu & defectu vitium nullum experiat dolorē, sed potius delectatio-

nem; satis sibi conscius esse potest partem atq; inhærentis animo Temperantiæ. Qui autē in ipsa continentia à voluptatibus dolorē, tristitiâve sentit, certus esse potest, habitum eius Virtutis nondum firmas radices misisse, neq; devenisse ad debitum incrementum. Similiter, qui eo animo subit quoscumq; labores, ut in eorum perpessione delectetur, aut talē non doleat, eo ipso habitum Fortitudinis comparasse putandum est. Qui autē res duras, aut perpetuo difficiles ægre fert, & impatienter sustinet, nullo iure existimabit se iam Fortitudinis Virtutē adeptum, talē in perfecto gradu. Porro cū voluptas generari solita ab habitu Fortitudinis sit parva, aut fere nulla, ut apparebit infra lib. 3. ideo nō dixit in præsen-
ti, signum adque sitæ iam Fortitudinis esse solâ voluptatē, sed vel voluptatē, vel absentiam talē doloris. Id enim denotat ijs verbis, κα' χαίρων, η' μη λυωμενος γε, ανδρειος: *Qui gaudet, aut certe non dolet, fortis.* Sat enim est alterutrum ex ijs signis, ut quis in se partem Fortitudinem deprehendat.

4 CONSONAT Doctrina hæc aliorum Philosophorū placitis, ac præcipu. Plurarchi in libello, *de notis, quarum admonitio quis cognoscat se progredi in virtute:* ubi eadem signa præscribit. Adiungit tamen notâ aliam ex somnijs honestis. Qui enim adhuc libero potentiarū exercitio destitutus, & inter obsecras somniorum imagines, execratur omnē turpitudinē, atque erga honestatē afficitur, perfectio Virtutē circa eam materiâ animo inhærentē habet. Qui verò ijs qualemēque contentum præstat, (si tamen in somnijs contentus esse potest) non est quod securus sit de partâ Virtute. quippe, quæ sive in vigilante, sive dormiente, haud dubia signa suæ præsentia in animo ederet. Porro in præsen-
ti opportunè monet Giphanius ex ipso Arist. Eudemiorum lib. 7. & Cicerone 3. *de officijs*, id discriminis esse inter monita doctrinæ Ethicæ, & iussa Magistratus: quod hæc non exigant à popularibus & subditis, ut gaudeat, aut delectentur obediendo, sed ut recte agant, & iussa exequantur: prior autem illa, eo tendat, ut homines non solum quæ recta sunt operentur, sed etiam studiosè ea præsent, & cum delectatione, sive voluptate, quæ comes Virtutis iam partem est, & evidentissima nota.

5 CIRCA Secundam digreditur ab instituto præcedenti, & statuit universè, Virtutem moralem in voluptatibus & doloribus positam esse, seu circa eorum materiam versari. Quod probat septem argumentis, quæ sic fere proponi possunt.

6 PRIMVM Est huiusmodi. Virtus moralis generatim versatur circa id, quod est materia actionum, quibus generatur, & corrumpitur. Atqui materia actionum, quibus generatur & corrumpitur, sunt voluptates, & dolores. Virtus ergo moralis generatur circa voluptates & dolores. Maior patet: Quia omnis habitus versatur circa id quod est materia actionum sibi conformium, aut disformium: quarum priores sunt, quibus generatur, posteriores vero, quibus corrumpitur. Minor autem suadetur quo ad utramque partem. Quod ad priorem quidem: nam moderata continentia à voluptatibus, ac tepius repetita, acquiritur v.g. Temperantia: item & Fortitudo moderato exercitio, ac repetito perferendi terribilia, & perpetuè difficilia, quæ nata sunt dolorem & tristitiam ingenerare. Quod ad posteriorem vero partem suadetur: quia Temperantia corrumpitur operationibus circa voluptatem immoderatis, sive divertentibus in alterutrum extremum, sive exuperantia, sive defectus. Similiter, & Fortitudo interit inordinatis operationibus circa terribilia, sive circa dolores, aut nimium timendo, aut supra vires audendo. Ergo materia operationum, quibus generatur, & corrumpitur Virtus moralis, sunt voluptates, & dolores. Quare Plato ab Aristotele allegatus, in re ac merito docuit oportere unumquemque sic à pueritia institui, ut rebus honestis gaudeat, delecteturque; turpibus autem doleat. Sic enim facilius erit, & abique negotio, possessio sive acquisitio virtutum. Consule eundem Platonem lib. 2. de Legibus, & 4. de Republica.

7 SECVNDVM. Omnis operatio & affectio animi eius natura est, ut eam delectet, aut voluptas, aut tristitia. Nemo enim est, qui aut operetur, aut afficiatur circa aliquid, nisi illum moveat, aut voluptas ad prosequendum, aut tristitia ad fugiendum. Atqui omnis Virtus versatur in operationibus, neque affectionibus animi. Ergo & versatur circa aliquid, quod est talis natura, ut illud delectet, aut voluptas, aut tristitia. Vbi notandum, ab eodem Philosopho, data opera dictum esse, omnem Virtutem versari in affectionibus, & affectionibus animi. nimirum, dilectione idonea, & tribuendo singula singulis. Indicia enim versatur in affectionibus humanis: id est, emptionibus, venditionibus, aliisque contractibus: reliquæ autem Virtutes in perturbantibus, sive affectionibus animi moderandis, quas generatim vocat, id est, *passiones*, vel, ut alij frequentius interpretantur, *affectus* vocat. Quod ipsum fere docet in *lib. 7. & 10.*

8 TERTIVM Desumit à pari medicina, sive curacionis corporum, quæ salutem

operatur quandoque remedijs afferentibus voluptatem, quandoque dolorem. Unde sic fere disputat. Videtur Magistratus, & Legumlatores perinde se habere in curandis affectionibus subditorum, ac medici in curandis humani corporis malis: ideoque & præmia statuunt, quæ voluptatem afferunt; & penes quæ dolorem excitent: ut prioribus ad bene operandum alliciant, posterioribus vero arceant ab ijs, quæ turpia & contra rationem sunt. De quo legendus Plato in Gorgia, & lib. 2. de Legibus. Ergo leges videntur beneficium, sive instrumento voluptatis & tristitiae, ad moderandum affectiones humanas. Videntur autem eiusmodi instrumentis, ut homines in officio contineant, & ad Virtutum exercitium adhortentur. Igitur Virtutes versantur circa ea, quæ afferunt voluptatem & tristitiam.

9 QVARTVM. Omnis habitus moralis versatur circa ea, quibus natura in fieri potest, aut melior, aut deterior. Atqui melior, aut deterior fit voluptas, ac tristitia. Omnis ergo moralis habitus versatur circa voluptatem & tristitiam. Ergo idem dicendum de omni Virtute, quæ habitus moralis est. Minor, in qua sola esse possit difficultas, probatur. Quoties enim prosequimur delectationes, aut quas non decet, aut quomodo, aut quando non decet; corrumpimus virtutem præexistentem, & reddimur vitiosus: quando autem ab ijs abstinemus, ac proinde tristitia, vel dolore afficimur, quatenus, & quando & quomodo oportet, reddimur meliores, & nos ipsos disponimus ad Virtutis habitum comparandum. Igitur habitus morales, sive Virtutes, sive vitii, meliores, aut deteriores sunt voluptate & tristitia: sive, quod perinde est, meliores aut deteriores nos reddunt, prout versantur circa voluptates & tristitias.

10 QVINTVM. Virtutes morales ideo versari debent, quod commune est bonorum omnium humanorum, & aliorumque ijs oppositum. Atqui delectatio, seu voluptas, est commune bonorum omnium humanis; tristitia autem malorum ijs oppositum. Virtus ergo moralis versari debet circa voluptates & tristitias. Responditur vis arguendi prænotanda, ut quæ est bonorum bonum, honestum, utile, & iucundum: quæ ita se habent, ut quicquid honestum arguet vitiosum, ut ad vitiosum quodammodo in se non tamen est commune bonum, cuius potest, ut aliquid iucundum sit, nec tamen honestum, nec utile: ut patet in delectationibus natura sua sociis, aut quædam delectationes illicitas. Quare bonum iucundum commune, ceteris tamen perfectiorum, non tamen ab ijs recipit ad præcisè quod iucundum sit, nisi forte abunde ipsi prodeat. Similiter & triplex malum eum oppositum bono: scilicet, turpe, quod contrariatur honesto;

noxium aut inutile, quod vili contraponitur: ac tandem triste, quod repugnat iucundo. Et hæc tria mala ira se habent, ut sicut bonum iucundum impartit iucunditatem suam bono vili atque honesto; ita etiam malum triste suam tristitiam communitur in utili malo, & turpi. Igitur delectatio, seu voluptas, est communis bonorum omnium hominis; tristitia autem malorum ijs oppositorum, quæ est minor præcipui syllogismi. Maior verò sic ferè probatur ab Arist. Virtutis enim moralis est probos homines regere, atque in bonis promoverè: similiter & arcere à malis, ac secernere ab improbis. Ergo versari debent in ijs omnibus bonis, quæ communia sunt hominibus, similiter & in malis illorum contrarijs.

11 CONFIRMATVR I. Sicut vir bonus dum operatur mediocriter inter voluptatem & tristitiam rectè se gerit, & agit honestè; sic & malus dum prætergreditur mediocritatem, & divertit ad excelsum defectum: vè in voluptate, aut tristitia, turpiter, & inhonestè se habet. Virtus igitur moralis, tam in se considerata, prout perficit virum bonum, quam prout contraposta vicio constituiti hominem pravum, versatur, circa voluptates & tristitias.

12 CONFIRM. II. Aliquis debet esse habitus per se institutus ad vincendum præcipuam hominis difficultatem circa ea quæ agere oportet decursu totius vitæ. Atqui præcipua & ingens difficultas est in agendo rectè, sive in ijs quæ agere oportet circa delectationes & tristitias. Aliquis ergo habitus esse debet per se institutus ad vincendam eiusmodi difficultatem circa delectationes, & tristitias. Nullus autem alius est, quam Virtus moralis. Hæc igitur per se versatur circa delectationes & tristitias. Minor præcipua, in qua sola potest esse dissidium, suadetur & explicatur. Voluptatis enim cupiditas insita nobis est à natura, & à generis vnguiculis adolescit nobiscum. Vix enim quis natus vberibus matris admoveretur, cum fugit lac, & in eius gustu delectatur: contra autem sentit, aut ingratum saporem in rebus amaris, quas gustat; aut dolorem in asperis, quas contrectat. Quare prædictum voluptatis affectum appellat Philolophus, *εγκλωσμένον*, quasi firmiter tinctum, ita ut non facile possit exuere colorem. Quæ vox, ut notat Giphanius, est desumpta à Platone, & translata à fullonibus. Ergo præcipua & ingens difficultas est in agendo rectè, sive in ijs, quæ agere oportet circa delectationes, proindeque & circa tristitias delectationi adversas.

13 SEXTVM. Virtus moralis versatur potissimum circa ea, quibus homines metimur, & veluti quibusdam regulis, dirigimus moderamurque actiones nostras. Atqui volup-

tate ac tristitiâ metimur, & veluti quibusdam regulis dirigimus, moderamurque actiones nostras. id enim valde significanter denotant ea Philol. verba: *κατανοήσομεν δὲ καὶ τὰς πράξεις, οἱ μὲν μᾶλλον, οἱ δ' ἧττον, ἢ δ' οὐκ, καὶ λυπή.* Iudicamus etiam & ijs actiones (alij quidem magis, alij verò minus) voluptate & dolore. Et patet experimento nos facile & perseveranter incumbere ijs actionibus, quæ delectationem afferunt; eas autem fugere atque averſari, quæ dolorem, aut tristitiam in generant. Virtus ergo moralis versatur potissimum, circa voluptates & tristitias.

14 SEPTIMVM Denique sic procedit. Virtus potissimum versatur in vincendis ijs, quæ difficiliora & operosiora sunt. At modum imponere voluptati, ac dolori, valde difficile & operosum est. Virtus ergo potissimum versatur in moderanda voluptate, ac dolore. Maior propositio videtur certa: Quia Virtus, cum sit optimus habitus, debet versari in eo, quod optimum est. Atqui vincere quæ difficiliora & operosiora sunt, quid optimum & præstantissimum est. Unde illud cuiusdam: *Non iuvat ex facili læta cor na viro.* Virtus ergo potissimum versatur in vincendis ijs, quæ sunt difficiliora & operosiora. Minorem autem præcipui syllogismi propositionem demonstrat Aristotel. argumento à fortiori, ut aivat. Etenim modum imponere iræ, satis difficile & operosum est. Atqui modum imponere voluptati, difficilius est, quam modum imponere iræ. Ergo modum imponere voluptati est admodum difficile. Eademque ratio apparet in dolore.

15 DIFECVLITAS Autem est in hoc postremo syllogismo stabiliendo. Interpretes plerique, atque in ijs Argyropila, volunt, maiorem propositionem supponi, ut certam ab Aristotele: minorem autem probari testimonio Heracliti, quasi ille dixerit, difficilius esse obſistere voluptati, quam iræ. Verum falluntur: nam eſſatam Heracliti indicatum ab Aristotel. & satis celebre eo tempore, solum erat: *καλεπὸν θυμῷ μαχεῖσθαι, θυμῷ γὰρ ἀντὶται. iræ seu animo obſistere & moderari, difficillimum est.* Ita enim ex eodem Heraclito refert idem Aristot. lib. 1. Polit. cap. 10. & Plutarchus in Coriolano, atque in Herotico: habeturque insuper apud Siebaum *serm. de ira.* Et constat plane: quoniam affectus iræ vique adeo impellit homines, ut ad eam explendam sæpe non dubitent iacturam bonorum & ipsius vitæ subire. Quare testimonio Heracliti, non minor propositio eius syllogismi, sed maior suadetur, in qua affirmatur, satis difficile & operosum esse, modum imponere iræ. Restat autem probanda minor propositio, in qua assumitur, adhuc difficilius esse obſistere & modum imponere voluptati.

suaderi autem id potest dupliciter: tum quia voluptas est nobis insita, adolescitque nobiscum ab ineunte ætate, & veluti in alteram naturam convertitur: ira autem, cum sit affectio subita, facile accedit, & recedit: Tum etiam, quia ira similior est rationi, quam voluptas, quæ tota est secundum sensum, & quasi belluina affectio. quare ira magis obtemperat rationi, quam voluptas. Ergo difficilius est obistere, & modum imponere voluptati, quam

iræ. Vide infra cap. 9. à numer. 8.

16 QVAKE Concludit, satis constare ex dictis, Virtutē veritari circa voluptates, & dolores, gignique actibus bonis, seu in mediocritate consistentibus, iisdemque auferri: oppositis vero actionibus corrumpi; & tandem operari circa ea ipsa, à quibus ortum habet.

VIDE D. Thomam 1.2. q. 53. & 64. atque eius Interpretes.

CAPVT QVARTVM.

Discrimen inter iusta agere, & iustè agere.



VBITAVERIT Autem quispiam, quonam modo dicimus iusta agentes iustos, & temperata temperatos fieri oportere. Nam si iusta, temperataque agunt, iam iusti sunt, & temperati, perinde, atque si grammatica, musicave faciunt, grammatici sunt, atque musici. An nec in artibus res ita se habet. Fieri nanque potest, ut grammaticum aliquod quispiam faciat, & fortuna, & alio admonente: at tunc erit grammaticus, cum & grammaticum quippiam, & grammaticè faciet: id est, secundum eam, quæ est in ipso, grammaticam artem. Præterea, nec simile in artibus, & in virtutibus est. Nam ea, quæ ab artibus fiunt, bonum ipsum in se ipsis habent. Sufficit igitur, si ipsa aliquo modo sese habentia fiant. At ea, quæ à virtutibus procedunt, non iustè, aut temperatè aguntur, si sint iusta, aut temperata: sed si & agens sic sese habens agat, primò quidem si sciens, deinde si eligens propter ipsa, tertio si firmo animo, ac immutabili agat. Hæc autem ad habitus quidem cæteros habendos non requiruntur præter ipsum scire: ad virtutes autem scire quidem parum, aut nihil potest, cætera verò non parum, sed totum possunt. Quæ quidem & ex eo, quia per sæpe res iustè temperatèque aguntur, proveniunt. Res igitur iustæ, temperatæque dicuntur, cum sunt tales, quales vir iustus ageret, aut temperatus. Iustus autem, ac temperatus est, non is, qui has agit, sed qui sic etiam agit ut iusti, temperatique agant. Rectè igitur dicitur, iustum fieri agentem iusta, & temperatum etiam temperata. Qui verò hæc non agit, nunquam evasurus est bonus. Verum plerique hæc quidem non agunt. Ad sermones autem confugientes, sese philosophari putant, & studiosos hoc fore modo: atque perinde

vt ægroti faciunt, qui medicos quidem diligenter audiunt, nihil autem eorum agunt, quæ præcipiuntur ab illis. Vt igitur illis corpus non bene sese habeat, si ita curantur, si nec his animus planè, si ita philosophantur.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Non omnem actionem iustam esse opus, aut notam Virtutis iam adquisitæ: sed illam tantum, quæ electione & constantia fit. Porro in materia Virtutum moralium, plus prodesse, attendique, bonam consuetudinem, quàm scientiam.



VM Doctrina capituli præcedentis in eo à principio collocata fuerit, vt quisque experimentum Virtutis iam partæ & perfectæ habeat ex voluntate quam sentit in operando secundum mediocritatem; nunc iam procedit ad statuendum discrimen inter iusta agere & iuste agere. Contingit enim sapientissime eos qui iusta operantur, nullam delectationem experiri. ideoque videndum, an defectus delectationis sit argumentum nondum adquisitæ Virtutis ab ijs qui iusta agunt, sed tamen nondum iuste agunt. Dividit verò præfens caput in tres præcipuas partes. In prima proponit quandam incidentem quæstionem circa id ipsum, quod in epigrapha præfixum est. In secunda quæstionem principaliorem dirimit. In tertia denique admonet nos de errore quodam, vt ab eo declinemus.

2 CIRCA Primam excitat quæstionem quandam, eamque ortam ex doctrina capituli primi huius libri, vbi traditum fuit, Virtutes progigni, non naturâ, sed actibus operibusque, & quidem iustis, ac repetitis. indeque hominem fieri & verè dici iustum. Id enim videretur difficile, & in dubium vocari posse. Quisquis enim facit aliquid consentaneum arti, eo ipso dicitur artifex bonus, & peritus artis. Igitur eadem arte præditus erat, antequam id opus efficeret. Atqui Virtutes sunt artibus similes, vt dictum est cap. proxime præcedenti. Ergo quisquis facit aliquid Virtuti consentaneum, eo ipso dicendus est bonus & Virtute præditus. Igitur eadem Virtute instructus erat antequam id opus efficeret. Neque enim magis sine Virtute fieri potest opus Virtutis, quàm sine arte opus eiusdem artis. Falsum itaque apparet quod à principio libri traditum est, Virtutem non aliter fieri, quàm actionibus operibusque iustis, & sæpius iteratis. Eamque rationem dubitandi confirmat in singulari circa quasdam artes, vt Musicam atque Grammaticam. Quisquis enim artefacta consentanea regulis Musicæ ac Grammaticæ edit, videtur virtutisque habitu iam antè instructus, nec sine eo mentis

præsidio id facere potuisse.

HVC Difficultati occurrit, non quidem directè respondendo, sed interrogando, ijs verbis: ἢ ἄλλῃ πῶς τὸ τέχνημα ἔσται ἔχον; An non in artibus ita quidem fit? Quali dicat: Etiam in artibus, de quibus procedit obiectio, sæpius accidit, vt opus ijs consentaneum fiat ab eo, qui nondum arti habitus instructus est. nimirum, si vel fortuito fiat, vel ex magisterio & ductu alterius, quasi intento digito demonstrantis modum rei faciendæ, ad ipsius artis præscriptum. Neque enim argumento est quod puer characteres efformet dirigente magistri manu, aut flectat vocem in numeros bene sonantis harmoniæ moderante præceptoris voce, vt aliter Grammatices, aliter Musicæ habitu imbutus existimetur. Ergo id solùm evincitur ex eo quod efficiat opus grammaticum grammaticæ, & musicum musicæ: id est, congruum habitui Grammaticæ, aut Musicæ iam præexistenti. Nihil igitur mirum si non omne opus iustum, seu in se bonum, præsupponat habitum Virtutis iam adquisitum. Quippe, vt opera musica, & grammatica fieri possunt & solent operâ solius fortunæ, aut habitus alieni, siue doceatis, siue manudentis, absque prævio habitu artis in ipso operante; ita etiam opera iusta, aut Virtuti conformia fieri possunt, aut fortuito, aut præcunte & dirigente alio, sine prævio Virtutis habitu in eo, qui operatur. Obiectio igitur ex falsa suppositione procedit.

3 DEINDE Et obiectio refellit, quoniam non est par ratio Virtutis & artium, sed longè dispar. Licet enim conveniant in eo quod ambæ versentur in arduo, & neutre compatentur natura, sed vtu; adhuc tamen longè dissentiunt, quatenus omnis laus & præstantia artis consistit in ipsis operibus artificiosis; neque alio sine industriam artificem querimus, quàm vt opus eius industrium & perfectum evadat, quidquid sit de habitu, & sine, quibus operatur. Caterum longè alia ratio est in ijs, quæ ad Virtutem spectant: quoniam non solum opera spectantur, sed etiam

mores operantis; nec solum an iusta agat, sed etiam utrum iuste operetur, necne. Tria enim exiguntur in eo qui iuste agit, præ illo qui solum iusta agit: nimirum, scientia, electio, & constantia. Scilicet, ut sciens atque intelligens agat; & *πρὸς σκοπὸν*, hoc est, ex electione, & capto consilio, ac voluntate, in ordine ad finem rectum. Id enim necessarium est, ut ubique agat firmiter & constantiter, atque eodem tenore inviolabiliter servato circa operandum, quod apud Platonem dicitur, persistere immobiliter, & eam constantiam ad inferos usque deferre secum. Ideoque Stoici Virtutem in constantia sitam existimarunt: & Aristoteles ipse docuit, ad possidendas retinendasque Virtutes, scientiam posse parum; plurimum vero electionem, & constantiam.

4 SI Autem roges, cur in artibus sola scientia spectetur; in Virtutibus autem, non scientia solum, sed etiam electio, & constantia: R E S P. causam in eo sitam videri, quod artes solum resideant in ea animi parte, quæ rationis parriceps est, quæque scientiis excolitur. Non enim ordinantur ad perficiendum in bono appetitum, sed ad excolendum intellectum, sive mentem, in qua residet scientia, quæ est virtus intellectualis: ideoque artes solum secundum scientiam spectantur. Virtutes autem morales resident in appetitu sensitivo, qui passionibus, seu affectionibus turbulentis variisque agitatur: ideoque non solum exigit præviã cognitionem, sive scientiam qualemcumque ex parte potentie cognitivæ, & præcognitis (quippe nihil volitum, appetitumve, nisi præcognitum) sed etiam electionem, quæ, proposito huc recto, pariat appetitiones rectas; & constantiam, quæ appetitus ipse quasi immobiliter adhaereat bono. Quod vero in præfati addit Aristoteles, scientiam parum, aut nihil Virtuti prodehæ; accipiendum est de theoretica, seu speculari; item de practica, seu actuosa, quæ solum versatur circa res operationelive in genere. Quod eleganter confirmat Cicero lib. 2. *Tuscul.* & Plutarchus in *λόγῳ contra Sophistas*; & Medea apud Euripidem dum accinit: *μὰ θεῶν ταῦ καλὰ*, &c. id est, ut expressit Ovidius, *video meliora proboque: Deteriora sequor*. Scientia autem practica peculiaris, sive rerum peculiarium, confert multam ad Virtutis allevationem: quoniam definit operationem determinato loco, modo, & tempore efficiendam, cum omnibus circumstantiis requisitis, ut perfectum evadat opus.

5 CIRCA Secundam, accedit iam ad questionem præcipuam, & assignat discrimen inter iustam, aut temperatam agere, & iuste ac temperate operari. Cum enim præ-

cedenti capitis parte statuerit, plures operationes esse Virtuti, atque arti consentaneas, quæ tamen non procedunt à Virtute, neque ab arte; consequens est, ut quædam opera sint iusta, temperata, sicut & artificiosa, quæ tamen non iuste, nec temperate, nec artificiosè fiunt. Quod sic ferè probat, loquendo speciatim de operibus iustis, sive honestis, & Virtuti consentaneis. Opera iusta, & temperata eatenus solum iusta temperataque dicuntur & sunt, quia talia existunt, qualia fierent ab homine prædito habitibus iustitiæ & temperantiæ: operari autem iuste & temperate, est non quomodocumque operari iusta & temperata, sed cum scientia, electione, & constantia. At fieri potest ut quis faciat opera iusta & temperata, qualia fierent ab homine prædito habitibus iustitiæ & temperantiæ, sed tamen sine scientia, electione, & constantia: puta, si ea faciat ex ignoratione, aut ex indebito fine, aut non firmiter. Ergo fieri potest, ut quis faciat opera iusta & temperata, nec tamen iuste & temperate operetur. Aliud ergo est iusta & temperata facere, & aliud iuste ac temperate facere. Quippe hoc posterius supra illud prius addit scientiam, electionem, & constantiam, procedentem ex prævio Virtutis habitu.

6 NEQUE Contradicit sibi Aristoteles dum ait, posse fieri opera iusta & temperata sine habitu iustitiæ & temperantiæ, qualia fierent ab homine ijs habitibus prædito: Quoniam, ut observat Linconientis apud Burleum, & ex utroque Gallutius, non est sermo de iustis, & temperatis operibus secundum omnem perfectionem, qua fierent ab homine ijs habitibus instructo. Is enim operatur ex certa scientia, ex deliberata electione, & constanti animo: quibus tamen caret, qui iusta & temperata opera exhibet sine prævio Virtutis habitu. Accipiendus est igitur Aristoteles de operibus similibus ex parte materiæ: quatenus, scilicet, quis sine habitu præcedente Virtutis possit exequi opera ex parte materiæ, sive secundum substantiam similia, ijs quæ ab habitu Virtutis procedunt: sed tamen minus perfecta, & non æquantia modum illorum. Quod illustrari potest ex eodem Aristotele 9. *Metaph.* & D. Thom. lect. 7. ubi ille ait: *Discentem quoque necesse fortasse est, aliquid scientiæ habere*. Hic vero subdit: *Homo potest aliquantulum exire in scientiâ & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ & virtutis*. Vide quæ circa eorum verborum sensum observavimus in *Philosoph. Rationali disput. 2. sect. 4.* satis opportuna huic doctrinæ confirmanda.

7 CIRCA Tertiam indicat errorem quemdam nimium exatiale eorum, qui cum plurimum de Virtute disputent, atque plenam

illius

illius notitiam se habere gloriantur, adhuc tamen nihil de Virtutum exercitio curant: similesque proinde sunt ægrotis, qui libenter quidem, & intentè medicos audiunt circa medellam qua egent ut ab ægitudine liberentur; nec tamen aliquid exequuntur, quo salutem assequantur. Quemadmodum igitur hi manent in ægitudine suâ, neque unquam ad bonam valetudinè redeunt; sic & moribus infirmi persistunt, quicumque de Virtutibus philosophantur, sed tamen non ex earum præscripto agunt. Quod vitium planè agnovit Cicero lib. 2. Tullius in Philosophis sui ævi, dum dixit: Quotus quisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo ac vitâ constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis suis pareat? Videre licet alios tantâ levitate & iactatione, ipsi ut fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, gloriæ nonnullos; multos libidinum: ut cum eorum vitâ mirabiliter pugnet oratio: quod quidem mihi videtur esse turpissimum. Ut enim si Grammaticum se perfectus quidam barbarè loquatur; aut si absurdè canat is, qui se haberi vult Musicum, hoc turpius sit, quod in eo ipso peccet, cuius proficitur scientiam: sic Philosophus in ratione vitæ peccans, hoc turpius est, quod in officio, cuius esse magister vult, labitur artemque vitæ professus, delinquit in vita. Consonat & Plato in $\lambda\omicron\gamma\psi$ contra Sophistas supra allegato. Vide infra lib. 10. cap. 2.

8 SED Audiendus præterea est circa hoc ipsum magnus ille Seneca plerisque lo-

eis, præcipuè vero Epist. 20. illis verbis: Illud, mi Lucili, te rogo atque hortor, ut Philosophiam in ima præcordia demittas, & experimentum profectus tui capias, non oratione nec scripto, sed animi firmitate, & cupiditatum diminutione. Verba rebus proba. Aliud propositum est declarantibus, & assensivum coronæ caprantibus: aliud ipsi, qui suum otiosorum aures disputatione variâ & volubili detinent. Facere docet Philosophia; non dicere: & hoc exigit, ut ad legem suam quisque vivat, ne orationi vita dissentiat, ut ipsa inter se vita unius sine actionum dissensione coloris sit. Maximum hoc est, & officium sapientiæ, & indicium, ut verbis opera concordent, & ut ipse ubique idem parque semper sit. Quis hoc præstabit? pauci, aliqui tamen. Denique præter plura eiusdem instituti loca apud Veteres sparsa, observare etiam oportet illud Epicteti 3. disert. cap. 21. sicut is qui a stomacho laborant, eibum statim eieciunt: sic qui præcepta nuda acceperunt, sermone ea effundunt. At conquoque potius, in succum verte, & mutationem in mente factam ostende. Ecce faber, qui peritus artis est, non obambulat claudens, Audite me differentem de re fabrilis: sed tacitus domum & tabernam conducti, instruit, & ostendit operibus se peritum. Tale tu fac: ede, bibe ut decet, matrimonium contrahe, liberos gigue, rempublicam tolera, ser patrem, fratrem, vicinum iniquum: & talia nobis ostende, ut te verum Philosophum cognoscamus. Hactenus ille.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 59. & 60. eiusque Interpretes.

CAPVT QVINTVM.

De affectu, potentia, habitu; & quòd habitus sit genus Virtutis.



OST Hæc autem quidnam sit ipsa virtus, consideremus oportet. Cum igitur tria sint, quæ sunt in anima, affectus, potentia, habitus, horum aliquid ipsam virtutem esse, necesse est. Atque affectus quidem voco, cupiditatem, iram, metum, fiduciam, invidiam, gaudium, amicitiam, odium, desiderium, æmulationem, misericordiam, & ea omnino, quæ

vo-

voluptas comitatur, aut dolor, potentias autem eas, quibus ad hos affectus suscipiendos idonei dicimur esse: ut quibus dolere possumus, vel irasci, vel misereri. At habitus eos, quibus bene, vel malè nos ad affectus ipsos habemus: ut ad irascendum, si vehementer, aut remissè simus dispositi, malè habemus: si mediocriter, bene, & ad ceteros affectus simili modo. Virtutes igitur, vitiaque non sunt affectus. Nam affectibus quidem studiosi, vel vitiosi non dicimur: virtutibus autem, & vitijs dicimur. Et ob affectus neque laudamur, neque vituperamur. Non enim qui metuit, aut irascitur, laudatur: neque qui simpliciter, sed qui modo quodam irascitur, vituperatur. At ob virtutes, vitiaque laudamur, aut vituperamur. Præterea irascimur quidem, & timemus sine electione. Virtutes autem, electiones sunt quædam, aut non sine electione. Insuper affectibus quidem moveri dicimur: virtutibus autem, aut vitijs non moveri, sed aliquo modo disponi. Propter hæc eadem neque potentia sunt. Nam neque boni, vel mali dicimur, neque laudamur, aut vituperamur, quia possumus simpliciter affici. Et insuper potentes quidem sumus natura: boni verò non efficiuntur, aut mali natura, quemadmodum antea diximus. Quòd si virtutes neque affectus sunt, neque potentia; restat, ipsas habitus esse. Quid igitur sit ipsa virtus, genere diximus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Virtutum sedem esse in anima: ubi & affectionum, & facultatum & habituum. Quot sint eiusmodi affectiones: & facultates, atque habitus, in quon consistant.

Porro Virtutem neque in perturbatione, neque in facultate sitam esse: sed in habitu, veluti ratione genericam.



A Hoc capite incipit secundus tractatus præsentis Libri, in quo Aristoteles assignat formalem rationem Virtutis, atque adeò & ipsius Felicitatis, quam præcedenti libro ca. 7.

definierat per optimam Virtutis operationem. Vidimus superiore tractatu, quænam sit efficiens Virtutis causa, simul & materia. Restabat nunc illius quidditatem exponere: quod ut præstet Philosophus, disserit hoc capite de affectu, facultate, & habitu: dividiq; illud in quatuor partes. In primâ docet Virtutem habere locum in animâ, & in eadem residere affectiones, facultates, atque habitus. In secunda definit, numeratque præcipuas affectiones, sive perturbationes: insuper & definitionem tradit, tam facultatum, quam habituum, quatenus

differunt inter se. In tertiâ statuit & probat, Virtutem, neque in perturbatione, neque in facultate consistere. In quarta denique, quasi ab exclusione cæterorum, decernit & probat, Virtutem ex ratione genericâ in habitu sitam esse.

2 CIRCA Primam partem præmittit ex doctrinâ superioribus traditâ, Virtutem in animâ sedem habere. Quæ autem in animâ sedem habent, tria sunt, inquit Aristoteles: scilicet, affectiones, facultates, & habitus. Nam licet quamplura alia in animâ locum obtineant, quales sunt primæ notiones rerum, & actus actualis, & quælibet operationes immanentes, tum intellectus, tum & voluntatis; adhuc horum non habetur ratio quantum ad præsens: quia, ut observant Gualterus, Bucleus, Giphanius, & Gallutius in præsentis, Aristoteli nunc

solùm curæ fuit assignare principia humanarum actionum, sive ea quæ habent instar principiorum, omiſſis alijs. Quæ verò tanquam principia ad actus humanos comparantur, vel sunt elicentia, ut facultates, seu potentia; vel moventia, ut affectiones & perturbationes, quæ incitant nos ad actionem exterius edendam, ut quando excitante irâ rixamur; vel disponentia stabiliter, aut constituentia per modum formæ inclinantis & facilitatem præstantis, ut habitus.

3 CIRCA Secundam exponit, quid significant hæc nomina affectionum, facultatum, & habituum, quidquæ præsent animo, cui inhaerent, quot demum species eorum sint. Hoc palam edisserit dum ait: λέγω δὲ πάθη, &c. Quæ ita verti possunt paulò aliter ab interpretatione Argyropili: *Affectiones autem appello cupiditatem, iram, timorem, audaciam, invidiam, gaudium, amicitiam, odium, desiderium, emulationem, misericordiam, & omnino EA, QUÆ VOLUPTAS VEL DOLOR CONSEQUITUR.* Quibus postremis verbis affectionem sive perturbationem definit: quoniam nullo alio modo meliùs explicari potest natura affectionis, seu perturbationis, quam per hoc ut sit illud, *ex cuius commotione sequitur, vel voluptas, vel dolor.* Nimirum, singulæ perturbationes habent motum facultatis appetentis in bonum, vel in malum: atque adeò ubi bonum terminum obtinet, voluptatem ingerant; ubi autem malum, dolorem. Deinde facultates, sive potentias, quas *δυνάμεις* appellat, definit, ut sint illæ, καθ' ἃς πάθητικοί τῶν λεγόμεθα, quibus ad illas accipiendas (scilicet, perturbationes) apti sumus. Statimque id clariùs exponit, dum ait: *ut per quas irasci possumus, vel dolere, vel misereri.* Sive, ut paraphrasticè interpretator Lambinus, facultates sunt illæ, quibus ad prædictas perturbationes suscipiendas, seu patiendas, apti dicimur: vel, quarum impulsu ad irascendum, vel dolendum, aut miserendum, proclives reddimur. Monet verò S. Thomas, eam definitionem non esse generalem, sed solùm accipiendam de facultatibus, quatenus differunt a perturbationibus. Satis enim differre ab ijs conperiuntur per hoc, ut reddant nos aptos, proclivesque ad concupiscendum, irascendum, miserendum, & ad alias eiusmodi commotiones, passionisque in anima recipiendas. Ira namque residet in irascibili, cupiditas in concupiscibili animi facultate, & sic de alijs.

VBI Notandum obiter cum Tarquinio Gallutio, errasse illos, qui in præsentem putarunt, idem esse apud Aristotelem facultates & potestates, ac eas, quas in Prædicamentis, cap. de Qualitate appellat πάθητικὰς δυνατότητας, id est, *passibiles qualitates.* Quippe exultimantur facultates a perturbationibus solum differre

penes diuturnitatem priorum; & brevitatem posteriorum. Cum enim apud Græcos μάχη sit ira longissima; ὄργη, minùs longa; θυμός, brevissima; & pariter εὐνοία benevolentia brevior, ac φιλία longior amicitia; sic etiam putarunt, θυμός & εὐνοία esse perturbationes; reliquas verò potestates, seu facultates. At verò eos errasse palam evincit textus ipse ac planissimus sentus Aristotelis, aientis, nomine facultatum, seu potestatum, intelligi aptitudines quasdam prævias, seu capacitates recipiendarum perturbationum generatim; ac proinde quarumlibet, sive parum, sive multum durantium, sive gravium, sive levium: quoniam antequam irascamur, aut doleamus actu, oportet nos, non breviter modo, sed & diutius, posse irasci, vel dolere. *Præterea.* Potentia susceptiva cuiuslibet actus, debet omnino ab eo differre. Cum igitur Aristoteles palam doceat, facultates esse potentias susceptivas perturbationum, quæ eo ipso debent se habere ut actus ipsarum, consequens est, ut potentia omnino differant a perturbationibus.

4 DENIQUE Tradit definitionem habitus, non quidem exactam, sed solùm quatenus habitus a perturbationibus & facultatibus iam explicatis differat: atque habitus esse quasdam qualitates, quæ faciunt, ut quando perturbamur affectibus, & ijs nostro iudicio utimur, iure boni aut mali nominemur, & simus, sive, ut brevius in textu habetur, καθ' ἃς πρὸς τὰ πάθη ἐχομεν εὖ ἢ κακῶς: *quibus bene vel male in affectibus animati sumus.* Statimque exemplum adhibet: *velut cum irascimur, si vehementer vel remissè, malè habemus: sin mediocriter, bene: itemque in cæteris.* Itaque qualitas illa, quam per alicuiusmodi actum nasci sumus, ut irascamur, habitus est; & malus quidem, si inclinatur ad irascendum infra aut supra rationis præscriptum; bonus autem, si mediocriter, & iuxta mensuram rationis. Ex quibus iam patet quid sint perturbationes, quid facultates, quidque habitus.

5 CIRCA Tertiam statuit, nec perturbationes, nec facultates, esse id in quo consistit Virtus. Priorem partem probat multipliciter. PRIMÒ: Quia nemo censetur aut est bonus vel malus propter perturbationes, sive affectiones. Non enim quis laudabilis aut reprehensibilis est v. g. quia proclivis est ad irascendum, sed tantum ex eo quod irascatur plus aut minùs, quam par sit, & mediocritatis ratio poscit. At Virtutes sunt, ob quas boni censentur & sumus. Non ergo perturbationes sunt idem quod Virtutes. SECUNDO. In perturbationibus nullum est consilium, nulla quoque deliberatio, aut electio, sed temeritas & inconsiderantia: sunt enim passionis quædam necessitate, & præcipites in id quod appetunt. At è contra in Virtutibus attenditur

maximè consilium, deliberatio, & electio, vt sine ijs esse non possint. TERTIO: Quia perturbationibus commoveri & concitari dicimur, non autem Virtutibus. Patet igitur Virtutes esse aliquid aliud à perturbationibus.

6 POSTERIOREM Partem, scilicet, nec facultates esse idem, ac Virtutes, tribus alijs rationibus probat. PRIMA est: Quia ex facultatibus nemo redditur bonus aut malus. SECUNDA: Quia ex eo quod facere possumus bene aut male, nec laudamur, nec vituperamur. At ex Virtutibus efficiamur boni, ac merito laudamur. Facultates igitur non sunt idem, ac Virtutes. TERTIA, & prior. Omnis facultas & potestas est indita nobis à naturâ. At virtutes non sunt inditæ nobis à naturâ: vt initio huius libri ostensum est. Ergo Virtus non est idem, ac facultas & potestas.

7 CIRCA Quartam concludit, Vir-

tutem esse habitum. Quod ex totius capituli doctrina sic probatur. Eo ipso quod Virtus animo insideat, vt principium humanarum actionum, debet esse, aut perturbatio, aut facultas, aut habitus: cum solum hæc tria sint illarum principia. At probatum est iam, Virtutem non esse perturbationem, nec facultatem: quippe quæ non faciunt hominem bonum aut malum, laudabilem aut vituperabilem, sicut Virtus: nec assuetudine comparantur, sed à naturâ ortum ducunt. Restat igitur vt Virtus sit habitus. Verùm cum plures species habituum in animo sedem habeant, addit tandem, rationem habitus in Virtute non esse specificam, sed genericam. Quare specificam Virtutis rationem tradere pergit progressu Operis.

VIDE D. Thomam 1.2. q. 55. & 56. atque in Disputatis q. 2. de Virtutibus, & illius Interpretes.

CAPVT SEXTVM.

De duplici mediocritate, & Virtutis substantia.



PORTET Autem non solum ita dicere, virtutem habitum esse, sed etiam qualisnam habitus sit. Dicendum est igitur, omnem virtutem, & id ipsum, cuius est virtus, bene sese habere facere, & opus ipsius reddere bene. Oculi namque virtus, & oculum, & opus ipsius studiosum facit: quippe cum videamus virtute oculi bene. Virtus itidem equi, studiosum efficit equum, & bonum ad currendum, portandumque equitem, & expectandum etiam hostem. Quod si id ipsum ita sese habet in omnibus, & virtus ipsius etiam hominis habitus is erit, à quo bonus efficitur homo, & quo bene suum opus ipse reddet, efficietque. Quomodo autem id erit, & antea quidem diximus, & nunc etiam magis patebit, si cōtemplabimur qualisnam sit ipsius virtutis natura. In omni itaque re continua, divisibilique, aliud minus, aliud æquale, vel ex parte ipsius rei, vel respectu nostri accipi potest. A æquale autem, medium est quoddam inter exuperationem, atque defectum. Atque rei quidem ipsius medium id esse dico, quod æquè ab extremorum utroque distat: idque est apud omnes vnum & idem. Respectu autem nostri, quod neque exuperat, neque deficit: idque non est apud omnes vnum & idem. Vt si decem sint mul-

multa, & duo pauca, sex ipsius rei media capiuntur: æquè namque excedunt, & exceduntur. Atque hoc in arithmetica comparatione rationum medium esse constat. At id quod est nostra ex parte medium, non eodem sumendum est modo. Non enim si cui decem quidem m nas comedere nimium est, duas autem parum, sex ei mitas ludi magister præcipiet. Est enim & hoc fortasse nimium ei, qui accepturus est, aut parum. Miloni namque parum: incipienti verò sese exercere, nimium est. Simili modo res sese habet in cursu, ac in palæstra. Hoc igitur modo quivis artifex exuperationem quidem fugit, atque defectum, medium autem quærit, & expetit: non quidem rei, sed quod ad nos medium dicitur. Quòd si omnis scientia suum hoc modo bene conficit opus, ad medium ipsum respiciens, & in hoc sua redigens opera; unde & dici solet in ijs, quæ bene sese habent, operibus, nec auferri quicquam, nec addi posse: propterea quòd bonum ipsum corrumpunt nimium & parum, mediocritas verò conservat: atque boni artifices ad hoc respicientes, vt diximus, operantur: Virtus autem omni arte exactior est, & præstantior, quemadmodum & natura. Ipsa profectò virtus medijs ipsius est coniectatrix. Loquor autem de morum virtute: hæc enim circa affectus, actusque versatur, in quibus est, nimium, & parum, & medium. Fit enim vt magis & minus quispiam, & metuat, & confidat, & cupiat, & abhorreat, & irascatur, & misereatur, & omnino delectetur, ac doleat, & utroque modo non bene. Et etiam quando oportet, & pro quibus, & ad quos, & cuius gratia, & vt oportet. Hoc autem medium est, & optimum, quod est ipsius virtutis. Similiter circa actus nimium est, & parum, & medium. Virtus autem circa affectus, actusque versatur, in quibus exuperatio quidem peccatum est, & defectus vituperatur, medium autem laudatur, & rectè conficitur, quorum vtrunque virtutis ipsius est. Virtus igitur, mediocritas est quædam, cum sit ipsius medijs coniectatrix. Prætereà, peccare quidem multis modis contingit. Malum enim est infiniti, vt Pythagorici putant: bonum verò finitum: rectè agere, univocè. Quapropter & alterum facile, alterum difficile est. Facile quidem non attingere lignum, difficile autem illud attingere. Et ob hoc igitur nimium quidem, atque parum vitio adscribuntur, mediocritas verò virtuti.

Vno namque modo bonus est, multisque nefandus.

Est igitur virtus, habitus electivus, in mediocritate consistens, ea, quæ est ad nos, definita ratione, & vt definiat ipse prudens. Mediocritas autem, duorum est vitiorum, vnus per exuperationem, alterius per defectum: & ex eo etiam, quia illa quidem partim deficient, partim

tim exuperant id, quod oportet, & in affectibus, & in actibus. Virtus autem medium ipsum & invenit, & expetit. Quapropter ipsa virtus, essentia quidem & ratione quid est dicente, mediocritas est: at optimi respectu, & bene sese habentis, extremitas. Non autem omnis actus, nec omnis affectus, suscipit mediocritatem. Sunt enim affectus nonnulli, qui continuo nomine suo sunt cum pravitate connexi, ut malevolentia, ut impudentia, ut invidentia: & actus identidem, ut adulterium, furtum, homicidium. Hæc enim univèrsa, & talia ita dicuntur, quia ipsa sunt prava, sed non exuperationes ipsorum, atque defectus. Circa igitur talia nullum est tempus rectè agendi, sed semper delinquitur. Neque fit ut quisquam bene, vel malè talium quicquam agat, qui cum oportet, & quando, & ut oportet adulterium committendo: sed simpliciter quicquid istorum efficiatur, delinquitur. Simile igitur est, & circa iniustitiam, timiditatem, & luxuriam, mediocritatem esse censere, & id quod nimium dicitur, & parum. Hoc enim modo exuperationis, & defectus erit utique mediocritas, & exuperationis exuperatio, & defectus item defectus: sed ut temperantiæ, fortitudinisve non est exuperatio, atque defectus, quia medium ipsum est modo quodam extremum: sic nec illorum est mediocritas, nec exuperatio, & defectus, sed utcumque agantur, semper delinquitur. Omnino nanque nec exuperationis, nec defectus est mediocritas, nec mediocritatis exuperatio, & defectus.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Virtutis officium, quidnam sit. Eam sitam esse in habitu electivo servante mediocritatem affectionum, taxatam arbitrio prudentis. Nullum a se natura sua turpi servare medium inter exuperantiam, & defectum.



POSTQVAM Præcedenti capite assignavit rationem Virtutis genericam, quæ in habitu sita est, nunc ad vestigandam eius differentiam, ac demum totam rationem formalem, procedit: dividitque totum caput in quatuor partes. In prima earum indicat potissimum Virtutis officium, quod est perficere ipsum hominem, & opus illius reddere probum, seu moraliter bonum. In secundâ statuit duplex genus mediæ, sive mediocritatis, ut postea dignosci possit, in quonam illorum constituendus sit habitus ille perficiens hominem, & opus illius probum reddens. In tertiâ tradit

integram virtutis definitionem. In quarta demum ostendit, non omnibus operationibus affectibusque animi convenire mediocritatem.

2 CIRCA Primam partem incipit à notissimo Virtutis officio, sive proprietate, ut sic gradum faciat ad plenam illius definitionem. Nimirum, ut certum apud omnes præmittit, quod Virtus perficiat hominem, eiusque operationem probam reddat. Hoc enim non modo convenit Virtuti moralis, de quâ in præsentis sermo est, cuique Virtutis nomen propriè ac speciatim tribuitur; sed etiam omnino qualitati, cui vel abusive, vel metaphorice accommodatur. Quæcumque enim ra-

tionem Virtus sit; adhuc generatim & abstra-
hendo à stricta & lata acceptione, convenit
illi definitio vniversæ Virtutis ab Aristotele
tradita 7. Physic. similiter & à Matopo Pytha-
goreo apud Stobæum serm. 1. ab Alexandro
Aphroditæo in 3. Topic. & Cicerone lib. 1. de
Legib⁹. Omnes enim Virtutem vniversè sum-
ptam definiunt per hoc, vt sit cuiusque rei vis
& potestas, aut affectio perfectissima, opti-
maque, quâ res ipsa reddatur bona in suo ge-
nere, & idonea ad suum munus exequendum.
Cuius definitionis, seu descriptionis bonita-
tem probat Aristoteles ab inductione: quia
communi stylo, quamvis abusivè, dicimus
virtutem oculi, virtutem equi, atque aliarum
quarumlibet rerum, vim illam aut affectio-
nem, quâ subiectum redditur optimum, &
valde aptum suo muneri, seu operationi exe-
quendæ. Cuius etiam doctrinæ plura exem-
pla suppetunt apud Platonem in Gorgia, &
lib. 1. de Republ. Ciceronem lib. 2. de Orato-
re, & ipsum quoque Arist. tum lib. 2. Eudemio-
rum, tum & 3. Rhetoric. vbi habetur, *λέξις
ἀρετὴ σαφὴ εἶναι: locutionis virtus est perspi-
cuitas*. Si igitur Virtus, adhuc vniversè lo-
quendo, & abusivè, importat talem rei perfe-
ctionem vt bene afficiat subiectum, cui inest,
ipsumque reddat idoneum ad opus suum op-
timè exequendum; quid, quod Virtus moralis,
quæ prescius sibi vendicat Virtutis nomen,
id ipsum habeat, exequaturque? Igitur de ratio-
ne Virtutis moralis potissimum est hominem
perficere, eiusque operationem optimam red-
dere.

3 CIRCA Secundam duo præmit-
tit, vt postea probet, Virtutem in nullo alio
consistere, quàm in habitu versante ac posito
in affectionis mediocritate. PRIMVM est, in
omni re continuâ & dividuâ, vt linea, super-
ficie, corpore, oratione, tempore, ac similibus,
designari ac sumi solere tria hæc; plus, minus,
æquale: sive, quod perinde est, exuperantiam,
defectionem, & mediocritatem. Quæ tria vo-
cabula sic Græcè esseruntur, vt *ὑπερβολή* sig-
nificet exuperantiam, *ἐλλείψις* defectionem, &
μεσότης mediocritatem: qualiter etiam lo-
quuntur Vitruvius lib. 1. cap. 14. & alij. Idque
Aristotelis præmissum exponit paraphraticè
Andronicus Rhodius hoc exemplo: vt si exu-
perantia sit in eo quod est decem cubitorum,
& defectus in illo, quod est duorum; medio-
citas invenitur in illo quod sex cubitorum
est: quoniam æquè distat ab excessu & defectu,
ac medio modo se habet. Neque obstat quod
perturbationes humanæ non sint in genere
quantitatis, sed qualitatis, vt rectè Aristoteles
illarum rationem explicuerit adhibito in re-
bus quantis exemplo: nam, vt monet Eutra-
tus, perturbationes sunt dividuæ saltem per
accidens, secundum intensiorem & remissio-

nem. quod sufficit, vt admittant maius, minus,
parum, multum, æquale, & satis.

4 SECUNDVM præmissum Aristoteli-
telis est, eiusmodi medium, quod appellat
æquale (Græcè *μεσότης*) esse duplex: alterum
secundum rem: alterum secundum nos. PRIUS
illud, quod etiam dici solet medium rei, est,
quod æqualiter ab utroque extremo distat;
ideoque iuxta omnes vnum & idem est: vt in
ligno palmari medium, est punctum interse-
cans duplicem semipalmum, & quidem vni-
cum punctum, atque idem omnino. Apellari
etiam solet medium arithmeticum: quoniam
etiam iuxta arithmeticam computationem
potest se habere æquali modo inter duo ex-
trema. Cuius doctrinæ Arist. exemplum adhi-
bet in numero denario: cuius medium arith-
meticum est senarius, quoniam æquè distat à
denario & binario; nimirum, quatuor vnita-
rum additione, aut deductione. Quare si in
duabus libris sit defectio, & in decem excelsus,
medium arithmeticum rei erunt sex libræ,
vt potè æquè distantes ab utroque extremo; ac
proinde invariabiliter habebunt rationem
medij vniçi. Porro medium hoc rei soli tribui-
tur Iustitiæ, attendenti arithmeticam a quali-
tatem. Qui enim debet decem, semper & in
omni eventu debet non plus aut minus, quam
decem.

5 POSTERIVS Verò ex relatis me-
dijs, nimirum medium quò ad nos, quod &
appellari solet medium rationis, longe aliter
se habet. Non enim est semper vnum & idem
apud omnes & vbique, sed expenditur & va-
riatur secundum proportionem geometricam:
vt quando dicimus: Quemadmodum sex se ha-
bent ad quatuor, ita etiam se habent ad no-
vem. Tunc enim non significamus numerum
illum senarium esse medium, & aliquid omni-
no mediocre, seu æquale inter quatuor & no-
vem, ita vt tantundem quaternarius excedatur
à senario, quantum hic à novenario. Hoc enim
planè absurdum esset, cum excelsus alterius
ad alterum inæqualis sit. Sentus itaque eius
propositionis est, tenarium habere aliquale
genus proportionis geometricæ cum utroque
extremo, consistentis in eo, quod sicut tenarius
continet integrum quaternarium, & præterea
dimidium ipsius; ita & novenarius continet
integrum senarium, & dimidium illius par-
tem. Quod sufficit vt id medium quò ad nos,
sive rationis appelletur, ex similitudine, quâ-
dam rationis vnus ad aliam, & proportione
geometricâ. Ideoque neque vnum, neque idem
est semper, & variationem subit iuxta condi-
tionem personarum, temporum, ac rerum ipsarum.
Hoc medio vtuntur reliquæ virtutes,
præter Iustitiã: vt Fortitudo, Temperantia, &
aliæ similes. Non enim vnum aliquid indivi-
sibile & invariable medium assignant. medi-
Ver.

versum, pro varietate personarum, locorum, & temporum.

6 **CVIVS** Doctrinæ, circa Temperantiam præcipue, aptissimum exemplum assignat in præsentia Arist. dum inquit: *Non enim sicuti decem unas (alij) libras vertunt) edere nimium sit, duas parum: sex unas magister ludi præscripsit. Est enim hoc fortasse nimium, vel parum, ei qui capiet. Miloni enim parum: tyroni minimum.* Nimirum, si comedere decem carnis libras quotidie sit nimium, duas autem parum; non ideo colligitur medium rationis, sive Temperantiæ, esse comedere sex libras, quæ æqualiter distant à decem libris ex vno extremo, & duobus ex altero. Hoc enim solum haberet locum in medio rei, sive arithmetico: non autem in medio quò ad nos, sive rationis, quod præscribitur à Temperantiâ, non secundum comparisonem illam, sed penes necessitatem vniuscuiusque in singulari. Fieri enim potest, ut Miloni sex libræ parum sint; tyroni verò, sive incipienti se exercere in ludis Gymnicis, sit nimium. Quare alipta, sive Gymnastij Magister (sic enim rectè interpretatur Noster Perionius, immeritò à Lambino reprehensus, quamvis ad litteram ἀλειπτης ὀνητορ sit, ut habetur apud Martialem lib: 7. & in iure sub tit. de Adilitio edicto accipitur pro servo vngente dominum in balneis) non eandem cibi quantitatem assignat athletæ veterano, & novitio, sed inæqualem iuxta vniuscuiusque vires, exercitationem, consuetudinem, & cæteras circumstantias in singulari. Quippè parum essent sex carnis libræ Miloni Crotoniati, de quo Arist. in præsentia; quemque aliqui scribunt, vorare solitum carnis, viginti libras, totidem panis, & vini choas tres. Quin & apud Plutarchum lib. 10. habetur, eundem aliquando gestasse supra humeros taurum, eumque vivum detulisse per Olympiorum stadium, ac denique totum devorasse. Quis ergo alipta, sive athletarum Præfectus, non adscriberet Miloni longè maiorem cibi mensuram, quam sex librarum; novitio autem longè minus? Patet igitur, in Temperantia non attendi medium rei, sive arithmetici, sed rationis, seu geometricum; quod proinde non vnicum & indivisibile sit, sed multiplex ac diversum pro varietate personarum, & alijs atque alijs circumstantijs in singulari. Quod ipsum confirmat Aristoteles alio insuper exemplo cursorum & palæstritarum, quibus in cursu & lucta præscribebatur mediocritas, non quidem rei, sed rationis, & quò ad nos, iuxta vires, dexteritatem, & consuetudinem vniuscuiusque.

CIRCA Tertiam tradit iam perfectam definitionem Virtutis, ut sit *habitus electivus, in mediocritate positus.* Quod ut firmum sit, præmittit, Virtutem omnem moralem in me-

diocritate consistere, esseque investigatricem mediocritatis: idque probat aliquibus argumentis. PRIMVM est, Omnis ars, omni que scientia activa, quoties perficit suum opus, ideo perficit, quia attingit medium. At Virtus moralis determinatè & certò impellit animum ad bonum morale, ita ut nunquam per illam possimus malè agere. Quod ita non accidit in arte, sive (quod pro eodem accipitur hic à Philosopho) in scientiâ activâ: quia hæc tantum parit cognitionem boni operis, solamque propensionem bene cognoscendi inserit animo; non autem bene agendi: unde & per eam malè agere possumus. Verum igitur est, Virtutem moralem esse præstantiorem certiorique omni arte, sive scientiâ activâ, sicut arte melior & certior natura est.

7 **SECUNDVM** Argumentum, quò evincit Virtutem esse coniectatricem medijs, seu mediocritatem quandam, est huiusmodi. Omnis habitus, qui fugit utrumque extremum, & quærit medium, est mediocritas quædam. At Virtus est habitus, qui fugit utrumque extremum, & quærit medium: ut patet inductione facta in singulis Virtutibus moralibus: ut Temperantiâ, Fortitudine, Liberalitate, &c. comparatis ad sua extrema. Igitur Virtus mediocritas quædam est. Explicatur vis huius rationis ab Acciaolo, prænotando medium posse accipi, vel pro affectu mediante inter duos affectus extremè oppositos: vel pro habitu posito inter duos alios habitus extremè contrarios. Medium inter affectus extremos est actus Virtutis, servans moderationem, & debitas circumstantias: ut moderatus timor inter nimium & parvum; & moderata largitio inter actus prodigalitatis & avaritiæ. Medium verò inter habitus extremos, non est affectus, aut actus quidam inter actus; sed habitus inter habitus extremè contrarios. Ratio itaque Philosophi ita accipienda est, ut habitus fugiens utrumque extremum, quærat medium; scilicet, actum, sive affectum medium inter actus extremè contrarios: & propterea in seipso sit mediocritas quædam. Hoc autem contingere in Virtute morali, patet: quia Temperantia v.g. versatur circa voluptates, Fortitudo circa terribilia, quærendo in ijs medium inter excessum & defectum: ut ampliùs proprio loco constabit.

6 **TERTIVM** Est huiusmodi. Virtus moralis ex naturâ sua tendit ad vincendam difficultatem præcipuam, quæ est in operando laudabiliter. At in operando laudabiliter difficultas præcipua est circa inveniendum mediũ. Igitur Virtus moralis suâ naturâ tendit ad inveniendum medium: atque adeo quædam mediocritas est, sive inclinatio ad medium. Maior constat: Quia habitus instituti sunt, & natura suâ tendunt ad vincendam difficultatem, que

que occurrit in materia ipsorum. Minor autem probatur ab Aristotele, tum authoritate Pythagoræ, tum & ratione. Medium namque & bonum vno modo se habent: malum vero pluribus modis: scilicet, quomocumque receditur à medio. Etenim sicut linea solum vno modo est recta, obliqua autem quomocumque declinetur ab ea, ut declinari potest multipliciter: & sicut signum à sagittarijs vnicò modo tangitur, infinitis autem modis ab eo discedi potest: ita etiam in operando moraliter, vno solum modo rectitudo seruari potest, seruando medium: declinari autem ab ea facillimè potest, ac modis innumeris. Ergo in operando moraliter difficultas præcipua est circa inveniendù medium. Quod sane expressit verus illud Poetæ, *medium tenere beati*. Et illud præterea 3. *Aneid.*

*Scyllam interque Charybdim,
Inter utrumque; latus, lethi discrimine paruo,
Ni teneant cursus, certum est dare lintea
retro.*

7 HIS Statutis, tandem exhibet perfectam Virtutis definitionem, quæ continetur illis verbis vix variantibus à versione Argyropili: *Est igitur virtus, habitus animi eligendi iudicio præditus, in mediocritate positus nos attingente, rationeque sic definita, ut prudens præscripserit.* Vbi habitus animi ponitur loco generis, in quo convenit cum arte & scientiâ: à quibus tamen differt per hoc ut sit *eligendi iudicio præditus*. Artes enim & scientiæ non sunt electivæ. Quia tamen habitus vitiosi id habent; additur, *in mediocritate positus*: quo Virtutis habitus ab habitibus vitiorum disidet. Vicia enim virtutibus moralibus opposita consistunt in excessu aut defectu à medio. Cæterum cum medium duplex sit, alterum rei & arithmeticum; alterum rationis & quò ad nos, ut supra dictum est; subdit, Virtutem non in quocumque medio sitam esse, sed in mediocritate *nos attingente*, ut ibidem explicatum est. Quia vero propter varia hominum iudicia, passionisque impediens rectum iudicium, pollet hæc mediocritas quò ad nos, aut non bene, aut non vniiformiter à pluribus designari; concludit tandem, *rationeque sic definita, ut prudens descripserit*. Nimirum, designatio eius mediocritatis, in qua virtus consistit, secundum rectam rationem prudentis fieri debet. Unde patet, exactissimam esse definitionem prædictam, & in eâ explicari quidquid est Virtutis essentielle, & proprium, quatenus à quolibet alio differt.

8 INSVPER Et exponit, quorum & inter quæ sit mediocritas ipsius virtutis: nimirum, inter duo vicia, quorum alterum est exuperans, & alterum deficiens. Similiter & virtutis actio medium seruat inter duas praticæ vitiorum oppositorum extreme contra-

rias, quarum altera excedit, altera deficit. Virtus igitur secundum essentiam suam & absolute considerata, in illa mediocritate inter duo vicia extrema consistit. Hoc autem non prohibet, ut & illa quoddammodo habeat rationem extremi; nimirum, secundum quod exprimit rationem boni. Sic enim est extremum contrapositum malo, ac proinde vtrique vicio extreme opposito. Verum ratio boni in habitu virtutis non est specifica, sed generica, secundum quam potest habere considerationem extremi contrapositi malo, in quo genere mali convenit vtrumque vitium. Cæterum secundum rationem specificam & propriam, se habet ut medium, sive ut mediocritas quedam inter vtrumque vitium extremum.

9 CIRCA Quartam statuit, non omnem actum, neque omnem affectum suscipere mediocritatem; idque probat tripliciter. *Primo*. Nullus actus natura sua pravus, sive turpis, quomocumque sumatur, suscipit mediocritatem. At sunt aliqui actus natura sua pravi, seu turpes. Ergo quomocumque sumantur, non suscipiunt mediocritatem. Maior constat: Quia in actibus natura sua pravis nulla est bonitas moralis; atque adeo in ijs nunquam recte agitur, sed semper delinquitur, quomocumque quis operetur. Non enim malitia eorum sita est in eo solum quòd quis circa illorum materiam exuperet, aut dehecat; sed in eo quòd deliberatè in eam contentat, opereturve in quacumque mensura. Non ergo ij actus suscipiunt mediocritatem, scilicet, honestam, & omni culpa vacantem. Minor autem præcipua suadetur ab Aristotele, adhibito exemplo in ijs, *quæ statim cum ipso nomine vitium connexum habent*; qualia sunt, *malevolentia, impudentia, invidia*; & in actionibus *adulterium, furtum, cædes*. Omnia enim natura sua deformitatem habent, nec quandoque bene, quandoque male fiunt, sed male & turpiter, vbiicumque & a quocumque fiant. Aliqui ergo actus natura sua pravi seu turpes sunt.

10 SECUNDO Idipsum probat à pari. In habitibus enim vitiosis, qui consistunt in exuperantia, aut defectu, nulla est mediocritas rationabilis, sed quidquid eorum fuerit, malum atque irrationabile est. Ergo pariter in actibus illorum. Probatur à sumptum exemplo iniustitiæ, timiditatis, & luxuriæ, quæ sunt vicia opposita iustitiæ, fortitudinis, & temperantiæ. In ijs enim vitijs nulla mediocritas est: non quia non sit Virtus aliqua media inter duo eorum extreme opposita; sed quia cum ipsa sint extrema eius Virtutis, non potest in ijs accipi aliquod medium, seu nullam possunt habere mediocritatem in se. Extremo enim ut extremo repugnat mediocritas.

CONFIRMATUR. Si in vitijs extremo oppositis per modum excelsus & defectus esset mediocritas, daretur processus in infinitum. Eo namque ipso quod in excelsu v.g. esset mediocritas, in eodem quoque esset defectus: & rursus si mediocritas in hoc ipso excelsu esset, excelsus quoque inveniretur in illo. Cum igitur hoc absurdum sit, palam est, nullam inventi mediocritatem in ijs vitiosis habitibus, qui consistunt in excelsu, aut defectu.

II TERTIO Denique. Nulla Virtus admittit excelsum, aut defectum: eo quod omnis Virtus moralis in mediocritate sit posita.

ita, seu inter excelsum & defectum, atque adeo nequeat in se habere id, quod a se excludit ut extremum. Ergo similiter nullus actus consistens in excelsu, aut defectu, admittit mediocritatem: quia nequit habere in se id, quod excludit ut extremum. At sunt alij qui actus vitiorum consistentes in excelsu, aut defectu, ut actus temeritatis & timiditatis. Ergo ij non admittunt mediocritatem: atque adeo hæc propria est Virtutis moralis posita inter excelsum & defectum.

VIDE D. Thom. 1. 2. quest. 14. & 66, atque ipsius Interpretes.



CAPUT SEPTIMUM.

Mediocratum inter duo extrema dispositio.



T Enim id ipsum non solum universaliter dicere, sed ad ipsa singula etiam accommodare oportet. Sermorum enim eorum, qui circa actus versatur, universales quidem magis communes, particulares vero magis sunt veri. Actus nanque circa singula sunt, quibus sermones, rationesque consentaneas esse oportet. Hæc igitur ex descriptione sumenda sunt. Circa timores itaque, fiduciaive, mediocritas quidem est fortitudo: at exuperantium is quidem, qui non timendo exuperat, nomine caret. Sunt autem complura, quæ nominibus vacant. Is autem, qui confidendo exuperat, audax est. At is, qui timendo quidem exuperat, confidendo autem deficit, timidus. Circa voluptates, atque dolores, non omnes quidem, & minus circa dolores, mediocritas quidem est temperantia, exuperatio autem intemperantia. At deficientes circa voluptates perpanci fiunt: quapropter nec his est positum nomen, sed insensati vocentur. Circa dandas, capiendasque pecunias mediocritas quidem est liberalitas. nimium, atque parum, prodigalitas, & liberalitas, quibus contrario modo exuperant, & deficient homines. Prodigus enim in erogando exuperat, in capiendo deficit. At illiberalis, atque avarus in capiendo exuperat, in erogando deficit. Atque de hisce nunc quidam figura loquimur, & in summa, hoc ipso contenti: postea vero exactius de ipsis determinabimus. Sunt & alia circa pecunias dispositiones, & mediocritas quidem est magnificentia. Differt enim hoc à liberali magnificus, quod hic circa magna, ille circa parva versatur. Exuperatio autem ruditas circa decorum, atque

sordiditas, & defectus circa decorum pusillitas. Atque hæc differunt ab ijs, quæ circa liberalitatem diximus esse, & differentiam posterius explicabimus. Circa honorem & eius oppositum mediocritas quidem est magnanimitas, exuperatio verò lentitudo quædam, & defectus pusillanimitas dicitur. Ut autem ad magnificentiam sese habere diximus liberalitatem, hoc differentem ab illa, quòd circa parva versatur: sic sese habet & ad magnanimitatem (quæ quidem circa honorem magnum versatur) alia quædam dispositio, quæ circa parvum versatur. Fit enim ut appetatur honor, ut oportet, & magis, quam oportet, & minus. Atque is, qui in honorum exuperat appetitione, ambitiosus vocatur: is autem, qui deficit, appetitione vacans honoris: & medius nomine caret. Dispositiones etiam ipsæ, præter unam, nomine carent. Ambitiosi nanque, ambitio vocatur. Quocirca fit, ut extremi de medio loco decertent. Nos quoque medium hunc modò ambitiosum, modò vacantem honoris appetitione vocamus: Et nunc ipsum ambitiosum, nunc alteram laudamus. Cur autem id fiat, in sequentibus explanabitur. Nunc de cæteris eundem fervantes modum dicamus. Est igitur, & circa iram mediocritas, & nimium, atque parum. Atque cum ferè nominibus careant, medium mansuetum dicentes, mediocritatem mansuetudinem appellabimus: extremorum autem is quidem, qui exuperat, iracundus, & vitium iracundia vocitetur. Is verò, qui deficit, ita vacans, & defectus, iræ vacuitas nuncupetur. Sunt & aliæ tres mediocritates, quæ tametsi similitudinem quandam, & convenientiam inter sese habent, differunt tamen. Omnes enim sunt circa verborum, actuumve communem usum: sed differunt quòd earum una circa verum, quod est in ipsis, cæteræ circa iucundum versantur: quod quidem partim est in loco, partim in cæteris congressionibus univèrsis. Et de his igitur est dicendum, ut magis certamus in univèrsis mediocritatem quidem laudabilem esse, extrema verò, neque recta, neque laudabilia, sed vituperabilia. Atque horum etiam pleraque nominibus carent: verum eritendum est & his perinde, atque cæteris, ponere nomina diluciditatis gratia, & ut facillè sequi possimus. Circa verum igitur, medius quidem verax quidam, & mediocritas veritas appelletur. Fictio verò, si ad maiora pergat, arrogantia, & arrogans, qui ipsam habet, dicatur. Sin ad minora, dissimulatio nuncupetur, & qui habet ipsum dissimulator. Circa iucundum, quod in ioco consistit, medius quidem comis, & urbanus, & dispositio comitas, atque urba-

nitatis appelletur. Exuperatio autem, scurrilitas, & qui ipsam habet, scurra: & qui deficit, rusticus quidam, & habitus, rusticitas, nuncupetur. Circa verò reliquum iucundum quod est in vita, is quidem, qui est, ut oportet, iucundus, amicus dicatur, & mediocritas, artificia. Is autem, qui exuperat, si nullius gratia rei, placidus: si sui emolumentum causa, adulator est appellandus. At is, qui deficit, & in cunctis est iniucundus, contentiosus quidem, difficilisque dicatur. Sunt & in affectibus, & in ijs, quæ sunt circa affectus, mediocritates. Verecundia nanque, virtus quidem non est; laudatur tamen & ipse etiam verecundus: nam & hic dicitur esse medius, & exuperans, atque deficiens. Et exuperat quidem is, qui in vniuersis verecundatur, qualis est ipse pavidus: qui verò deficit, aut nulla in re verecundatur, appellatur impudens: medius verò, dicitur verecundus. Indignatio autem, mediocritas est invidiæ, & malevolentia. Versantur autem circa dolorem, & voluptatem, quæ oriuntur ex ijs, quæ proximis accidunt. Indignans enim dolet, cum aliqui prosperitate fortunæ indignè fruuntur. Invidus autem hunc exuperans, de omnibus dolet: sed malevolus adeò deficit in dolendo, ut gaudeat. Verum de his erit, & alio loco tempus dicendi. De iustitia verò postea pertractabimus. Atque cum non dicatur simpliciter, distinguemus ipsam, & de vtraque dicemus quomodo mediocritas est, & similiter de rationis virtutibus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Non sufficere communem regulam actionum humanarum, nisi ad singularia descendatur.

Mediocritas singularum Virtutum in specie: ac primò earum, quibus salus publica cura est.



IRADITA Superiori capite Virtutis definitione quali in comune, nunc iam illam adaptare conatur singulis speciebus Virtutum, & ostendere omnino verum esse quidquid hucusque generatim de Virtute, & perturbationibus animi dictum est. Solum excipit Iustitiam & Prudentiam: illam, quia exigit singulare examen, de quo alibi: hanc verò, quia non inter virtutes morales, sed intellectuales locum habet. Dividitque caput hoc in quatuor partes. In primâ proponit causam, cur spectatim de singulis virtutibus oporteat instituire disputationem. In secundâ initium enumerandi accipit ab ijs duabus virtutibus, quibus cura est publica & privata salus: nimirum, a Fortitudine & Temperantiâ. In terciâ recenset ceteras virtutes, & singularum me-

diocritatem atque extrema assignat. In quarta denique ostendit, quasdam esse affectiones animi, quæ licet virtutes non sint, laudabiles tamen existunt.

2 CIRCA Primam partem statuit, non sufficere doctrinam generalem, quâ traditur, Virtutem in mediocritate sitam esse, inter duo extrema, nisi etiam ad singularia & certa descendatur. Cuius ratio est, quoniam generalis sermo, sive disputatio vniuersè instituta circa actiones, seu circa ea, quæ sub actionem cadunt, videtur longè minus utilis ijs, quæ circa singularia, atque hæc & nunc occurrentia, sunt. Cum enim actiones ipsæ, & quorquor agenda occurrunt, certa ac designata sint, oportet de ijs in singulari instituire sermonem, sive disputationem. Verum talis esse debet, ut quæ generatim de virtutibus, & quibuslibet humana vitæ moribus decernuntur,

consentanea sint, & accommodata singularibus & definitis rebus. Nimirum, ita expedit ne subeamus notam Stoicorum, quos eo nomine carpit Horatius *lib. 1. Sermon. Satyra 3.* quod de moribus multa in genere decernerent, quæ tamen ubi accomodanda essent ad singularem operationem, invenirentur absurda: ita, ut eos non honestas, non regula aliqua rationis dirigeret ad agendum, sed sola utilitas, ex qua & peccatorum omnium æqualitatem inferebant, & ius atque æquum metiebantur. Sic quippe accinit:

Quæ paria esse serè placuit peccata, laborant.

Cum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant:

Atque ipsa utilitas iusti propè mater & æqui.

3 HANC Ipsam doctrinam repetit Arist. *infra lib. 10. cap. 1.* ubi monet, considerandum esse, ut morales disputationes consentiant operationibus singulis. Omnis enim habitus practicus, qualis est Ethica disciplina, versatur circa definita & singularia: ut Medicinæ ars, quæ ideo generatim & merito docet, omnem atram bilem helleboro purgandam esse, quia experimento & inductione in singulis hominibus constat habere eam vim. In quo sane dissident ab habitibus practicis theoreti, seu speculativi: quorum tota vis est in axiomaticis ac thesibus generalibus, quibus nituntur. Practici autem, ut Ethica Philosophia, potius insistant singularibus; & ex ijs evidentius notis, regulas morum generales tradunt. Quare oportere, ait, ut quod univèrsè dictum est de Virtute, sumatur ex *ἡ ἀναγκαῖα*, ex *descriptione*: scilicet, ex partitione & enumeratione singulorum: sic enim *ἀναγκαῖα* in præsentem accipiunt Gallutius, & Giphanius, post Burleum & Linconientem. quasi velit Arist. ut in tabulâ descriptas habeamus singulas virtutes, & earum extrema: similiter & perturbationes atque actiones, quæ sunt materia virtutum.

4 CIRCA Secundam incipit enumerare perturbationes animi, ut cognita illarum mediocritate innotescat virtutum numerus, & quam rectè cuilibet illarum conveniat definitio Virtutis. *Primo* itaque inter perturbationes enumerat timiditatem & audaciam, inter quas Fortitudo mediocritatem servat. *Secundo* intemperantiam, & eius contrarium, quod proprio caret nomine: quamvis utcumque iuxta Aristotelis mentem *ἀναίσθησις*, seu *insensibilitas* dici possit. Vtriusque autem medium Temperantia est. Et has quidem virtutes priori loco statuit, & adnectit: quoniam e re publicâ & privatâ videntur magis esse cæteris: nam Fortitudo salutem publicam tuetur potissimum, ut in bello: Temperantia verò priva-

tam, ut vitam & valetudinem cuiusque. Verum prius, quam de Temperantiâ, de Fortitudine agendum censuit, veluti nobiliori virtute, & illius medium exponit, quod & in cæteris virtutibus monet esse scrutandum. Cum verò medium optimè cognoscatur investigatione extremorum, agit de utroque Fortitudinis extremo, scilicet, timore & audacia. Timidus quippe defectu peccat: excelsu audax: vir autem fortis mediocritatem servat, quia timet, & audet quando & quomodo oportet. Videtur autem Aristoteles in præsentem tria extrema Fortitudinis assignare: quorum unum sit per exuperantiam, ut audere nimium & timere parum: aliud per defectum, ut audere parum & timere nimium: aliud denique nihil omnino timere, quod proprio nomine caret. Græcè autem & utcumque dicitur *ἀποβία*, quæ utcumque, *intimiditas* appellari potest, live *vacuitas timoris*, ut Gallutius vertit. Et omni timore carentem idem Aristotele *infra lib. 3.* appellat *μαιόμενος*, καὶ ἀνάλγητόν τινα, id est, *furiolum quemdam*, & *sensus vacuitate laborantem*. Cæterum cum hoc viri extremum vix unquam in aliquo inveniat, curandum nihil de illo est, & dicendum, non tria, sed duo tantum esse Fortitudinis extrema, timiditatem & audaciam.

5 DE Temperantiâ autem subdit, versari circa dolores & voluptates: minus tamen circa dolores. Plus enim operæ collocare oportet in voluptatibus cohibendis, quam circa dolores tolerandos: quoniam Virtus præcipue circa ea versatur, quæ difficultatem ingenerant. Difficilius autem est voluptates frangere, quam dolorem tristitiamque perferre. Est quippe voluptas inimicus latens & insidiosus; dolor verò hostis apertus: & ut S. Leo inquit *Ser. 9. Quadr. plus periculi est cum insidiatore occulto, quam cum hoste manifesto*. Itaque Temperantia potissimum versatur circa voluptates, non tamen omnes, sed illas tantum quæ ad tactum & gustum pertinent; quales sunt voluptates in cibo & potu, ac rebus veneris. Circa hæc igitur mediocritas est Temperantia: excelsus, intemperantia: defectus autem, quamvis careat nomine proprio, appellari potest, ut supra dicebamus, *ἀναίσθησις*, seu *insensibilitas*.

6 CIRCA Tertiam recenset cæteras Virtutes morales, & earum extrema designat: ac primò agit de ijs, quæ versantur circa res externas quæ bonæ aut malæ existimantur. Huius generis est *Liberalitas*, consistens in mediocritate circa pecunias dandas & accipiendas: eiusque extrema sunt, prodigalitas per excessum, & avaritia per defectum. Est & alia mediocritas circa pecunias, quæ appellatur *Magnificentiâ*, cuius extremum per modum excelsus dicitur *ruditas* circa decorum, seu sordities quædam:

defectus verò appellatur modicitas. Nimirum, ut apparebit ex dicendis *lib. 4.* diversa virtus est Liberalitas à Magnificentia: quoniam licet ambæ sint circa pecunias, non tamen eodem modo, sed diverso. Liberalitas enim versatur circa parvos sumptus: Magnificentia autem circa magnos: ac proinde extrema Liberalitati opposita, sunt circa parva, & Magnificentia circa magna. Quod ex dicendis eo loco plenius apparebit. Nunc solum notandum, excellum Magnificentia oppositum consistere in eo quòd quis faciat magnos sumptus ubi non sunt faciendi, neque cum eo decore, ac splendore, quo fieri deberent. Quare vitium hoc appellatur ab Aristotele *ἀπροκαλία*, scilicet, *inexperientia decori*, seu incititia; similiter & *βαρυσία*, id est, *sordiditas*. Quippe opponitur modo operandi proprio Magnificentia, quæ *μεγαλοπρέπεια* dicitur, quasi in magnis servans decorum. Alterum verò extremum, quod rationem defectus habet, appellatur in textu *μικροπρέπεια* id est, *modicitas*, sive, ut alij vertunt, *indecora parsimonia*. Consistitque in eo, ut cum aliquis versatur circa res magnas, deficiat in sumptibus competentibus.

7 HINC Procedit ad alteram Virtutem, quæ est *Magnanimitas*; & versatur circa honores, sicut duæ præcedentes circa pecunias. Est enim Magnanimitas mediocritas quædam circa honores magnos: cuius extremum per modum excellus dicitur *ὑπερβολή*, quam aliqui *elationem* vertunt, & forte melius *superelationem* dicerent: quoniam non quamlibet elationem denotat, sed eam quæ maioris notæ est: alij *desluentiam* interpretantur: quia *χαυρός* dicitur mollis & defluens ad existimandum se magis honoribus dignum, cum reverà non sit. Defectus verò eidem virtuti oppositus dicitur *μικροψυχία*, id est, *parvitas animi*, seu *pusillanimitas*; quæ quis ex sola animi parvitate, & secluso alio motivo, recusat accipere magnos honores, quia se reputat non dignum, cum tamen dignus sit. Altera quoque virtus est circa honores parvos per modum cuiusdam mediocritatis: quæ *φιλοτιμία* utcumque ab aliquibus dicitur, quasi *honoris amor*: sed reverà proprio caret nomine, sicut & extremum quod ipsi opponitur, ut defectus. nam quod excellus rationem habet, dicitur *ambitio*, seu appetentia inordinata honoris. Similiter & est alia virtus respiciens iram, ut mediocritas quædam, quæ dicitur *Μανυαίτις*, licet improprie, ut Aristoteles denotat. Excellus illius dicitur *iracondia*; defectus verò caret nomine abstracto, & solum in concreto exprimi solet, dum quis appellatur Græc. *ἀέργητος*, sive *iracondia carens*. Aliqui tamen in abstracto *lenitudinem* vocant.

8 DENIQUE Affert tres alias virtutes, sive mediocritates, circa communionem verborum & actuum: quarum tamen singulæ versantur circa propriam materiam. *Prima* dicitur *Veritas*, & communiter *Veracitas* appellatur, estque circa verum in verbis, quæ seriò dicuntur: extrema verò ipsius vno nomine fictionis censerì possunt: sed cum hoc discrimine, quòd excellus sit *arrogantia*, defectus verò *dissimulatio*, quam *ὑπόκρισις* Aristoteles vocat. *Secunda* est circa verba, seu colloquia iucunda, quæ dicitur *Comitas*. Huius excessus dicitur *scurrilitas*, & defectus *rusticitas* vocatur. *Tertia* est mediocritas circa reliquas iucunditates humani convictus: & cum proprio careat nomine, dicitur *Amicitia*. non quidè illa, quæ strictè talis habetur, & de qua plura disseremus progressu Operis; sed largè accepta, quasi quædam iucunda *affabilitas* ad ceteros homines. Huius excessus, si sit in utilitatem excedentis, dicitur *adulatio*: si nullius rei causa, *assentatio*, seu officium blandientis. Defectus verò *insuavitas*, sive *asperitas* dici utcumque potest, qua quis alijs se morosum, & difficilem reddit.

9 CIRCA Quartã partẽ exponit quasdam mediocritates circa affectus, quæ nõ sunt propriæ virtutes, neque habitus, sed tamen laudabiles sunt, eo quòd omnis mediocritas in affectibus est conformis regulis rationis: sicut & omne extremum ipsi oppositum disforme & vituperandum est. Quod intellige de laude & vituperio latè & communiter dictis. nam suprã *cap. 5.* docuit Philosophus, neminem ratione perturbationum, sive affectionũ ejusmodi, laudabilem aut vituperabilem esse: scilicet, pressè loquendo. *Prima* illarum est *Verecundia*, quæ mediocritatem quandam in affectibus servat. Excellus illius est *pauiditas*, qua quis veluti attonitus in omnibus serè verecundatur: defectus autè consistit in *impudentia*. Quare & qui in ea peccat *ἀναισχυντία* dicitur, seu caret pudore. *Secunda* mediocritas dicitur *Indignatio*, & versatur circa dolorem voluptatemque quatenus oriuntur ex bonis & malis proximorum. Porro excellus illius est *invidia*, quam dicunt agridudinem acceptam ex consideratione alienæ felicitatis: defectus verò *malevolentia*, seu voluptas orta ex consideratione mali alieni. Demum Philosophus horum ipsorum pleniorẽ tractationem in sequentibus promittit, & excusat se quòd in præsentì non egerit de Iustitiã, quia de eã vberius & proprio loco disseret, sicut etiam de virtutibus intellectualibus. Superest ut quidquid hoc capite traditum ab eo est circa singulas virtutes, & earum extrema, quasi in tabulam, aut seriem redigamus.

EXCESSVS.	MEDIOCRITAS.	DEFECTVS.
Audacia. ———	Fortitudo. ———	Timiditas. ———
Intemperantia. ———	Temperantia. ———	Insensibilitas. ———
Prodigalitas. ———	Liberalitas. ———	Avaritia. ———
Inscitia decori sumptus. ———	Magnificentia. ———	Modicitas. ———
Elatio. ———	Magnanimitas. ———	Puſillanimitas. ———
Ambitio. ———	Philotimia. ———	Philotimie defectus. ———
Iracundia. ———	Manſuetudo. ———	Lentricudo. ———
Arrogantia. ———	Veracitas. ———	Diſſimulatio. ———
Scurrilitas. ———	Comitas. ———	Ruſticitas. ———
Aſſentatio. ———	Affabilitas. ———	Aſperitas. ———

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 64. & 66. eiusque Interpretes.



CAPVT OCTAVVM.

De Virtutum ac vitiorum mutua oppositione.

QVM Autem tres sint dispositiones, & duæ quidem sint vitia, quorum alterum in exuperatione, alterum in defectu consistit; vna autem virtus, quæ quidem est mediocritas; omnes inter se, & si non æquè, suspiciunt oppositionem. Extremæ nanque cùm mediæ, tum inter sese contrariæ sunt, media verò extremis. Nam vt æquale maius quidem est cùm comparatur ad minus, minus autem cùm comparatur ad maius: sic & habitus mediij respectu quidem defectuum exuperant, respectu autem exuperationum deficiunt, tam in affectibus, quàm etiam actibus. Fortis enim, cùm ad timidum comparatur, audax; cùm ad audacem, timidus esse videtur. Pari modo temperans respectu quidem insensati intemperans, respectu autem intemperantis, insensatus videtur. Liberalis etiam, prodigus, si ad illiberalem: illiberalis, si cum prodigo conferatur. Quapropter & extremorum vterque medium ipsum à se compellit ad alterum: atque fortem, audax quidem timidum; timidus autem audacem appellat, & in cæteris simili modo. Hæc cùm hoc modo inter sese opponantur, maior est vtique contrarietas extremorum inter sese, quàm ad medium. Longius enim hæc inter sese, quàm à medio distant: & perinde, atque magnum magis à parvo, parvumque à magno, quàm ab æquali vtrumque distat. Extremis insuper nonnullis ad medium similitudo quædam esse videtur: vt audaciæ ad fortitudinem, & prodigalitati ad liberaliitatem. At extremorum inter sese maxima est dissimilitudo: atque ea, quæ plurimum inter se distant, deficientes, contraria dicunt, quo fit, vt ea, quæ magis distant, magis

contraria sint. At verò medio in quibusdam exuperatio, in quibusdam defectus magis opponitur. Fortitudini nanque non audacia, quæ est exuperatio, seu timiditas, quæ est defectus, magis opponitur. Temperantiæ verò non insensibilitas, quæ quidem est defectus, sed intemperantia, quæ est exuperatio, magis contraria est. Id autem ob duas accidit causas. Atque vna quidem est ex ipsius rei natura. Nam quia propinquius, atque similis est extremorum alterum medio, ideo non hoc ipsi, sed contrarium oppositum esse magis asserimus. Vt cum audacia quidem similis fortitudini videatur, atque propinquius esse: timiditas autem dissimilior: haud illi magis oppositam esse censemus. Etenim ea, quæ plus a medio distant, eidem contraria magis esse constat. Hæc igitur vna est causa, quæ quidem est ex ipsius rei natura. Altera autem in nobis sumitur ipsis. Ea nanque medio contraria magis esse videntur, ad quæ nos ipsi quoddammodo natura sumus propensiores. Nos enim ipsi quia magis ad voluptates sumus proclives, id circo facilius ad intemperantiam, quam ad modestiam, inclinamur. Hæc igitur magis contraria dicimus virtuti, quæ in nobis augentur magis: & propterea intemperantia, quæ est exuperatio, magis est contraria temperantiæ.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

In materia cuiuslibet Virtutis moralis esse tres habitus inter se pugnantes. Virtutem interiectam adversari utrique extremo. Eorum tamen alterum alteri magis contrarium esse, quam Virtutem interiectam. alterum quoque magis ab ea dissidere, quam alterum.



POSTQVAM Aristoteles singulas virtutes, sive medioeritates, & vniuscuiusque extrema per modum excessus ac defectus quasi in tabulâ designavit; nunc ferè resumat eandem doctrinam, & disserit de mutua oppositione virtutum in medio consistentium, & extremorum invicem adversantium. Dividit caput in quatuor partes. In primâ statuit circa materiam cuiuslibet Virtutis tres habitus inter se pugnantes. In secunda docet, Virtutem utrique extremo contrariam esse. In tertia, maiorem pugnam sive contrarietatem esse extremis inter collatis, quam vnicuique eorum cum ipsa Virtute. In quarta denique, alterum e duobus extremis maiorem cum Virtute oppositionem habere, quam alterum.

2 **CIRCA** Primam partem docet, tres habitus esse: quorum duo vnioli sunt, alter ob exuperantiam, alter ob defectum; tertius verò Virtus ipsa, in medio, seu medioeritate amborum consistens. De ijs verò asserit, quoddammodo inter se pugnare. Probatque hoc ferè modo. Quæcumq;

duo extrema habent oppositionem mutuam inter se, & cum medio ambobus interiecto. At in materia cuiuslibet Virtutis sunt duo vitia extrema, & Virtus ipsa se habet ut medium ambobus interiectum. Ergo in materiâ cuiuslibet Virtutis, duo vitia habent oppositionem inter se, & cum ipsa Virtute. Tamen notandum est, ad præoccupandas obiectiones Arist. non dicere singula ex tribus enumeratis esse simpliciter inter se contraria, sed solû quoddammodo. Id enim denotat dum ait *ἀπικεινται πῶς*: quoddammodo adversantur. Ibidem nanque *πῶς* nō significat idem, quod *ἁπλῶς*, simpliciter; sed idem solû, quod *κατὰ τινὰ τρόπον*, secundum aliquem modum. Et merito quidem ita loquitur: quia non omnia ex ijs tribus simpliciter, absolute, atque eodem modo, inter se contrariantur: ut ex dicendis apparebit.

3 **CIRCA** Secundâ statuit Virtutem, sive habitum intermediû, cum utroque extremo oppositionem habere. Quod sic ferè probat.

Excessus & defectus, sicut nimium & parum, contraria sunt inter se. Atqui intermedius Virtutis habitus comparatus cum altero extremorum habet rationem excessus, & cum altero rationem defectus. Igitur intermedius Virtutis habitus contrarietatem habet cum utroque extremo. Minor, in qua sola est difficultas, suadetur. Intermedius enim Virtutis habitus, comparatus cum eo extremo, quod habet rationem defectus, videtur excedere; & comparatus alteri se haberi per modum excessus, videtur deficere. Quod palam demonstrari potest, adhibitis in medium exemplis. Vir enim fortis si comparatur timido, apparebit audax; si audaci, timidus. Vir liberalis collatus cum prodigo, videbitur avarus; si avaro, prodigus. Denique quidquid medium inter duo extrema collocatur, ubi conferatur cum inferiori extremo, apparebit superius; ubi cum superiori, inferius: ut si, v.g. constituas hominem mediocris staturæ inter pygmaum & gigantem. Ergo intermedius Virtutis habitus comparatus cum altero e duobus extremis habet rationem excessus; & cum altero, rationem defectus. Scilicet ex comparatione ad extremum deficiens, exuperat; & ex collatione cum excedente, deficit.

4 EX Prædictâ contradictione extremi cum medio, notat Arist. oriri, ut medium ipsum Virtutis comparatum unicuique extremorum, appareat non tam medium, quam extremum alterum; & quasi detrudatur a loco suo, induatque specie tenus rationem vitij extremè aduersantis alteri vitio. Quod statim luculenter exponit exemplo audacis, qui comparatus forti est in loco extremo: & non reputat illum fortem, ut reverà est; sed timidum, seu meticulosum; ac proinde ex diametro seu extremè sibi aduersantem. Similiter & timidus comparatus forti, non considerat illum quasi in medio positum, aut moderate se habentem; sed veluti audacem, seu temerarium.

5 CIRCA Tertiam decernit, maiorem contrarietatem esse iisdem extremis inter se, quam cum ipsa Virtute: idque probat dupliciter. PRIMO. Quanto duo aliqua magis inter se distant, eo maiorem contrarietatem habent. Atqui extrema duo vitia magis inter se distant, quam a medio Virtutis. Ergo maiorem oppositionem habent inter se, quam cum medio Virtutis. Maior patet ex definitione contrariorum. Minorem probat exemplo adhibito: quia longius distat timiditas seu ignavia, quam Fortitudo, ab audacia, cum qua manifestum est non habere oppositionem omnimodam, sed aliqualem cognationem. Quippe Fortitudo se habet inter vitiumque extremum, sicut æquale seu mediocre inter maius & minus: quæ duo magis inter se distant, quam mediocre ab vnoquoque illorum. Igitur duo

extrema vitia magis inter se distant, quam a medio Virtutis. SECUNDO idipsum probatur. Omnia illa, quibus nulla similitudo intervenit, magis contraria sunt, quam ea, inter quæ similitudo aliqua est. Atqui vitij extremis nulla similitudo intervenit, aliqua autem est cum mediocritate Virtutis. Ergo vitia extrema magis contraria sunt inter se, quam cum mediocritate Virtutis. Minor, quæ sola declaratione eget, explicatur. Prodigalitas enim nullam omnino similitudinem habere videtur cum avaritia; nec temeritas cum timiditate; sed potius altera alteri omnino resistit, & veluti exitiale bellum indicit. Liberalitas autem aliquam similitudinem habet cum prodigalitate, quatenus largitur & donat: aliquam etiam cum avaritia, quia retinet, modumque servat in largiendo. Similiter & Fortitudo aliqualem cognationem habet cum temeritate, quatenus aggreditur terribilia & periculosa; aliqualem etiam cum timiditate, quatenus habet devitare pericula superantia vires. Igitur vitij extremis nulla intervenit similitudo, cum tamen aliqua ijs sit cum mediocritate Virtutis.

6 CIRCA Quartam tradit, ipsam mediocritatem, in qua virtus consistit, magis distare ab vno extremo, quam ab altero: cum hoc tamen discrimine, ut in quibusdam rebus exuperantia, sive excessus, maiorem cum Virtute similitudinem & propinquitatem habeat, quam defectus; in alijs autem e converso. Quod idem Arist. optime explanat lib. 2. Moral. ad Eudem. apud similitudine à Medici petita, tū in exercitatione corporis, tum & in cibo. Constat quippe mediocre corporis exercitationem, & moderatum cibum salubrem esse; & excessum ac defectum utriusque, insalubrem. Verum si rogetur Medicus, quodnam sit insalubrius, an quod in exercitatione & cibo est nimium, an quod est parum; Respondet certe, in exercitatione id insalubrius esse, quod est parum; in cibo autem id, quod est nimium. Idem ergo accidit in Virtutibus: quarum nonnullis magis aduersatur excessus, quam defectus; nonnullis e converso iuxta diversitatem, scilicet, materie, circa quam versantur. Exemplo sit Fortitudo, cuius est versari circa vitia pericula: & ea quidem animositate, ut timiditas, seu ignavia, potius ipsi opponi videatur, quam audacia, sive temeritas. Contra accidit in Temperantia, cui magis inimica est intemperantia, in excessu consistens, quam intemperantia posita in defectu. Patet igitur, mediocritati quarundam virtutum magis aduersari excessum, aliarum autem defectum.

7 CIVIS Doctrina duplicem rationem subdit. PRIOR detumitur ex ipsa natura Virtutum ac vitiorum, quæ talis conditionis est, ut alteram extremorum habeat maiorem

rem

rem cum Virtute similitudinem, quam alterum: ut patet utroque exemplo in Fortitudine & Temperantiâ nuper producto. At ea, quorum maior dissimilitudo est, maiorem contrarietatem habent. Ergo ex naturâ Virtutum ac vitiorum oritur, ut Virtus maiorem cum vno vitio extremo, quam cum altero contrarietatem habeat. POSTERIOR vero ex nobis ipsis deducitur, quoniam ad certa quædam vitia, potius quam ad alia opposita, proclives sumus. At vitium, ad quod proclives sumus potius, quam ad oppositum, est Virtuti magis contrarium. Igitur quædam sunt vitia magis contraria Virtuti, quam opposita ipsorum. Explicatur ratio hæc. Experimento vniuscuiusque patet, maiori nos propensione inclinari

ad intemperantiam, quam ad insensibilitatem ipsi contrariam. Naturæ enim genio & appetitu, potius ad excedentes voluptates propendemus, quam ad moderationem sive defectum illarum. Vitia autem illa, ad quæ naturæ appetitu magis inclinamur, longè magis contraria Virtuti sunt, quam ea ad quæ minus. Priora enim cruentum indicunt Virtutibus bellum, posteriora autem nullum, aut penè nullum. Immo hæc videntur in rerum naturâ non esse, cum lateant, & veluti in abdito sint, ut patet ex dictis cap. præcedenti, & ex loco iam allegato ex 2. Eudem. cap. 5.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 53. & 71. atque ipsius Interpretes.

CAPVT NONVM.

De præceptis, quæ ad ipsum medium dicunt.



IRTUTEM igitur moris mediocritatem esse, & quomodo sit, & vitiorum duorum mediocritatem esse, vnius per exuperationem, alterius per defectum, & talem esse, propterea quod coniectatrix est eius mediæ, quod in affectibus est, atque actibus, satis iam diximus. Quapropter difficile est studiosum esse. Est enim difficile in vnoquoque mediū capere: ut circuli medium invenire, non cuiuslibet, sed scientis est tantum. Pari modo irasci quidem, & dare argentum, sumptusve facere, cuiuslibet est, & facile: sed cui, & quantum, & quando, & quomodo, & gratia cuius oportet, non cuiuslibet est, neque facile: quod quidem est ipsum rectum, & est pererratum, & laudabile, & perpulchrum. Idcirco eum qui medium ipsum coniectat, primum quidem à magis contrario discedere oportet, & perinde atque Circe monebat.

Extra vndam, & fumum longè compelle carinam.

Extremorum enim altero magis, altero minus delinquitur. Cum igitur cōsequi mediū summè sit difficile, secūda, ut inquiunt, navigatione, minima in aliorum sunt capienda. Idque erit hoc maxime modo, quæ diximus. Considerare autem oportet & ad quæ nos sumus propensiores: nam alij ad alia natura sumus proclives. Quod quidem ex voluptate, doloreque inde proveniente percipietur: atque nos ipsos ad contrariū oportet retrahere. Longè namque à delinquendo secedentes, ad ipsum tandem medium accedemus: ut solent ij facere, qui ligna obliqua ad rectitudinem redigunt. In vniuersis autem cavendum est maxime à vo-

lup-

luptate. Non enim incorrupti iudicamus de ipsa. Vt ergo Troianorum senes erga Helenam sese habuerunt, sic & nos ad voluptatem ipsam esse affectos, in omnibusque illorum dicere vocem oportet. Hoc enim modo removentes à nobis ipsam, minus peccabimus. Hæc igitur facientes, ut in summa dicam, maximè medium attingere, consequi poterimus. Id autem ipsum difficile est fortasse, & in singulis maximè. Non enim facile determinari potest, quomodo, & pro quibus, & quanto in tempore irascendum est. Etenim nos interdum eos, qui deficiunt, laudamus, & mites dicimus esse. Interdum ipsos infensos appellamus viriles. Verùm qui parum à recto exorbitat, non capitur, sive ad defectum, sive ad exuperationem se flectat: qui verò multum, vituperatur: non enim latet egressus. Facile autem non est excipere ratione, quousque, & quantum à recto quisquam egressus, carpendus est. Neque enim aliud quicquam sensibilem determinari facile potest. Talia verò in singulis sunt, & iudicium est in sensu. Verùm illud est manifestum, medium habitum in vniversis laudabilem esse. Oportet autem nunc ad exuperationem, nunc ad defectum declinare. Hoc enim modo facillimè medium ipsum, & rectum attingemus, ac assequemur.

SVMMA E. EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Difficilimum esse assignatum medium in qualibet actione, affectioneque animi. Quibus præceptis insistere oporteat, ad illud inveniendum. Quanam sit ipsa Virtutis mediocritas, & qualiter paranda.

RESVMIT Aristoteles breviter initio huius capituli doctrinam hucusque traditam: nimirum, Virtutem in mediocritate sitam esse, & non qualicumque, sed duobus vitijs extremè oppositis interiectâ, quorum alterum in exuperantiâ, alterum in defectu consistat. Insuper & coniectatricem esse illius medijs, quod in affectibus atque actibus est. Quare præter caput impendit in tradendis præceptis ducere ad ipsum medium: illudque dividit in tres partes. In primâ docet, difficilimum esse inveniire ac deprehendere medium in qualibet actione, affectioneque animi. In secunda, certa quædam præcepta tradit, quæ delevire & manuducere possint ad mediocritatem attingendam. In tertiâ denique decernit, quid tenendum sit de ipsa Virtutis mediocritate, & qualiter eam parare oporteat.

2 CIRCA Primam præmittit, rem difficilem atque arduam esse, ut quis probus fiat: quoniam id pendet à deprehensione, seu inventionem medijs, quæ sane difficilis est, & non cuiuslibet, in rebus moralibus, sicut in mathe-

maticis invenire medium circuli non est cuiuslibet, sed scientis. Quippe longe diverso modo se habent extrema cuiuslibet virtutis, quam ipsum medium. Illa enim facillime inveniuntur, discunturque ut irasci, quod omnium est, & absque studio discitur. sic illic & largiri pecunias, & sumptus facere, compendio scitur. Medium vero ipsum inventum difficilimum est: ut cui, & quantum, & quando, & cuius gratiâ, & quomodo largiendum sit, atque inveniendum. Quare id non est omnium, neque facile. Quod probat unica hæc propositio. *Non est omnium, neque facile, quod est rectum & rarum, & laudabile, & honestum.* Modo sic. At medium servare in actionibus atque affectionibus, est rectum, ut pote declinans ab utroque extremo; est rarum, quia in paucis invenitur, est laudabile & honestum, quia in eo consistit virtus, ut præcedentibus statutum est. Ergo non est omnium, neque facile, servare medium in actionibus atque affectionibus.

3 QVOD Sane eleganter ac breviter significat Phil. dum ait, *διο καὶ ἐπιπροσθεταὶ ἀρεταὶ ἀρετῶν. Virtute præditum fieri, magnâ opus est.* Ibi enim *το ἐπιπρο*, non quodcumque opus

opus denotat, ut passim accipi solet, sed magnum, & difficultatis plenum. Vbi merito Giphanius, hoc loco pene verbatim exscriptus à Gallutio, observat eundem stylum in Platone, dum in Timæo inquit: τὸν μὲν δὲ ποιεῖν καὶ τὸν πατέρα τὴν πατέρα εὐγεῖν, ἔργον. *Mundi factorem & parentem invenire, opus est nimirum, difficile opus.* Similiter & in Virgilio 6. *Aeneid.* dum Græco more accinit:

Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,

Hoc opus, hic labor est.

4 Eandemque difficultatem in inveniendō Virtutis medio, sicut & facilitatem ad discendum aut exequendum vitia, denotavit littera illa Pythagoræ; quæ,

discrimine secta bicorni

Humane vitæ speciem præferre videtur.

Nam via virtutis dextrum petit ardua callem,

Difficilemque aditum primum spectantibus offert.

Consonant etiam prisca illa Hesiodi carmina:

τὴν μὲν κακότητα, &c.

Omnino vitium facile est contingere. cuique.

Est via ad id brevis, & vicina in sede moratur.

Contra virtutem sudoribus undique Divi Sepservunt.

Vique adeo difficile est medium Virtutis invenire. Quare huc posset advocari illud Virgilij ubi supra: TENENT MEDIA OMNIA SYLVÆ. Scilicet, media omnia Virtutum, adeo opaca & umbrosa sunt, ut difficilime inveniantur, quasi intra sylvam delitescerent. Et penè mutare hic licet à Valerio Flacco lib. 3. *Argonaut.*

Stant tacitæ frondes, immotaque sylvæ comanti

Horret verna iugo: species, umbrarumque meatus

Subter, & Oceani præceps fragor, arvaque nigro

Vasta metu.

5 PORRO Causa prædictæ difficultatis, multiplex est. Atque omnia illa, quam Giphanius & Gallutio in præsentī indicant, ex peccato originis, quo procliviores redditī sumus ad vitia, quam ad Virtutes, omnia, inquam illa, quoniam potius Theologi, quam Ethici instituti est, sicut nonnullæ aliæ a Philosophis indicatæ. PRIMA Platonis lib. 12. de Legibus circa finem: quod Virtus sit veluti scopus, in quem omnes tota animi contentione studioque collineare debeant. Est enim potissima hominis perfectio. Atqui scopum attingere difficillimum est, sicuti facillimum aberrare. Ergo & Virtutem attingere difficillimum est, errare autem facillimum. SECUNDA, & huic aîmæ, est quam verbo ferè Ypico insinuat Ari-

stoteles in præsentī loquens de circulo, & sic ferè iuxta Dialecticæ præscriptum proponi potest. Perinde se habet centrum, sive punctum medium in circulo, ac medium in ijs, quæ sub humanam actionem & affectionem cadunt. At invenire centrum, sive punctum medium in circulo, est difficillimum, & eorum tantum, qui in mathematicis disciplinis scientes sunt. Ergo & difficillimum est invenire medium in ijs, quæ sub humanam actionem, affectionemve cadunt, & eorum tantum, qui in moralibus scientes sunt. Quippe prius illud ad mathematicas disciplinas spectat, posterius vero ad Moralem, sive Ethicam, in qua versamur. Vnde sicut Euclides lib. 3: Elementorum theorem. 1. tradit præcepta ad inveniendum medium circuli, sic & Arist. in præsentī præceptiones tradit ad inveniendum humanarum operationum medium. TERTIA denique. Id, ad quod unicâ ac rectâ viâ eundem est, ut attingatur, longè difficilius inventa est, quam id, ad quod pluribus & innumeris vijs perveniri potest. Atqui medium Virtutis tale est, ut ad illud unicâ & rectâ viâ eundem sit, quò attingatur: extrema autem vitia in utramvis partem eius conditionis sunt, ut ad ea pluribus & innumeris vijs perveniri possit. Ergo medium Virtutis longè difficilius inventa est, quam vitia extrema.

6 CIRCA Secundam incipit iam præcepta tradere ad vincendam difficultatem, quæ est in deprehendendo medio. Quorum primum ac præcipuum est, ut summâ contentione ac studio discedamus ab illo extremo, quod maximè contrarium est medio. Dicitur quippe est cap. præcedenti, quamvis mediocritas Virtutis sit opposita utrique vitio extremo, adhuc tamen maiorem cum vno eorum, quam cum altero, oppositionem habere. Ab illo igitur extremo, quod magis contrarium est medio, summâ contentione ac studio fugiendum est, & inclinandum quoddammodo in oppositum extremum. Cui doctrinæ illustrandæ adaptat Aristoteles carmen illud Odyli. μ.

τὸτ' ἄρ' ἀπὸ καπνῶ, καὶ κύματος ἐντὸς εἰργε Νῆα.

Hoc procul à fumo & fluctu prohibeto carinam.

Nimirum, cum Vlysses navigaturus esset inter infames scopulos, Scyllam atque Charybdim, admonitus fuit à Calypsone, iuxta Aristotelem, sed verè non nisi a Circe, ut Eustratius, & alij palam evincunt ex ipso Homero, ne dirigeret cursum circa Charybdim, sed potius declinaret naves prope Scyllam. Quippe in hoc, quamvis periculum esset ut aliquot socijs naufragarent, satius ac securius duci poterat, quam totam classem perire iuxta Charybdim. Cum igitur longè maius periculum sit in vitio, sive extremo, quod magis contrariatur medio, evitandum est, ut ab illo recedamus, &

& quasi inclinemus in oppositum extremum. Non quod hoc eligendum sit (quippe id turpe est.) sed quia maior contrarietas & distantia est alterius extremi à medio: ideoque ab eo concitatori gressu fugiendum sit, ut ad medium deveniatur.

7 ALTERVM Præceptum est, ut diligenter examinemus ad quodnam vitium è duobus extremis propensiores sumus, & facilius defluamus. Neque enim omnes eiusdem vitij studio incitamus aut abripimur, sed diversorum; iuxta aliam atque aliam indolem & genium uniuscuiusque. Quia verò & hoc ipsum agnoscere in se uniuscuique nostrum difficile est, hanc regulam quasi à posteriori aut signo præscribit, ut introspeciamus affectiones in nobis oriri solitas ex vario rerum eventu. Eæ verò ut plurimum sunt voluptas & dolor, sive angor & tristitia, quæ actiones nostras comitari solent. Quoties igitur experimur nos re aliquâ delectari, & de illius opposito nimium tritari aut dolere, apertissimo iudicio est, ad eam maximè proclives esse. Si ergo eam appetitus pronitatem deprehenderimus, elaborandum est & inclinandum in oppositum extremum, ut sic deveniamus ad medium. Quod ut exemplo obvius confirmet, imitandos proponit eos, qui virgas curvas, seu tortuosa ligna inflectunt ad oppositam partem, ut fracto per reflexionem impetu rectitudinem assequantur, & medium occupent locum, à quo diverterant. Consonatque quoddammodo illud Quintiliani lib. 4. Institut. *iniquum petendum, ut iustum assequaris*: & Græcum adagium: *ἄκρον λάβε, καὶ μέσον ἔχεις*: *extremum cape, & medium habebis.*

8 TERTIVM Monitum, sive præceptum est, ut ubique & semper caveamus à voluptate, & ab ijs omnibus, quæ corpori maxime placeant, & sensibus iucunditatem afferunt. Licet enim non omnis voluptas perniosa sit aut illicita, possitque sæpe circa culpam admitti, immo & subsidium ferre honestati; nihilominus id difficile est, quoniam voluptates ita animum nostrum dulcedine sua delinitum habent, ut non possimus esse iusti atque incorrupti earum æstimatorum. quemadmodum nec ij iudices incorrupti habentur, qui muneribus locum præbent, antequam iudicium ferant. Quare ubi primum quis sentit voluptatem veluti lenocinantem aut blandientem, non est deliberandum, aut consultandum: quia nemo circa illam æquus iudex aut consiliarius esse potest in causâ propria: sed statim toto conatu prohibenda est, ac procul repellenda. Quam doctrinam ut exemplo etiam, sive factò aliquo insigni confirmet, memoratur consilium seu iorum ex Trojanis apud Homerum in Iliad. 7. qui cum in duello inter Menelaum & Paridem viderent adstantem He-

leuam, laudarunt quidem eius pulchritudinem, ut admirabilem, & pene divinam; addiderunt tamen: *ἀλλὰ δὲ ὡς θεὸς περ ἔστῃ*, &c. Id est, Sed etsi tam pulchra est, discedat tamen ad naves, & in Græciam revertatur, ne liberis nostris & patriæ maximam calamitatem afferat. Sive, ut alij totam Homeri narrationem è Græco vertunt:

*Non erat indignum certè tot funera Troas,
Tot mala pro tali Danaos tolerasse puella:
Cælicolis etenim par est splendore Deabus.
Sed tamen ipsa Jubs redeat cum navibus Ar-
gos,
Ne cladem nobis, nostrisque nepotibus olim
Inferat, & superet multorum causa labo-
rum.*

Ita etiam in proposito: quamvis voluptas appareat speciosa, & quæ animum delinuat, lenocineturque appetitui; repellenda tamen initio est, ne corrumpat iudicium, eoque corrupto voluntatem in illicitum rapiat. Quod etiam respicit illud effatum Archyæ Tarentini apud Ciceronem *lib. 10 de Sen. &ute*, nullam exitiosiore pestem, quam voluptatem, hominibus à natura datam. quod ibidem Cicero ipse profequitur, & multis confirmat.

9 CIRCA Tertiam pronunciat, facillimam fore mediij acquisitionem, si præcepta hucusque tradita servaverimus. Addit verò, esse insuper difficultatem aliam: scilicet, definiendi quando, quo loco, & quatum personarum causâ sit medium ipsum. Rationemque assignat, quia totum id versatur circa res singulares, quæ ad unguem definiiri, & ad libellam, quod dicitur, quadrari non possunt, ut res mathematicæ, & à singularibus abstractæ. Insuper, quia non tam sub disputationem & rationem, quam sub sensum cadunt. Unde oritur, inquit, ut circa medium ipsum in singulari sæpissimè feramus non æquum iudicium, existimantes esse medium, vbi reverà est defectus, aut excessus. Cum enim difficillimum sit definire v.g. quando irasci oporteat, & quibus, & quo gradu, & quanto tempore, & ob quas iniurias, consequens est ut & ipsum medium certo definire sit res difficultatis plena, & circa quam plerumque aberratur. Quare sæpe iudicio nostro consentur medium servare, qui in alterutrum extremorum deviant: ut quando mites existimamus eos, qui minus, quam oportet, irascuntur; similiter & viriles animo illos, qui plus æquo irascuntur; cum tamen posteriores ob exuperantiam peccent, & priores ob defectum.

10 CÆTERVM Ne difficultas usque modò expensa nos retrahat à studio querendi medium, neque incutiat horrorem circa Virtutum assecutionem, lenit doctrinam præiactam, præsertim in eorū gratiam, qui non summâ, sed mediocri contentione, temeritatem honestatis in-

bitunt.

sistunt. Docet igitur, eum qui parum recedit à medio in alterutrum latus, sive excedendo, sive qualitercumque deficiendo, modò in aliquâ mediocritatis parte subsistat, non propterea vituperari. Ratio est: quoniam medium Virtutis non est omnino indivisibile, sed quodammodo dividuum, & latitudinem habens penes inæquales gradus, aut quasi partes. Quare potest fieri ut quis digrediatur à medio puncto, in quo summa perfectio, seu Virtutis apex est, ad partem, sive gradum, alicui extremorum finitimum, & conterminum. Quod si faciat, non ideo vituperabilis erit. Non enim ideo aliquis vituperandus est, quòd in summo apice perfectionis non sit, modò tamen Virtute præditus existat intra aliquem gradum sphaeræ ipsius, nec divertat in extrema vitiorum. Atqui potest non esse in summo perfectionis apice, & tamen Virtute præditus existere intra aliquem gradum sphaeræ ipsius, quin divertat in extrema vitiorum. Ergo is non erit iure ac merito vituperandus. Assumptum suadetur: quia licet Virtus sit medium vitiorum, est tamen medium rationis: scilicet, ijs inclusum finibus, qui secundum rectam rationem designantur. Fines autem, quos recta ratio assignat, sphaeram habent latitudinis percurrenda, sive

diversos perfectionis gradus utrimque declinantes à vitijs extremis. Ergo quemcumque gradum Virtutis obtineat quis, verè intra medium Virtutis erit, & secundum illud declinabit à vitijs extremis. Ergo eo ipso non erit vituperandus. Ij ergo tantum vituperio digni sunt, qui ita declinant à medio illo Virtutis puncto, sive apice, ut prætergrediantur totam eius sphaeram, & in vitiorum extrema labantur, declinantes planè à toto medio.

¶ DENIQUE Claudis totam capituli ac libri doctrinam hoc decreto: imperitum fore, qui voluerit sibi definire terminum alterum ab assignato, & in utramvis partem, ut possit absque vitij labe procedere intra illius metas. Hoc enim fieri non potest: cum res tota sit posita in singularibus, de quibus non tam iudicium habemus, quam sensum: internum, inquam, sensum, qui præ extremo vim habet æstimandi. Cæterum quo pacto circa eiusmodi singularia agendum sit opera sensus interni, prudentia docet, cuius est media ordinatè dirigere in finem allequendum.

¶ VIDE D. Thom. 1. 2. q. 64. & 66,

atque ipsius Interpretes.

(?)



LIBER TERTIVS

ETHICORVM

SVMMA LIBRI.



DIVIDIT Aristoteles librum hunc, quasi in duo summa capita: quorum priore agitur de ijs, quæ spontè, aut invito fiunt; posteriore vero de Fortitudine & Temperantia singulatim. Ratio huius ordinis in doctrina servata est, quoniam libro præcedenti cap. 6. docuit, Virtutem in habitu electivo & mediocritate sitam esse; nam duobus vitijs extremè oppositis intercipitur: idque explicuit & confirmavit excurrendo, veluti saltuatim, per singulas Virtutes. Quare oportuit ut vberius exponeret, qua ratione Virtus sit habitus electivus. quod præstari nequit, nisi agatur de ijs, quæ spontè, aut invito fiunt: sive, quod perinde est, de voluntario & involuntario. Deinde & opus fuit agere de singulis Virtutibus, vitijsque contrarijs: ac primum de Fortitudine ac Temperantia, veluti præcipuis.

CAPVT PRIMVM.

De Voluntario, & Involuntario.

ARIST. THE ΑΡΕΤΗΣ ΔΕ, &c.



QVM Autem virtus circa affectus, actusque versetur, & in ijs quidem, quæ sua sponte quis agit, laudes, & vituperationes. in ijs autem, quæ invito facit, venia nonnunquam, & misericordia locum habeat, eos forsitan, qui de virtute considerant, de eo, quod sua sponte quis facit, atque invito, determinare necesse est. Vtilis est etiam legum latoribus hæc sanè consideratio, ad præmia, pœnasque instituendas. Videtur itaque ea invito facere quispiam, quæ violentia, vel per ignorancem facit. Id autem est violentum, cuius principium est foris, in quod nihil is, qui agit, aut patitur, confert: ut si ventus aliquò tulerit, aut homines

po-

potestatem habentes. At ea, quæ ob maiorem metum malorum, aut ob aliquod bonum aguntur, ut si tyrannus quempiam aliquid agere turpe iuberet, habens in potestate & parentes, & liberos, hac lege, ut si illud agat, illi sint incolumes; si non agat, dispareant: controversiam habere videntur, utrum hæc inviti, an sponte faciant homines. Tale etiam quid accidit, & circa iactus eos, qui in tempestatibus sunt. Simpliciter enim nemo suas fortunas eiecit sponte: sed omnes propter suam, cæterorumque salutem eiciunt, modo sint mentis sanæ. Tales igitur actus, misti quidem sunt. Ijs autem magis sunt similes, quos sponte homines agunt. Expetuntur enim tum cum aguntur, atque finis actionis in temporis conditione consistit. Et sponte igitur, & invitum unumquemque dicendum est agere, cum agit: agit autem sua sponte. Est enim in ipso principium movendi partes eas, quæ sunt in huiusmodi actibus instrumenta. At quorum principium est in ipso, ea agere, vel non agere, in ipso est situm. Talia igitur sua sponte quisque agit: ac simpliciter fortassis invitus. Nemo nanque talium quicquam per se expeteret unquam. In actibus autem huiusmodi nonnunquam homines & laudantur, cum pro magnis, & honestis rebus aliquid turpe ferunt, aut molestum. Si vero contra faciunt, vituperantur. Est enim improbi, pro nulla re honesta, vel mediocri, res turpissimas ferre. In quibusdam autem laus quidem non fit, sed venia locum habet, cum ea, quæ non agere oportet, quispiam egerit ob huiusmodi res, quæ naturam humanam superant, neminemque perferret. Sunt autem quædam, ad quæ forsitan non licet quonquam esse compulsam, sed potius oportet summa perpessum tormenta mortem obire. Ridicula nanque videntur ea, quæ ad necem matris Alceonem Euripidis compulerunt. Est autem interdum difficile, quale pro quali sit expetendum, & quid pro quo sustinendum discernere. Difficilius etiam est, postea quam cognoveris, in sententia permanere. Fit enim plerumque, ut ea quidem, quæ expetantur, molesta: ea vero, ad quæ coguntur, turpia sint. Unde laudantur, atque vituperantur ij, qui fuerunt, aut non fuerunt compulsi. Quenam igitur dicenda sunt violenta? An ea quidem simpliciter invitus quispiam agit, quorum externa est causa, & ipse agens nihil omnino confert? quæ verò per se quidem invitus facit, sed nunc & pro his expetuntur, principiumque est in ipso agente; ea per se quidem invitus facit, nunc autem & pro his sponte agit. Magis autem his similia sunt, quæ sua sponte quis agit. Actus enim sunt circa ipsa singula, quæ quidem sponte facit. Qualia vero pro qualibus expetenda sunt, non facile assignare possumus: quippe cum in ipsis singulis complures sint differentie. Quod si quispiam

ideo

ideo iucunda, & bona violenta dixerit esse, quia & extra sunt, & compellunt; omnia erunt eius sententia violenta, horum enim gratia omnes omnia agunt. Atque qui violentia, invitique agunt, ij cum dolore: qui ob iucundum, hi cum voluptate agunt. Est autem ridiculum externa quempiam accusare, sed non se ipsum, qui quidem ab huiuscemodi rebus facile capitur: & honestorum quidem se, turpium autem ea, quæ afferunt voluptatem, censere causam esse. Id igitur violentum est, cuius principium est foris, nihil prorsus eo conferente, cui vis est illata. Omne autem, quod ob ignorationem est actum, non sponte quidem est actum. Ab invito tamen id effectum est omne, pro quo dolet qui egit, ipsumque poenitentia subit. Qui namque ob ignorationem aliquid egit, & non fere molestè se illud egisse, sponte quidem sua non egit quod nesciebat. Non tamen erit invitus, quippe cum non doleat ob id ipsum. Qui igitur ob ignorationem quippiam egit, si ipsum poeniteat, invitus fecisse videtur: si non poeniteat, cum is alius sit, non sponte dicatur egisse. Cum enim differat, melius est, ut proprium habeat nomen. At enim hæc etiam ipsa, ob ignorationem, inquam, agere, & ignorantem agere, diversa sunt. Nam ebrius, aut iratus non videtur ob ignorationem agere, sed ob aliquid eorum, quæ dicta sunt, non sciens, sed ignorans. Omnis igitur pravus ignorat, quæ agere oportet, & à quibus est abstinendum. Et ob huiuscemodi errorem, iniusti homines, malique omnino fiunt. Invitus autem dicitur quispiam agere: non si ignorat id, quod conducit. Non enim ea ignoratio, quæ facta est electione, causa est, ut aliquid invitus quispiam faciat: sed pravitatis. Nec etiam ea, quæ est universalis: homines enim propter hanc ipsam reprehenduntur: sed ea, quæ est singulorum, in quibus, & circa quæ est ipsa actio. In his enim & commiseratio locum habet, & venia. Qui namque aliquid eorum ignorat, invitus agit. Forsitan igitur non ab re fuerit, si quæ, & quot sunt ipsa determinabimus. Quis itaque, quid, & circa quid, vel in quo agit, nonnunquam & quo ut instrumento, & cuius gratia, ut salutis, & quomodo, ut sensim, vel vehementer. Omnia igitur hæc nemo ignoraverit, modo non sit insanus. Patet autem, neque ipsum agentem: quo namque modo se ignorabit? Ignoraverit autem quispiam id, quod agit: ut dicentes, inquit, excidisse sibi, aut nescisse reticenda esse: quemadmodum Aeschylus ipsa arcana Cereris: aut ostendere volentes immisisse, ut qui telum iccit. Putaverit autem quispiam,

& filium hostem esse, ut Merope putavit: & hastam cuspidem habentem, ea carere: & lapidem, pumicem esse. Et interfecerit quispiam salutis percussum causa, & monstrare volens (ut faciunt qui manibus extremis luctantur) percusserit. Cum igitur circa hæc omnia, in quibus est ipse actus, sit ignoratio, qui horum aliquid ignoravit, is invitus egisse videtur, & maximè in præcipuis. Hæc autem ea videntur esse, in quibus est ipse actus, & id, cuius agitur gratia. Eius igitur, quod ab invito ob ignorationem talem dicitur esse factum, oportet actionem, dolorem insuper, poenitentiamque asferre. Cum autem id invitus quispiam agat, quod vi, & ob ignorationem agitur; id sua profectò sponte quispiam videbitur agere, cuius principium est in ipso agente sciente singula, in quibus est ipse actus. Forsitan enim non rectè dicitur, ea fieri ab invitis, quæ per iram, aut cupiditatem aguntur. Primò nanque nulla bellua sponte aget, neque pueri. Deinde utrùm nihil eorum sponte agamus, quæ cupiditate, vel ira agimus: an honesta quidem sponte, turpia verò inviti? An ridiculum est, cum vna sit causa? Absurdum est etiam forsitan, ea ab invitis agi censere, quæ oportet appetere. Oportet autem & irasci pro quibusdam, & cupere nonnullas res, ut sanitatem, atque disciplinam. Videntur etiam ea quidem, quæ ab invitis fiunt, dolorem; ea verò, quæ cupiditate aguntur, voluptatem asferre. Præterea quid interest inter ea, quæ per rationem, & quæ per iram peccantur, hoc ipso quòd ab invitis agantur? Etenim fugienda quidem sunt ambo. Affectus autem rationis expertes, non minùs humani esse videntur: & actus ipsius hominis ab ira, cupiditateque fiunt. Absurdum est igitur hæc ab invitis agi censere.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMII.

Vberima expositio Voluntarij, & Involuntarij.

1



IN Hoc capite satis prolixo & difficili, Aristotel. primùm reddit rationem, cur in præsentì dixerat de ijs, quæ *invitis*, aut *invitis* fiunt, id est, vel spontè facta, vel invito facta, sive suscepta: dividitque totùm illud in quatuor partes. In primâ rationè reddit eiuſce tractationis, eiuſque occasione docet, quid, quale, & quotuplex sit *invitum*, sive involuntarium per vim. In secunda exponit, quòdnam sit *invitum* ex ignoracione.

In tertia enumerat circumſtantias operationis voluntariæ. In quarta exponit denique quid sit spontè factum, seu voluntarium. Exponam ea omnia aliquantò prolixius: quoniam ita oportet ad plenam rei: de qua agitur, notitiam: ideoque distinctis §§.

singulas capituli partes

secabo.

(?)

§. I.

Illustratur prima pars capitis. Quid, quale, & quotuplex sit invitum, seu involuntarium per vim.

CIRCA Primam statuit, disputationem de ijs, quæ sponte fiunt, sive voluntaria sunt, ad Philosophum Moralem pertinere: idque ferè sic probat. *Primò.* Moralis disciplinæ est disputare de ijs, quæ sunt digna laude, aut vituperio, & an maiore minoreve. At nihil est dignum laude, aut vituperio, maiore, vel minore, nisi quæ sponte fiunt, sive voluntaria sunt. Moralis igitur disciplinæ est disputare de ijs, quæ sponte fiunt, sive voluntaria sunt. Maior constat: Quia Moralis disciplinæ est agere de Virtutibus, & vitijs, eorumque operationibus. Atque Virtutes, & vitia, eorumque operationes, sunt digna laude, aut vituperio, maiore, vel minore, ut patet. Minor autem præcipua probatur: Quia in ijs quæ necessariò, aut per vim patimur, nullâ laude aut vituperio digni sumus. Quò spectat exemplum illud apud eundem Aristotelem *ex lib. 1. Magnorum Moral. cap. 17.* vbi habetur, sceminam quandam dedisse philtum amasio, ipsumque ad insaniam redegisse, ac proinde interfecisse. productam vero in Areopagum, à iudicibus fuisse absolutam, quòd in ea re, non liberè se habuisset, sed amoris necessario impetu excelsisse videretur. Ergo nihil laude, aut vituperio dignum est, nisi quòd sponte fit, sive voluntarium est. **SECUNDO** sic probat. Moralis disciplinæ est id expendere, quod ipsis legum conditoribus curæ, & considerationi est, ad iusticiam ritè administrandam, tum in præmijs, tum & in supplicijs. At legum conditoribus curæ, & considerationi est ad iusticiam ritè administrandam, tum in præmijs, tum & in supplicijs, an actiones humane fuerint sponte susceptæ, vel invito. Moralis igitur disciplinæ est expendere, quænam actiones humane sint sponte susceptæ, aut invito.

3 **DEINDE** Voluntarij, sive sponte facti, explicationem aggreditur à contrario, id est, ab invito, quòd ideo in duò membra: scilicet, in violentum, & per ignorantiam factum. Primum definit, dum ait: *βίαιον δὲ, ὃ ἢ ἀεχὴ ἐξῆθεν, ποινῶν δὲ, ἐν ἧ μὴδὲν συμβάλλεται ὁ πρᾶττων, ἢ ὁ πάσχων.* Violentum verò (est) cuius causa ex extrinsecis eiusmodi adhibetur, ad quam

nihil adiumenti adferat, qui illud facit, aut patitur. Et quoniam pollet aliquis id accipere negativè solum, quasi sufficiat, ut aliquid violentum sit, quòd subiectum non conferat aliquid agendo, aut patiendo; statim adiungit exemplum, in quo præterea est resistentia positiva subiecti: *ὅτι οὐκ ἐπιπέμπεται κομισαίτο ποί, ἢ ἀνδραποιοὺς κούβιοι ἐπεί. ὡς δὲ quòd ventus impulerit, aut rerum potiti homines.* Patet verò, hominem impulsum à vento, aut bonis suis fraudatum à potenti, non modò nihil adiumenti asferre, ut id patiat, sed etiam positivè resistere, vel naturali corporis mole, vel insito amore rerum suarum. Violentum igitur ex mente Aristotelis non accipiendum negativè solum ex eo quòd subiectum nihil asferat adiumenti, sed etiam positivè, ut resistat, sive vim patiat, contra inclinationem suam. Alioquin enim illuminatio aeris esset ipsi violenta, quoniam aer nihil adiumenti confert ad illuminationem faciendam, suscipiendamve. Quòd ipsum etiam docet *lib. 1. Magnorum Moral. cap. 14.*

4 **VND E** Questionem opportunam excitat: Vtrum ceteri debeant violentè, seu invito facta ea, quæ quis exequitur summo adactus timore, vel subeundi gravissimi mali, vel amittendi ingentis boni. V. g. si quis cogatur à Tyranno iniustum aliquid facere, ita ut non faciens subeat mortem, tam suam, quàm uxoris, & natorum: faciens verò, se suosque à morte eripiat, seu præservet, qualiter adactus fuit Socratem legitur à triginta illis Tyrannis, qui eum cogere voluerunt, ut innoxium quemdam hominem extremo supplicio damnet, nec tamen fecit, quamvis sibi proposita fuisset mors, & uxoris, ac filiorum. Insuper, si quis iactum in mari faciat urgente procella, ideoque ad eripiendam vitam opus sit proijcere merces in mare; ne, si velit eas retinere secum, amittat longè præstantius bonum. In ijs, inquam, casibus querit, vtrum censendæ sint voluntariæ, an potius invito animo factæ; actiones resistendi Tyranno, & proijciendi merces in mare.

5 **RESPONDET** Verò questionem, eiusmodi actiones partim esse voluntarias, partim invitæ, ac proinde mixtas ex voluntario, & invito. Porro non esse simpliciter voluntarias, patet: quia nemo integra perfecta que voluntate patitur mortem suam, ac suorum omnium, nec proijcit merces in mare, nisi adactus timore impendentis maioris mali, aut amittendi maioris boni. In priori enim casu imminet malum turpitudinis, longè maius

amissione vitæ; in secundo autem amissio vitæ, quæ malus bonus est, quam possessio mercium, & quorumlibet fortunæ bonorum. Ergo perpessio mortis in priori casu, & proiectio mercium in posteriori, non sunt actiones perfecte ac simpliciter voluntariæ. Sunt tamen aliquâ ratione voluntariæ: nam qui urgente procellâ proiecit merces in mare, verè vult iacturam illarum subire, & non, nisi volens, proiecit merces. At quidquid facimus volendo, aliquâ saltem ratione voluntarium est. Ergo proiectio illa mercium, aliquâ ratione voluntaria est. Idemque dicendum de perpessione mortis ad contradicendum Tyranno iniuste præcipienti. Non enim mortem suam, aut suorum, patitur Vir probus & constans, nisi volendo pati propter bonum honestatis. Ergo perpessio mortis voluntaria ipsi est. Ergo actiones eiusmodi sunt mixtæ ex voluntario, & involuntario.

6 CÆTERVM Si comparatio fiat inter rationem voluntarij ex vno latere, & inviti ex alio, docet Aristoteles prædictas actiones magis voluntarias esse, quam invitas. Idque probat: Quia actiones humanæ iudicari debent voluntariæ, aut invitæ, habitâ potissimum ratione temporis, quo exercentur ab agente. Debent enim iudicari potissimum ex fine actionis, id est, ex perfectione & consummatione illius: quæ eo tempore consideranda est, quo agens est in actu; non autem quando est solum in potentia. At quo tempore proiciuntur merces in mare, aut patitur quis mortem propter honestatem, agens est in actu volendi, & non in potentia. Verè namque & actu vult proiecere merces, & subire necem, idque propria voluntate eligit, quamvis ex metu amittendæ, aut vitæ, aut honestatis. Igitur actiones illæ magis iudicari debent volentis, quam nolentis; atque adeo voluntariæ potius, quam invitæ.

7 CVM Verò simul dici voluntariæ simul & involuntariæ nequeant, propter contradictionem, quæ in eo apparet, quaerit insuper Aristoteles, an voluntariæ, an potius involuntariæ iudicandæ sint. Respondetque, voluntariæ verè esse, ac dici debere, actiones prædictas, quamvis eas timor expresserit. Probatque dupliciter. *Primo*: Illæ actiones, quas quis prudens atque volens exercet, sunt & dici debent voluntariæ. Atqui proiectio mercium in mari, & perpessio mortis, quamvis ex timore amittendæ vitæ, aut honestatis, sunt actiones quas quis prudens & volens exercet. Ergo hæ actiones sunt & dici debent voluntariæ. Probatur minor: Tum, quia quamvis fiant ex timore amittendæ

vitæ aut honestatem, sunt absolute in agentis potestate: siquidem absolute potest agere, aut non agere, prout voluerit. Ergo sunt actiones, quas quis prudens & volens exercet. Tum etiam, quia principium proiectionis mercium in mare, est sub liberâ agentis potestate, quando illas proiecit. Principium enim activum proiectionis, est potentia loco motiva, seu facultas movendi partes organicas ad iactum; quæ sanè in ipso agente est, cuiusque liberæ potestati subijcitur, quando iacit merces in mare. Cor enim non, nisi annuente voluntate, per nervos impellit brachia, & manus, ut proiciant in mare merces. Actiones ergo illæ sunt, quas quis non, nisi prudens & volens, exercet.

8 SECVNDO Idipsum probat. Omnes illæ actiones, propter quas laus aut vituperatio, præmium aut pœna debetur agenti, sunt verè & proprie voluntariæ. Sed propter actiones prædictas, quamvis gravi metu expressas, laus aut vituperatio, præmium aut pœna debetur agenti. Ergo prædictæ actiones, quamvis gravi metu expressæ, sunt verè proprieque voluntariæ. Minor, in qua sola esse potest dissidium, probatur & explicatur à Philosopho, distinguendo tres veluti conditiones & gradus in actionibus ex metu profectis. *Primus* est eorum, qui laudantur quod ad ingentia mala declinanda, vel ad magna quadam bona sibi & Reipublicæ consequenda, aliquid grave ac triste patiuntur: ut paupertatem, servitium, opprobrium, aliavè incommoda alicuius momenti. nam si levis, aut nullius; non laudarentur: cum exigua mala, sive detrimenta, non sint tanto pretio digna. *Secundus* gradus est earum actionum, quæ non tam digna sunt laude, quam veniâ aliquâ, quæ in id tantum proficit, ut qui eas gessit, timore percussus, non admodum vituperetur. Ut si vir nobilissimus metu exultionis, aut suspensij, cogatur exercere actiones quasdam plebeiorum hominum proprias, & serviles, easque exequatur; non tam erit dignus laude, quam veniâ. Non erit quidem dignus laude, quoniam voluntate sua, quamvis adigente metu, egit aliquid indecorum suo statui. Erit tamen dignus veniâ: quia condonanda ea inæqualis abiectio sui ipsius, ob periculum gravissimi mali impendentis. *Tertius* in ijs actionibus apparet, quæ adeo turpes, sive improbæ sunt, ut nullius mali vitandi, aut boni consequendi gratiâ, quis iure debeat, possitve eas unquam exequi; quamvis oporteat gravissimos ob id cruciatus perferre. Exemplum unicum earum afferit in parricidio: ideoque ridiculam putat excusationem Alexonon apud Eucyridem interficientis matrem suam, quod in id necessi-

rate fuisset coactus. Nulla enim necessitas, nulla vis excusat in ijs, quæ naturâ suâ prava & turpia sunt. Ergo de primo ad ultimum propter actiones prædictas, quamvis gravi metu expressas, laus aut vituperatio, præmium aut pœna debetur agenti. In primo enim gradu debetur laus, in secundo venia, in tertio vituperatio. Quippe in quolibet eorum verè sunt voluntariæ, quamvis propter metum gravem habeant aliquid voluntarij admistum. Ex quâ doctrinâ Aristotelis videtur ortum duxisse alia Iuriconsultorum apud Paulum in *l. si mulier, §. penultim. ff. de eo quod metus causa*, illius verbis: *Si metu coactus adivi hereditatem, puto me heredem effici: quia quamvis, si liberum fuisset, noluissem, tamen coactus volui.* Vnde & illud Consultorum effatum: *Coacta voluntas, voluntas est.* Quippe, in quolibet graduum prædictorum, ut aiebam, actio est volentis & eligentis.

9 GRADVM Primum ex tribus prædictis obtinuisse existimati sunt apud Ethnicos decantatissimi quidam Heroes, qui ob res præclaras gravissima quæque damne, exilij, deportationis, ignominie, imò & cædis, subire non dubitarunt: ut propter libertatem patriæ, aut insignem victoriam, aut asserendam parentum, liberorum, uxorisve vitam, aut fidem servandam. Huius generis fuisse dicitur apud Athenæum Zopyrus Persæ: similiter & M. Atilius Regulus, qui, teste Valerio Maximo, non dubitavit pro Urbis salute, & promissionis suæ fidelitate, sese hostibus tradere, & gravissimos subire cruciatus. de quo etiam Cicero *lib. 3. Officiorum*. Brutus auctor libertatis Romanæ laudatur, quod eiusdem conservandæ gratiâ, filios securi perpeti pallus fuerit. Similiter & Zaleucus legum scriptor, quod sibi oculum vnum & filio alterum erui iusserit, ut lex sacra recta persisteret. Qualiter & inter Hispanos Heroes celebris est Alphonsus Perez de Guzman, antonomastice dictus, *el Bueno*, Excellentissimorum Ducum Medinæ Sidoniæ progenitor: qui factius duxit pugionem proicere ad filium suum interficiendum à Barbaris, quam ijs tradere atrem suæ fidei commissam.

10 GRADVI Secundo fortasse accensetur Ulysses, qui apud Homerum *Odyss. p.* recuperandæ domus suæ causâ, adversus procos rudi & vili amictu processit, aliæque indigna sustulit. Sed certius in eam classem referri debet Rabirius apud Ciceronem in *Oration.* pro ipso: qui causâ nominis, & pecuniæ creditæ apud Alexandriam recuperandæ, pallium in eâ vrbe lumere non erubuit, relicto cultu Romanis civibus solito. Excusat illum Cicero eo loci, quod

id fecerit necessitate compulsus. Similiter & apud eundem veniâ dignus fuit, sed non laudandus, Ruffus: qui ut effugeret crudelitatem Mithridatis, vestem mutavit, sumpto pallio. Item & ij, qui cum effugere nequeant hostium manus, in turpes pactiones descendunt: ut Popilius à Gallis obtentus, apud eundem Ciceronem *l. ad Herennium*. Non tamen veniâ dignus erit, neque huc gradui adscribetur vir nobilis, cui relictum fuerit legatum eâ conditione, ut in foro salter. Id enim admodum turpe, atque indecorum esset, solius privatae utilitatis causa. Si autem publicæ, & præsertim religionis; laudandum merito erit: sicuti laudatur David, quod coram populo in Dei obsequium, & cultum saltaverit: quamvis irridente Michole, quam propterea Deus sterilitate punivit. Ea verò Davidis actio ad primum gradum spectat.

11 GRADVI Tercio denique adscribendi ij omnes, qui causâ non violandæ pudiciæ, aut Religionis, aut virtutis alterius, factò aliquo naturâ suâ illicito & pravo, quælibet pericula, detrimenta, cruciatus, ignominias, & ipsam denique mortem subierunt, aut subire, quantum in ipsis fuit, non dubitarunt: ut in Veteri Testamento Magnus ille Ioseph, ne Regis domini sui uxori pellicienti consentiret, & Daniel ne dereliqueret cultum Dei veri, passus fuit se mitti in lacum leonum, aliique plures in odium Virtutis interfecti: atque in Novo Testamento, Apostoli omnes, & tot Martyrum, non chiliades modo, sed & myriades: quibus tormenta ipsa & cruciatus horribiles, quasi ludus erant: ut acciuit Prudentius in libro *depi septimus*. Huc etiam spectant, qui iussa Principum & Magistratum negligunt, quoties iniusta sunt, adeoque sese exponunt cuilibet discrimini: ut præter innumerabiles Christianorum, ex ipsis Gentilibus Antigone apud Sophoclem, neglecto Creontis decreto, fratrem suum humanit, & adiecit: *Longius est tempus, quæ Dijs magis, quam hominibus, placere debeat.* Eodem autem tenent filij, qui delectati obedire parentibus, ubi impia iubent, qualiter Hermenegildus Rex Hispaniarum futurus, qui vitæ & regni iacturam fecit, quia noluit assentiri Leovigildo patri suo, ad Arianam hæresim urgenti & exhortanti. Eodem denique, vel servi, qui nolunt parere dominis suis iniusta præcipitibus. Quod si verò ea faciunt, puniuntur, sanciente ita Vlpiano in *l. Ad ea ff. de Regul. Iuris*: ubi inquit: *Ab ea que non habent atrocitatem facinoris vel sceleris, in ijs ignoscitur servus, si vel dominis, vel ijs qui vice dominorum sunt, veluti tutoribus, & curatoribus, obtemperaverit.*

Vbi exceptio regulæ firmat regulam in contrarium: ac proinde decernitur, puniendum esse servum, qui domino obtemperaverit in ijs, quæ atrocitatem habent facinoris, vel sceleris. Quippe nec servo, nec filio, nec vlli subdito licet, etiam metu mortis incusso, maioribus suis obedire in ijs, quæ secundum naturam suam prava sunt: vt generatim decernit Aristoteles in præsentibus, quamvis vnico parricidij exemplo propositio: sed tantum in ijs, quæ vel iusta & recta sunt, vel saltem indifferentia, sive ἀδιάφορα, vt Græci loquuntur.

12 ID Tamen notandum, postquam Aristoteles docuit, eiusmodi voluntarium mixtum esse & dici verè voluntarium, addidit tamen, id simpliciter involuntarium esse. Id denotat illis verbis: ἐκείνα δὲ τὰ τοιαῦτα ἀπλῶς ἀίσιον ἀκρίσια. Id est, vt interpretantur Gallutius, & alij: *Voluntaria verò talia sunt: simpliciter verò fortasse involuntaria.* Sive, vt in editione Turnebi lego: *Ea profectò libenter fiunt, quamquam omnino forsan inuitè fiunt.* In quo videtur esse aperta contradictio: quia statuto iam in præcedentibus, eas actiones verè voluntarias esse ac dici, videbatur consequenter statuendum potius esse simpliciter voluntarias, quam non esse. Præsertim, cum idem Philosophus præmiserit, eas actiones, quamvis ex voluntario & involuntario mixtæ sint, longe plus voluntarij, quam involuntarij habere. Verùm huic difficultati occurrendum cum Burleo, & eodem Gallutio, ac Giphanio ante ipsum, nullam esse contradictionem in doctrinâ Aristotelis. Quamvis enim actiones gravi metu expressæ sint simpliciter voluntariæ, & magis voluntariæ, quam involuntariæ, si considerentur, hic & nunc, seu relatè ad ipsum agens, quatenus habet in se principium volendi, & nolendi pro libito, atque exequendi illas absolute, aut non exequendi: adhuc tamen in genere considerata, & præteritendo à personis, locis, & temporibus, censentur simpliciter inuitæ, seu involuntariæ. Cuius rationem subdit statim idem Philosophus ijs verbis: ὁ δὲ τίς γὰρ ἀνὲρ ἐλεῖτο καὶ αὐτὸ τὸ τοιοῦτον ὄνει. *Quamquam enim nemo quidquam eorum per se expetit.* Priori igitur sensu, sive prout hic & nunc, qui maxime refert ad operandum liberè, sunt simpliciter voluntariæ, & magis quam involuntariæ: vt potè procedentes à principio intrinseco cum cognitione indifferenti ad volendum & nelendum: posteriori autem sensu, sive in abstracto, censentur simpliciter involuntariæ: quoniam nemo, nisi inuitus & nolens, censetur subire naufragium mercurum iuratum, & ipsam mortem. Sic etiam actio indifferens, vt fricandi barbato, vel levandi festucam, considerata in genere, & seclusis circumstantijs, simpliciter

licita est: cæterum prout hic & nunc exercenda ab eo, qui invincibiliter iudicat esse malam, aut non licitam sibi, est illicita simpliciter.

13 SED Adhuc duplex difficultas est circa prædictas actiones, à Philosopho in præsentibus proposita: altera intellectus in iudicando; altera voluntatis in perseverando, & in perferendo. In iudicando quippe magna difficultas est, seu in ferendo iudicium, quænam sint subeunda, aut eligenda, quando hinc allicit honestas, illinc utilitas; inde turpitudinis, aliunde tormenta & damna vocant. Quandoque accidit, vt ipsæ res contrariæ, circa quarum electionem deliberamus, aut ita æquales sint, aut appareant, vt difficillimum sit discernere, quæ cuiam præferenda. Hanc difficultatem Euripides in Hippolito exprimit inter Phædræ & nutricem, impuram fœminam, quæ illi consilium præstat, vt posita inter periculum subeundi incommodi, aut honestatis violandæ; potius nefario amori obsequatur, quam calamitatem illam subeat. quippe in ijs rerum angustijs honestum utili postponendum esse. Eadem quoque difficultas Cicero anxiè secum, & cum Attico suo disputanti, sequeretur partes Cæsaris potentioris, populoque gratioris, quod securius erat; an potius partes Pompeij, Patribus charioris, & de Republica magis benemeriti, sed infirmioris, quod periculosius videbatur. Similis quoque anxietas Achilli apud Homerum *Iliad.* 10. deliberanti, satiusne esset progredi ad expeditionem Troianam, oppetendo in eâ mortem gloriosam; an potius domi manere saluum, sed inglorium. Vtriusque enim apparebat periculum mali, & ambigebat quodnam ex ijs præponderaret alteri. Quamvis enim vbi aliquid constat esse turpe, non sit opus consultatione, sed omnino fugiendum sit, etiam devoratis quibuslibet calamitatibus; attamen quandoque accidit, vt quod turpe est, non statim appareat turpe, ac proinde nec postponendum. Similiter & quod communiter ferè existimatur turpe, invenitur turpitudinis expers, vt notat idem Cicero *lib. 3. de Officijs.* Denique, adhuc quando in utroque extremo apparet honestas, difficile est iudicare, vtra maior sit, ac proinde alteri præferenda. Quare vbi aliquid horum acciderit, oportet deliberare prudenter; & honestum quidem præferre utili; atque honestius honesto; & ex duobus utilibus id quod utilius est, modo non repugnet cum honestate.

17 ALTERA difficultas est voluntatis, in perseverando, & constanter perseverando malum id, quod delectum fuit metu honestatis amittendæ, seu ne honestas violaretur. Nam quavis difficile sit eligere, seu discernere;

*ἄτι δὲ καλεώτερον τὸ ἐμείναι, τοῖς γυαστέ-
βιν: adhuc difficilius est permanere in ijs qua
iudicaveris.* Ratio autem huius maioris diffi-
cultatis est: quia ubi quis cœpit perferre duros
labores & terribiles cruciatus ne turpem vo-
luptatem admittat, difficillimum est in ijs
perseverare: quoniam de præsentî contristat
dolor, & de futuro allicit voluptas: ideo-
que cum duplici inimico contenditur; &
priore quidem intestino, ac reipsa affli-
gente. Vbi autem nondum cœpit quis subire
dolores, sed deliberat; quamvis voluptas
de futuro alliciat in turpitudine proposita,
aliunde non habet de præsentî dolorem,
quo reipsa crucietur. Vnde & plerumque
propositum perseverandi in malis patienter
ferendis infirmum esse solet. Maior ergo est dif-
ficultas in perseverando, quam in decerendo.
Quare qui constanter se habent, quamvis
coacti, laudantur.

15 PERGIT Philolophus, & in-
terrogat: τὰ δὴ ἢ ποῖα παρὶόν βία; *Quæ igitur
vi dicenda sunt fieri?* Nimirum supra do-
cuit, involuntarium esse duplex; unum ex
vi, alterum ex ignoratione ortum; ac rur-
sus involuntarium ex vi esse duplex; alterum
omnino & simpliciter violentum, seu ex vi
factum; alterum ex voluntario mistum. Et de
voluntario misto iam plura disseruit. Nunc
eâ interrogatione propositâ, regreditur ad
exponenda eâ, quæ simpliciter & omnino
violenta sunt, & quasi per ἀνακεφαλαιώσιν,
id est, *recapitulationem*, colligit quæcum-
que de ijs, simul & de alijs voluntarijs mi-
stis docuerat. Ac primò quidem violentum
simpliciter, seu prorsus vi factum, docet,
tunc maximè apparere, cum principium, seu
causa eius facti, extra subiectum est; & ubi sub-
iectum ipsum nullo modo adiuvat factum ip-
sum, sed invito agit, seu patitur. Voluntarium
verò mistum est, quod per se quidem, sive re-
bus in genere solum spectatis, aliquis facit in-
vitus: sed tamen per principium intra se exi-
stens eligit in singulari, & eo tempore, quo
vult fugere aliquod imminens malum. Quare
illud magis habet rationem voluntarij, sive
spontanei, quam violenti, sive inviti, ut su-
pra docuerat: quia actiones sunt singulare, &
proinde censentur voluntarie aut involunta-
rie, potius ex eo quòd ijs convenit in singu-
lari, sive hîc & nunc, ubi exercentur, quam
ex eo quòd ijs generatim convenit, sive ab-
strahendo à circumstantijs. Vnde & iterum
colligit, quàm difficile sit in ijs casibus elige-
re rationabiliter alterum extremorum: quo-
niam deliberatio circa res singulares, & varijs
circumstantijs involutas, quarum una alteri
præferenda sit, est res ardua, & solius pru-
dentis.

16 PROSEQVITVR. Adhuc, & ex defi-

initionibus præiactis, tum inviti seu violenti
simpliciter & omnino, tum & involuntarij mi-
sti, notat profectum errorem quorundam, qui
ultra ea duo factorum genera, tertium præterea
assignarunt. Sive autem ij fuerint Cyrenaici
Philosophi, ut Acciaiolus, nescio quò funda-
mento, putat; sive potius vulgares & imperi-
ti, ut Giphanius merito arbitratur, in adeo
crassum & adipalem errorem lapsi sunt, ut
asserent, omnia illa, in quibus homines de-
linquunt, culpa vacare, & non esse reprehen-
sione digna: quoniam res, quarum amore per-
trahuntur ad peccandum, inferunt vim, cui re-
sisti non possit. Quippe ea sunt τὰ κακά, sci-
licet, pulchra, seu bona: sub quibus etiam iu-
cunda, & vilia comprehenduntur: atque illa
omnia vim habent rapiendi cogendique, ut
nulla libertas homini sit circa eorum prose-
cutionem. Ergo quòd ea prosequatur, & culpa
& reprehensione liberum est. Verùm errorem
adeo stupidum tripliciter profligat Aristoteles.

Primò: Quia inde sequeretur omnia hominum
facta esse necessaria & violenta: siquidem ho-
mines semper operantur excitati ab ijs, quæ
τὰ κακά, sive pulchra & bona sunt; nec, nisi
iucunditate aliqua, aut pulchritudine allecti,
quidquam exequuntur; sive dum operantur ad
prescriptum Virtutis, sive etiam vitiij. Dice-
re autem eas omnes operationes, tum Virtu-
tis, tum & vitiij, esse prorsus necessarias, ac
violentas, absurdum est stultitiæ plenum, &
confutatione indignum. *Secundò:* Quia quæ-
cumque necessario & violenter agimus, non
nisi cum tristitia quadam & dolore agimus.
At quoties operamur allecti iucunditate, aut
pulchritudine externarum rerum, non agimus
cum tristitia quadam & dolore, sed potius
cum voluptate, ut experientia testatur. Ergo
quoties operamur allecti iucunditate, aut pul-
chritudine externarum rerum, non necessario
& violenter agimus. Ergo de primò ad viti-
um, præter duo illa genera involuntarij
simpliciter, quòd est omnino violentum, & in-
voluntarij misti, quòd ex metu proficetur,
non est aliud genus involuntarij, seu violenti,
ex objectis externis procedens. *Tertio de-
nique* rejicit id ipsum, veluti ritu dignum:
Quia violentum est, cuius principium prorsus
externum est, patto nihil adiumenti præ-
stantes, sed potius resistens. At ubi peccamus
amore externarum rerum, principium actio-
nis non est prorsus externum, sed potius in-
ternum voluntatis, quâ illas eligimus, opera-
murque, absque resistantia. Ergo ubi pecca-
mus rerum externarum amore,
nihil est violentum.

II.
*Illustratur secunda pars capitis. Quodnam sit
 invitum ex ignorantia.*

17 **C**IRCA Secundam partem capitis, transit ad explicandum id, quod sit *ἀγνοια*, id est, per ignorantiam: estque alterum membrum eorum, quæ utcumque involuntaria sunt: quoniam involuntarium à principio capitis divinum fuit in id, quod ex metu proficiscitur, & id quod ex ignorantia fit. Cumque de illo priore iam satis egerimus, restat ut de posteriore distiteramus. Quod quidem præstat Arist. dum distinguit quædam ignorantia genera: deinde & varias circumstantias illius: ut deinceps colligi facile possit, quænam ex factis per ignorantiam sint, quæ dici potius voluntaria, quam involuntaria debeant.

18 **P**RIMUM Ignorantia genus docet esse illud, quod *ἐπιλυπον κ' ἐν μεταμέλει*: *molestum est, & cuius nosmet poenitet.* Et hoc quidem ignorantia genus statuit verè ac proprie involuntarium, imò & invitum esse: quia non solum ex inscientia, seu ignorantia ortum ducit (quod satis esset ne spontè, nec libenter fieret, defectu cognitionis) sed etiam illum dolor & poenitentia facti sequitur, cum primò agnoscitur factum. Quod autem eo modo fit, non solum non dicitur spontè, aut libenter fieri, sed etiam invito, & tanquam aliquid profusus involuntarium. Si autem dolor & poenitentia facti non sequatur, non erit invitum, nec profusus involuntarium: sed tantum dici potest non spontè, nec libenter factum: quia nihil volitum, nisi præcognitum. Priori modo accidisse Oedipo legitur: qui cum ex ignorantia, seu inadvertentia, cum matre sua inisset matrimonium, eamque cognovisset, postea conscius facti usque adeò erubuit & poenituit, ut sibi ipsi oculos digitis eruerit. Posteriori autem modo quædam putantur accidisse aliquibus Patriarcharum: ut Noëmo se inebrianti, & Iacobo primò ad Liam accedenti: aliisque similibus.

19 **S**ECUNDUM Ignorantia genus est oppositum precedenti: nimirum, quod non modo nulla sequitur poenitentia dolere, verum potius lætitia, & quædam approbatio. ut si quis misso iaculo occidat hominem inimicum, quem ex ignorantia putabat feram; eoque cognitio, lætetur ob ipsius malum. Sanè licet homicidium in eo eventu non fuerit spontaneum, nec liberum, defectu cognitionis à principio facti; non tamen est involuntarium, cum non modo non displiceat, sed potius ratam habeatur, & placeat. Quare operans sic ad id unum, inquit, censeri poterit *ἄκων, non volens*: minime tamen *ἄκων, nolens*, live

invitus: quia ubi res, quæ significantur, adeò diversæ sunt, vocabula distincta esse debent, ad confusionem vitandam. Ideoque factum eiusmodi non est involuntarium strictè & proprie loquendo, qualiter illud primum: sed solum late, & communiter, quatenus ex inscientia, sive absque prævia cognitione factum fuit.

20 **T**ERTIUM Genus ignorantia est, quod adhuc magis ab invito, seu involuntario recedit: quamvis nolint id fateri nonnulli, qui se excusare volunt, quasi ex ignorantia aliquid turpe fecerint. Ij vero sunt, qui vino, ira, amore, odio, aliave passione intemperanter abrepti, in aliquo delinquent: sed tamen se immunes à culpa fuisse volunt, eò quod ignorarent, cum peccabant. Verum hanc eorum excusationem, quasi frivolam rejicit Arist. Quia licet omnia illa ebriosorum, iracundorum, intemperantium, aut odio habentium, peccata, ab ignorantibus fiant eà ratione qua omnis peccans est ignorans; non tamen fiunt ex ignorantia. Illa namque solum fiunt ex ignorantia, quibus ignorantia est vera causa ut existant, sive fiant. At peccatis prædictis intemperantium hominum, ignorantia non est vera causa ut existant, sive fiant: sed vera causa est ebrietas, ira, amor turpis, aut odium. Ergo prædicta peccata non fiunt ex ignorantia.

21 **Q**UAM Aristotelis rationem optime expendit & elucidat S. Thomas: qui totam huius capitis doctrinam in Summam suæ Theologiae plurimis locis trattulit, veluti certam, & illustrandæ disciplinæ morali opportunam. Observat, agere per ignorantiam esse agere ex illa ignorantia, quæ antecessit, ut causa: agere verò ignorantem, esse agere ex ignorantia comitante, aut subsequente. Distinguit quippe triplicem ignorantiam: antecedentem, comitantem, & subsequentem. Antecedens est illa, cui factum ex ignorantia subsequens tribuitur, tanquam precedenti cause, sine qua factum non fuisset: ideoque communiter ex ea oritur dolor, aut poenitentia. Comitans est, qua quis ignorat factum: sed tamen postea illud approbat: ut qui occidit inimicum, existimans feram: sed re postea detecta, gaudet, ac ratum habet. Subsequens denique est, quæ consequitur quoquo modo electionem, & utcumque voluta est: sive ex negligentia sciendi id, ad quod quis tenetur; unde vincibilis, crassa, aut stupina appellatur; sive data opera, & industria, ut quis liberius, & absque remortu conscientia peccet; quæ ratione affectata dicitur. Ratio itaque Arist. in eo sita est, quod non omnis ignorantia reddat factum invitum, seu involuntarium, sed illa tantum, quæ antecessit ut causa, ex qua factum ipsum proficiscitur. Itaque totam istam excu-

scire à culpâ: non verò eam ignorantiam, quæ comitans, aut subsequens est. Sive enim comitetur, modo iam dicto, sive subsequatur; iam utique voluntaria est, & proinde factum non est involuntarium, seu invitum. Quare qui ex vino, ira, amore turpi, aut odio, peccant, immeritò se excusant ratione ignorantie. Quamvis enim ignorantes peccet, non tamen ex ignorantia antecedenti, quæ sola excusare potest, sed ex subsequenti, & voluntarie susceptâ, quæ neminem a culpâ eximit. Quare idem Arist. infra cap. 5. observat, Pittacum Legislatorem sapienter decrevisse, ut ebrii, si quem offendissent, duplici pœnâ multarentur; & postea lib. 7. cap. 6. docet non tam graviter peccare illum, qui ex ira aliquid commiserit, quàm qui ex libidine atque incontinentiâ. Juriscòsulti verò l. Quidquid, ff. de diversis reg. Juris, & l. Perspiciendum ff. de Pœnis, docent, ebrium aliquomodo excusari debere, & similiter eum qui per lasciviam aliquem occiderit. Nimirum, peccatum ex qualicumque ignorantia consequente factum (saltem si affectatam excipias) videtur non ita voluntarium, ac quod scienter commissum est: ideoque aliquomodo elevat culpam, & minuit, si cætera sint paria.

22 NOTANDVM Verò est quod in ipso præcedenti discursu docuit Arist. ut probaret, aliud esse peccare ignorantem, aliud peccare ex ignorantia. Ait enim: *ἀγνοεῖ πρὸς τὴν πᾶσιν ὁ μὲν ἄδικος: Ignorat quidem improbus omnis.* Sive, ut communiter dicitur, *Omnis peccans est ignorans.* Quod verissimum est, & merito in proverbium abiit: Quia licet multi scienter peccent, sive datâ operâ, atque ex industria, adhuc tamen practicè ignorantes sunt. Quamvis enim generatim sciant v. g. libidinem esse malam, & fugiendam: tamen in singulari ubi eam exercent, arbitrantur sibi utilem esse, aut in ijs circumstantijs amplectendam. Vnde spontè sibi eligentes perniciem animi, quasi utilitatem, ignorantè agunt, seu inconsideratè. Quare ignorantia hæc, pravæ electionis causa est, inquit Philol. sed non involuntarij. Quod explicat in ignorantia rerum universalium, sive in genere, quæ ignorantia iuris appellari solet. Hæc enim non reddit operationem invitam, seu involuntariam. Invenitur enim in hominibus admodum vitiosis, seu deploratissimæ conscientie; qui non modo in singulari, sed etiam generatim ignorant ea, quæ nosse tenentur: ut in ijs v. g. qui non tantum hanc scortationem, sed & omnem licere arbitrantur: nec solum in speciali facto errant, sed & generatim licere putant aliquid, quod ipsi nature lege, aut legulorum prohibitione vitium est. Quare nullatenus excusantur à culpâ. imò & videntur quoddammodo gravius peccare, quia non solum facto delin-

quunt, sed etiam ultro à se excludunt notitiam legis prohibentis, quâ possent cohiberi à peccato. Etenim eo vitiositatis habitu sunt abrepti, ut velint ignorare quæ recta, & quæ prava sunt, adhuc in genere: ideoque nequeant distinguere inter id quod rectum, & id quod turpe est: ut idem Phil. docet infra lib. 7. cap. 3. Vnde nihil ijs condonandum est, nullaque excusatio admittenda. Quippe hæc locum non habet in rebus universalibus, quas omnes homines scire tenentur; sed solum in ijs, quæ singulares sunt, & varijs circumstantijs affectæ, quarum aliqua, aut plures, involuntarie esse possunt, quia difficiles cognitu, etiam à viris honestis & prudentibus: ideoque læpe excusationem admittunt.

§. III.

Illustratur tertia pars capitis. Quenam sint circumstantie operationis voluntarie.

23 CIRCA Tertiam partem assignat circumstantias, in quibus ignorantia esse potest in operante. Sunt autem septem: nimirum, *Quis, quique agat, Circa quid, In quo versetur actio. Interdum etiam, Quo instrumento & Propter quid, ut salutis gratia: & Quomodo, ut rem sive, an vehementer.* Septem, inquam, iuxta antiquos Interpretes Aristoteli: ut Eustratium, S. Thomam, Albertum Magnum, Burleum: etiamque viciniore nostro ævo, ut Argyropilum, & Acciajolium. Alij vero ex Recentioribus, ut Peregrinus, Dionysius Lambinus & accuratior ijs Obertus Giphanius, sex solum assignant: & postremus ex indicatis ita è Græco vertit aliquantulum breviate: *Quis faciat: quid: qua in re seu in quem: qua re & facultate, velut organo: cuius rei causa: & quomodo.* Vbi videtur prætermisit illud *in quo, aut in quo,* prout extat in textu. Et certe aliquid addit ultra cæteras circumstantias: amplectiturque duas alias, præter enumeratas a Giphanio: nimirum, *In quo loco, & In quo tempore: sive Vbi & Quando.* Nimirum enim in eest actionum humanarum, quo loco fiant, an sacro, an publico: quo etiam tempore, an diu, an noctu, an hora à lege præscriptâ, an diversâ. Quare placet octo membris hæc divisio, communiter iam recepta, & illo versu significata: *Quis, quid, ubi, quibus auxilijs, cur, quomodo quando.* Vbi licet solum septem circumstantia numerentur, secunda illarum *quid,* bimembris censenda est, quatenus in ea etiam continetur alia *circa quid;* quæ unico carmine expressè contineri non potuit. Restat ut singulas explicemus eodem ordine, quo ab Aristotele sunt propositæ, & à nobis enumeratæ.

24 PRIMA Circumstantia actio-
num humanarum est, *Quis* faciat: & hæc ig-
norari non potest ab aliquo homine operan-
te, nisi intansus sit: vt Cleomenes & Athemas,
furiosi duo apud Clementem Alexandrinum
lib. 2. *Stromatum*, qui seipsum ignorarunt. Aut
nisi forte quis eo senectutis, aut oblivionis ve-
nerit, vt ipsi accidat, quod apud Nostrum Abu-
lentem legitur, & inveniri poterit facile in
Indice Alphabetico Operum ipsius, littera I.
per hæc verba: Ioannes Egidius Zamorensis,
Ordinis Minorum, vir doctus, qui plures li-
bros edidit, tam Sapientiales, quam Histo-
riales, ad ietam pervenit senectutem, vt iam
nec litteras nosset, nec sciret se esse, qui pri-
us libros edidisset. Verum tanta stupiditas, ig-
norandi omnino seipsum, rarissime, aut nun-
quam invenitur in homine ratione prædito:
ideoque ignoratio prædictæ circumstantiæ
vix, aut ne vix quidem excusare poterit. No-
tandum verò per circumstantiam *Quis*, non
denotari tam agens ipsum, quam illius con-
ditionem, aut qualitatem. Agens enim ipsum
est causa efficiens operationis: qualitas verò
illius est circumstantia, seu conditio: vt si sit
persona publica, aut privata; Rex, aut inferior;
Sacerdos, aut laicus. Interest enim multum ad
qualitatē operationis, & ad ferendum iudicium
de illa.

25 SECUNDA *Quid* dicitur: & sig-
nificat, quænam sit res, quodve factum. Con-
tingere autem potest eius ignoratio triplici-
ter. PRIMO quando aliquis protulit verbum
turpe, aut contumeliosum, aut aliter rationi
contrarium: sed tamen excusationem à culpâ
præten- dit, quod illud sibi verbum per incu-
riam, aut casu aliquo exciderit. Quæ excusa-
tio frequens est oratoribus, vbi aliquid inordi-
natum aut reprehensione dignum protulerunt.
purgant se enim, quod præter intentionem id
dixerint. Hanc excusationem, veluti frivolam
evasionem, præcludit Cicero in 10. Philipp.
vbi Fulvium Calenum, qui in Senatu dixerat,
Marci Bruti litteras recte & ordine scriptas
videri, ita redarguit: *Quod verbum tibi non
excidit, vt sapies, fortuitum. Scriptum, me-
ditatum, cogitatum attulisti.* Neque enim ali-
ter quis loqui cenetur in Senatu. SECUNDO
contingit ea ignoratio quando aliqui res ar-
canas, & sub sigillo positas, vulgaverunt: sed ta-
men purgant se quod ignorarent eas arcanas
esse. Cuius rei exemplum adhibet Arist. in *Al-
chylo*, qui inde aptam excusationem quaesivit,
cum accusaretur quod mysteria Cereris evul-
gasset: nimirum, ea ipsa quæ idem expressit in
Tragediis suis *Toxitis*, *Hicetijs*, *Sylpho*,
Iphigenia, & *Oedipode*, de mysterijs Eleusi-
nis: vt enarrat Heraclides Ponticus lib. 1.
apud Scholiastem Græcum. Id autem quo-
modo acciderit, non exponitur in textu, nec

enarrare vacat. Legantur Eustratius, Giph-
nius & Gallutius in præfati. TERTIO Ac-
cidit, cum quis ostensus alicui tormentum
v.g. vt catapultram, ex incuriâ aliqua illud ex-
plodit, & interficit aspicientem. Cuius rei ex-
emplum non affert Arist. sed tamen suppeditat
Cicero in 3. de Orat. atque in Topicis, vbi te-
statur eam ignorationem dedisse locum excu-
sationi apud Consultos, quoties tormentum
aut balistam tractanti telum manu fugit.

26 TERTIA *Circa quid*, facilis ig-
noratu est: vt quando quis sciens quidem &
prudens interficit hominem, quem tamen exi-
stimat latronem; cum tamen reipsâ filius eius
sit. Huius exemplum affert Philosophus in Me-
rope Polybij Corinthiorum Regis vxore: quæ
filium suum Cresphontem, quem existimabat
ficarium, & alterius fratris interfectorem, oc-
cidere voluit. Cumque iam levasset securim
ad eum interficiendum, admonita sui erroris à
nescio quo, manum retraxit. Commemorat
hanc ipsam rem idem Arist. in Poeticâ cap. 11.
circa finem, & Plutarchus lib. de carnium esur.
indeque ansam suscepit Euripides ad quam-
dam Tragediam edendam, quæ ab Ennio in
Latium sermonem conversa fuit, vt Cicero te-
statur.

27 QUARTA, *In quo*, Græcè *ἐν
τίμῃ*: & est bimebris, iuxta superiorem expo-
sitionem. Amplectitur enim illam excusatio-
nem, quæ præten- ditur ex ignoracione loci; &
illam, quæ ex inadvertentiâ temporis. Et sane
verosimile non apparet utramque ab Arist.
omissam: cum utraque profit saepe ad culpam
augendam, aut minuendam. Vt enim ait Cice-
ro, vel si quis alius Auther, ad Heren. lib. 2. ni-
mirum interest, quo loco res facta, aut dicta
sint verba: an, nimirum, loco celebri, an deser-
to: sacro, an profano: publico, an privato. Si-
militer & quo tempore, an interdiu, aut noctu:
quâ parte anni, aut horâ diei. Manifestum
enim est ad criminis gravitatem augendam
conferre quod loco sacro aut publico factum
sit; ad minuendam verò, quod profano aut pri-
vato. Similiter & constat quædam certâ annî
parte solum prohiberi, aut certo die, aut horâ.
Et horum quidem ignoratio saepe admittitur
ad culpam elevandam, aut non tribuendam.

28 SEXTA, *Quo instrumento*, sive, vt
circumfertur communiter, *Quibus auxilijs*.
Exemplum adhibet Arist. in eo qui alterum
percutit hastâ acutâ, quam putabat obtusam,
sive in summo orbem aut anulum habentem
pro cuspede. Neque male in præfati inter-
pretatur textum Noster Perionius, vbi pro
εσφαίρω δὲ τὸ λεδογχαμῆρον δόρυ, Latine ha-
bet, *hastam orbicularem, quæ lanceæ formam
habeat*. Non, inquam, male, quidquid velint
Lambius, & Gallutius. Nam & Turnebus sic
& appositè. Nec obest, quod si opponuntur

nullam eiusmodi lanceam esse. Negamus enim: nam & hasta, quam ipsi interpretantur orbem habentem pro cuspidem, orbicularis est: non quod artifex eam fecerit talem, sed quod aliquid in modum orbis additum ei fuerit, ne noceat, sicut ensibus addi solet in arte Gymnastica, ne feriant. Talia etiam sunt apud Xenophontem iacula, quae *σφαγεύματα* appellantur in libro de Arte Equestris, quod orbicularia essent, ne tyrones in certaminibus se invicem vulnerarent. Aliud quoque exemplum proponit Philof. in eo qui proiecit in alium silicem duram, quam tamen existimabat levissimum puniceum: ideoque vulnus intulit, à quo tamen excusatur. Huc respexisse videtur Iuriconsultus Martianus in l. 1. ad legem Corneliam de Sicarijs: ubi ex Hadriani rescripto excusatur, qui clavi, vel cucumâ, id est, vasculo quodam incurvo, percuterit alium in rixâ, quamvis occiderit: quia illud instrumentum videtur ineptum ad occidendum; ideoque si forte inde mors sequatur, videtur ex ignoracione, aut præter intentionem facta.

29 SEPTIMA, *Propter quid: sive, cuius rei gratia.* Ex huius ignoracione, seu inscientia excusatur, qui contendit, se longè aliû finem spectasse, quam ex effectu appareat: ut qui ex fine solius iustæ defensionis in valorem occidit, cuius solum impetum avertere studebat. Cuius exemplum affert Arist. ipse lib. 2. Eudem. cap. 9. in quibusdam puellis, quæ ex solo fine, alliciendi voluntatem amafij, dederunt ipsi pomum, existimantes in eo philtum esse: cum tamen lateret in eo exitiale venenum, quo interfectus est. Cui errori similis alius contigit uxori Lucretij, insignis Poetæ: qui amatorio poculo ab eâ propinato, vitam exiit. Huc etiam spectat excusatio Deianiræ apud Sophoclem in Trachynijs: ubi vestem imbutam peccifero Centauri cruore tradit Herculi marito, ut eum apud se retineat. quam tamen ille induens, veneno infestante, furij agitatur, & in pyram ardentem se proiecit. Denique & eodem pertinet apud Arist. si interficiat, qui salutis causa ferit, ut chirurgus, dum vulnere medetur, aut si medicus ex præscripto artis suæ ordinet pharmacum, quod ex inlatenti causa lethiferum infirmo est. Observandum verò, finem ipsum non esse circumstantiâ, sed veram causam, propter quam fit operatio. Quare circumstantia *Propter quid*, solum denotat quandam finis qualitatem, seu conditionem: ut si quis ieiunet, non propter motivum abstinentiæ, sed ob finem inanis gloriæ, sive ut liberiore mente studijs vacet.

30 OCTAVA, *Quomodo*, ut remissè, an vehementer. Exemplum adhibet, si quis tangere velit, pulset, ut qui luctantur. omnium, si invenes luctam per ludum, sese vehementius stringant, quam par sit: ideoque alie-

ri vulnus inferat, vel nocumentum aliud. Porro, ut monet Petrus Victorius, ludus de quo loquitur Arist. *acruchirismus* dicitur. nam & luctantes ab eo appellantur *ἀγοχηρισμοί*. profecto ab *ἀγοχηρισμῶν*, quod significat ipsam ludi qualitatem. Luctantes enim ita se luctantibus digitis versabant, ut tamen quandoque alteri aliter nocumentum inferre possent. Verum quoniam ludicrum erat exercitacionis genus, proficiebat excusatio circa modum vehementiæ, sive excelsus, à ludente ignoratum. Sed nihil profuit ea criminis purgatio cuidam Soltrato præcellenti Pancratiasti, quem Aechocheritem appellantur. Is enim, teste Pausania in *Eliacis posterioribus*, ex industria apprehendebat summas colluctatorum manus adeo fortiter & tenaciter, ut non ante eos dimitteret, quam digiti eliderentur. Certè is nullam excusacionem habuit, cum sciens prudensque in modo excederet: illato gravi malo, in eo ludi genere, quod solum ad animi relaxationem & oblectamentum fuerat institutum.

31 CIRCVNSTANTIIS Iam explicatis, repetit ex singularum ignoracione involuntariam proficisci, præsertim vero earum, quæ inter alias præcellunt. eas vero esse *Quid*, & *Cuius gratia*: id est, materiam, & finem operationis. Materia enim est quasi fundamentum illius: & finis instar regulæ, aut quasi Lydij lapidis, ad quem bonitas aut malitia actionis examinatur. Et quemadmodum in simili docuerat præcedentibus, ita & nunc repetat, tunc solum hanc circumstantiarum ignoracionem efficere opus involuntarium ex eo capite, cum dolor sive poenitentia excitatur ubi detegitur error. Vbi merito notat Tarquinius, malè à quibusdam confundi prædictam circumstantiam *Quid*, cum ea quæ dicitur *Circa quid*. Prior enim, ut dicebamus, materiam, sive obiectum significat: posterior vero conditionem quandam, sive qualitatem, aut rationem singularem, eiusdem obiecti. Id patet exemplo ab Arist. el. adducto pro explicanda ignoracione circumstantiæ *Circa quid* in Merope: quæ sciebat quidem materiam, sive obiectum, id est, hominem, quem volebat interficere. Ignorabat tamen qualitatem eius obiecti, sive rationem singularem, nesciens hominem illum esse Cresphonem filium suum.

§. IV.
Illustratur quarta pars capituli *Quid sit sponse factum, seu voluntarium.*

32 CIRCA Quartam partem iam transit ad ipsum voluntarium exponendum, cuius oppositio de-

declarando hucusque institerat. Quare definitionem contrariam ei, quam involuntario supra assignaverat, nunc voluntario adaptat, ut sit *id, cuius principium quisque continet, sciens res singulas, in quibus actio versatur.* Sive, ut alij à Græco vertunt, *cuius principium in ipso est, sciente singula, in quibus est actio.* Ita voluntarium duo habet: alterum est principium intrinsecum agendi: in quo disidet ab invito, seu violento simpliciter: quod est à principio prorsus extrinseco: alterum est, scientia, seu cognitio rerum quæ geruntur, & proinde circumstantiarum omnium, quibus affectæ sunt: in quo disidet ab involuntario, quod ex ignoratione proficiscitur, & superioribus explicatum est.

33 HINC Reijcit errorem quorundam arbitantium, non omne id, cuius principium intra nos est, cum scientiâ singularum circumstantiarum, esse voluntarium: quoniam putabant fieri posse, ut illud principium intra nos existens non sit voluntas; sed aliquis affectus passiove appetitus sensitivi, ut cupiditas & ira. Reijcit, inquam, errorem hunc, idque multipliciter. PRIMO: Quia inde sequeretur quælibet animantia bruta & pueros semper invito agere: quia pueri, ac belluæ, quidquid agunt ex irâ aut cupiditate agunt. Neque enim ijs competit verbum *ἄγεται*, quod significat operari cum ratione, ut idem exponit lib. 2. Eudem. cap. 8. sed solum agere ex irâ aut cupiditate. Verum vis huius argumenti non statim percipitur, ideoque possent respondere, qui in prædicto errore sunt, nihil absurdi esse in eo quod bruta & pueri invitè semper operentur, quoniam in ijs voluntas non est. Quare ut evasio hæc præcludatur, simul & argumenti efficacitas appareat, notandum duplex esse voluntarij genus: alterum communiter dictum; alterum peculiare & proprium. Illud (quod melius *spontaneum* dicitur) est, quod oritur à quocumque principio intimo, & cognitione prædito, non coactè, sed spontè. Hoc verò, quod proficiscitur à sola voluntate, cum cognitione singularum, in quæ voluntas fertur. Prius illud convenit etiam brutis, & pueris, quoties non coactè, sed spontè agunt. Posterius hoc proprium est hominum ratione utentium. Ratio ergo Aristotelis, supponit, & verè supponit, belluis ac pueris competere voluntariam communem, sive spontaneam: quia non agunt coactè, nec illata vi ab agente extrinseco; sed suâ ipsorum incitatione atque appetitione. Nec mirum ijs conveniat spontaneam, nam & rebus inanimatis, quæ à principio intrinseco moventur, aguntve, dicimus id spontè convenire (quanquam, & hoc spontanei genus valde improprium sit, & à præcedenti diversum) ut igni spontè moveri solum, & terræ deorsum. Et de arboribus, om-

ni sensu carentibus, quosdam accinit Virgilius spontè nasci; quosdam verò Lucretius non spontè, sed posito semine. Ille quidem dum ait:

Namque alia nullis hominum cogentibus ipsa — Sponte sua veniunt.

Hic verò dum inquit: *Sponte sua nequeunt liquidas existere in auras.*

34 QVAKE Argumentum, ijs præsuppositis, ita instituendum est. Si ea quæ proveniunt ab irâ, aut cupiditate, non sunt voluntaria communiter dicta, sive spontanea; nulla brutis puerisque operatio eiusmodi erit, sed omnis eorum actio erit violenta aut coacta; quia omnis eorum actio procedit ex irâ aut cupiditate. At falsum est consequens: cum plane constet non omnem operationem brutis ac pueris esse violentam aut coactam, sed potius spontaneam; quoties non patiuntur vim ab agente extrinseco, sed suâ ipsorum excitatione atque appetitione moventur. Ergo & falsum est, ea quæ ab irâ aut cupiditate proveniunt, non esse voluntaria communiter dicta, sive spontanea. Ergo dato quod principium intrinsecè in nobis existens non esset voluntas, sed ira aut cupiditas, adhuc operationes nostræ essent voluntariæ communiter dictæ, sive spontaneæ. Cum autem principium nobis intrinsecum sit vera & propria voluntas, plane sequitur, operationes nostras ab eo principio provenientes, cum cognitione singularum, circa quæ agimus, esse strictè & propriè voluntarias.

35 SECVNDVM Argumentum Philosophi in eundem errorem est huiusmodi. Quando dicitur, ea quæ procedunt ex aliqua perturbatione, ut cupiditate, ira, aut ve simili, esse involuntaria; aut est sermo de rebus omnibus quæ eo modo fiunt; aut de ijs tantum quæ turpia sunt, sive inhonesta. Si primum dicatur, est manifestè falsum: siquidem multa procedunt ex irâ aut cupiditate, quæ optima ac laude digna sunt: ut irasci contra hostes Republicæ, & bonam corporis atque animi valetudinem expetere. Nulla autem appetitio optima & laudabilis est involuntaria. Ergo falsum est, omnes res quæcumque fiunt ex irâ & cupiditate, esse involuntarias. Si autem secundum asseratur, nihilo minus absurdum est. Omnium enim quæ fiunt ab homine, sive turpia aut inhonesta sint, sive honesta & laude digna, idem principium est. At principium eorum quæ honesta sunt & laude digna, est plane voluntas. Ergo & eorum, quæ turpia aut inhonesta sunt, voluntas est principium. At manifestè apparet, quæcumque à voluntate ut principio procedunt, non esse involuntaria. Ergo opera turpia & inhonesta, quæ fiunt ab homine, non sunt involuntaria.

36 TERTIVM. Quæcumque in-

vi-

vita, seu verè involuntaria sunt, pariunt tristitiam doloremque operanti. At plurima quæ ex aliqua passione, vt irâ, aut cupiditate fiunt, non pariunt tristitiam, vel dolorem operanti; sed potius sæpe incunditatem ac delectationem afferunt: vt patet in ijs, qui delectantur de vltione ex inimicis suscepta ex motivo iræ; & in ijs, qui gaudent ex possessione boni delectabilis, quod ardentè expetierunt. Ergo plurima eorum quæ ex aliquâ passione, vt irâ, aut cupiditate fiunt, non sunt invita verè, aut involuntaria.

37 **QVARTVM.** Omnia illa peccata, quæcumque per iram & cupiditatem fiunt, vt homicidia, adulteria, aliaque eiusmodi, vitari debent ab homine non minùs, quàm cætera peccata quæcumque consilio & meditatio hñt. At vitari non debent ab homine, nisi quæ voluntaria sunt: Quippe ab homine vitari non debent, nisi quæ sub illius potestate libera sunt. Ergo omnia illa peccata, quæcumque per iram & cupiditatem fiunt, vt homicidia, adulteria, aliaque eiusmodi, sunt voluntaria.

38 **QVINTVM.** Nulla hominis operatio, prout hominis, est involuntaria. Scilicet, homo secundum propriam rationem præditus est vi ad operandum per intellectum & voluntatem. At plures sunt operationes ex irâ, & cupiditate, aliave passione procedentes, quæ sunt propriæ hominis vt homo est. Passiones enim prædictæ, & quælibet aliæ, sicut & appetitus sensitivus, secundum naturam suam factæ sunt, & institutæ ad obtemperandum homini secundum rationem: vt statutum fuit circa finem libri primi. Ergo plures sunt operationes ex irâ, cupiditate, aliave passione procedentes, quæ non sunt involuntariæ.

39 **QVARE.** Sicut supra Philosophus probavit, nihil eorum, quæ per iram sunt cupiditatem, hñt, esse violentum, sive coactum; ita & nunc rationibus pluribus ac diversis concludit, quæcumque procedunt ex ijs passionibus, spontanea esse, sive voluntaria. Neque tamen inde aufertur, aut ex Aristotelis doctrinâ colligitur, æqualiter voluntaria esse quæcumque ex animi perturbatione procedunt, ac ea quæ prudenter & consilio fiunt. Quippe hæc multo strictius ac præsius voluntaria sunt, vt supra adnotavimus: cum tamen operationibus, quæ ex aliquâ perturbatione procedunt, solum conveniat ratio voluntarij communiter dicti, & usurpati pro spontaneo, quod est brutis commune. Quin & adhuc in homine, cuius rationi subiacent passiones circa proprios actus, multo magis voluntariæ sunt operationes prudenter & consilio factæ, quàm quæ ex passione aliquâ, vt irâ, aut cupiditate, procedunt. Priores enim fiunt cum circumspectione, sive scientia singulorum quæ in actione sunt, ac propterea absque ignorantia vlla. Posteriorum autem comes est ignorantia aliqua, quæ impedit plane voluntarium strictè dictum. Quod sapienter adnotavit Tullius in Topicis: vbi ait: Cadunt enim in ignorantiam atque imprudentiam perturbationes animi, quæ quamquam sunt voluntariæ (obiurgatione enim & admonitione deiciuntur) tamen habent tantos motus, vt ea quæ voluntaria sunt, aut necessaria interdum, aut ignorata videantur. Et hæc quidem circa litteram Aristotelis, satis prolixam, ac difficilem explicatu.

VIDE D. Thomam 1.2. q. 6. & illius Interpretes.

CAPVT SECVNDVM.

De Electione.



DETERMINATIS His, eo, inquam, quod sponte, & eo, quod invitus quispiam agit, consequens est, vt de electione dicamus. Ipsa namque virtuti est familiarissima, & magis, quàm ipsi actus, dijudicat mores, atque expendit. Electio itaque sponte quidem nostra videtur fieri. Non tamen est idem, quod illud, quod sponte fit. Sed quod fit sponte, ad plura sese extendit. Est enim cum pueris, & animalibus cæteris nobis commune: electio vero non est communis. Et

Et ea, quæ à nobis repente fiunt, sponte quidem nostra fieri dicimus, electione verò non dicimus. Qui dicunt ipsam esse cupiditatem, vel iram, vel voluntatem, vel opinionem quandam, non rectè dicunt. Et enim electio non est communis homini cum rationis expertibus: at cupiditas est, & ira. Et incontinens, cupiens quidem, non tamen eligens agit. Continens autem contrà, eligens quidem, at non cupiens agit. Et cupiditas quidem adversatur electioni, cupiditati verò cupitudo non repugnat. Cupiditas præterea iucundi est, & molesti: electio verò, neque molesti, neque iucundi. Ira etiam minùs esse videtur: quippe cum ea, quæ fiunt ira, minimè per electionem fieri videantur. At verò neque voluntas est, tametsi finitima hæc esse appareant. Electio namque non est eorum, quæ fieri nequeunt. Quod si quis eligere dixerit ea, amens esse videbitur. Voluntas autem est, ut immoralitatis. Et voluntas quidem est circa ea quoque, quæ per ipsum, qui vult, nequaquam agerentur. Volumus enim histrionem aliquem vincere certamen: at eligit talia nemo, sed ea, quæ per se ipsum existimat fore posse. Præterea, voluntas quidem magis est ipsius finis: electio autem eorum, quæ ferunt ad finem. Ut sani quidem esse volumus: eligimus autem ea, quibus erimus sani. Et felices quidem esse volumus, atque ita dicimus: eligimus autem non convenit dicere. Atque omnino in his versatur electio, quæ in nostra sunt potestate. Opinio quoque non est. Opinio nanque circa vniversa videtur esse: nec minùs circa æterna, & ea, quæ fieri nequeunt, quàm circa ea, quæ nostra in potestate sunt collocata. Et falso, veroque dividitur; non malo, bonoque: electio autem hisce magis. Electionem igitur idem esse & opinionem omnino, nemo forsitan dicit. At nec etiam est idem quod opinatio quædam. Eligendo namque bona vel mala, quales quidem sumus, opinando autem non sumus. Et eligimus quidem capere aliquid, aut fugere, aut aliquid talium: opinamur autem quidnam sit, vel cui conferat, vel quo pacto conducat: sed capere, aut fugere non nimium opinamur. Et electio quidem laudatur ex eo, quia est eius, quod oportet magis, vel quia est recta: opinio verò ex eo quia est vera. Et eligimus quidem quæ maximè scimus esse bona: opinamur autem ea, quæ non nimium scimus. Videntur præterea non iidem homines eligere optima, atque etiam opinari: sed quidam opinari quidem melius: ob vitium autem non ea, quæ oportet eligere. Nihil autem refert si antecedit electionem, aut comitetur, opinio: non enim id ipsum nunc perscrutamur, sed si idem sit electio, quod opinatio quædam. Quid igitur, aut quale quid est electio, cum nihil sit eorum,

rum, quæ diximus? Videtur itaque sponte quidem à nobis fieri: attamen non omne, quod sponte agimus, est eligibile, sed id, cuius consultatio antecessit. Electio nanque cum ratione est, atque mente. Subsignificare autem id & nomen videtur, innuens ipsam ex alijs eligibile esse.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

Philosophi Moralis esse, ut de Electione, seu consilio agendi differat. Illam non esse unam idemque cum spontaneo, voluntario, cupiditate, ira, voluntate, aut opinione.

Sitam itaque esse in optione voluntaria ex consilio precedente.



Electione, inquam. Sic enim vox *επιλογη* communiter apud Latinos explicari solet nomine incomplexo, quamvis illud neque apud Cicero- nem, neque apud alios ex Antiquis extet. Cicero enim, quam nos *Electi- onem* vocamus, *consilium agendi* appellat: Tacitus & Suetonius, *propositum*; sicut & Seneca 1. contr. 2. & epist. 96. ac 109. dum ait: *Multum ad rem pertinet, quo proposito ad quam rem accedas.* Iurisperiti dicunt *animi propositionem, animi iudiciū, destinationem*: ut habetur in l. Fugitivus ff. de Verb. signifi- fic. l. 27. ff. de diversis Reg. iuris, l. Pupillus 189. eod. tit. Nos verò, ut & in cæteris, quæ ad Scholam attinent, iuxta communem lo- quendi consuetudinem utimur receptis vocibus: quamvis ex à Veterum latinitate dege- nerent, nō enim nobis Philologia curæ est, sed Philologia, quæ non tam verbis, quam re- bus, intenta est. Dividit verò Arist. caput hoc in tres partes. In primâ statuit probatque, ad disciplinam Moralem spectare, ut de Electio- ne differat. In secundâ excludit plura à ratio- ne Electionis, tanquam in ijs nequeat consi- stere, quamvis oppositum appareat. In tertiâ denique decernit in quo tandem posita sit Electio.

2 CIRCA Primam partem exponit methodum suæ doctrinæ. Cum enim præce- denti capite differuerit de actionibus in qui- bus ratio voluntarij aut involuntarij inveni- tur, & de principio illarum; opus erat ut mo- do ageret de Electione, quæ ex eodem princi- pio voluntario liberoque proficiscitur. Non enim eligit inter duo aut plura extrema, nisi volens, & cui libera est facultas agendi. Porro & hanc ipsam tractationem exigit disciplina de Moribus, quod Arist. dupliciter probat. PRIMO: Quia ad illam attinet dimittere de Virtutibus, atque adeo & de ijs, quæ Virtuti maxime coniuncta sunt. Atqui Electio est eiusmodi ideoque illam dicit *επιλογη*.

αγετη, coniunctissimam Virtuti: tota enim in eo posita est ut medium eligat, in quo Virtus consistit. Ergo ad disciplinam de Moribus attinet differere de Electione. SECUNDO: Ad illam ipsam doctrinam, quæ de Moribus agit, spectat quoque disputare de ijs, quæ cer- tiora morum indicia sunt, & ex quibus rectius fieri possit iudicium circa probitatem, impro- bitatemve operantis. Atqui Electio est eiusmodi. Non enim probitatem improbitatemve morum colligimus ex solis actionibus exter- nis, quoniam licet eæ bonæ appareant, possunt adhuc oriri ex prava electione, sive fieri in or- dine ad malum & turpe; & quandoque nul- la esse poterunt in eo, qui Virtute quidem præ- ditus est, caret tamen instrumentis ad operan- dum secundum illam. Colligimus itaque, & præcipue, eam morum honestatem turpitudi- nemve animo insidentem, ex consilio agendi, sive Electione, quæ operatur. Ergo ad illam ipsam doctrinam, quæ de Moribus agit, spe- ctat quoque disputare de Electione.

3 DICES, Aristotelem huic ipsi doctrinæ contradicere lib. 1. Magnorum Mo- ral. cap. 20. ubi testatur, hominibus solemne esse ut circa mores cuiuslibet iudicium fe- rant, non tam ex electione, quam ex operibus. Insuper, & hoc ipsum videtur colligi ex præ- cepto illo, quo iubemur, ex fructibus arborem dijudicare, id est, ex operibus hominem. Non ergo ex Electione, aut talem non magis ex illâ, quam ex operibus. RESP. nullam esse in utroque repugnantiam. Licet enim communi- ter loquendo fieri debeat iudicium de pro- bitate aut improbitate operantis ex qualitate operum; id solum intelligitur quoties nullum aliud vestigium apparet ad iudicandum inter- nam animi dispositionem, quæ in Electionis bonitate aut pravitate consistit. Si autem ali- quod vestigium sit; probitas, aut improbitas operantis, magis ex Electione, quam ex ope- rationibus dijudicanda est. Arist. igitur docet hoc secundum in præsentia illud verò primum, loco in obiectione indicato. Neque hoc disso- nat

nam à præcepto illo Evangelico, quo monemur ad cognoscendum ex fructu arborem, & ex operibus mores. Nam & idem Dominus, qui eam regulam præscripsit, alio loco ait: *Nolite iudicare secundum faciem: sed rectum iudicium quærite.* Scilicet, ut modo dicebamus, quamvis ex operibus, & verbis, quæ sola sensui apparent, colligi debeat qualitas operantis, vbi nullum aliud est certius vestigium ad iudicium ferendum; fieri tamen potest ut illud sit ad inveniendam qualitatem Electionis, seu deprehendendam prudenti aliquâ consideratione. Et tunc iudicium potius fieri debet ex Electione, quæ non videtur; quam ex operibus, quæ in oculos incurrunt, & quamvis proba appareant, ex pravâ electione fieri pollunt.

4 CIRCA Secundam exponit quid non sit Electio, ut in postremâ capitis parte decernat, quid illa tandem sit. Est enim solemne Aristoteli, fere quoties scrutatur arcanas rerum quidditates, primum excludere ea, in quibus non consistunt, quam decernere id, in quo positæ sunt; processu, scilicet, à negatione in affirmatione. Quare in presenti quinque excludit, de quibus dubitari potest, verum in aliquâ earum consistat Electio. Ut autem earum nomina percipiantur, præmittendum est, eorum omnium, quæ ab homine fiunt, animum ipsum esse principium: nimirum, quo primo vivimus, sentimur, loco movemur, & intelligimus, ut definit idem Phil. lib. 2. de Anima cap. 2. textu 24. Animus vero hominis distinguitur in duas præcipuas quasi partes, rationem, & appetitum. Ad rationem duo spectant; opinio & scientia; ad appetitum vero tria; cupiditas, ira, & voluntas. Et hæc quinque sunt principia proxima actionum humanarum, subiecta animo, veluti primario principio, & quasi cæterorum fonti. Cum verò ex omnium consensu Electio accenseatur principiis actionum humanarum, examinandum modo est, an illa in aliquo ex quinque prædictis posita sit, an potius in nullo.

5 AC Primo quidem statuit, quamvis omnis Electio sit spontanea, quæque magnam cum eo quod voluntarium est affinitatem habeat, imò & voluntaria sit; adhuc tamen à spontaneo differre, quatenus plura sunt spontanea, seu voluntaria, quæ tamen Electio non sunt, seu absque illa fiunt. Idque probat: tum quia spontaneum, sive voluntarium communiter dictum, etiam in pueris & animantibus brutis locum habet (ut capite præcedenti statutum est) in quibus tamen nullum locum habet consilium animi, sive Electio, propter defectum rationis: Tum etiam, quia commotiones subite appetitus spontaneæ quidem sunt, sed tamen sine consilio, aut Electione, cum careant libertate. Non ergo omne quod est spontaneum, in

Electio situm est, aut eam secum affert. Quæ duplicem rationem hoc syllogismo completimur. Hoc ipso quod spontaneum, seu voluntarium, inveniatur absque Electione vllâ, non est idem cum ipsâ: vixit ab eâ separatim, ac proinde distinctum. At in pueris, animantibus brutis, & nobis ipsis, quoties subito commovemur, est spontaneum, seu voluntarium, absque Electione vllâ. Ergo spontaneum, seu voluntarium, non est idem, ac Electio.

6 SED Dices, non videri certum, quod veluti exploratum supponitur ab Arist. in presenti: nimirum, animantibus brutis Electionem non competere. Eligere enim, nihil aliud est, quam ex duobus bonis alicui propositis, alterum accipere. Hoc autem brutis animantibus videtur competere, quoties à duabus aut pluribus herbis æque bonis & indistantibus alteram accipiant, alteram relinquunt; & oblatis duobus cibis, altero amaro, & dulci altero, hunc præ illo capiunt. Electio igitur etiam brutis animantibus competit. Et ita censuisse videntur ex præcis Philosophis, Plutarchus in Dialogo, *Quod brutis ratio insit*, & Pythagoras atque Anaxagoras apud eundem lib. 5. de Placitis Philosoph. cap. 2. ac Porphyrius lib. 3. de Abstinentia. Lege quæ circa hæc indicavimus tom. 1. Philosophiæ Nov. antiquæ disp. 18. n. 34. Nunc autem breviter occurrendum est obiectioni propositæ distinguendo duplicem Electionem: alteram communiter dictam, & alteram propriam. Illa solum consistit in acceptione vnius rei à duabus propositis, sive ea procedat ex cognitione intelligentis animæ, sive tantum sentientis. Hæc verò in acceptione alterius rei præ alterâ, ex deliberatione & consilio rationis. Priorem non negat Arist. belluis; quoties vnam herbam accipiunt, aliâ relicta; aut cibum dulcem, præ amaro. Hoc enim virtute sensus communis præstant, cuius est discernere inter obiecta gustus, ac cæterorum sensuum. Solum itaque posteriorem negat, quæ sola propriè Electio dicitur & est. Sic etiam præcedenti capite concessit brutis voluntarium communiter dictum, quod idem est ac spontaneum; & tamen propriè dictum negavit, quod homini soli convenit.

7 DEINDE Singillatim statuit contra aliquos, Electionem non esse idem ac cupiditatem, iram, voluntatem, aut opinionem. Ac primo quidem cupiditatem & iram excludit, quoniam ambæ in brutis locum habent, in quibus tamen nulla Electio est, sicut neque consilium, propter rationis defectum. Ergo Electio non est idem, ac cupiditas & ira. Deinde & speciatim probat cupiditatem esse quid diversum ab Electione, idque tripliciter evincit. PRIMO. Si idem essent Electio & cupiditas, quisquis ex Electione agit, etiam ageret

ex cupiditate, & e converso. Consequens autem falsum est, ut patet exemplo incontinentis, qui omnia opera agit ex cupiditate animi, & non ex Electione; opposito sanè modo, ac continens, qui ex Electione, non autem ex animi cupiditate agit. alioqui non essent contrarij utriusque mores. Ergo & falsum est, Electionem idem esse, ac cupiditatem. *Secundò.* Eorum quæ invicem contraria sunt, vnum non est aliud. At cupiditas & Electio invicem contrariæ sunt. Hoc patet in continente & incontinente, quoties eligunt secundum rectam rationem. Uterque enim eligit aliquid contrarium illi bono, quod anima appetit secundum cupiditatem: v.g. mediocritatem in voluptate sibi ex Electione præscribunt; cum tamen cupiditas in excessum feratur. Ergo Electio non est cupiditas. *Tertiò.* Omnis cupiditas affert per se tristitiam aut voluptatem: tristitiam, si res concupita absit, & difficilis obtentu apprehendatur; voluptatem, si res sit præsens, aut cogitetur proximè assequenda. At nulla Electio per se affert tristitiam aut voluptatem. Non enim versatur per se loquendo circa obiectum iucundum aut triste, sed tantum deliberat circa utile, & honestum, quæ duo abstrahunt a iucunditate & tristitiâ; quamvis ex consequenti aliquando alteram illarum afferant. Ergo nulla Electio est idem, ac cupiditas. *Confirmatur.* Electio solû deliberat circa id, quod difficile est. At voluptas difficilis non est, quippe ad quam naturæ impetu rapimur secundum partem sensitivam, instar brutorum: utilitas autem & honestas sunt aliquid difficile & arduum inventu. Ergo electio solûm deliberat circa utilitatē, & honestatem, non autem circa voluptatem.

8 PRÆTEREA Electionem non esse idem cum irâ, speciatim probat argumento à fortiori, ut aiunt. Electio, sive consilium agendi, deliberationem secum habet, cunctationēque aliquam: ac proinde maiorem cognationem habet cum cupiditate, quæ lento gradu procedit, quam cum irâ, quæ subito exardescit, & omnem cunctationem ad deliberandum præcludit. Si ergo Electio non est idem ac cupiditas, ut argumentis præcedentibus demonstratum est; multo minus erit idem cum irâ. Multo enim minus potest esse idem cum eo, cui magis opponitur, quam cum eo cui minus adversatur. DICES Aristoteles *lib. 2. cap. 3.* docuit, difficilius esse resistere cupiditati, quam iræ. Ergo quia magis impeditur Electio ratione cupiditatis, quam iræ. Ergo quia Electio maiorem cum cupiditate, quam cum irâ, oppositionem habet. Hoc autem est contra rationem nuper propositam, in qua contrarium omnino statuitur. RESP. veram esse illam Aristotelis doctrinam de maiori difficultate in resistendo cupiditati, quam iræ: non tamen quia maiorem cum cu-

piditate, quam cum irâ, oppositionem habeat, ut in obiectione contenditur: sed quia frequentissima nobis est occasio colluctandi cum cupiditate, quæ ad omnes voluptates gustus & tactus passim impellit, ideoque prolixum bellum indicit. Ira autem non adeo frequenter incitat, neque occasiones irascendi contingunt, nisi semel aut iterum. Patet verò difficilius esse resistere inimico asiduo, & intestino, quam ad tempus & raptim provocanti. Ergo difficilius est resistere cupiditati, quam iræ. Cum hoc verò componitur, quod ira maiorem cum Electione oppositionem habeat, quia ratione subitæ commotionis ac vehementis alterationis, quam in subiecto parit, nullum locum præstat deliberationi, & maturæ considerationi, ex quâ procedit Electio. Cupiditas verò non eo modo se habet, sed lentiori gradu procedit.

9 R V R S V S Neque in voluntate consistere Electionem docet: id est, in appetitione, seu volitione, aut simplici amore finis, prout in Scholis loqui consuevimus. Licet enim Electio magnam cum ea cognationem habeat, ideoque non semel pro eodem usurpentur Electio, & voluntas; attamen sunt quid longè diversum. Quod Philosophus rationibus probat.

10 PRIMA Est, quam etiam affert *lib. 1. Magnorum Moral. cap. 17. & lib. 2. Eudemiorum cap. 10.* Quoties actus ita se habent, ut obiectum vnius nequeat esse obiectum alterius, profecto ij sunt inter se diversi. At voluntas & Electio sunt actus ita se habentes, ut obiectum vnius nequeat esse obiectum alterius: nimirum, voluntas est actus, quo volumus, sive appetimus etiam res illas, quas consequi nullo modo possumus, ut immortalitatem. Electio verò non est, nisi eorum, quæ possumus obtinere. Nam si impossibilia proponantur, ut volare in cælum, mutare sexum, adesse pluribus locis simul, nulla Electio aut deliberatio prudens circa ea esse potest, sed solûm dementia quædam desiderij. Electio igitur & voluntas sunt actus diversi. Cum verò Philosophus pro exemplo impossibilium, quorum etiam voluntas esse potest, assignet immortalitatem; putant aliqui ipsum hoc loco negasse immortalitatem animi: idemque confirmant ex *lib. 2. Eudem. c. 9.* Ceterum non semel oppositum probavi *tom. 2. Philos. Nov. antiquæ disput. 79. n. 26. & 27.* pluribus ipsius testimonijs ibidem excerptis, etiam ex *lib. 10. huius Operis cap. 7. & 10. & ex lib. 12. Metaph. cap. 3. & 7. & lib. 2. de Anima, cap. 2. textu 21. & lib. 3. cap. 4. ac lib. 2. de Generat. Animal. cap. 3.* quæ omnia hic solûm indico, ut Lector in ipso fonte ea consulat, quæ iterum exscribere, nec vacat, nec moris est. Quare, quidquid in

oppositum velint Pomponatius, Giphanius, & alij, existimo, nomine *αθαρσας*, id est, *immortalitatis*, quam impossibilem iudicat, non loqui de illa, quæ animæ est; sed de aliâ vitæ presentis, quæ est naturaliter impossibilis.

11 SECUNDA Ratio. Electio tantum in nobis est circa ea, quæ facere possumus, & immediatè, aut mediante eorum ministerio, sub potestate aut imperio nostro sunt. Ergo omnino differt à voluntate. Hæc enim etiâ est eorum, quæ facere non possumus, & nullo modo sub potestate nostrâ sunt. Quod illustrat exemplo histrionum atque athletarum, quorû vni potius, quàm alteri, spectatores in theatro aut arenâ palmam, seu victoriam volunt, quam tamen dare non possunt, nec sub potestate sua habent. Eadem quoque ratio est eorum, qui alios ludentes aleis vident, & alteri præ cæteris bonam sortem exoptant, quam præstare nequeunt. Idem denique accidit ijs, qui tragædias audiunt, leguntvè. Quidam enim potius desiderant v.g. victoriam Pompeij, quàm Cæsaris; & tamen nihil minus, quàm vt dare possint. Patet igitur eiusmodi voluntatem longè differre ab Electione, quæ non est, nisi eorum, quæ quis habet sub liberâ potestate.

12 TERTIA. Quod immediatè respicit finem, differt ab eo, quod solum respicit ea, quæ conducunt in finem: vt potè habens obiectum immediatum longè aliud. At voluntas immediatè respicit finem, tanquam amor & appetitio ipsius: Electio autem solum respicit media, quæ sunt circa finem. V.g. Valetudo est finis, quem immediatè in seipso volumus, & circa quem nullo modo deliberamus, nec per consultationem eligimus: sed solum circa media, vt exercitationem, moderatum cibum, aut medicamentum opportunum. Ergo voluntas differt ab Electione. CONFIRMAT. Arist. hanc ipsam rationem ex modo ipso loquendi. Frequens enim in nobis est vox illa, *βούλωμεθα εὐδαιμονεῖν* volumus esse beati: non tamen hæc: *ἠπορούμεθα εὐδαιμονεῖν*: eligimus esse beati. Inde autem colligitur plane, voluntatem, siue appetitionem esse ipsius finis, non autem Electionem: quippe quæ sola media in finem conferentia attendit.

13 INSVPER Electionem non esse idem ac opinionem, nec communiter & generatim sumptam, nec peculiariter & in singulari acceptam, docet conclusione bimembri. PRIORÈM partem dupliciter probat. PRIMÒ. Opinio generatim accepta versatur circa res omnes, tam æternas, & immutabiles, quam temporaneas & mutabiles, posibles atque impossibiles: quales sunt quæ de Deo, de mundo, de sideribus, de arcans rerum causis, effectisque opinamur, & circa sphinges, hippocentauros, chimæras, aliaque eius-

modi planè impossibilia. Opinari enim generatim pertinet ad intelligentem animam, cuius mens vagatur per omnia, siue fieri ab homine ipso possint, siue non; siue possible absolute sint, siue non sint. At Electio, deliberatio, consiliumve agendi, non vagatur per omnia, nec est impossibile, sed eorum tantum quæ ipsi eligenti possible sunt. Vnde & idem Philosoph. lib. 1. *Magn. Moral. cap. 18.* observat, nos quidem opinari de ijs, quæ apud Indos fiunt: non tamen deliberare, aut eligere, quoniam in nostra potestate non sunt. Ergo Electio non est idem, ac opinio generatim accepta. SECUNDÒ. Quæcumque varijs inter se differentijs secernuntur, nequeunt vnum & idem esse. At opinio generatim sumpta & Electio, varijs inter se differentijs secernuntur. Opinio enim versatur circa verum, & falsum, ideoque dividitur in veram & falsam: Electio autem est circa bonum & malum, dividiturque in bonam, & malam: nec alterum ex ijs potest alteri extremorum convenire, vt patet. Electio igitur & opinio generatim sumpta non sunt vnum & idem.

15 POSTERIOREM Partem quinque rationibus probat. PRIMÒ ab effectu. Electionis namque effectus est, vt iuxta qualitatem ipsius boni reddamur, aut mali. Opinionis autem in rebus singularibus versantis, non est idem effectus. Neque enim quis probus dicitur ex eo quod opinetur actum v. g. fortitudinis à se vel ab alio exhiberi debere in defensionem patriæ in singulari occasione: nisi præterea actum ipsum eligat, atque exequi serio velit. Cum igitur ea, quorum effectus est dissimilis, nequeant vnâ atque idem esse, patet opinionem in singulari non esse vnum & idem cum Electione. SECUNDÒ. Electionis officium est exequi nostras ipsorum actiones, fugiendi aut prosequendi, amandi aut odio habendi. Opinionis autem in singulari non est exequi actiones nostras, sed vestigare res & illarum naturas: vt quæ sit quidditas, aut virtus lapidis, elementi huius aut illius, quilibet effectus, &c. Patet igitur officium Electionis & opinionis in singulari esse diversum, proptereaque alteram differre ab altera. TERTIÒ. Quæ laudantur diverso nomine, seu longè alijs atque alijs titulis, longè diversa sunt. Electio autem laudatur, quia recta, quia proba, quia conveniens fini: opinio autem quia vera; qui tituli certè sunt longè diversi. Electio igitur & opinio longè diversa sunt. QUARTÒ. Electio versatur circa certa, & quæ maxime bona cognoscimus: opinio autem circa incerta & nondum explorata. Diversa ergo est ratio vtriusque. QUINTÒ ab absurdo. Si opinio esset idem ac Electio, quicumque opinaretur aliquid esse bonum, proculdubio illud eligeret, atque exequeretur. At conseqvens tal-

illud esse patet in pluribus: qui rectè quidem opinantur de ijs quæ agere oportet, & tamen ea non eligunt aut exequentur.

15 EX Dictis hucusque ab Arist. colligitur planè, neque Electionem esse idem ac scientiam. Rationes enim omnes, aut saltem præcipuæ, quibus probatum est, Electionem differre ab opinione, tam in genere, quàm in singulari acceptâ; æquè evincunt differre à scientia utrovis modo consideratâ. Quod quia à Philosopho prætermissum est, & quilibet vir doctus poterit facile perpendere, adaptando easdem rationes ad scientiam, sicuti ad opinionem comparatam cum Electione; omittendum duximus in præsentî.

16 CIRCA Tertiam partem, ostenso iam in præcedentibus, quid non sit Electio, demùm accedit ad assignandum quid illa sit, sive in quo consistat. Docet itaque, genus in Electione esse voluntarium; non latè & communiter dictum, prout idem est ac spontaneum, quâ ratione etiam extenditur ad bruta; sed præcisè & propriè acceptum, pro eo, quod oritur à principio intrinseco cum cognitione singulorum, in quibus est actio: quo sensu solis ratione utentibus convenit. Differentiam verò aliqui, ut Tarquinius in præsentî, consilium esse volunt: tanquam Electionis genus, quod est voluntarium strictum, per rationem consilij contrahatur. Idque colligere sibi videntur ex Arist. qui unico nomine vnaque definitione Electionem, sive id quod eligendum est, contendit appellari posse *προβουλευμένον*, id est, voluntarium quoddam, cum antegressa deliberatione, seu consilio.

17 VERVM Expositio hæc aliena est ab omni Logicâ & Metaphysicâ, iuxta quâ

rationes genericæ differre non debent reipsa à differentialibus, per quas contrahuntur, & multò minùs distare ab ijs plusquam genere. Ac ratio generica voluntarij in Electione clausa, differt realiter à consilio, distatque ab eo plusquam genericè, tanquam actus voluntatis ab actu intellectus: ut manifestum est. Ergo ratio generica voluntarij in Electione clausa non contrahitur per consilium, tanquam per differentiam. Cum verò necesse sit ut contrahatur per aliquid indistinctum, illud certè est ratio peculiaris voluntarij per modum optionis inter duo aut plura, qua vnum alteri præfertur. Ideoque Aristoteles ipsum bonum eligendum appellat hoc loco *προαιρετόν*, *præeligendum*, quasi *πρὸ ἐτέρων αἰρετόν*, *eligendum præ alijs*. In quo ipso denotatur, Electioni prævium esse debere consilium, seu deliberationem intellectus, qua non præeunte nequit subsequi voluntaria & propria Electio. Idque denotat in textu, quod eligendum bonum appellatur *προβουλευμένον*, scilicet, *voluntarium præconsiliatum*, ut ita loquar. Quare demum ad mentem Aristotelis Electio defini potest *voluntaria optio vnius medij præ alio, ex consilio præcedenti*. Ratio voluntarij est genus in quo convenit cum cæteris actibus voluntatis. Ratio *optionis* exprimit differentiam propriam ab ijs: quæ insuper explicatur in ordine ad media, quorum tantum est Electio. Additur denique, *ex consilio præcedenti*, veluti connotatum quoddam, sive præsuppositum essentialiter ad ipsam Electionem.

VIDE D. Thomam 1. 2. quest. 13. & illius Interpretes.

CAPVT TERTIVM.

De Consultatione.



T Est ne de omnibus consultatio, & omne quodvis est consultabile, an de quibusdam non est consultatio? Atque dicendum est forsitan consultabile non id esse, de quo quispiam insipiens, vel mente captus, sed id, de quo sanæ mentis vir consultaverit. De æternis autem nemo consultat, ut de Mundo, vel de communis mensuræ diametri laterisque vacuitate. Sed neque de ijs, quæ consistunt quidem in motu, semper autem fiunt eodem modo, sive necessitate, sive natura, sive propter aliquam aliam causam: ut de

solstitijs, atque exortu. Neque de ijs, quæ aliàs aliter sese habent: ut de siccitatibus, imbribusve. Nec item de ijs, quæ eveniunt à fortuna: ut de thesauri inventione. Sed neque de humanis omnibus rebus, Nam quonam modo Respublica Scytharum optimè gubernaretur, Lacedæmoniorum consultat nemo: nihil enim horum per nos ipsos fieri potest. Consultamus autem de ijs rebus agendis, quæ in nostra sunt potestate: hæ enim & restant. Causæ nanque videntur esse, natura, necessitas, fortuna, & mens insuper, ac omne, quod per hominem efficit. Hominum autem quisque de ijs consultat, quæ agi per ipsum possunt. Atque circa exactas quidem scientias, & sufficientes, non est consultatio, ut de litteris. Non enim ambigimus quomodo litteræ scribendæ sint. Sed de ijs consultamus, quæ fiunt quidem à nobis, non tamen semper eodem modo: ut de agendis per medicinam, vel pecuniariam artem: & eò magis in gubernandi facultate, quàm in exercendi arte deliberamus, quò minus exacta est: & de cæteris simili modo. Atque magis etiam in artibus, quàm ipsis scientijs: nam circa ipsas magis ambigimus. Consultatio autem in ijs versatur, quæ plerumque quidem fieri possunt, incerta tamen sunt quonam evenient modo: & in quibus est indeterminatio. Atque cum magnis de rebus deliberare volumus, assumimus & alios ad consilium, diffidentes nobis ipsis, tanquam non sufficientibus ad id discernendum. Consultamus autem non de finibus, sed de ijs, quæ ad fines ipsos perducunt. Nec enim medicus si sanabit, nec orator si persuadebit, nec Reipublicæ gubernator si bene, rectèque legibus civitatem instituet, nec denique cæterorum quisquam de fine deliberat, sed omnes posito quodam fine, quemadmodum, & per quæ fiet ille, considerant. Atque si per plura posse fieri videtur, per quod illorum facillimè, optimeque fiet, perquirunt. Sin per vnum, quonam modo per illud fiet, & illud item per quid efficietur, considerant: idque faciunt, donec ad primam perveniant causam, quæ quidem in inventione est ultimum. Qui namque consultat, is quærere videtur, dictoque modo perinde, atque designationem linearum resolvere. Non autem omnis perquisitio, consultatio est. Mathematicæ nanque perquisitiones non sunt. Omnis autem consultatio est continuo perquisitio. Idque quod ultimum est in resolutione, primum esse constat in generatione. Atque si consultantes in aliquid inciderint, quod quidem fieri nequeat, desistunt. Ut si sit pecunijs opus, has autem habere non possint. Quod si videatur fieri posse, tunc agere aggrediuntur. Ea verò dicimus fieri posse, quæ per nos ipsos fieri possunt.

possunt. Nam ea, quæ per amicos fiunt, per nos ipsos quodammodo fiunt, quippe cum principium sit in nobis. Quærentur autem quandoque quidem instrumenta, quandoque autem usus ipsorum: & in reliquis simili modo. Interdum, per quod: interdum, quonam modo, aut per quem, solet quæri. Videtur igitur, ut dictum est, homo principium actuum esse, & de ijs esse consilium, quæ agi ab ipso possunt, & actus aliorum esse gratia. Finis igitur non erit consultabilis, sed ea, quæ deducunt ad fines. Nec etiam singula: ut si panis sit hoc, vel confectum sit ut oportet. Hæc enim sensus ipsius sunt. Quod si semper quispiam consultaverit, in infinitum abibit. Consultabile autem, & eligibile idem est. Ipsum tamen eligibile definitum iam est. Quod enim cæteris ex consultatione prætulimus, id eligibile est. Desinit enim tunc demum unusquisque perquirere quonam aget modo, cum in se ipsum principium redigit, & in id sui ipsius quod antecedit: hoc est enim quod eligit. Patet hoc ita esse & ex vetustissimis Rebus publicis, quas imitabatur Homerus. quæ namque reges eligerent, ea populo renuntiabant. Cum igitur ipsum eligibile sit consultabile, appetibile ex ijs, quæ in nostra sunt potestate: & ipsa electio deliberativa appetitio rerum erit earum, quæ in nostra sunt potestate. Nam simul atque dijudicavimus ex consultatione, affectamus deliberatione. Quid est igitur electio, figura sit dictum, & circa quæ versatur, & eorum esse, quibus ad ipsos fines acceditur.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Consultatio, seu deliberatio, aut consilium, de quibusnam sit, aut non sit. Quo modo, ordine, ac fructu, sit deliberandum. Quæ etiam vis ac ratio sit Consultationis comparata cum Electione.



ELECTIONIS Naturâ iam vestigatâ, procedit Philosophus ad inquirendam rationem propriam Consultationis præcedentis, quæ & deliberatio, & consiliû dicitur: dividitq; caput in tres partes. In prima quærit, de quibusnam rebus sit Consultatio, aut non sit. In secunda præscribit modum, ordinem, effectumque deliberationis & consilij. In tertia denique dilucet de ipsa vi ac ratione deliberationis comparata cum Electione, quæ illam subsequitur.

2 CIRCA Primam partem quærit de quibusnam rebus sit, aut non sit Consultatio; sive cuius naturæ esse debeat id, quod sub Consultationem cadit, Græcè βουλευσις. Ac primû excludit à disputatione hac id, circa quod stul-

ti solum homines, & pingues animæ cõsultare possunt: quale est, quod spectat ad aliquam ex quatuor classibus, Necessitatis, Naturæ, Fortunæ, Mentem alienâ. Primi generis sunt æterna, ut mundus opinione Arist. & ea quæ quilibet rei essentialiter annexa sunt, quorum exemplû geometricum affert in quadrato, ubi diameter nequit comparari aut commensurari lateri, quoniam inæqualis est: ut potè recta linea, & ex æquo secans figuram, quam longissimè illa patet. Hæc igitur æterna ab Arist. dicuntur, quoniam continent propositiones sempiternæ veritatis, & ad classem Necessitatis referuntur, cum non possint non esse. Ideoque stulta aut insana videretur consultatio circa aliquid eorum. Secundi generis sunt quæ Naturæ lege motum quendam subeunt à nobis inevitabilem: sive ille sit semper idem,

regularis, & constans, ut motus siderum, ceterorum, planetarum, ortus & occasus, solstitia, & brumæ: sive ille non semper idem, nec regularis, aut constans sit: ut pluvia, procellæ, tonitrua, &c. Quare circa hæc insipienter omnino quis consultaret. Tertij generis sunt, quæ ad fortunam spectant: ut inventio thesauri, quæ nec cogitanti quidem, accidit semel aut iterum: quæ terti autem, & cavernas terræ diu multumque exploranti, nunquam contingere solet, quo plane indicatur, eam rem inopinatam esse, & quæ sub consiliū minimè cadat. Quarto denique generi adscribuntur, quæ ad mentem voluntatemque extraneam, seu alienam pertinent: ideoque de ijs nemo prudenter consultat. *Veluti, quomodo optimè Rempubl. Scythæ administrare possint, Lacedæmoniorum nemo deliberat: nihil enim eorum per nos fieri potest.* quæ sunt verba Philosophi.

3 ITAQUE Consultatio, seu deliberatio prudens, de ijs tantum est, quæ per nos, sive studio nostro effici possunt: non autem de ijs, quæ ab aliqua ex quatuor prædictis causis procedunt, ac propterea potestati nostræ liberæ nullatenus subiacent. Licet verò inter ea, quæ per nos fieri possunt, accensenda videantur scientiæ & artes, eaque opera, quæ illarum ministerio fiunt, adhuc quædam earum excludit à materia Consultationis; nimirum, quas appellat *ἀκριβείς, καὶ ἀντάξιες, ἐξquisite, & sibi sufficientes*, id est, speculatrices, seu theoreticas; distinguunturque ab alijs, quæ *ἄλογα, ἢ ἄκριβητα, sive opinabiles, aut coniecturales* dicuntur, ut interpretatur Cicero lib. 1. de Divin. & observat Giphanius. Priori generi disciplinarum adscribuntur Geometria, Physica, Grammatica, aliaque similes, & præsertim Theologia, quæ ab ipso Arist. in *Metaph.* dicitur *ἀκριβέστατη, exquisitissima*. Exque omnes rejiciantur à classe eorum, quæ sub Consultatione cadunt: quoniam sunt de rebus certis, quæ proinde nullum ambigendi locum relinquunt. Exemplum peculiare adhibet non quidem in descriptionibus geometricis, ut Schekgius arbitratur, sed in grammatica, seu literarum scriptura. Venim ipse Paul. observat lib. 1. *Magn. Moral.* c. 8. versans hæc ipsam difficultatem, *nemo deliberat quemadmodum scribendum sit nomen Achil.* Nimirum, id certum exploratumque est, deliberatio autem sive Consultatio debet esse de rebus incertis, & sub opinione aut coniectura positis. Posterioris huius generis sunt Politica, Medicina, Dialectica, Rhetorica, omnesque opificum artes, ut monet Alexander in: *Top.* quoniam cum sint circa res incertas, & de quibus ambigendi locus sit, merito sub Consultatione cadere possunt, & eo magis, quo incertioribus præceptis nituntur. Quæ ratione notat Arist. Medicinam & Nauticam magis incertas esse, quam Gymnasticam, quæ planioribus & certioribus

principijs nititur, ideoque minus apta est, ut de ea consultatur. Neque etiam luctator, seu panerastista eget tot rerum principiorumque consideratione, ac medicus, aut gubernator. Medicus enim ultra præceptiones suæ disciplinæ, quæ sanè plurimæ sunt, debet intueri ætatē, consuetudinem, vivendi rationē, qualitatem & mensuram cibi ac potus infirmo concedendi. Nauticus quoque, ultra regulas communes artis suæ, considerat vultum cæli, qualitatem ventorum, signa procellæ aut serenitatis, pluramque alia periculo & incertitudini obnoxia. Multo ergo magis Consultatione opus est medico & nautico, quam luctatori vel panerastistæ.

4 NOTA, Arist. omnino quidem excludere à Consultatione scientias & artes exquisitas, sive theoreticas, aut in contemplatione positas; quatenus obiecta, sive res, de quibus agunt, non sunt expositæ alicui incertitudini, proindeque nec deliberationi locum præstant: sicut initio capituli dixerat de ijs, quæ æterna aut necessaria sunt. Ceterum ex parte usus possunt sub Consultatione cadere: ut cum dubitamus & deliberamus, quo ordine in ijs procedendum sit. Adhuc tamen circa hoc minori deliberatione opus est in disciplinis theoreticis, quàm in practicis: quoniam hæc insunt regulis, seu principijs minus certis, & quæ magis deficiunt in singulari ubi devenitur ad opus. Quamvis enim illæ consideratæ quantum ad habitum, nitantur principijs certis & necessarijs; quò ad usum tamen, sive exercitium, carent certitudine, propter varietatem circumstantiarum, ut temporis, loci, personæ, aliorumque plurium: ut in Medicina & Nautica palam cernitur. Quòd si verò aliqua fortè sit ars, cuius opus semper invariatum sit, & eodem modo se habeat, non egebit deliberatione circa illud.

5 EXCLUSIS iam prædictis rebus à materia Consultationis, assignat tandem quamnam sub eâ cadant. Ea verò docet non solum debere esse, quæ per nos agenda sint, ut supra dixit, sed etiam tribus conditionibus affecta. *Prima* est, quòd sint res talis naturæ, ut quamvis plerumque accidere soleant, non tamen semper, & adhuc incertum sit, quo pacto ac ratione sint evenitura. *Secunda*, ut sint res, in quibus nihil certi sit ac definiti circa id quòd agendum est. Neque enim iudex deliberat, quæ ratione debeat ferri sententia, ubi lex manifesta id ordinat: sed solum ubi casus non videtur comprehensus in lege. *Tertia*, ut sit res magni momenti, & quam non facile quis per se solum expedire possit, nisi adhibito prudentium virorum consilio. Circa hæc igitur docet esse versarique Consultationem.

6 CIRCA Secundam partem dilectur de modo, ordine, effectu, & termino Consultationis: ac primo, quid illa certo statuere debeat, & quid vestigare oporteat, quòd & in ipsis scientijs theoreticis solemne est, cum

aliquid certi initio præmittitur, & quedam alia deinde in dubium vocantur, quoties sub opinionibus posita sunt. Docet igitur, finem tamquam aliquid certum præsupponi debere, ante ipsam Consultationem, & quamlibet disciplinam practicam: sicut prima principia speculabilia præsupponuntur ad vsum cuiuslibet disciplinæ speculativæ. Et quemadmodum in hac, disputatio non est circa principia, sed circa conclusiones ex ijs deductas; ita neque in Consultatione, neque in aliqua disciplina practica, est deliberatio circa finem, sed tantum circa media, siue instrumenta, aut auxilia, quibus is obtinendus est. Id palam exponit exemplo medici, qui nullatenus deliberat, an infirmo procuranda sit sanitas, quæ est finis curationis: sed solum quibus medijs eam assequatur; an sanguinis missione, an vitione, an pharmaco, aut potione amarâ. Nec orator consilium capit, an perluadeat auditores, qui est finis Oratoriæ; sed quibus rationibus, quo stylo, quibus formulis convincendo intellectui opportunis utatur. Politici etiam deliberatio non est, an debeat mores rectè instituere in civili convictu, nec Gubernatoris Republicæ an querenda sit pax & concordia civium: sed quibus medijs id obtinendum sit. Quare inductio- ne doctrinarum, quæ ad agendum institutæ sunt, evincitur, Consultationem non esse circa finem, qui certè supponitur: sed circa media ad ipsum assequendum, de quibus dubitatur.

7 CONTINGIT Autem, finem ipsum multiplici via, siue pluribus medijs obtineri posse: quandoque autem unico. Priori eventu, consulendum est, quodnam ex ijs medijs sit melius, vtilius, facilius, & certius ad finem assequendum. Posteriori verò, adhuc deliberatio esse potest, quomodo illo unico medio vrendum sit, ut res tandem ex voto accidat. Quod si verò difficile sit mediū ipsum, nec in promptu, consulendum est, quā via, seu quonam alio interveniente, aut quorum auxiliorū ope, illud apponatur, ut sic tandem deveniamus ad finem. Audire par est Giphanium, diligentem sanè & eruditum Authorem, qui in hac re ita loquitur, De adiumentis autem ita est agendum, ut videatur, an plura sint, an vnum duntaxat. Si plura; ut ea eligantur, quæ sunt faciliora, & ad rem perficiendam opportuniora. Si vnum, quā ratione hoc vno res perfici possit. Deinde progredientes videre nos oportet, hoc ipsum vnum unde prodeat, & quā aliā re illud obtineri possit. Quod secundum iam assecuti, rursus ad tertium, & reliqua deinceps progrediendum, donec ad primam totius consilij causam perventum sit: id est, ad primum adiumentū, ex quo reliqua fini propinquo- ra pendeant. Hoc autem primū, ut inventio- ne est vltimum, ita in agendo primum. Verbi gratiā, de pluribus adiumentis: ut si belli ge-

rendi causa deliberetur, an equitatu, an pe- ditatu sit agendū: copijs terrestribus, an navalibus: ut de oppugnanda vrbe si delibere- tur an scalis, an coronā sit oppugnanda, vel, an cuniculis, an verò tormentis. Et paucis interpositis, ac constituto iam, equitatum expedire ad gerendum bellum, inquit: Postea quaeritur, quomodo is paretur: deinde cogitur, eum pecuniā comparari, agitur de ea invenienda. Cuius causa reperiendæ cum plures sint modi, deligitur v. g. tributū indictio. Itaque in deliberando primum quidem ponitur victoria: deinde adiumentum equitatus: postea pecuniā: postremò tributū, a quo actio tota est instituenda. Sic in domo ædificanda ponitur primū finis, qui est ut nos arceat ab iniurijs cæli: adiumentū huius rei postea cognoscitur esse rectū: quod ut perficiatur, collocandi sunt parietes & fundamenta. Ad hæc omnia necessarij sunt fabri, lapides, materia: quæ cum pecuniā quoque paretur, hæc primū erit reperienda. Sic Romani pacem facturi, primum de mittendis legatis deliberant: deinde ad hos deligendos vident cogendum esse Senatū. Itaque in his tribus, pacis confectio- ne, legatorum missione creationeque, & Senatu cogendo, vertitur totus deliberatio- nis huius contextus. Hactenus ille, & optimè quidem, circa deliberandi modum.

8 ADDIT Philosophus exemplum aliud e Mathematicis disciplinis petitum. Qui enim in ijs versatus est, postquam aliquid demonstrative conclusit, vult illud ipsum oculis spectantium obijcere, atque ita insistit in resolvendo ac retegendo diagrammate, seu figura mathematica, donec tandem perveniat ad id, quod est planissimum, & cuilibet notum, quodque non probatur, sed supponitur. Ita etiā in deliberatione contingit: quæ ubi vnicum illud medium, quo opus est ad finem obtinendum, non habet in promptu, querit aliud atque aliud subinde, donec retexendo perveniat ad illud ipsum propinquius fini assequendo, quodque præsupponitur planè & manifestè necessarium, ad consecutionem finis. Itaque non est deliberatio circa medium vnicum, sicut neque circa finem, quæ duo præsupponuntur necessaria quæsiu: sed tantum circa modum adhibendi mediū illud, quasi plura alia retexendo, & gradatim ordinando. Quippe hoc genus Consultationis habet quandā similitudinē cum mathematicis resolutionibus, quantum ad prædicta: quia sicut vltimum, in quod mathematica demonstratio resolvitur, est principiū totius demonstrationis: ita etiā, in hac mediōrū inquisitione vltimū esse deprehenditur, quod fuit humanæ actionis initū, siue generatio, ut Arist. loquitur. Et quemadmodum Mathematicæ quæstiones habent, ita & omnis Consultatio est quæstio quedam rerum agendarum, quamvis

non omnis questio sit Consultatio: ut patet in disciplinis exquisitis, de quibus supra. Questiones enim illarum nullo modo Consultationes sunt.

9 PERGIT Deinde in ordine ad effectum Consultationis, ut adhibeamus ea media, quibus obtinendus cognoscitur, nam si appareat impossibilis consequutu, oportebit desistere ab agendo, & a quærendis adiumentis. Consultatio enim est in ordine ad id, quod agere possumus, sive per nos ipsos, sive aliorum subsidio, puta amicorum. Quæcumque enim facimus interventu amicorum, aut aliorum, quibus rem exequendam demandamus, id profectò nos ipsi agere censetur: quemadmodum & ea, quæ interiecto aliquo instrumento operamur.

10 CONCLUDIT Ex dictis, quasi per ἀνακεφαλαίωσι, hominem esse principiū suarum actionum; Consultationemque de ijs haberi, quæ ab ipso homine agi possunt; illamque quandam actionem humanam existimandam esse. Cum verò omnes humanæ actiones sint propter aliquem finem, inde antiam allumit, ut de fine Consultationis disserat, siquidē actio humana est. Præsertim, quia nisi Consultatio finem aliquem habeat, infinita erit, sive abique termino vlllo vagabitur. Cum ergo hoc absurdum sit, oportet ut Consultatio finem certum habeat: idque colligit ex triplici capite. *Primò* ex agente, nimirum, homine ipso: cuius omnis actio, quatenus agentis secundum rationem est, debet fieri propter aliquem certum definitumque finem. At Consultatio est actio hominis, quatenus secundum rationem agentis: ut patet ex definitione superius tradita. Ergo debet fieri propter certum aliquem definitumque finem. *Secundò* ex termino. Omnis enim inquisitio aliquem terminum habet, ac proinde finem aliquem. Consultatio autem inquisitio quædam est: ideoque superius dixit: βούλομαι εἰδέναι ἡγήσασθαι: *con-* *sultans videtur querere, quod & infra lib. 6.* confirmat ubi de ἀρχινοῦα agit. Omnis ergo Consultatio aliquem terminum, ac proinde finem habet. *Tertio* ex instrumentis quibus utitur is, qui consultat: Quia in inquisitione deliberativâ devenitur tandem ad aliquid singulare, & sensibus pervium, à quo ulterius non procedatur, & de quo iam non deliberetur. Est enim de ijs rebus singularibus, quæ sensu iudicantur, non est Consultatio: ut de hoc pane, quem habemus in manibus, non deliberamus an sit panis; aut certe, si panis est, an bene coctus & subactus sit. Quippe circa eiusmodi singularia vltima resolutio pertinet ad sensus externos. Alioqui enim intermina erit deliberatio, nullamque finem habitura, si adhuc de ijs, quæ externo sensu percipimus, consultandum sit.

11 CIRCA Tertiam denique partem dupliciter comparat Consultationem cum electione. *Primò* à convenientia utriusque, quatenus eadem materia, sive idem est quod in deliberationem cadit, ac quod in electionem; nimirum, idem ipsum bonum, quod in potestate nostrâ est. Materia enim utriusque actionis prædictæ habet quinque conditiones similes: scilicet, ut fieri à nobis possit, sive, quod perinde est, sub potestate nostrâ sit: ut frequentius accidat: ut in certa sit: ut perducatur ad consecutionem finis: ut denique non sit sensibus manifesta. *Secundò* à differentia utriusque comparationem illarum instituit. Hoc enim potissimum differunt, quòd Consultatio debet omnino præcedere, & electio subsequi. nemo enim prudenter eligit, nisi quod antè per deliberationem iudicatum fuit utile, seu conveniens ad finem obtinendum: eo autem convenienti iudicato, atque in potestate ipsius agentis posito, sequitur statim electio. Qui enim questione deliberativâ consuluit, quâ ratione deberet agere, tunc demum eam absolvit, & à deliberando desistit, cum resolvendo & retexendo inquisitionem tandem perducit ad id, quod in suâ ipsius potestate est, & in eam sui partem, quæ imperat.

12 QVOD Illustrare pergit exemplo desumpto ex veteribus Rebus publicis, quas Homerus imitabatur. Reges enim ea quæ elegerant, denuntiabant populo agenda. Rex namque quandoq; secum, ut Agamemnon *lib. 2. Iliados*, quandoque cum Senatoribus, ut Alcinous *lib. 8. & 9. Odyss.* deliberans quid agendum esset, constituebat decretum, & iam constitutum ad populum referebat. Idem mos servatus olim in Republ. Romanâ: ubi, teste Dionysio Halicarn. *l. 9.* quæcumque essent publice gerenda, primum in Senatu agitabantur: & decreta facta Senatusconsulto (quod idē Auctor *πρεβόλευμα* vocat) postea referebantur ad populum. Aristoteles igitur eo exemplo docet, in privatis etiam deliberationibus fieri, quod Homerus observavit in publicis. Sicut enim in his, postquam Rex iudicavit quid agere oporteat, omnis deliberatio finitur, & incipit executio decreti, atque eorum omnium, quæ statuta sunt in ordine ad finem præscriptum; ita etiam in privatis deliberationibus, ubi iudiciū rationis, quod est quasi Rex, deliberaverit circa adiumenta, seu media, quæ sunt in nostrâ potestate, eaque approbaverit, Consultatio finem habet: indeq; initium ducit electio: & actio exequenda ab appetitu, tanquam à populo, aut inferiori, cui inuimatur illa privata lex. Est enim electio quædam appetitio eacū rerum, quæ in nostra sunt potestate, ex prævia deliberatione ortum ducens, sicut & bonū eligendum, est etiam appetendum. Vide *lib. 6. cap. 9.*

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 14. & illius interpretes.

CA-

CAPVT QVARTVM.
De voluntate, & voluntate affectabili.



OLVNTATEM Autem finis quidem ipsius esse, iam paulò antè diximus. Sed videtur alijs quidem esse veri boni, alijs apparentis boni. Atque fit sententia quidem eorum, qui verum bonum id esse censent, quod est affectabile voluntate, vt id non sit affectabile voluntate, quod is, qui non rectè expetit, vult. Nam si sit, erit & continuò bonum: at erat fortè malum. Sententia autem eorum, qui bonum apparens inquirunt esse quod est affectabile voluntate, vt nihil sit prorsus, quod suapte natura sit affectabile voluntate, sed id, quod vnicuique videtur. At aliud alij videtur, & repugnantia fortè. Quòd si hæc non placent, dicendum est simpliciter quidem, & reverà verum bonum esse affectabile voluntate: vnicuique verò id, quod vnicuique videtur. Studioso igitur id est affectabile voluntate, quod verè est bonum: vitioso verò, quicquid contigerit. Fitque hoc perinde atque in corporibus ipsis. His enim, quorum corpora bene sese habent, salubria sunt ea, quæ verè talia sunt: ijs autem, quorum corpora sunt ægrota, non hæc ipsa, sed alia. Similiter & amara, ac dulcia, & calida, atque gravia, & cætera id genus. Studiosus enim homo rectè singula iudicat, & singulis in rebus id ipsi videtur, quod verè est tale. In vnoquoque enim habitu sunt propria quædam honesta, atque iucunda: atque in singulis plurimum fortasse præstat vir studiosus in dignoscendis ijs, quæ verè talia sunt: propterea quòd est vt norma quædam, atque mensura ipsorum. Multitudo verò decipitur ob voluptatem. Ipsa nanque bonum quidem non est, bonum tamen esse apparet. Persequuntur igitur ipsam, tanquam bonum: dolorem autem fugiunt, tanquam malum.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Voluntatis esse, vt feratur in finem: qui opinione quorundam est aliquod verum bonum, aliorum autem apparens. Vtrique refelluntur. Decernitur, vnicuique esse bonum id, quod & bonum videtur: et tamen discrimine, vt homini probo videatur bonum id, quod verè ac per se bonum est: improbo autem id, quod solum ex accidenti est bonum.



TA Caput hoc inscribitur ab Argyropilo: & in eo est quaestio, vtrum id, quod sub Voluntatem cadit, sit verum bonum, an potius apparens. Cum enim electio, de quâ Philosophus disseruit supra cap. 2. sit actus Voluntatis, nunc occitò disputat de ipsa Voluntate: quæ in textu βούλησις appellatur, sicut & obiectum ipsius βούλησις: &, quantum capio, priori nomine non solum

intelligitur voluntas sumpta pro facultate, si-
ve potentia, de qua iam disseruerat initio huius
Operis, aliisque locis: sed sermo est etiam de
quodam illius actu, qui communiter in Scho-
lis dicitur, *volitio*, seu *intentio*, siue *amor finis*,
distinguiturque ab electione, & quolibet alio
Voluntatis actu. Hoc enim etiam denotare vi-
detur in presenti *βουλησις*, sicut & *βουλητόν*,
volitum in ratione finis. Sed tamen, quidquid
fit de hoc, *Voluntatis* nomine viemur, quo &
ceteri fere omnes Aristotelis Interpretes in
presenti. Dividitur autem caput in duas par-
tes. In primâ statuit, Voluntatem ferri in fi-
nem: id est, in bonum, quod quidem aliqui do-
cent debere esse bonum verum, ac per se bo-
num: alij autem existimant esse bonum appa-
rens: & utriusque falluntur. In secundâ docet,
unicuique esse bonum id, quod ei bonum vi-
detur: homini quidem probo id, quod verè ac
per se bonum est: improbo autem id, quod bo-
num esse accidit.

2 CIRCA Primam partem refert
duplicem opinionem: alteram eorum, qui Vo-
luntatem arbitrantur solum ferri in id quod
verè ac per se bonum est: alteram extremè con-
trariam asserentium, ferri tantum in id, quod
verè ac per se bonum non est, sed specie re-
tus, siue apparenter. Utramque autem refellit
diversimode. Priorem quidem, ab absurdo.
Sequeretur namque ex ea, id quod aliquis prave
ac turpiter vult, non esse expetendum, seu
non cadere in voluntatem, siue, ut Scholasti-
ce loquamur, non esse volitum ab ipsâ, quod
in textu *βουλητόν* dicitur. Consequens autem
absurdum est. Ergo & id ex quo sequitur.
Porro sequela illa, siue cōsecutio, patet: Quod
enim quis prave & turpiter vult, non est verè
ac per se bonum: alioqui volitio illius, non
improba, non turpis, sed proba atque honesta
esset. Si ergo Voluntas, siue volitio, est tantum
eius boni, quod verè & per se bonum est;
quod aliquis prave & turpiter vult, non esset
expetendum, seu volitum, aut cadens in volun-
tatem. Absurditas verò consequentis facile
evincitur: Quia idem omnino est, aut saltem
connexum inseparabiliter, quod quis velit ali-
quid, siue expetat qualitercumque, & quod
illud sit volitum, expetitur, siue in Volunta-
tem cadens: sicut inseparabiliter connectuntur
hæc duo, quod quis videat aliquid, & quod
illud sit visum, siue cadens sub spheram aut
intuitum oculorum.

3 CONFIRMAT Arist. impugna-
tionem prædictam ab alio absurdo illigato
cum præcedenti. Sequeretur enim ex indicatâ
opinionem, illud ipsum, quod malum ac turpe
est, simul esse verè ac per se bonum, quo nihil
absurdius esse potest. Assumptio probatur. Et
enim iuxta illius Auctores, Voluntas solum
fertur in id, quod est verè & per se bonum. Ac

sæpe fertur in id, quod malum ac turpe est: ni-
mirum, quoties aliquis peccat. Ergo tunc id
quod malum & turpe est, simul erit verè & per
se bonum.

4 POSTERIOREM Opinionem,
quâ asseritur, id in quod fertur Voluntas, esse
solum apparenter bonum, seu specie tenus, sic
ferè impugnat. Si id solum expetit Voluntas,
quod apparet bonum unicuique; nihil verè
& secundum naturam suam erit *βελητόν*, siue
expetibile a Voluntate. At consequens falsum
est. Ergo & quod Voluntas solum expetat id,
quod apparet unicuique bonum. Maior pro-
positio, siue sequela, patet: Quia eadem res ap-
paret alteri bona, & proinde expetibilis; alteri
mala, & detestabilis: ut idem mel, quod bene-
valenti iucundum est, aegroto apparet iniucun-
dum. Ergo si id solum expetit Voluntas, quod
apparet unicuique bonum; nihil verè, & se-
cundum naturam suam, erit ab eâ expetibile,
nisi solum per accidens, siue ex suppositione
quod huic vel illi appareat expetibile aut bo-
num. Consequentis verò absurditas planè ex-
torquetur: tum quia aliqua secundum naturam
suam & reipsa sunt expetibilia, ut virtutes, &
ipsa felicitas, ad quam ducunt: Tum etiam
quia objecta aliarum potentiarum verè & ex
naturâ suâ habent rationem, quâ ijs obijciun-
tur: ut objectum intellectus rationem veri, &
objectum visus rationem colorati. Ergo cum
objectum Voluntatis sit *βελητόν*, siue expetibi-
le, aliquid est quod verè & secundum natu-
ram suam expetibile sit.

5 CIRCA Secundam partem, refuta-
tis iam aliorum opinionibus, suam denique
utriusque interiectam profert: scilicet, *βελητόν*,
siue expetibile, quod est objectum Voluntatis,
siue sub illam cadit, simpliciter & secundum
veritatem esse bonum: ceterum comparatione
facta ad id quod sub huius aut illius hominis
voluntatem cadit, esse quod unicuique bonum
videatur: scilicet, alicui bonum apparens, seu
specie tenus: aut etiam verum bonum alteri.
PRIOR pars probatur. Bonum simpliciter &
secundum veritatem, univèrsè loquendo, debet
esse objectum alicuius potentie proprium:
cum sit dignum per se attingi non minus,
quàm unumquodque verum simpliciter & se-
cundum rem, quod objectum etiam proprium
alicuius potentie est. At illud prius non alte-
rius potentie objectum est, quam Voluntatis,
ut patet. Ergo bonum simpliciter & secundum
veritatem, univèrsè loquendo, debet esse ob-
jectum Voluntatis.

6 POSTERIOR Pars suaderetur:
Quia licet Voluntas naturâ suâ feratur in ve-
rum bonum, fieri potest, ut corruptio iudi-
cio præcedente, contendat etiam in id, quod
revera bonum non est, sed apparet. Cum enim
Voluntas nequeat expetere aliquid, nisi ab
in-

intellectu propositum, si intellectus proponat tanquam bonum id, quod reipsa non est bonum, sed tamen videtur esse; Voluntas profecto expetere poterit bonum apparens. Ergo facta comparatione ad id, quod sub huius aut illius hominis voluntatem cadit, expetibile, siue obiectum Voluntatis, erit quod apparet bonum, sed non est. Si autem iudicium sit integrum & perfectum, ut in viro probato & prudenti, non proponet Voluntati tanquam bonum, nisi quod revera bonum est; ideoque illud expetet Voluntas. Ergo facta comparatione ad virum probum, etiam verum bonum est expetibile a Voluntate. Ergo de primo ad ultimum certa est posterior illa pars, qua asseritur, facta comparatione ad id, quod sub huius aut illius hominis voluntatem cadit, esse expetibile, siue βουλευτον, quod unicuique bonum videtur; & alicui quidem apparens, siue specie tenus; alteri autem verum bonum.

7 ILLUSTRAT Philosophus doctrinam hanc pulcherrima comparatione petita a corporibus hominum vario ac dissimili modo. Cum enim praemisisset: *Viro bono id bonum, quod verè est: improbo, quod occurrit, videtur: ita tim subiungit. Ut corporibus probe affectis salubria sunt ea, quae revera sunt eiusmodi: quae autem in morbis sunt, alia: itaque & amara, dulcia, & calida, & cetera omnia.* Nimirum, experimento constat hominem sanum, ac vividis sensibus praeditum, ea solum salubria & sapida reputare, quae revera salubria & sapida sunt: aegrotum vero & sensibus turbatum, saepe noxia pro salubribus, amara pro

dulcibus, frigida pro calidis habere. Nihil ergo mirum si homo improbus, & corrupti animi, iudicet bona, & subinde appetat ea, quae verè bona non sunt: vir autem probus & sanæ mentis, ea solum iudicet bona & appetat, quae verè sunt bona.

8 ADDIT Insuper, eam diversitatem & varietatem in iudicando & appetendo, non procedere ex sola corporum diversitate, sed ex eâ insuper, quae in ipsis habitibus est. Singuli enim habitus, quibus afficimur, habent quaedam sibi propria, siue circa honestum, siue circa iucundum, quae non ita facile quisque distinguat, nisi forte probus vir, cuius est excellere in perspicendo, quid in qualibet in re sit verum. Est enim ille, ἀσπις κανων & μέτρον αὐτῶν ὧν: quasi rerum omnium norma & mensura. Quare & supra lib. 2. & infra lib. 10. initio, ubi quaeritur quid sit bonum, necne, docet consulendum esse vicum probum, tanquam qui bene affectus sit; & hunc esse veluti ydium lapidem, ex quo discernatur inter bonum apparens, & verum. Ab hoc iudicio excludit multitudinem, quae cum frequenter in voluptatem feratur, facillime decipitur, & bonum iudicat id, quod revera bonum non est. Neque enim aliam regulam sibi praescribit, quam ut bonum apprehendat & subinde appetat, quidquid est iucundum: malum autem existimet fugiatque quidquid est molestum, seu dolorem afferens.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 8. & 12. atque illius Interpretes.

CAPVT QVINTVM.

De ijs, quae in nostra sunt potestate.



VM Igitur finis quidem sit affectabilis voluntate, ea vero, quibus itur ad finem, consultabilia sint, atque eligibilia: sit ut actus ij, qui circa haec versantur, ab electione proficiantur, nostraque sponte fiant. At operationes virtutum circa haec ipsa versantur. Nostra igitur in potestate ipsae virtutes, & identidem vitia collocantur. Quibus enim in rebus nostra in potestate situm est agere, in ijs & non agere: & in quibus non agere, in ijs est & agere. Quare si agere bonum (quod honestum est) in nobis est situm, & non agere quod est turpe, in nobis est collocatum. Et si non agere malum (quod est

est honestum) in nostra est potestate, & agere (quod est turpe) in nobis est situm. Quod si in nobis est situm tam honesta quam turpia agere: & simili modo non agere. Hoc autem erat bonos, & malos esse. In nobis ergo est situm, nos probos, & improbos esse. Dicere autem sua sponte neminem pravum, nec invitum quenquam beatum esse, alterum falso est simile, alterum vero. Nam beatus quidem nemo est invitus. Sponte autem nostra pravitas comparatur. Vel obstandum est ijs, quæ modò sunt dicta, & hominem non esse principium est dicendum, neq; procreatorem actuum perinde, ac liberorum. Quòd si hæc vera videntur, nec in alia vlla principia nostros actus, quàm in ea, quæ sunt in nobis, reducere possumus; quorum principia sunt in nobis, ea quoque in nobis sunt sita, sponteque à nobis fiunt. Hæc ita esse, testes sunt & privatim singuli homines, & ipsi legumlatores. Nam eos quidem, qui prava faciunt, si modò non vi, nec obignorationem eam, cui ipsi non fuerunt causa, illa agant, castigant, ac puniunt. Ijs autem, qui honesta agunt, honores instituunt: ut homines partim hortentur, partim prohibeant. At ad ea agenda, quæ nec in nostra sunt potestate, nec nostra sponte efficiuntur, nemo prorsus hortatur: quippe cum vanum sit, persuasum esse cuiquam non calere, aut non dolere, aut non esurire, aut quidvis aliud tale: nam nihilominus hæc ipsa patietur. Etenim pro ignoratione etiam ipsa pœnas instituunt, si quisquam ignorationis esse sibi causa videretur. Ebrios nanque duplici pœna afficiendos esse putarunt. Principium enim in ipsis est: quippe cum in ipsorum sit potestate ebrietatem vitare, quæ quidem ignorationis est causa. Puniunt etiam eos, qui aliquid eorum ignorant, quæ legibus continentur, quæ quidem scire oportet, nec sunt difficilia cognitu. Similiter & in alijs quæcunque per negligentiam homines ignorare videntur: ex eo planè, quia in ipsis est non ignorare. Est enim in ipsorum potestate diligentiam adhibere. At fortasse tales sunt quidam, ut diligentiam non adhibeant. At ut tales fierent, & iniusti, aut intemperantes, ipsi sunt sanè causa dissolutè viventes, & res iniusta agentes, & potui, & rebus talibus indulgentes. Operationes enim, quæ sunt circa singula, tales efficiunt. Quod quidem ex ijs patet, qui cuiusvis ludo, vel actui studet: perseverant enim in operando. Ignorare igitur ex operationibus, quæ fiunt circa res singulas, habitus ipsos emergere, nimium hebetis hominis est. Præterea metas rationis egreditur, iniurias facientem hominem, aut intemperatè agentem, nolle se iniustū, aut intemperantem esse. Quòd si quis non ignorans agit ea, ex quibus erit iniustus, is sua sponte erit iniustus. Non tamen si vult, cum est iniustus, desinet esse talis, ac iustus erit. Nec enim

qui ægrotat, si vult, erit sanus, & fortè sua sponte ægrotat, si incontinen-
ter vivebat, & præcepta medicorum negligebat. Tunc igitur licebat
ipsi non ægrotare: sed postea, quàm valetudinem prodidit suam, non li-
cet. Sicut neque fit, ut quisquam resumat lapidem, quem proiecit: erat
tamen in ipso situm, sumere ipsum, atque projicere. Principium enim
erat in ipso. Modo eodem & iniusto, & intemperanti licebat quidem
ab initiali non fore. Quapropter sua sponte est talis. Sed postea, quàm
talis est factus, non licet ipsi non esse talem. Non solum autem animi
vitia nostra sponte fiunt, sed corporis etiam interdum à nonnullis iden-
tidem comparantur. Quos quidem & increpamus. Eos enim, qui natu-
ra sunt turpes, reprehendit profectò nemo: sed eos, qui per inertiam
tales, atque otium evaserunt. Idem & circa imbecillitatem evenire
constat: & cum quispiam membris est captus. Nemo nanque expro-
bravit cuiquam ipsum, si sit aut natura, aut ægritudine, aut vulnere cœ-
cus, sed potius miserebitur. Quod si ebrietate, vel aliquo alio flagitio
captus sit oculis, omnes utique carpent, ac increpabunt. Vitia igitur
corporis ea quidem, quæ in nostra sunt potestate, reprehenduntur: ea
verò, quæ non sunt, non increpantur. Hæc cum ita sint, & in cæteris
ea vitia, quæ increpantur, nostra in potestate sunt collocata. Sed fortasse
quispiam dicet, universos quidem homines id affectare semper, quod
bonum apparet, ipsius tamen apparentiæ dominos ipsos non esse, sed
qualis tandem unusquisque est, talem & finem ipsi videri. At si habitus
ipsius aliquo modo sibi quisque est causa, erit & apparentiæ ipse sibi
quodammodo causa. Sin verò nemo est sibi mala agendi causa, sed
hæc ob ignorationem finis ipsius agit, putans per ea sese summum bo-
num consecuturum, affectatiòque finis non in nostra est potestate: sed
ita natum esse oportet, ut habeat quasi visum, quo quidem rectè dis-
cernet, & id expetet, quod verè est bonum. Atque is est ingenio bo-
no, cui id ipsum bene sese habet natura (id enim, quod maximum est,
atque pulcherrimum, & quod fieri non potest ut ab alio accipiat, at-
que discat, habebit qualem dicimus naturalem aptitudinem, & inge-
nitum acumen) atque hoc rectè natura bene ortum esse, ipsa est habili-
tas perfecta, veraque naturæ. Si igitur hæc vera sunt, cur magis virtus
sponte nostra, quàm vitium comparabitur? Ambobus enim similiter,
tam bono, quàm malo, finis ipse natura, aut quovis modo videtur, ac po-
nitur: cætera autem agunt quovis modo, ea ipsa referentes ad illum.
Sive igitur finis nō natura tale unicuique videatur, sed sit aliquid etiam
apud ipsum; sive quidem finis sit naturalis, cum sua sponte vir studio-
sus cætera agat, & virtus sponte comparetur, atque acquiratur, vitium
quo-

quoque non minùs comparabitur sponte. Est enim similiter & malo homini facultas in actibus, etiam si nulla sit in fine potestas. Si igitur, ut dicitur, nostra sponte comparantur virtutes (ipsorum enim habituum quia nos tales sumus) vitia quoque sponte ab hominibus acquiruntur: similes enim subeunt modos. Communiter igitur dictum est de virtutibus, & genus ipsum, figura; mediocritates, inquam, ipsas esse, ac habitus: & à quibus fiunt: & principia esse illa per se agendi, nostraque in potestate collocatas esse, & nostra fieri sponte, atque ita, ut ipsa recta ratio iubet. Verùm non similiter nostra sponte actus, ac habitus fiunt. Actuum enim à principio vsque ad finem domini sumus ipsa singula cognoscentes: habituum verò, principij. Singulorum autem additio non est nota, quemadmodum & in adversa fit valetudine: sed nostra sponte ideo fiunt, quia nostra erat in potestate sic, aut non sic agere, atque uti. At nunc repetentes, de singulis dicamus virtutibus, quænam sint, & circa quæ versentur, & quo etiam modo. Ex quibus & illud simul emerget, quot sunt ipsæ virtutes. Atque de fortitudine primùm dicamus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Virtutes, pariter ac vitia, in nostra potestate esse. Error aliquorum existimantium solam Virtutem esse homini voluntariam, non item vitium, refutatus; & radix eius sinistra opinionis evulsa. Anacephalæosis doctrina tradita.



REDIT Arist. rationem in hoc capite, cur toties de voluntate, & voluntario egerit: nimirum, quoniam ea præmittenda fuerunt necessario, ut iam denique constaret, quænam sub potestate nostrâ sint. Quod sane in præsentia ex professo examinat & decernit. Dividitque caput in quatuor partes. In primâ statuit, Virtutes, & vitia in nostrâ esse potestate. In secundâ refellit errorem illorum, qui arbitrati sunt, Virtutem esse quid voluntarium, non item vitium. In tertiâ radices eius erroris evellit. In quartâ denique per ἀνακεφαλαιώσιν, sive recapitulatione quadam, comprehendit, quæ fusiùs tradiderat.

2 CIRCA Primam partem notandum, fuisse Aristotelis a vo nonnullos, qui assererent, Virtutes quidem liberè acquiri, sive obtineri libero voluntatis usu; non autem vitia. quippe hæc veluti fatali necessitate acciderent, neminemque naturâ suâ improbum fieri. Ita enim Plato lib. 9. de Legibus, demonstrare

conatur. In quam eiusdem existimationem, imò & adipalem errorem, non Platone modo, sed & viro quolibet mediocri indignum, præcepit multitudo, cui solemne est peccata sua elevare, excusationesque obtendere: similiter & ex Poetis aliqui, veluti vulgi præceptores, celebrem eam opinionem fecerunt. Ut verò illam refellat Arist. præmittit breviter quæ superioribus docuerat: nimirum, voluntatem in fine versari: consultationem verò & electionem in ijs adiumentis, sive medijs, quæ conferunt ad finem.

3 HIS Positis, statuit, Virtutes verè in nostrâ esse potestate, atque à voluntate nostrâ pèdere. Quod ferè sic probat. Omnia illa, quorum efficientes causæ, & principia, sub nostro arbitrio posita sunt, verè in nostrâ sunt potestate, atque à liberâ voluntate nostrâ dependent. At efficientes Virtutum causæ & principia, in nostro sunt arbitrio posita. Virtutes ergo in nostrâ sunt potestate, atque à liberâ voluntate nostra dependent. Maior patet Quia impossibile est ut efficiens causa & prin-

cipium alicuius rei, sit in nobis sub liberâ potestate ad vtrumlibet, nisi & res ipsa sub eadem sit potestate: quippe quæ, ut sit, dependet à suis causis efficientibus & principijs. Minor autem suaderetur ex dictis lib. 2. cap. 2. vbi statutum & probatum fuit, Virtutes non esse à naturâ inditas, sed adquiri exercitio bonorum actuum: similiter & ex statutis hoc ipso libro cap. 1. 2. & 3. vbi ostensum est actiones eiusmodi fieri secundum consultationem & electionem, ac proinde voluntarias & liberâs esse. Unde efformari potest hic syllogismus ad extorquendam illam minorem propositionem. Efficientes Virtutum causæ sunt actus honesti, & facti secundum consultationem, ac liberam nostræ voluntatis electionem. At ij in nostro arbitrio positi sunt. Ergo efficientes Virtutum causæ & principia, in nostro arbitrio posita sunt. Contractius, more suo, expendit Giphanius prædictam Aristotelis rationem hoc unico syllogismo: Quæ ad finem, seu vltimum contendunt & referuntur, ea sunt voluntaria. Virtutum autem facta ad finem referuntur. Ergo sunt voluntaria. Verum nos latius plerumque formam disputationis instituumus pro ritu scholæ, qui nobis potissimum curæ est.

4 DEINDE Statuit, etiam vitia esse posita sub nostrâ potestate. Et quamvis ratio, quâ id probat, aliter, atque aliter expendatur ab Interpretibus, ut Burleo, Acciajolo, Lincolnensique, sic revocari potest, servato Aristotelis sensu, ad probationem præcedentem. Omnia illa, quorum efficientes causæ arbitrio hominis subiacent, in eisdem potestate liberâ sunt. At vitiorum efficientes causæ sunt actus turpes sive pravi, qui arbitrio hominis subiacent, ut potè potentis illos pro ratione arbitrij facere, aut omittere. Ergo & vitia ipsa in liberâ hominis potestate sunt. Eadem igitur ratio quæ id de Virtutibus evincit, probat etiam de vitijs. Notat verò scitissimè Giphanius, vim rationis Aristotelicæ positam esse in naturâ contrariorum, quæ sunt circa idem: ac propterea, qui potest unum, potest & aliud: ut qui potest affirmare, etiâ negare potest: qui velle, etiâ nolle. In quod illustrandû affert illud Ulpiani in l. 3. ff. de diversis reg. iuris. *Eius est velle qui potest velle.* Et eisdem l. 4. ff. de adquirenda hereditate: *Hereditatem adiri nolle non videtur, qui non potest velle.* Et Senecæ lib. 2. de Benefic. cap. 27. aientis: *Si vis me velle, effice etiam me posse nolle.* Unde & hunc syllogismum conficit ad præsens institutum: Quarum rerum ea est natura, ut eas agere nostri sit arbitrij, certè & eas non agere erit: & contra, quarum rerum hæc est natura, ut eas non agere nostri sit arbitrij, eisdem quoque agere erit. At qui rerum honestarum & turpiû ea est natura, Ergo eas agere & non agere, nostri erit arbitrij.

5 CIRCA Secundam partem redarguit errorem illorum, qui existimarunt, Virtutem esse voluntariam, vitium verò necessarium & ineluctabile; nitentes illo carmine senario, tunc satis celebri: *Ουδεις εκων ωσνηος, ουα ακων μακαρ; Spontè improbus nemo, nec in vitus beatus.* Vbi poetice legitur *μακαρ* pro *μακαρι*, ut versus constet iambo pede in fine. Eustracius Aristotelis Scholiastes Græcus, incertum sibi eius carminis Authorem ait, quamvis aliquid illi simile apud Epicharmum legatur, cuius verba in *Hercule Furente* describit, huc spectantia. Verum, quidquid de hoc sit, Arist. secundam carminis partem approbat, quâ dicitur, neminem involuntarie beatum fieri. Primam verò, quâ asseritur, neminem spontè improbum fieri, ferè sic rejicit. Si homo involuntarie improbus fieret, ut in priore eius versiculi parte asseritur, non esset auctor & procreator actionum suarum, quasi liberorum. Nimirum, involuntarie se haberet ad eas actiones pravas, quibus vitia generantur, potiusque illas ab extrinseco patereretur, quam ageret. At cõsequens quantum ad omnia in eo contenta absurdum est, ut patet ex dictis hoc ipso libro, & præcedenti. Ergo & absurdum est, quod homo involuntarie fiat improbus. PRÆTEREA. Omnia illa, quorum principia sub arbitrio nostro sita sunt, debent esse nobis voluntaria. Atqui pravæ actiones, quæ sunt principia vitiorum, sicut & probæ, quæ sunt principia Virtutum, sub arbitrio nostro sitæ sunt. Primum enim ex consultatione & electione, quæ liberâ a nobis procedunt. Ergo sicut hanc ob causam Virtutes voluntariæ sunt nobis, ita & vitia sunt voluntaria. Falsò igitur in eâ priore versiculi parte dicitur, neminem spontè improbum fieri.

6 CONFIRMAT Impugnationem eandem à signo. Legum latores enim proponunt præmia operantibus secundum præcepta ipsorum, & supplicia ijs, qui turpiter atque inhonestè agunt: ut eâ adhortatione boni fiant, & caveant à vitijs. Quod docent passim Consulti, & in ijs Ulpianus l. 1. ff. de iust. & iure, dum ait: *Iustitiam nanque colimus, & boni & equi novitiâ profitemur: equum ab onivo, licitum ab illicito discernentes: bonos non solum metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere conantes.* Idque eleganter exprimit Cicero lib. 1. de Orat. ubi agens de iuriconsulis & legibus inquit: *Ex his & dignitatem maxime expectandam videmus: cum verus, iustus, atque honestus labor, honoribus, præmijs, ac splendore decoratur: vitia autem hominum atque fraudes, damnis, ignominijs, vinculis, verberibus, exilio, morte mulcântur.* Ideoque longe antea expresserat Plato ipse passim, ac lib. 9. de Legibus, & in Gorgia, quamquam in ea opinio

hione fuerit, quàm modò impugnamus: & in hoc ipso conveniunt non modò sapientes atque eruditi, verùm & ipsa multitudo: ut proinde omnibus persuasum sit, finem legis esse, adhortari & excitare, propositis præmijs & supplicijs, ut homines boni fiant, & aut vitiosi nõ fiant, aut esse desinant. At frustanea & imprudentissima esset ea adhortatio & excitatio, si homines vitiosi necessariò essent, sive, quod perinde est, si vitia involuntaria essent. Frustrà enim & imprudenter fit nobis adhortatio circa ea, quæ nobis necessariò insunt aut involuntaria sunt: ideoque deridendus esset, qui exhortaretur, præmio aut supplicio proposito, hominem ut caleat in æstu & coram ardentissimo Sole; utque frigeat hyeme iuxta nives & Boream à glaciali Septentrione perflantem: ut esuriat post longam inedia; ut sitiatur cum nimium eger frigido & humido. Ergo homines non necessariò nec invitè, sed spontè ac voluntariò fiunt vitiosi. Quod ipsum contractione hoc syllogismo exprimi potest. Nulla prudens adhortatio est, nisi circa ea, quæ nobis voluntaria sunt, & in liberà potestate. At circa vitia, sicut & circa Virtutes, prudens est adhortatio legum proponentium præmia & supplicia. Ergo vitia, sicut & Virtutes, voluntaria nobis sunt, & in liberà potestate.

7 CONFIRMAT II. Exemplo adhibito in ijs, qui ignorantes peccant; nimirum eâ ignorantia, quæ non est ipsis antecedens, neque causa operis sequenti, sed consequens, & effectus voluntarius, ut fustius ostensum est *suprà cap. 1.* huius libri: ideoque quoties delinquant, puniuntur, quoniam ea ignorantia non censetur involuntaria, nec excusans à culpa. Propterea autem ignorantia ijs voluntaria est, quia voluntario aliquo exercitio, quod impedire tenebantur, eam sibi ipsis comparant. Atqui etiam quilibet improbus comparat sibi habitum vitij voluntario aliquo exercitio, quod impedire tenebatur: nimirum, actu pravo, & spectante ad materiam eiusdem vitij. Ergo & habitus vitij voluntarius est. Ergo & sub ipsius potestate est ut vitium in se habeat, vel non habeat.

8 CONFIRMAT III. Altero exemplo ignorantia legum, sive eorum quæ legibus verita sunt. Non enim immunitatem aliquam reddit à culpa, vel à pœna: quoniam ignorantia ipsa censetur voluntaria, sive contracta fuerit per ebrietatem aut perturbationem aliquam; sive proceperit ex solâ negligentia sciendi id quod quisque debet. Etiam omnes tenemur scire leges, quæ ad nos utcumque attinent; quod disertè monet Imperator in l. Leges, Cod. de Legibus. quamvis prudenter moneat Arist. hoc loco, id accipi debere, quoties difficile non fuerit eas cognoscere. Idque & rationi, & Consultorum iudicio videtur conforme.

quoniam scrupulosa & exacta legum scientia non exigitur ab omnibus, neque ut rusticus aut plebeius quisque sit alter Papinianus, aut Scævola. Unde est quod rustici, pueri, milites, fœminæque, facilius excusentur in l. Regula, ff. de Iuris & facti ignorantia. Vbi autem constiterit quempiam ignorare ex negligentia & incuria id, quod scire & facere tenebatur, ea ignorantia appellatur crassa, aut supina. qualis censetur ignorantia Decalogi, id est, legum naturæ & divinarum, quæ in eo comprehenduntur: ideoque puniri solet. l. Servanda, ff. de iniuriis vocando. Huc etiam revocat Arist. eam communem ignorantiam, seu potius inconsiderantiam, quâ laborant & cæcutiunt aliqui improborum, utque adeo vitijs immergi, ut quid iustum, quid iniustum sit, nec attendant, nec videantur scire posse. Nimirum, omnes prædictæ ignorantia puniuntur, quoniam voluntariae sunt, & in potestate nostra liberâ censentur positæ, quod procedant ex aliqua actione omissioneve culpabili & voluntaria. Atque etiam vitia omnia procedunt ex aliqua actione sive exercitio culpabili & voluntario: ut ostensum iam est. Ergo & vitia omnia voluntaria sunt, & posita in liberâ nostrâ potestate.

9 NOTANDVM Autem quod in præsentia Arist. circa ebrios observat, dum ait *εἰς τοῖς μεθύσει διπλὰ τὰ ἐπιτίμια*, &c. *ut in vinolentos duplex pœna constituta est: quod principium in eis, ne vino obruantur, sit unum sit.* Nimirum ita decrevisse dicitur Pittacus Mitylinæus, vnus è septem Græciæ Sapientibus. Quasi ignorantia illa, quâ ebrii committunt aliquod scelus, ut adulterium v.g. aut homicidium, non modò non excuset à culpa, sed potius duplicatam pœnam mereatur. Quod accipiendum est, non de ebrietate illa, quam quis omnino præter intentionem, ac citra præscientiam omnem passus est: qualiter Noëmo Patriarchæ accidisse existimant Scriptores sacri: sed de eâ tantum, quam quis vitro sibi accersivit, sive quam experimento, aliave ratione, securam prævidit; & tamen vitare noluit. Quippe solus hic, vbi forte in ebrietate commiserit scelus aliquod, duplici pœnâ puniatur: quod & vino se ingurgitaverit, & ea flagitia fuerit executus.

10 VERVM Aliqui in hoc subtiliter distinguunt, hoc ferè modo. Siquis eo animo, usque ad ebrietatem bibat, ut non solum vino se obruat, sed & alienationem mentis patjatur in sceleribus quæ postea commiserit, ac proinde excusationem aliquam obtendat; is profectò duplici pœnâ coercendus est: altera quod in sobrietatem peccaverit: altera quod scelus aliud exinde commiserit, prævisum & volitum, ante ebrietatem, quamvis fatili excusatione velatum. Si verò animus solum sit frui delectatione illa, quam in nimio vino experiuntur

bibacés homines, distinguendum est inter scelerata postea secuta: quædam enim sunt eius generis vt frequenter sequantur in ebrijs, aut saltem in eo singulari homine: alia verò, quæ nec frequenter in omnibus, nec in hoc singulari homine sequi perhibentur. Exemplum priorum commune est in milite stationario, seu excubitore: qui cum deberet in specula vigilare propter hostium incursus, adhuc maluit indulgere vino: vnde & expugnatio vrbs secuta est, aut sequi potuit. Eadem quoque est ratio medici, advocati, iudicis, vbi in ebrietate positi obeunt munus suum, cum aperto periculo nocendi vitæ alterius, vel bonis externis honoris aut fortunæ. Nec excusationem obtendere possunt ex eo quod noluerint effectus illos ex ebrietate consecutos, sed ebrietatem solam. Etenim quisquis vult causam ex quâ frequenter oritur aliquis effectus, aut in omnibus, aut in seipso, censetur quoque effectum velle. Exemplum posteriorum est in eo, qui iam alienatus mente, & non nisi ab alio provocatus, aut convicijs extraordinarijs affectus, occidit provocantem; aut insolita occasione deductus, stuprum, vel adulteriû, aut quid simile commisit. In priori casu aiunt sententiam Arist. esse accipiendam, de duplici pœna ebriorum. Negant verò id in posteriori casu, quamvis fateantur deformiorē graviorēque fieri tunc ebrietatem ipsam, quam si scelus illud secutum non fuisset. In quem sensum trahunt S. Augustinum *lib. 22. contra Faustum c. 44.* vbi docet, culpandum esse Loth quantum meretur ebrietas, sed non quantum meruisset stuprum illud, quod per ebrietatem commisit. Consonant & Origenes, Eucherius, ac N. Beda: idque videtur conforme rationi, quoniam Loth nunquã in se expertus fuerat, nec didicerat, eiusmodi scelus ex sua ebrietate secuturum.

11 CIRCA Tertiam partem evellit radices prædictæ opinionis, sive erroris: cuius Auctores in eo nitebantur, quod multi non possent à peccando desistere, nec si vellent. Ita enim aliqui sunt dediti iræ, ebrietati, aut lascivie, vt nulla ratione exuere possint eos pravos habitus, quos ab ineunte ætate sibi adquisierunt, & diutina consuetudine obfirmarunt. Igitur ijs saltem vitia sunt necessaria, nec contingit iam peccare spontè, sed invito.

12 SED Contra insurgit Arist. & reponit eundem ferè syllogismum, quo in superioribus fuerat usus, hoc circiter modo. Quorum principia in nostro arbitrio sunt posita, ea quoque simpliciter sunt voluntaria, & in nobis sita. Atqui in nostro arbitrio posita sunt principia vitiorum quorumlibet, etiam eorum quibus obtenebrati quandoque non possumus desistere à peccando: cū oriantur ex actionibus pravis & voluntarijs. Ergo & vitia quælibet, etiã ea, quibus obtenebrati quandoque

non possumus desistere à peccando, simpliciter voluntaria sunt, & in nobis sita. Quare non peccant invito, nec involuntariè habitum vitiorum retinent scelerati quique homines: quoniam pravis ac liberis operationibus eas animi affectiones sibi compararunt. Vnde & liberæ voluntati suæ adscribere debent, quod vitia tam altè infixæ animo exuere nequeant.

13 CONFIRMAT. Rationem hanc duplici exemplo: altero in eo qui morbum contraxit ex voluntaria libidine, quem tamen semel contractum vitare, aut exuere nequit: altero in eo qui lapidè semel excussit, aut se ex edito loco præcipitem dedit, & iam nequit aut revocare lapidem, aut se reponere in pristinum locum. Ijs enim effectus inevitabiles iam sunt, & necessarij ex suppositione; absolute autem voluntarij: quoniam libero voluntatis suæ exercitio apposuerunt causam, ex quâ sequuntur per se, ac natura sua. Ergo similiter, quamvis habitus vitiorum in quibusdam hominibus maximè sceleratis, inevitabiles sint, & necessarij ex suppositione; absolute tamen voluntarij sunt, quoniam libero voluntatis suæ exercitio apposuerunt causam, ex qua per se & natura sua sequuntur. Quibus exemplis usus est etiam Cicero, *lib. 4. de Tuscul. Q. 2.* in idem probandum.

14 CONFIRMAT. II. Similitudine aliam morboſi hominis, qui non apparet vituperabilis, nec risu dignus, propter eam infirmitatem aut corporis foeditatem, quam involuntariè contraxit, sed propter illam tantum, quam sua voluntate & culpa accersivit. Quippe in priori casu, potius quam vituperio, commiseratione dignus est, cum patiatur aliquod malum, cuius ipse causa non fuit. Immo & id quandoque laudi est: vt contigit Philippo regi, qui in expugnatione Methones, vrbis Magnetiorum, privatus fuit oculo: ideoque laudem publicam meruit, etiam ab inimicissimo Demothene, qui eam corporis deformitatem Panegyrico decoravit. Quamvis & ij corporis defectus aliquando per locum obijciantur patienti: quemadmodum apud Homerum Dijs accinuntur claudum iridentes Vulcanum; & alio loco Iuno blanditijs eum demulcens, *κλυτὰ τεύχεα*, id est, claudum appellat. In posteriore autem casu dignus est reprehensione, quod eam corporis infirmitatem turpitudinemve vltro sibi bipſi comparaverit, quam vitare tenebatur. Similiter ergo, si vitia, sive deformitates animi, non essent nobis voluntaria, sed quæ necessariò, aut invito pateremur, nemo illorum causa dignus esset vituperio, aut reprehensione, sed potius commiseratione. Cùm ergo quicumque vitijs, sive animi deformitatibus agrotant, digni vituperio & reprehensione habeantur apud omnes homines, tam per nos, quam

quàm imperitos; consequens est, ut vitia ipsa non in viro ijs accidant, sed voluntaria sint. Eandem ferè rationem urget infra *lib. 7. cap. 5. & 6.* videturque desumpta ex Platone in *Protagora*, ubi ille videtur fuisse in opinione hac, quamvis alio loco contrariæ subscripserit.

15 VERVM Notandum est in præcipuâ ratione Arist. paulò ante expensa, difficile esse quod in ea asseritur: hominem, scilicet, qui turpissima antea actæ vitæ consuetudine contraxit inveteratû vitium, quod iam exuere non potest, nec si velit, adhuc voluntariò censendum in eo vitio persistere, quoniam ipse sibi vltro causa fuit eius miseri status. Difficile, inquam, est; cum nunquã videatur aliquis homo inter vivos agens eò turpitudinis devenire, ut nequeat pro ratione arbitrij mores corrigere, & bonum rationis sequi. Immo & idem Arist. videtur sibi contrarius: quoniam *lib. 2.* præcedenti tradit, Virtutes posse corrumpi per actus pravos, vitia quoque exui posse per actus oppositæ virtutis. quo ipso supponitur, etiam post contractum habitum Virtutis aut vitij, locum esse, libertatemque ad actus oppositos habitui præcedenti. Nunquam ergo quis necessitatem patitur persistendi in habitu vitioso, adhuc suppositione facta quòd eum sibi contraxerit per liberos suæ voluntatis actus.

16 QVARE Ut doctrina Aristotel. constans sit, ac tibi similis, & (quod præcipuum est) rationi consentanea; dicendum est, hoc loco non excludi omnino libertatem ex suppositione vitij voluntariè contracti, ad actus oppositæ Virtutis, quantumcumque quis depravatus sit. Quamvis enim asserat, iniustum atque intemperantem, ne si velit quidem, iustum ac temperatum fieri posse; in eo nullam impossibilitatem, expressit; sed solum ingentem difficultatem, & quæ raro superetur. qualiter & in sacris litteris, non absoluta impossibilitas, sed ingens difficultas exprimitur, dum asseritur, divitem intrare non posse in regnum cælorum. Est enim consuetudo quasi natura altera; quæ raro aut perdifficile exuatur, iuxta illud Horatij: *Naturam expellas furca tamen usque recurret.* Deinde, & hoc loco intelligi potest, solum affirmari impossibilem transitum subitaneum, seu repentinum, ab inveterato vitio ad Virtutem. Non enim vno temporis momento, aut sine interstitio aliquo contingit mutari mores ab vno extremo in alterum. Cum hoc tamen coheret, quòd paulatim saltem, & dato temporis spatio opportuno, quilibet possit gradum sibi facere a vitio ad Virtutem oppositam. Cuius rei exempla, etiam in ipsis Ethicis fuerunt, & in Catulo ac Scipione observavit Latinus Pacatus; ut nihil dicam de ijs, quos sapius à flagitiosis & extreme im-

probis, ad meliorem frugem, immo & ad perfectam vitam, revocat Deus, altâ, secretâ, & ut loquitur Magnus Augustinus, omnipotentissimâ vocatione, cui nemo resistit. Vide plura huc spectantia è sacris litteris & mirabilibus historijs, quæ late proferimus *tom. 2. Theologia Fiorulenta.*

17 OPPONIT Arist. sibi ipsi præcipuum argumentum, quo nitebantur Adversarij, in hunc ferè modum. Quoties in potestate nostra non est id, ex quo necessario vitium sequitur, neque hoc ipsum in potestate nostra est. At in potestate nostra non est ut bonum nobis videatur quòd reverà bonum est, neque malum quòd re ipsa est malum; ex quibus necessario sequitur vitium. Ergo neque vitium ipsum in potestate nostra est. Minor propositio, sive assumptio, in qua sola est difficultas, probatur; Omnes enim quoties appetimus aliquid, appetimus sanè id quòd nobis per visum, seu phantasiam apparet bonum, sive malum; ideoque appetentes quòd reverà est malum, contrahimus vitium. Atqui in potestate nostra non est ut per visum, seu phantasiam, apparet nobis bonum; sive illud re ipsa bonum sit, sive malum: cum vis illa, sive facultas circa visum aut phantasiam sit nobis necessario indita à natura, sicut cæteri sensus. Ergo in potestate nostra non est quoties appetimus aliquid, ut nobis bonum videatur quòd reverà bonum est, neque malum quòd re ipsa est malum. Ergo neque vitium in potestate nostra est.

18 RESPONDET Arist. assumptionem eius argumenti fallam esse: nimirum, non esse in potestate nostra ut bonum videatur quòd re ipsa bonum est; neque malum quòd verè est malum. Et enim apparentiam illam, seu visum, Græcè *φαντασίαν*, in nostro arbitrio sitam esse, convincitur: Quia omnis habitus morum subiecitur principio spontè agendi, ac proinde sub nostra est potestate: ut superioribus ostentum est. Ergo etiam illud, quòd sequitur habitum morum. Sed apparentia illa boni aut mali est huiusmodi. Ergo & illa subiecitur principio spontè agendi, ac proinde sub nostra potestate est. Porro apparentiam illam boni aut mali subiequi habitum morum, in quo est dissidium, probat: Quia talis apparet vitæque finis, qualis quisque est: ac proinde non aliter representatur seu apparet finis, quàm iuxta cuiusque mores. Si enim recti sint, recta quoque apparentia erit, & veritati conformis: si autem obliqui sint, & à ratione deflectentes, apparentia obliqua erit, & non iuxta veritatem. At quòd recti vel obliqui mores sint, provenit ad habitum morum. Ergo apparentia boni aut mali sequitur habitum morum. Quòd tamen, ut optime notat Burleus, intelligenti est de apparentia seu visione voluntariâ, & libere susceptâ; quæ cum habitu

morū conformatur. Alioqui enim, seu loquēdo de illā, quæ subito oritur, seu omnem liberum voluntatis vsum anteverrit, constat non esse sub potestate nostrā. Verū quamvis repente orta sit, potest per rationē corrigi. Quod, vel ex ipsis Ethnicis, docuit sapiētissimus ille Epictetus apud Gellium, dum inter pleraque alia huc spectantia, inquit: *Visiones animi, quas phantasias Philoſophi appellant, quibus mens hominis prima statim specie acciaentis ad animum rei pellitur; non voluntatis sunt, nec arbitrij; sed vi quadam inferunt sese hominibus.* E, quibusdam interpositis: *Sapiens isthac visa animi terrificā non approbat, sed abijcit, respuit, nec ei metuēdū esse in eis quidquā videtur.*

19 SED Instant ijdem Adversarij, inquit Arist. & aiunt, se, quoties peccant, peccare ex ignorantia finis. Ut enim non omnibus æqualis est oculorum acies, seu vis colorum perceptiva, sed inæqualis & varia, quæ proinde aliter & aliter repræsentat colores ac formas rerum, & quibusdā bene ac perfectè, quibusdam autē malè aut imperfectè: ita non omnibus æquale ingeniū, sive eadem mens est, sed diversa, seu diversimodè disposita ex parte instrumentorum, seu organorū sensibilibus ad indicandum. Ergo & fieri poterit ut quibusdam repræsentet bonum, ut quasi malum apprehendant, & malū quasi bonum. Ergo his saltem hominibus naturalia, & necessaria erunt vitia, sicut ipsa mala mentis dispositio est naturalis & necessaria.

20 VERVM Contra insurgit Arist. quia si obiectio præiacta quidquam probat, probat certè non minùs necessarias esse Virtutes, quam vitia: cuius oppositum tradunt Adversarij dū docent, Virtutes quidē spontè ac liberè acquiri, quamvis vitia sint necessaria. Sequelam probat: Quia si ignorantia finis est à natura vniuscuiusque, profectò illa pariet involuntariū, sive necessariū, non solum quoties operamur in materiā vitij, sed etiam Virtutis. Ergo sicut ob eam causam dicunt, vitium esse necessarium in nobis, ita & Virtutem habent dicere necessariā. Deinde, si prava mentis dispositio est à natura, ideoque reddit involuntarium vitium, bona dispositio mentis proveniens à natura, etiam reddet involuntariam Virtutem. Cum igitur hoc ipsi negent, dicereque teneantur, bonam mentis dispositionem à naturā alicui concessam, nō inferre necessitatē, sed relinquere libertatem ad actus consilij, & electionis, atque operationis honestæ, quibus acquiratur Virtus; ita etiam dicere debent pravam, sive non adeo congruentē dispositionem mentis, ab origine derivatam, nullatenus necessitatem inferre, sed potius libertatem relinquere ad actus turpes, quibus contrahitur vitium.


21 CIRCA Quartam partem præstrinxit breviter plura eorum, quæ fuse docuit libro hoc & præcedenti: nimirum, Virtutes morales

consistere in mediocritate extremis vitijs interiectā, atque inter habitus recenseris, & causas existere actuum similium ijs, per quos generantur; esseque sub nostra potestate, & voluntarias, atque ita, ut recta ratio præscriperit. Addit verò, magis voluntarios esse actus, quam habitus: quia actionum singularum à principio ad finē domini sumus, cum possimus eas interrumpere, aut ab ijs pro libito abstinere: habituum verò licet initio domini sumus, quatenus oriuntur ex liberā operatione, non tamen postea. Non enim statim pro arbitrio nostre pollumus excutere, sive exuere habitus semel adquisitos, nisi ad summum paulatim. Ergo actus magis voluntarij sunt, quam habitus. Aliam quoque rationē iudicat in idem probandum, quæ sub hanc formam proponi potest. Quoties aliquid magis cognoscitur, eò magis habet rationem voluntarij, per se loquendo, & quantum ad hoc caput saltem: quoniam voluntariū definitur, quod provenit à principio intrinseco, cum cognitione circa singula, in quibus est actio. Atqui actus magis cognoscuntur, quam habitus. Actus enim cognoscuntur quantum ad singula, sive quantum ad omne quod in eis est: habitus verò non, nisi quo ad sui initium, quò ad progressum enim sive augmentum, non cognoscuntur in seipsis, nisi per actus: sicut medicus solum per actus ipsius infirmi cognoscit quanta ægritudinis accessio facta sit. Ergo actus sunt magis voluntarij, quam habitus.

22 ADDIT Præterea, dictum iam esse de signis, sive notis, quibus deprehendi possit generatio & augmentum Virtutis: verum eam rem valde arcanā esse, & quæ intelligi nequeat, nisi ab homine perito. Sicut enim morbum latentem, valetudinemque, aut primum receptā, aut adauctam, nequit statim dignoscere, nisi medicus: sic & Virtutum generationē, incrementumque dijudicare non potest, nisi vitæ diu multumque versatus in materiā Virtutum. Fortè quis existimet, eiusmodi fuisse Plutarchum, quoniam librū edidit, cui epigrapha est, *Quomodo quis intelligere possit, se in virtute progressum facere.* Nisi fortè id didicerit ex doctrinā aliorū, aut allequutus fuerit, nō tã ex praxi, quam ex attenta speculatione Virtutum.

23 DENIQUE Subdit, post tractatum de Virtutibus in genere, nunc instituendam de ijs in singulari disputationem, et primò de Fortitudine. fortasse, quoniam illa omnium laudatissima est, ut notat Eustratius in præfati; & cuius officia, teste Cicerone lib. 1. *Officiorum*, sint omnium splendidissima, quæque ore pleno laudari solent.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 6.



CAPVT SEXTVM.

De Fortitudine, & forti.

FORTITVDINEM Itaque circa metus mediocritatem esse, fiduciaque, perspicuum iam euasit. Metuimus autem ea, quæ terribilia sunt: atque hæc, simpliciter dicendo, sunt mala. Quapropter & veteres metum definiunt, expectationem inquit esse mali. Metuimus igitur omnia mala, ut infamiam, paupertatem, morbos, inimicitias, mortem. At non circa hæc omnia vir fortis esse videtur. Sunt enim nonnulla mala, quæ quidem metuere oportet, & honestum est: & non metuere, turpe. Infamiam nanque qui timet, est probus, & verecundus: qui non timet, impudens. Fortis tamen translatione dicitur à quibusdam: quippe cum aliquid simile videatur habere. Est enim & ipse fortis, interritus quidam. Paupertatem autem metuere forsitan non oportet, nec morbum, nec omnino quicquam eorum, quæ nec à vitio, nec à nobis ipsis proueniunt. Nec tamen is est fortis, qui hæc non metuit, sed hunc etiam fortem similitudine quadam vocamus. Nonnulli enim homines in bellicis quidem periculis meticulosi sunt: liberales autem sunt, & ad erogandas pecunias animosè se habent. At neque si quis pro filiorum, atque vxoris pudicitia timet, aut invidiam metuit, aut aliquid tale, timidus est. Neque etiam fortis, si cum est verberibus cædendus, confidit. Circa quæ igitur terribilia vir fortis versatur? An circa ea, quæ sunt maxima? Etenim nemo tolerantior est malorum homine forti. Mors autem maximè omnium est terribile: est enim vltimum vitæ, & nihil post homini mortuo, aut bonum, aut malum esse videtur. At enim neque circa omne genus mortis vir fortis est, & habetur. Non enim circa mortem eam, quæ fit in mari, aut evenit morbis. Circa quam ergo mortem vir fortis erit? An circa eam, quæ est pulcherrima? Talis autem est ea, quæ fit in bello. In maximo nanque fit, & pulcherrimo certè periculo. Eodè accedunt & ipsi honores, qui tum à civitatibus, tum à regibus sunt instituti. Is igitur homo fortis propriè dicitur, qui circa honestam mortem, & ea omnia, quæ repente eveniunt, atque afferunt ipsam, interritus est. Huiusmodi verò sunt ea, quæ in bello contingunt. Quin etiam & in mari, & in ipsis mor-

morbis vir fortis timore vacat, non tamen ita ut nautæ. Fortes enim & de salute sua desperant, & genus tale mortis moleste ferunt: illi verò spe propter experientiam sunt freti. Simul autem & viriliter, fortiterque agunt, in quibus vires habent locum, aut honestum est mori, quorum neutrum est in tali genere mortis.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Fortitudinis materiam sitam esse in duplici animæ passione, quarum altera est timor malorum, altera audacia terribilium: non tamen omnium, sed eorum, quæ timere, aut aggredi, virum fortem decet. Edisseritur in specie, quarum ea sint.



DISPUTATURVS Arist. de singulis Virtutibus in specie consideratis, initium facit à Fortitudine, tum quòd cæteris ferè celebrior sit: tum quòd illas animi perturbationes regat & temperet, quæ saluti vitæque hominis protegendæ deserviunt. Dividitur caput in tres partes. In prima statuitur, Fortitudinem versari in timore malorù, & expectatione terribilium. In secundâ excipiuntur aliqua mala, in quibus Fortitudo non versatur. In tertiâ denique assignantur mala, & res terribiles, quas Fortitudo contemnit.

2 CIRCA Primam partem asserit, materiam Fortitudinis sitam esse in duabus animi passionibus, quæ sunt timor & audacia. Idque probat ex constitutis iam libro præcedenti, vbi latè traditum fuit, Virtutem moralem esse mediocritatē inter duo extrema vitiosa: ac proinde Fortitudinem esse mediocritatē quandā interiectam timori & audaciæ, tanquā duobus vitijs extremis. Quippe in eo consistit secundum essentiam firmitas illa animi, quam Fortitudinem appellamus, præ alijs dotibus, quæ minùs propriè eodem nomine decorari solent. Primò enim Fortitudinem dicere solemus eam firmitatem, quæ solius corporis est robusti & bene valentis, quamquam virtus moralis non sit. Secundò significari solet eo nomine quedam animi firmitas, consequens vnamquamque Virtutem in specie consideratam: quo sensu idem Aristoteles supra lib. 2. cap. 4. docuit, firmitatem in omni Virtute inveniri: quoniam quælibet Virtus est habitus altè infixus animo, & ijs radicibus hærens, ut non facile concuti, aut e sua sede dimoveri possit. Insuper, cum quælibet Virtus bellum indicat vitijs contrarijs, eorumque impetus frangat, annexum sibi debet habere aliquod Fortitudinis genus. Quo significatu accipiendus D. Ambrosius lib. 1. de Offic. cap. 38. vbi ait: Non mediocris animi est

fortitudo, quæ sola defendit ornamenta vitæ, tutum omnium, & iudicia custodit: quæ in expugnabili bello contra vitia decertat: in victa ad labores, fortis ad pericula, rigidior adversus voluptates: avaritiam fugat, tanquam labem quandā, quæ virtutem effæminat. Et cap. 38. Est ergo fortis, qui se in dolore aliquo consolatur. Et reverà iure ea fortitudo vocatur, quando vnusquisque se vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque reflectitur; non adversis perturbatur, non extollitur secundis.

3 NOTIO Itaque propria, & peculiaris Fortitudini, de qua in præfati agimus, significat illam animi firmitatem, quæ cernitur in mediocritate quadam animi circa pericula & terribilia quælibet, interiecta, timori immodico, & temerariæ confidentiæ, veluti duobus extremis vitiosis, alteri per defectum, alteri per exuperantiam. In hoc enim propria illa Fortitudo animi consistit, quæ nec belluis fortissimis convenit, nec Virtutibus cæteris, in quocumque sui incrementum, aut firmitatem pervenerint. Consentitque Aristotelicæ definitioni illa alia Ciceronis lib. 4. Tuscul. vbi ait: Fortitudo scientia est formidolosarum rerum & contrariarum, quam videtur desumpsisse ex Platone in Lachete & Protagora, vbi Fortitudo dicitur σοφία τῶν δεινῶν, καὶ θάρρα. λειών. id est, scientia, quæ in fortitudine versatur, & confidentia. Consentit, inquam: nisi quòd Fortitudo propriè scientia non sit, sed comitanter solum. Scientia enim ad rationem spectat: Fortitudo autem ad appetitum. Quare propriè scientia non est, quamvis præsupponat illam, seu potius prudentiam, quæ discernitur inter defectum & excessum circa pericula: sicut & circa materiam aliarum Virtutù. Vixque ab ea definitione differt illa, quem tradit Seneca lib. 2. de Beneficijs, ut sit, virtus pericula iusta contemnens, aut scientia periculorum repellendorum, excipiendorum, provocandorum. Similiter nec

tradita à D. August. lib. 83. QQ. q. 31. ubi ait: *Fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perperessio.*

4 STATVTO Autem, nihil aliud esse Fortitudinem propriè dictam, quàm mediocritatem quandam inter timorem immodicum, & nimiam confidentiam, superest dicamus, quænam sit vniuscuiusque earum passionum materia. Ea verò designatur ab Aristotele dum ait: φοβόμεθα δὲ θυλονότε τὰ φοβέρα. ταύτα δ' ἐστὶν ὡς ἀπλῶς εἰπεῖν κακὰ. *Timemus autem ea videlicet, quæ terrorem afferunt: quæ eadem, ut semel dicam, mala sunt.* Vbi, iuxta interpretationem D. Thomæ, quanquam solius timoris terribilium & malorum fiat expressio, etiam intelligitur audacia, seu nimia confidentia: quoniam eadem terribilia & mala, quæ aliquis immodicè fugit, alius nimium confidenter aggreditur, seu temerario ausu. Itaque materia timiditatis & audaciæ sunt terribilia & formidolosa, quæ vno verbo appellari possunt mala, veluti nobis incommoda, ac materia timoris, quem definiunt, προσδοκίαν κακῶν: *expectationem mali.* Nimirum, eo nomine, significamus, inquit, *Omnia quæ mala sunt: ut dedecus, paupertatem, morbos, amicorum penuriam, mortem.* Quibus & accidunt pleraque alia ijs similia: ut vulnera, exilia, servitus, orbitas, &c. veluti præcursoria mortis postremo loco enumeratæ, & quæ, iuxta illud Horatii, *ultima linea rerum est.* Patet itaque ex dictis, Fortitudinem esse mediocritatem quandam inter timiditatem & audaciam, circa terribilia & formidolosa.

5 CIRCA Secundam partem docet, non omnium malorum impendentium timores esse materiam Fortitudinis: sunt enim aliqua, in quibus moderandis illa vertari non debeat. Quippe quædam mala sunt, quæ timere deceat fortem virum, honestumque illi sit; sicut è contrà, non metueret, indecorum ac turpe: ut dedecus, ignominia, & infamia. Ratio est: Quia quicumque verè fortis est, debet etiam esse honestus. At quicumque honestus est perimecit dedecus, ignominiam, & infamiam: quæ mala quisquis non timet, impudentiæ notatur. Ergo quicumque verè fortis est, debet metueret dedecus, ignominiam, & infamiam. Quod si verò non metuentes eiusmodi mala censentur ab aliquibus fortes, id non obstat: quia, ut observat Aristoteles, ij appellantur fortes, non propriè, sed κατὰ μεταφορὰν, *per translationem:* non quidem illam, quæ Rhetorici videntur, ut tropo & schemate, transferentes nomen à re propria ad impropiam: sed eam, quæ denotat similitudinem quandam. Nimirum, qui non timent ea, quæ timere deberent, ali-

quid habent simile viro forti, quatenus hic impavidus est. non tamen propterea sunt fortes in re, quia carent honestate illà, quæ timere debent mala honestati contraria. Sic etiam prodigi vulgò censentur, seu appellantur liberales, solum propter similitudinem quandam cum ijs in largiendo: ceterum liberales verè non sunt, quia nesciunt retinere quando & quomodo oportet.

6 VERVM Difficultas est, an timor aliorum malorum, quæ supra enumeraverat, nimirum, paupertatis, morbi, penuriæ amicorum, & ipsius mortis, sint materia circa quam Fortitudo versetur. Quibus & accideri possunt alia plurima, ut dolor, exilium, servitus, orbitas, & quædam similia mala, quæ non vitio nostro, culpavè accidunt, sed fortuito obveniunt. Et, incipiendo à paupertate, quam primo loco post dedecus recenset Aristoteles, illa certè à quibusdam maximum malorum existimatur: eaque propter Tacitus lib. 13. *Annal.* carpit Pollionis Nepotem, quod existimans paupertatem esse pessimum malorum, non dubitaret turpiter agere, & patienter ferre omnem contumeliam. Quidquid verò de hoc sit, & an plura alia mala, etiam eorum quæ fortuito & citra culpam nobis accidunt, maiora sint; Aristoteles pronuntiat illa omnia non esse ex eorum malorum genere, quæ vir fortis timere debeat, Rationemque reddit Div. Thomas: quia metus viri fortis est quædam cautio, quæ vitæ salutique nostræ prospicimus, circa ea mala, quæ vitare possumus. At nulla ex ijs malis, quæ fortuito solum, & sine culpâ nostrâ obveniunt, vitare possumus, Ergo metus viri fortis non est circa ea mala, quæ fortuito solum & sine culpâ nostrâ obveniunt. Quippe is metus inutilis esset viro forti, quoniam in proprium suum conferre non posset. Igitur nec ea mala sunt materia Fortitudinis. Quare si qui vulgò fortes existimantur, quod cuiusmodi mala fortuita non metuant, nullatenus convincitur reverà fortes esse, nisi tantum similitudine quædam desumptâ à non timendo. Vnde paupertatem non timere, nullatenus est Fortitudinis opus, sed Liberalitatis: cuius nomine laudantur ijs qui nullo metu habito paupertatis, largiuntur sua quonies, & quantum, & quomodo expedit, etiam in maximâ quantitate. Idque probat Aristoteles. Quia accidit quandoque ut iidem liberales homines, qui paupertatem non timent, sint valdè ignavi, & timidi circa pericula belli, in quibus intrepidè versatur vir fortis, Ergo solum ex Liberalitate, non autem ex Fortitudine, oritur quod paupertatem non timeant.

7 EX Doctrinâ præiactâ corrumpit opinio

nio Platonis in *Lachete* & *Protagora*, existimantis, Fortitudinem non solum versari in periculis bellicis, verum etiam in cæteris incommodis contemnendis: qualia sunt, horribiles procellæ maris, paupertas, morbi, multitudinis impetus, invidia, & quædam alia infortunia, quæ citra culpam nostram accidunt, & præcaveri nequeunt. Corruit, inquam: quia Fortitudo propria non versatur circa omnia mala, quæcumque averfamur; sed circa ea tantum, quæ formidolosa, sive metuenda sunt. Atqui infortunia prædicta, & quælibet alia fortuita mala, quamvis ea aversemur, non propterea formidolosa, aut metuenda sunt: cum formido, sive metus sit cautio eorum malorum, quæ vitare possumus; & nullum malum fortuitum vitari possit. Ergo Fortitudo propria non versatur circa prædicta infortunia, & quælibet alia fortuita mala. Corruit etiam opinio Ciceronis *lib. 1. Offic.* docentis, Fortitudinem sitam esse in despicientia earum rerum, quæ maxime mortalibus in pretio sunt: ut honorum, magistratum, divitiarumque. Corruit, inquam, cum etiam contingat aliquos ex ijs, qui talia bona despiciunt, esse ignavos & nimium timidos circa pericula belli. Ergo despicientia illa non oritur ex propria Fortitudine, quippe quam si haberent, animosi essent circa belli pericula.

8 ALIVD Deinde malum proponit, quod merito possit vir fortis timere: nimirum, iniuriam, & invidiam in se, in uxorem, & liberos, atque alia eiusmodi. Rationemque reddit: Quia potest vir fortis timere ea mala, quorum timor non arguit in eo ignaviam, seu timiditatem Fortitudini oppositam. Atqui timor iniuriæ invidiæve subeundæ in se, in uxorem, & liberos, non arguit ignaviam, seu timiditatem Fortitudini oppositam. neque enim quis propter eiusmodi timorem ignavus habetur apud prudentes viros. Ergo vir fortis potest timere iniuriam invidiamve subeundam in se, in uxore, & liberis. Addit insuper, viri fortis non esse, ut fidenti animo, sive impavido virgi, cadendus sit; sive, quod perinde est, viri fortis non esse quod flagella non timeat. Ratio autem esse potest: quia, ut interpretatur Sanct. Thomas, & colligit ex Aristotele circa finem huius capituli, Fortitudo solum versatur in rebus maxime terribilibus, & mortem afferentibus, qualis non est flagellatio; sive, quia illam perpeti est quid probrosum, atque ignominiosum viro honesto: ac propterea non timere virgas, potius est impudentis, quam fortis viri, ut superius monuimus.

9 SVMMA Autem doctrinæ traditæ hæc est, Fortitudinem proprie dictam, &

prout ad præsens institutum attinet, versari quidem in metu terribilium, & rerum malorum; non tamen omnium. Quædam enim sunt, quas timere deceat fortem virum, ut dedecus, infamia, sive vel iniuria, aut invidia in se suosque: quædam autem, quas metuere non oportet, ut fortuitæ calamitates, quibus nullam homo causam dedit, & quas nullo modo vitare potest. Non enim versatur Fortitudo circa ea mala, quorum timor decentissimus est forti viro; neque circa illa, quorum timor inutilis, & frustraneus est. Atqui timor eorum, quæ dedecus, infamiam, aut iniuriam afferunt, decentissimus est forti viro: inutilis autem & frustraneus circa mala omnia fortuita, quæ vitari non possunt. Ergo Fortitudo non versatur circa ea mala, quæ dedecus, infamiam, aut iniuriam afferunt; nec circa mala omnia fortuita, quæ vitari non possunt.

10 CIRCA Tertiam partem demum statuit, Fortitudinem proprie versari in periculis mortis. Idque probat: Fortitudo enim versatur circa ea quæ sunt maxime terribilia: cum nulla alia Virtus sit terribilium tolerantior. Atqui *posteriorum beatorum, maxime terribilis est mors.* Est enim extremum, inquit, & iam nihil mali aut boni videtur superesse mortuo. Ergo Fortitudo versatur circa pericula mortis. Nimirum, versatur circa ea pericula, veluti moderatrix nimij timoris, quo peccatur per defectum; & temerariæ confidentiæ, quæ delinquitur per excessum. Vbi ex verbis illis, *nihil mali, aut boni videtur superesse mortuo*, colligunt aliqui, Aristotelem in eo errore fuisse, ut existimaret, hominum animas, perinde ac brutorum, interire: neque ullam post fata vitam esse, aut præmium poenæve: liquidem ait, nihil de cætero post mortem esse, quod bonum aut malum sit mortuo. Verum iam ab eâ notâ conati sumus liberare Aristotelem *tom. 2. Philosoph. New antique disput. 79. sect. 2. §. 3.* Neque oppositum exorquent prædicta verba: quæ satis commode exponi possunt, ut sensus eorum sit, nihil æquè terribile esse, ac mortem, cum hæc sit extremitas malorum omnium huius mortalis vitæ. Tunc enim alia quælibet mala, exilij, orbitatis, infamiæ, dedecoris, paupertatis, iniuriæ, vulnerum, dolorum, & aliorum quorumlibet terribilium, ceascentur pervenire ad summum incrementum, quando mortem homini afferunt: quæ mala cætera vitæ huius consummantur, & omnis bonorum eiusdem vitæ eripitur spes. Cum hoc tamen coheret, quod post fata, seu post vitam hanc, alia maiora mala, aut etiam bona, pro uniuscuiusque merito superveniant.

II **VERVM** Cùm mors multiplici ex causa accidere possit, ut procellâ, aut morbo, in pace aut bello, quærit circa quam mortem Fortitudo versetur. Responderque, circa eam, quæ in bello incurritur: Quia Fortitudo, cum sit virtus præclarissima, versari debet circa maximum pulcherrimumque speciosæ mortis periculum. Atqui eiusmodi est periculum subeundæ mortis in bello: quâ nulla alia speciosior, aut gloriosior est. Igitur Fortitudo versatur circa periculum subeundæ mortis in bello. Versatur, inquam, abigendo, aut moderando timorem illius, ad mediocritatis præscriptum. Quare mors aliunde proveniens non est materia, circa cuius timorem Fortitudo versetur. Potest enim & solet à viris fortibus timeri omnis alia mors, quam quæ in bello accidit. Ideoque Arist. in præsentis notat, viris fortibus horribilem esse mortem in naufragio, dum de ijs ait: τὸν θάνατον τοῦ τοῖδ' αὐτοῦ διαχραίνουσιν: *genus hoc mortis acerbè ferunt*. Sic apud Virgilium I. *Æneid.* instante procella horribili, ingemit Æneas, non propter mortem, quam mallet subijcie in bello Troiano: sed quod eam passurus esset in mari, atque inglorio illo genere exitus. Unde & exclamat:

————— ὀτρύνε quaterque beati,
 Quis ante ora patrum, Troia sub mœnibus
 altis
 Contigit oppetere. O Danaum fortissime
 gentis
 Tytide! mene Iliacis occumbere campis
 Non potuisse, tuaque animam hanc effunde-
 re dextra!

Vbi Servius ita loquitur: *Ingemit Æneas, non propter mortem, nam statim ait beatos esse, qui obierunt, & ipse obiisse cupit: sed propter genus mortis: nam anima, quæ ignea est natura, contrario perit elemento. Itaque peritulum fuit quibusdam Ethnicorum, eam mortem, quæ oppetitur in aquis, exitabilem esse, quod animam ipsam extinguat, veluti ignem quandam. Quo respicit Homerus *Odyss.* 4. vbi de Aiace Oileo imereunte in aquis accinit:*

Ὡς ὁ μὲν ἐνθ' ἀπολωλεν, ἐπὶ πῖνεν ἀλ-
 μύρον ὕδαρ. Sic ille oppetijt postquam bibit
 æquoris undam. Unde est, ut notat S. Synesius
epist. 4. quod cùm Homerus saepe mortuos in-
 troducatur excitatos apud domum Plutonis, nū-
 quam tamen Aiaceis Oilei meminere post ip-
 sus naufragium: tanquam eius anima extincta
 fuerit in aquis, ideoque in inferno non sit, sed
 omnino perierit. Quod spectat verus illud He-
 ræclit: ψυχῆσι θάνατος ὕδαρ γίνεται: *animis
 aqua est mors*. Addiditque, quia mortem in aquis
 exitiam animæ æternam arbitrabantur: ideo-
 que inter plura alia inquit: *Volbant animam
 afflare in aërem, non extinguere in aquis*. Sic &
 Thyestes apud Ennium optat, ut Aïeus frater

quem exosum habebat, naufragio occumbat, quod genus illud mortis inglorium & exitiale sit. Quippe, ut observat S. Gregorius Nazianzenus *Orat.* I. quicumque naufragio pereunt, ægrè id ferunt, tanquam τὸς ἀρδέειας ναίγον & ἐχούτες, non habentes occasionem exercendæ fortitudinis. Quibus nihil opportunius illustrandæ sententiæ Aristotelis, maxime dum ait, viros fortes acerbè ferre id mortis genus.

12 **SIMILITER** Mors, quæ ex morbo sequitur, viris Fortitudine præditis, ingrata est, veluti obscura & ingloria: ideoque ab ijs timeretur. Unde Epaminondas virum quendam, alioqui fortem & animosum obiurgat, quod lecto decumbens moreretur, & non potius in castris; eo præsertim tempore, quo ad Leuctra pugnabatur. Locrensis Aristides etiam, cùm instaret sibi mors ex lethifero mustelæ morfu, dixit, minus acerbum sibi fore calum, si à leone vel pardali vnguibus dilaniaretur; tanquam in hoc nonnihil gloriosæ mortis appareat. Ita refert *Ælianus lib. ultim. Varia Hist.* Huc etiam spectat quod apud Herodotum *lib. ultim.* Callierates iam moriturus conqueratur, quod stantibus, seu cessantibus aliquantulum à prælio Græcorum ac Medorū aciebus, transfixus fuerit sagittâ temerè missâ à gregario milite, & non potius occubuerit dimicans medio Græcorum exercitu. Omnis igitur mors, quæ non oppetitur in bello & acie, acerbâ & gravis est fortibus viris. Fortitudo ergo versatur, non circa pericula cuiuscumque mortis, sed illius tantum, quæ in bello, accidit, & omnium gloriosissima est, veluti suscepta pro honestissima causa tuendæ ab hostibus patriæ. Quare fas est, decetque virum fortem timor cuiuslibet alterius mortis, quam eius, quæ in bello accidit. Huius enim pericula contemnit, & aggreditur impavido atque exultanti animo, qualiter ij, qui apud Virgilium *lib. 9. & 11. Æneid.*

————— corpora bello
 Obiectant, pulchramque petunt per vulnera
 mortem.

13 **CONFIRMAT** Arist. doctrinam præcedentem à signo: nempe ab honoribus & præmijs, quibus insigniri solent quicumque in bello honestissima morte occubuerunt, aut eius periculo se se opposuerunt: ut statuis, immunitatibus, victa publico monumentis, tum sermone soluto, tum & camine inscriptis, & quandoque divinis honoribus. De quibus legendus idem Arist. *lib. 1. Rhetoric.* & Cicero *lib. 1. Offic.* Inde est quod plura militibus commoda, vulgò privilegia, concessa sint in iure Civili; & quod in Iustinianæis Institutionibus, *tit. de excusat. tut. §. 1.* dicantur *per gloriam vivere, qui in acie pro patria occubuerint*. Quod idem habetur *l. Bello amif.*

amissi. ff. eodem tit. Quare & sæpe gloriatur Cicero, sibi vni post Urbem conditam concessum supplicationis honorem inter togatos, qui vt primus & maximus solis Imperatoribus tribui cōsueverat. Vnde & sic argumentari licet. Solum illa mors, quæ præclarissima & gloriosissima habetur apud Principes & Regna, decet consentanea que est forti viro. At mors in bello est eiusmodi: vt patet ex honoribus & præmijs apud Principes & Regna. Solum igitur mors in bello decet, consentanea que est forti viro. Quare, inquit Arist. *proprie fortis dicitur is, qui morte honesta proposita, isque omnibus, quæ, cum sint repentina, mortem afferunt, metu vacat. cuiusmodi sunt maxime bellica.* Alij Interpretes (inter quos Turnebus) pro ἐπὶ γυναι, non vertunt *repentia*; sed *proxima*, aut *instantia*: & quidem satis apposite, vt denotetur pericula in quibus For-

titudo versatur, non esse longinqua, aut distantia, sed proximè imminetia. nam solum dum illa imminet dicitur quis esse in periculo, & aggredi pericula. quod proprium est viri fortis.

14. ADDIT Denique, quamvis Fortitudo proprie solum versetur in periculis bellicæ mortis, adhuc illam proficere ad mortes alterius generis intrepido animo subeundas à viro forti, tam in morbis, quam in mari. sed in hoc longè aliter, quam à nautis. Hi enim fidenti animo sunt, propter experientiam quæ didicerunt superari posse & solere ea pericula. Viri autem fortes ita intrepidi sunt, vt tamen iam de suâ salute desperent, & id mortis genus acerbè ferant, quia inglorium, & sine sanguine, vt supra dictum est.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 123. atque il-
lius Interpretes.

CAPVT SEPTIMVM.

De terribilium diversitate, & fortitudinis extremis.

NON Est autem idem vniversis terribile. Et dicimus etiam aliquid esse, quod facultatem superat hominis: id igitur vnicuique terribile est homini sanæ mentis. At ea, quæ metas facultatis non egrediuntur humanæ, magnitudine differunt, & intentione, remissioneque. Similiter autem & ea, in quibus confidimus. Fortis itaque, impavidus est vt homo: atque timebit quidem & huiusmodi res formidolosas: verum vt oportet, & vt dicat ratio, tolerabit honestatis causa: hæc enim ipsius virtutis est finis. Fit autem vt hæc & magis, & minus timeant homines: & etiam vt ea, quæ non terribilia sunt, vt terribilia metuant. Atque delinquantur, cum metuant aut ea, quæ non oportet metuere, aut non quemadmodum oportet, aut non quando oportet, aut aliquid tale. Similiter peccatur & circa ea, in quibus confidimus. Qui igitur & ea, quæ oportet, & gratia cuius oportet, & vt oportet, & quando oportet, fert, & metuit, & identidem confidit, is homo est fortis. Fortis enim per habitum, & vt ipsa ratio iubet, tam patitur, quam etiam agit. Finis autem operationis omnis est, qui accommodatur habitui. Et viro etiam forti, honestum est ipsa fortitudo. Talis igitur & ipsius est finis. Singula namque suo fine definiuntur. Fortis igitur honestatis causa, subit, & agit ea, quæ ad ipsam fortitudinem pertinent. Exuperantium autem is quidem,

dem, qui in non metuendo exuperat, nomine caret. Atque dictum est antea nominibus complura vacare. At vocari potest insanus quidem vel stupidus, si nihil omnino neque motus terræ, neque fluctus (vt de Celtis dicitur) metuat. Sed is, qui circa res formidolosas exuperat confidendo, audax est. Videtur autem ipse audax & arrogans esse & fortitudinis simulator. Qualis igitur est fortis circa res ipsas formidolosas, talis & ipse videri vult: itaque imitatur illum, in quibus potest. Quapropter & complures ipsorum audaces sunt simul, & timidi: in his enim audentes res formidolosas non sustinent. Is autem, qui metuendo exuperat, timidus est: nam timet ea, quæ non oportet, & omnia talia ipsum sequuntur. Deficit autem & in confidendo. Sed in doloribus exuperans magis est manifestus. Meticulosus igitur malè sese habet circa spem, quippe cū vniversa metuat. Fortis verò bene sese habet. Confidere nanque, bene sperantis hominis est. Circa igitur hæc versatur & audax, & meticulosus, & fortis. Sed diverso modo sese habent ad ipsa. Illi nanque exuperant, & deficiunt: at hic mediocriter sese habet, & vt oportet. Et audaces quidem præcipites sunt ante ipsa pericula, & volunt ea: sed cū in ipsis sunt, tergiversantur. Fortes autem in ipsis quidem operibus fervidi sunt, antè verò quieti. Vt igitur dictum est, fortitudo mediocritas est circa ea, quibus cōfidimus, & ea quæ terribilia sunt, in ijs, quæ diximus: & eligit, atque fert ipsa, quia est honestum, & quia est turpe, non subire, atque perferre. Mortem autem sibi consciscere ob fugiendam paupertatem, aut amorem aut molestum aliquid, non fortis est hominis, sed potius timidi. Est enim molitiei laboriosa fugere. Atque non quia res est honesta, appetit mortem, sed quia malum fugit. Fortitudo igitur tale aliquid est.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI:

Quædam terribilium excedere humanas vires, quædam non item. Priora posse merito timeri à viro forti, secundum dignitatem. Edifferuntur actus vitiorum, quibus Fortitudo interiecta est: ipsaque comparatur quibusdam alijs, habentibus cum ea similitudinem quandam.



VM Philosophus capite præcedenti statutum relinquat, Fortitudinem versari circa terribilia, nunc illorum diversitatem exponit, vt actum eiusdem Virtutis declaret, simul & medioeritatem in quâ illam antè constituit. Dividitque totum caput in tres partes. In primâ, explanatis quibusdam terribilium generibus, investigat quisnam sit actus verus propriusque Fortitudinis. In secunda inquiri-

quinam sint actus vitiorum eorum, quibus Fortitudo interiecta est. In tertiâ denique comparat Fortitudinem quibusdam alijs, quæ aliquam cum ea similitudinem habent.

2 CIRCA Primam partem dividit res terribiles, vt quædam sint *ὑπὲρ ἀνθρώπων*, id est *supra hominem*: alia verò *κατ' ἀνθρώπων*, id est *secundum hominem*. Priora sunt, quæ ab homine præstari non possunt, quod supra vires illius sunt: vt fulmina, tonitrua, terremotus, inundationes, incendia, portentosa & spectra, Luna

Solisque defectiones. Et quidem hoc terribilium genus formidolosum esse pronuntiat omnibus ijs hominibus, qui mente præditi sunt. Quidquid est enim eorum, quæ terribilia sunt supra conditionem humanam, timeri ab homine potest & debet. At eiusmodi terribilia sunt supra conditionem humanam. Ergo ea timeri ab homine possunt & debent. Posteriores autem rerum terribilium sunt, quæ humanæ facultatis vires non supergrediuntur, & vinci ab homine possunt: & illæ rursus non æqualiter terribiles sunt, sed inæqualiter: quoniam differunt inter se magnitudine, intensione, & remissione: ut propterea aliæ sint magis timendæ, aliæ minùs. V.g. pauci hostes nequeunt tanto terrori esse cæteris paribus, ac longè plures; neque qui adhuc distant, ac qui propiores sunt, & in procinctu bille. Et hoc quidem non solum est verum ex parte ipsarum rerum terribilium, quæ obijciuntur: sed etiam ex subiecto, cui repræsentantur. Eadem namque res solet esse formidabilis puero, seni, aut infirmo, quæ robusto viro & bene valenti deridiculo potius, quàm timori est. Eadem quoque hunc nimium exterrit, quæ illi moderatum, & alteri exiguum terrorem incutit. In summâ, ut rectè observat Giphanius contra Eustratium, quædam sunt terribilia simpliciter, ac proinde omni homini ratione prædito formidanda, ut quæ supra hominem sunt; quædam non simpliciter, sed relatè ad hunc vel illum hominem; & vel magis vel minùs, iuxta illorum naturam, & hominis huius aut illius conditionem.

3 QVARE Viri fortis non est carere metu, aut impavidum esse circa prius illud terribilium genus, quod timere merito potest ac debet, cuicumque sana mens est. Talia sunt, quæ supra commemoravimus: ut Solis Lunæque defectiones: quibus sæpe exterriti sunt integri exercitus, & in ijs fortissimi viri: ut testantur Thucydides, & Pontanus. Quod idem accidit teste Plinio l. 2. c. 30. cum in cælo visi sunt prodigiosi & longiores Solis defectus, qualis occiso Dictatore Casare, & Antoniano bello, totius pene anni pallore continuo. Similem quoque terrorem ipsis exercitibus delectissimorum virorum incutere visi sunt terræ motus, ut observat Appianus lib. 5. Civil. ubi ait: ἔγινοντο δὲ καὶ βρομοὶ τῶν Αἰτῶν σκληροὶ, καὶ μνημόματα μακρὰ, καὶ σειλάτα περιλαμπόρτα τῶν ὄρησιν. Terruerunt exercitum Jævis, & c. mitus Aethiæ, horrendi mugitus fulgura latè splendentia. Pariunt quoque eundem terroris effectum ostenta quæque & phænomena terribilia in cælo visa, aut audita. qualiter apud eundem Appianum lib. 4. hominum immanes voces, armorum strepitus, equorum cursus, inspectante nemine, audiebantur. Et iuxta Orosium l. 4. cap. 15. apud Arpos parmæ in cælo

visa: Sol quoque pugnasse cum Luna. Ac denique, ut plura alia huius generis omitam, idem ipsum contigit in Cimbrico bello apud Plinium lib. 2. cap. 57. ubi ait: *Armorum crepitus, & tubæ sonitus auditos è cælo Cimbricis bellis accepimus, crebroque & prius & postea*, itaque in ijs & alijs portentis, etiam vir fortis timere potest, non quidem portenta ipsa, sed indignati Numinis, seu Dei omnipotentis minacem iram. Quo spectat vulgatum illud: *Timendus Deus: seu maximè quando tonat.*

4 VERVM Et hæc ipsa à viro forti extimescenda non sunt immoderatè, sive ita ut à rationis mentura recedat propter perturbationem nimiam: sed κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem, ut loquitur Arist. sive ut ratio postulat. Quamvis enim horribile & præsentaneum vitæ periculum ex ijs ostentis inductum cuilibet viro prudenti & forti pallorem & commotionem ingeneret; adhuc in eo modus servandus est, & habendus solum timor moderatus, in quo est honestas Fortitudinis propria. Quod etiam docet ex Stoicis Seneca, & Gellius cap. 5. dum ait: *Non est vera Fortitudo quæ contra naturam monstri vice vititur, ultraque modum eius egreditur, aut stupore animi, aut immanitate, aut etiam exercitatioe gladiatoria.* Vbi licet loquatur de immani illo Cæsaris gladiatore, qui ridere solebat, cum vulnera eius execarentur, advocari merito huic potest, ob rationis similitudinem cum ijs, qui præ immanitate aut stupore animi ostenta cælestia nullo modo timent, sed rident potius. Eodem modo appellantur ab Arist. hoc loco infans, vel stolidi, qui nihil metuunt, nec motum terræ, nec undas: καθ' ἀπείρησιν παρὶ τῶν κελύδων: quales aiunt esse Celtas, nimirum Gallos, ut Turnebus interpretatur: seu quosdam Hispaniæ populos tunc ferocissimos, quorum meminit Herodotus in Euterpe: seu tandem, ut vult Giphanius, populos Septentrionales, de quibus idem Arist. in Eudem. scribit, tam impavidos fuisse, ut etiam armis sumptis in mari pugnarent contra ipsos fluctus procurrerent. Idemque, & plura alia huius generis, commemorat Alianus lib. 12. var. Histor. Quare procul debet esse tam immanis audacia, aut etiam stupiditas, à viro forti, cuius est ea ostentia timere; sed moderatè, & iuxta rationis præscriptum.

5 NON Ergo Aristotelis opinione vir fortis procul abigere debet timorem omnem, quia id humanum non est: sed debet esse, inquit ἀνεκλήκτες, ὡς αἱ βρομοὶ, imperterritus, ut homo. Quod ipse luculenter explicat lib. 1. Magn. Mor. ca. 21. ubi docet, quâ ratione in viro forti consideratur fortitudo, in eum non cadere metum: quâ ratione homo, cadere. nam alioqui, inquit, potius lapidem futurum, quàm

quàm hominem. Ergo vir fortis, quatenus homo, metuere etiam ea debet; proindeque ex hoc ignavia notandus non est, si modum seruet, siue mensuram rationis. Nimirum, ut inquit ipse hoc loco, timenda sunt terribilia, siue quæ terrorem incurrere apta sunt, siue supra hominem, siue secundum hominem sint: non tamen quæ terribilia non sunt. Rursus timenda sunt, *ut ratio postulat, & honestatis causa: quoniam is est finis Virtutis.* In quo ipso clauditur, quod & singillatim postea docet: nimirum; abstinendum esse ab ijs peccatis, quæ incurruntur, ubi quis timet id quod non decet timere, aut non eo modo quo decet, aut non eo tempore quo decet: & si qua alia huius generis sunt. Concludit itaque, viri fortis esse, tum timere, tum & audere mediocriter: id est, ut oportet, & quando oportet, & honestatis gratiâ. Quod totum hoc ferè syllogismo consignari potest. Quisquis per timorem patitur ac perfert; per audaciam verò agit & aggreditur terribilia pro dignitate; id est, quemadmodum præscribit ratio & honestas; is sine dubio est vir fortis. At qui timet & audet mediocriter, per timorem patitur ac perfert; per audaciam verò agit & aggreditur terribilia pro dignitate; id est, quemadmodum præscribit ratio & honestas. Ergo qui timet & audet mediocriter, est vir verè fortis.

6 ADDIT Arist. cuiuslibet actionis finem esse id, quod habitui congruit. Nimirum, ut interpretatur S. Thomas, finis cuiuslibet actionis studiosæ, siue secundum Virtutem, debet esse consentaneus habitui ex quo procedit actio, eique correspondere per quandam similitudinem, quemadmodum effectus responderet naturali causæ. Nimirum, habitus ex consuetudine procreatus agit quoddammodo instar naturæ, cum consuetudo sit quasi natura altera: ut docet Arist. lib. de Memoria. Ergo quemadmodum finis ultimus agentis naturalis est bonum Universi, quod est bonum simpliciter perfectum; finis verò proximus est expressio sui & propagatio per similitudinem in effectu producto; ita etiam finis ultimus moralis Virtutis est honestas universæ: finis autem proximus similitudo sui, quam exprimit & producit in actu. Vnde & colligitur, quod ipse docet, finem omnium actionum viri fortis debere esse honestum; id est, ipsum nihil acturum, nisi honestatis causa. Quod optime exponit Giphanius hoc syllogismo. Quæ habitus est finis, eadem est & actionis, quæ ex habitu proficiscitur. Atqui fortitudinis finis est honestum. Ergo & actionum fortitudinis, id est, omnium quæ agit vir fortis, finis quoque erit honestum, id est, omnia agit honestatis gratiâ.

7 CIRCA Secundam partem disserit de actibus vitiorum, quibus Fortitudo interi-

citur, ut mediocritas quædam. Quod ut explicet, statuit, tria vitia esse opposita Fortitudini. Primum, idque inusitatum, consistit in illâ ferocitate animi, quâ nonnulli nihil omnino timent, quamquam supra hominem sit. Cuius exemplum in Celtis propositum ab Arist. paulo antè observavimus. Et fortasse aliud opportunum considerare licet in Bruto, qui Cæsarem Dictatorem interfecit, de quo legitur apud Plutarchum, nihil commotum fuisse, nec timuisse viso sibi per noctem horribili spectro sui mali Genij. Verba Plutarchi in Vita eiusdem Bruti hæc sunt: Cum ex Asia trajecturus esset exercitum, noctis conticinio Luna non admodum lucebat: totus autem exercitus tenebatur silentio. Brutus verò volvens aliquid animo & reputans secum, visus est aliquem ingredientem sentire. Respicens ad ianuam cernit dirum & prodigiosum spectrum immanis & horrendi corporis. Sustinens rogante, Quisnam, inquit, aut hominum, aut Deorum tu es? aut quâ de causâ ad nos venisti? Subiecit ei spectrum: Tuus sum, Brute, malus Genius. in Philippis videbis me. Cui, nihil percussus Brutus, Videbo, inquit. Eo ex oculis elapso, pueros suos vocavit, qui neque audisse voem asseruerunt, neque se conspexisse visionem ullam. Hæc Plutarchus, ex quibus non immeritò colligas in Bruto quoddam impaviditatis genus insolitum, ac monstruosum in homine, quodque proprio nomine caret, quamvis utcumque dici possit *aprobia*, id est, *vacuitas timoris*. Verè autem exorbitat à propriâ Fortitudine: cuius non est immanem reddere animum, aut ferocem, qui proinde nihil omnino metuat, nec doleat.

8 CONFIRMAT Doctrinam eandem lib. 8. Politic. cap. 4. ubi disserit adversus Lacedæmones, quod cum vellent adolescentes suos fortes reddere exercitatione gymnasticâ, potius effretos facerent. Etenim sic eos assuefaciebant verberibus, plagis, ac vivicibus, ut diurnâ eorum perpessione, potius indoctos, quam fortes evaderent. Verba sunt: Lacedæmones in hoc quidem non errant, sed effretos laboribus reddunt adolescentes, quasi hoc vitium maxime sit ad fortitudinem comparandum. Atqui, ut iam sæpius diximus, neque ad unam virtutem, neque ad hanc maxime respiciendum est ab eo, qui curat institutionem. Quod si ad hanc, non tam id consequuntur. Neque enim alijs animantibus & gentibus effretissimis inesse fortitudinem videmus, sed potius mansuetioribus, & leoninis moribus: multæque sunt gentes, quæ ad eandem hominum, & ad eorundem quoque comestionem insultant, ut circa Pontum Achai, & Heniochi, & ex Mediterraneis aliæ nationes similes ijs, vel magis effretæ, quæ quidem clanculum per insidias

latrocinatur: ad opera tamen bellica nihil valent. Hæc ibi, quæ sic in syllogismi formam proponi possunt. Si ferocitas & nullus omnino metus circa quælibet terribilia, esset aliquid conforme Fortitudini, quæcumque gentes feroces & omnino impavidæ sunt, excellere bellicâ Fortitudine. Atqui experimento patet, gentes eiusmodi non excellere Fortitudine bellicâ, immo & nihil ad bellica opera valere. Ergo quia ferocitas & nullus omnino metus circa terribilia quælibet, non est aliquid conforme Fortitudini. Hæc igitur ut ea immanitas nimium à verâ Fortitudine exorbitet.

9 RELICTO Autem eo vitio, quod monstruosum & inusitatum est, transit ad exponenda duo alia, quorum alterum invenitur in eo, qui nimium audet & confidit, ac proprio nomine dicitur ἀλαζών, id est, *audax*; sicut & vitium ipsum, ἀλαζονία, *audacia*. Cuius vitij notam sive signum esse docet, quod sit arrogans, gloriosa, & veræ Fortitudinis simulatrix. Vnde & oritur ut audaces apud imperitum vulgus censeantur fortes, quatenus videri volunt & haberi imperterriti, quamvis reverà non sint. Idque experimento patet, nam in periculis constituti, potius ignominiosam fugam arripunt, quam ea aggrediantur aut perferant. Et ut habet Dionys. lib. 20. *totus illorum splendor, non in armis, sed in verbis est positus*. Talis fuit Iubellius ille Campanus apud Livium l. 2. & Aristogiton Atheniensis, qui cum multis diebus de Fortitudine in bello animosè disputasset, postea in ipso belli præcinctu, crure obligato morbum simulavit, ut in domum reverteretur. Talis etiam fuit apud Aristophanem Pisander quidam admodum arrogans, & adeo timidus, ut eius causa in proverbium abierit, *Ignavior Pisandro*. Tales quoque apud Plautum Comici Thraiones, & Pyrgopolynices; sicut & apud allegatum Livium lib. 7. milites quidam, *in castris feroces, in acie pavidi*. Sic & apud Homerum lib. 4. & 5. Iliados Troiani maximo strepitu, ut iactabundi & gloriosi; Græci autem silentes, sed fortiores, in aciem descendunt. Merito & huc advocat Giphantius illud Appiani commemorantis prælium inter Consules, Hircium & Paulam, ac Marcum Antonium: quorum milites veterani silentes magnâ animi Fortitudine præliati sunt: tyrones verò vociferantes, & confuso clamore, inæquali tamen virtute. Similiter & vetus illud, *audaces esse maledicos, & verbosos, non item fortes*, qualiter apud Virgilium 10. *Æneidos*,

vesano talia latè
Dicit volans Ligeri sed non & Troius besos
Dicit parat contra: iaculum nam torquet
in hostem.

Sed celebrior locus est alter lib. 11. ubi Turnus sit obiurgat Drancem loquacem pariter & ignavum,

*Larga quidem semper Drance tibi copia
fandi,
Tum cum bella manus possunt, patribusque
vocatis,
Primus ades: sed non replenda est curia ver-
bis,
Quæ tunc tibi magna volant, dum distinctet
hostem
Agger murorum, & inundant sanguine
fossa.
Proinde tona eloquio, solitum tibi, meque ti-
moris
Argue tu Drance, quando tot cedis acervos
Teucrorum tua dextra dedisti, passimque
trophæis
Insignis agros.*

Et post pauca:

*Imus in adversos? quid cessas? an tibi Ma-
vors*

*Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?*

Procul grandiloquentia hæc a verâ Fortitudine: cuius laus propria est illa lugubritas apud Sallustium, *plurimum facere, & minimum de se loqui*. Et similiter illa, quæ Euripides in *Suppl.* Tydæum celebrat:

*Τυδείως δ' ἰπαινον ἐν βραχέϊ θήσω μέγαν,
Ὅν ἐν λόγοις ἴων λαμπρός, ἀλλ' ἐν ἀπείδει
Δανῆς σοφιστῆς.*

*Tydei laudem magnam unico verbo absol-
vam:*

*Non erat clarus in loquendo: sed in ἑγυπέο
Acer Sophista.*

10 ALTERVM Denique vitium Fortitudini oppositum, & in defectu consistens, est ignavia, seu timiditas. Eiusque duos actus designat: quorum prior est, omnia metuere: posterior, nihil confidere. Verum addit, priorem illum esse magis præcipuum ignavo, qui potius denominatur ex eo quod pericula omnia metuat, & labores effugiat, quam quod nihil omnino confidat, sive audeat. Deinde, sicut supra docuit arrogantiam esse veram notam audacia, sic & modo asserit, vacuitatem spei esse ignaviae seu timiditatis indicium. Neque enim spes potest in eo residere, qui omnia metuit, & nihil audeat: sed in eo tantum, cui fiducia est, qualiter viro forti, qui in omnibus bene sperat, quoniam Virtus ipsa Fortitudinis confidentiam parit.

11 CIRCA Tertiam partem comparat Fortitudinem quibusdam referentibus cum eâ similitudinem, quæ tamen procul a solidâ Fortitudine sunt. Pro cuius intellectu notandum ex prædictis, eandem esse materiam Fortitudinis, & duorum eius extremorum; nimirum, terribilia & pericula bellica: nisi quod diversimodè circa ea se habeant: Fortitudo quidem mediocriter ea perferendo & aggrediendo, id est, iuxta mensuram rationis; audacia autem

excedendo, & ignavia deficiendo. Verum modo dissimilitudinem audacis à forti esse ait, quod audax ante ipsum periculum præcepit & cupidus est; in ipso autem periculo positus, terga vertit, sive segniter se habet. Contra autem vir fortis, ante ipsum periculum quietus & lenis est; in eo autem positus, fervide & animose procedit. Rationemque assignat Burleus: quoniam audaces moventur, non consilio aut ratione, sed impetu perturbationis; ac propterea præcipientes sunt, ut ad pericula convolent; sed in ijs positi retrocedunt victi difficultate rei, quam antea non satis expenderant, nec suis viribus rectè commensuraverant. Fortes autem viri ex adverso, nihil agunt perturbationis impetu, sed ratione & consilio: ideoque antequam se constituent in periculo, quieti ac tranquillo animo sunt: constituti autè viriliter & strenuè operantur, nulloque modo à difficultate exterrantur: utpote quam antea maturè secum expenderant, & proprijs viribus commensuraverant. Quæ cautio planè est viri fortis ac prudentis, & cœlestibus oraculis commendata, dum Christus D. in Evangelio ait: *Quis rex iturus committere prælium adversus alium regem, non sedens prius cogitat si possit cum decem milibus occurrere ei, qui cum viginti milibus venit ad se?*

12 ITAQUE Quamvis audax specie fortis præ se ferre videatur, verè fortis non est: quia vera Fortitudo non in temeritate, aut imprudenti ausu, neque etiam in timore immodico consistit: sed tantum in mediocritate circa terribilia: iuxta quam id solum eligit & perfert, quod honestum est; id verò quod turpe est, fugit.

13 DENIQUE Comparat fortem cum alijs, qui videntur apud vulgus fortissimi, cum tamen potius ignavi, seu extremè timidi existimari debeant. Ij verò sunt qui ad fugiendas huius sæculi calamitates, quibus nimium anguntur, exitiales sibi manus inferre non dubitant. Quam verò longe sint à Fortitudine, demonstrat duplici ratione Philosophus. PRIMÀ est. Qui quis terribilia aggreditur eo solum fine, ut laboriosa fugiat, non tam est for-

tis, quam timidus seu ignavus. At qui sibi mortem infert, aggreditur terribilia eo solum fine, ut laboriosa fugiat. Ergo non tam est fortis, quam timidus, seu ignavus. SECUNDA. Quisquis verè fortis est, eligit quod honestum est, dum aggreditur, seu perfert terribilia. At qui sibi exitiales manus affert, non eligit quod honestum est, quamvis aggrediatur, seu perferrat terribilia. Non enim honestum est, sed turpe, & molle, timiditatisque plenum, eligere voluntariam sui ipsius eadem, ad alia incommoda fugienda. Ergo qui sibi exitiales manus affert, verè non est fortis. Priori ratione ex duabus prædictis usus etiam est in idem probandum S August. lib. 1. de Civit. cap. 21. sicut & Plutarchus in vita Ciconis prope finem, ac Iosephus lib. 3. excidij Hierosol. ca. 21. Quippe sententiam Arist. veram censent, quamvis mirabilem: & *ωαγάδοξον*, utpote alienam à vulgo, cui alte persuasum est, fortissimos esse, quotquot sibi ipsis manus iniiciunt, & mortem afferunt. Ideoque populari existimatione inter fortes feminas numeratæ sunt, quæ amoris causâ se ipsas occidisse leguntur: ut Procris, Dido, & Eriphyie. Similiter & ex viris, qui cibi abstinentiâ extitere sibi causa mortis, & dicti sunt *ἀνοξαγρέδωτες* apud Ciceronem lib. 1. de Finibus: ut obiit ipsius Ciceronis Atticus, & Anaxagoras Philosophus, teste Plutarcho in vita Periclis. Item & qui sibi ipsis necem intulerunt, ne in hostium potestatem venirent: qualiter Demosthenes, Scipio, Cato, Brutus, Cæsius, & Fannius ille, de quo Martialis ludit:

Hæstem cum fugeret se Fannius ipse peremit:

Dic mihi non furor est, ne moriari, mori?

Præterea & alij, qui idipsum præstiterunt ambitione quadam immortalitatis: ut Empedocles, & Calanus apud Plutarchum in *Alexandrio*, & Zarmanus apud Dionem, & Peregrius Porteus penes Lucianum in *ipsis vita*, alijque similes. Verum eos omnes ab albo fortium excludit Arist. contra vulgi opinionem.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 125. 126. & 127. atque illius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd quinque modi Fortitudinis non vera.



Icuntur & aliæ fortitudines quinque modis. Atque prima est ipsa civilis. Maximè autem similis est. Cives enim ob increpationes, quæ sunt ex legibus, & probra, honoresve, pericula subeunt: & propterea fortissimi quidem videntur esse,

esse, apud quos timidi quidem infantes sunt, fortes autem afficiuntur honore. Tales & Homerus affert, ut Diomedem, ac Hectorem. Dicit enim Hector:

Nam me Polydamas ante omnes ipse reprendet. & Diomedes:

Inter enim dicit Troianos optimus Hector,

Tydides metuens puppes confugit ad altas.

Hæc autem ex eo maximè similis est ei, de qua supra diximus, quia fit ob virtutem. Ob pudorem enim, & appetitionem honestæ rei, honoris, inquam, & ob fugiendam reprehensionem, quæ quidem est turpis. In eodem posuerit quispiam & eos, qui compelluntur à magistratibus. Verùm deteriores eò sunt, quòd non ob pudorem, sed ob metum id faciunt: & fugiunt non rem turpem, sed molestam.

Cogunt enim ij, qui potestatem habent, ut Hector:

Quem procul à pugna trepidantem fortè videbo,

Is canibus fiet, fiet quoque vulturis esca.

Idem faciunt & qui imperant: & si recedunt, verberibus afficiunt. Et ante fossas, & huiusmodi loca, construunt aciem: omnes enim cogunt. At non necessitate, sed quia res est honesta, fortem esse oportet. Videtur etiam & ipsa singularium rerum peritia fortitudo esse. Quapropter & Socrates fortitudinem, scientiam esse putavit. Tales autem alij quidem in alijs sunt: in rebus autem bellicis milites. Sunt enim in bello complures vanæ, quæ quidem maximè ipsis sunt notæ. Atque ideo fortes videntur, quia quales sunt illæ, alij nesciunt. Deinde & adversarios offendere, & se ipsos tueri maximè experientia possunt, & evitare hostis conatus, & illum percutere, cum armis uti possint, & talia habeant, ut & ad faciendum sint & non patiendū aptissimi: quibus efficitur, ut ipsi tanquã adversus inermes armati, & tanquam adversus rudes ludi magistri, decertent. Etenim in huiuscemodii certaminibus, nō ij sunt pugnacissimi, qui fortissimi sunt, sed ij, qui vires amplissimas habent, & optimè sese habent corporibus. At vero milites tunc timidi sunt, cum excrevit periculum, & inferiores sunt copijs, ac apparatu. Primi namque fugam arripiunt: urbanæ verò copię manēt, atque intereunt, quod quidem & in Hermæo accidit. Hæc nanque turpe fugere, & mortem tali salutis præferendam esse censent: illi vero ut superiores ab initio sese obiectant periculis, re autem intellecta fugam arripiunt, mortem magis, quàm dedecus formidantes. Sed vir fortis non est talis. Atqui iram etiam ad fortitudinem referunt. Fortes enim & ij videntur, qui ob iram feruntur perinde, atque fera, in eos, qui ipsos vulnere affecerunt: quia & fortes concitantur ira. Est enim ira, res impetuosissima ad aggredienda

pericula. Quapropter & Homerus dixit: Vires iniecit iræ. Et, Animum ira concitavit. Et, Acuta per nares vis. Et, Efferbuit sanguis. Hæc enim vniversa iræ concitationem, impetumve significare videntur. Fortes igitur ob honestatem agunt, & ipsis opem ira subministrat: feræ autem ob dolorem, quia nanque vulnus accep erunt, vel quia timent. Nam si suis in lustris sint, non invadunt. Non igitur sunt fortes, propterea quòd à dolore concitatae, ac ira, ad periculum irruunt, nihil providentes malorum. Nam hoc modo & ipsi asini, cum esuriunt, fortes essent: non enim à pabulo verberibus dimoventur. Adulteri quoque propter libidinem multa audent. Non igitur fortes sunt, qui ob dolorem, ac iram, ad pericula compelluntur. Maximè autem naturalis ea esse videtur, quæ est ob iram, & esse fortitudo electione sumpta, sineque: & ipsi etiam homines, cum irascuntur, dolent: cum vlciscuntur, capiunt voluptatem. Qui autem propter hæc agunt, pugnaces quidem sunt, at non fortes. Non enim ob honestatem agunt, nec ut ratio præcipit, sed ob ipsum affectum. Aliqua tamen ex parte sunt similes fortibus: Nec etiam ij, qui sunt spe freti, sunt fortes: nam ex eo quia sæpe, multosque vicerunt; fiduciam in periculis habent. Sunt autem similes fortibus, quia vtrique confidunt: sed fortes quidem ob eas res, quas paulò antea diximus; illi verò quia se superiores esse putant, & nihil vicissim suscepturos mali. Tale & ipsi ebrij faciunt. sperant enim omnia sibi prosperè evenire: cum verò non eveniunt ipsis talia, fugam arripiunt. At viri fortis erat, res eas, quæ sunt hominibus, & videntur formidolosæ, ferre: quia honestum est ferre, & turpe non ferre. Quam obrem & magis fortis esse videtur, subitis potius in terroribus interritum esse, ac sine turbatione, quàm improvvisis. Est enim ab habitu magis, aut minus ex apparatu. Nam antea visa, cogitatione, & ratione quispiam eliget. At ea, quæ repente eveniunt, habitu. Fortes etiam esse videntur & qui ignorant: & sunt non longè ab ijs, qui spe freti confidunt. Deteriores autem sunt, quantum dignitatis nihil habent, illi autem habent: quapropter & aliquo tempore manent. Hi verò decepti, si cognoverint, vel suspicati fuerint aliud esse, quàm putabant, fugiunt. Quod quidem Argivis contigit, cum in Lacedæmonios, tanquam in Sicyonios incidissent. Dictum est igitur qualesnam sunt ipsi fortes, & ij quoque, qui fortes esse videntur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Fortitudinis non vera esse quinque modos, quibus id nominis tralaticie adaptatur. Differit de singulis eorum, & unumquemque discernit à solida Fortitudine.

POSTquam Arist. explicuit Fortitudinē cum suis extremis comparatam, proponit nunc quinque species Fortitudinis non veræ, sed adumbratæ; quibus proinde Fortitudinis nomen tralaticie tribuitur καὶ ὁμοίότητι, propter similitudinē. Quod idem argumentum elucidat *lib. 3. Eudem. cap. 2. & in Magnis Moral. lib. 1. c. 19.* Dividitur verò caput in quinque partes, iuxta numerum modorum Fortitudinis simulatæ, aut non veræ. In prima agitur de Fortitudine politicâ, quæ honoribus aut pœnis incitatur. In secundâ de militari, solâ arte aut experimento comparatâ. In tertiâ de eâ, quæ ex ira aut timore procedit. In quartâ, de confidente, ac victoriâ sibi promittente. In quinta denique de illa, quæ procedit ex cognitione periculi. Conveniunt eæ omnes species fucatæ cum verâ Fortitudine in quadam ἀφοβία, scilicet, *vacuitate timoris*, quâ animus paratus utcumque est ad pericula subeunda. Differunt autē generatim ab eâ, quòd sola illa sit constans & perpetua, vixitè verus habitus: sola item honestatis gratia operetur: fucatæ verò species nec constantes sint, quippe quæ habitus rationem non habeant, nec honestatis amore agant, sed longè alio fine. Diferimen verò uniuscuiusque illarum in singulari à Fortitudine verâ, apparebit ex progressu.

§. I.

De primâ specie Fortitudinis fucatæ, quæ est Politica, seu Civis.

2 PRIMA Species est Politica, seu Civilis: & in ijs ceruitur, qui pericula bellica aggrediuntur quidem, ac perferunt; non tamen honestatis gratia, sed vel ut fugiant pœnas à lege præscriptas aduersus eos, qui ab acie fugiunt; vel ut obtineant præmiū à Principe aut Republica promissū strenuè præliantibus. Vnde ortū est, ut communi exitimatione fortissimi habeantur ij cives, apud quos maxime decreta sunt fortibus præuias, aut ignavis supplicia: qualiter apud Germanos iuxta Tacitum *lib. de Moribus German.* & apud Lacedæmones, iuxta Plurarchum in *Comone.* Apud Romanos quoque ignavis exremum indicabatur supplicium *l. Omne delictum, ff. de re milit.* & plura alia infamiae genera: de quibus Cicero, Gellius, Frontinus, & Gellius varijs locis. Rem verò illustrat Aristot. testimonio Homeri: apud quem Hector & Diome-

des videntur dedisse exemplum politicæ fortitudinis, ducti solo infamiae timore. Hector namque, cum secum deliberare, atque honestius arbitraretur exire ad congregiendum cum Achille, quam sese recipere intra mœnia Troiæ; licet in hoc esset maior securitas, in illud prius inclinat: ne si certamen recuset, Polydamas ipsum convicijs oneret, atque ignaviae accuset. Vnde & aiebat Hector *Iliad. 12.*

Πολυδάμας μοι πρῶτος ἐλαχθεῖσιν ἀναθήσει.

Polydamas secundum primus mihi crimen inuret.

3 Similiter & Diomedem *lib. 8.* Nestor dehortatur ab incundo certamine cum Hectore, qui invictus habebatur. Verum Diomedes potius civili fortitudine, quam bellica respondet, se nolle reculare certamen, ne aliquando gloriatur Hector, quod cum in fugam converterit. Vnde & aiebat.

Ἐκ τῶν γὰρ ποτὲ φήσας ἐνὶ Τρώεσσι ἀγορεύων Τυδείδης ὑπ' ἐγείρο.

Dicit enim Troes inter fortissimus Hector, Tyides metuens evasit.

4 NVNC Videamus similitudinem, atque dissimilitudinem huius fortitudinis politicæ cum illa solida ac vera. Porro similem esse, & longè magis quam ceteras postea explicandas, docet Arist. quoniam hæc proximius ad veram Fortitudinem accedit, siquidem præ alijs appetit, seu quærit finem honestum. Appetitio enim præmiij militaris, & fuga ab infamia aut dedecore, honestum quiddam est: Dissimilis autem præterea est, quòd solida Fortitudo quærit honestum gratia ipsius honestatis: fucata verò & politica, quamvis quærat quod honestum est, non tamen gratia honestatis, sed propter præmiū, sive ob vitandū dedecus: quod est aliquid vile. Patet verò nimium differre inter hoc quod est quætere honestum quia vile est, aut quia honestum est. In hoc enim posteriori præ illo resplendet nobilitas solida, & ingenua Virtutis; cuius est quætere honestum, quia honestum est, independenter ab vili.

5 IN Speciem eandem videtur reducere Aristoteles eos, qui fortiter in bello agunt, sed coacti à Principibus. At revera deteriores esse ait præcedentibus: quia non operantur ob verecundiam, sive ad vitandum dedecus, in quo aliqua honestas est; sed tantum propter merum: neque eo fine, ut fugiant id quod est turpe, sed quod molestum est. Contingit autem hoc pluribus modis indicatis

ab

ab Aristot. *Primus* est, quando gravis pœna, etiam mortis, proposita est à Principe militiæ, ut milites cogantur fortiter pugnare. qualiter proponitur, non ab Hectore, ut ex lapsu memoriæ existimavit Aristot. sed ab Agamemnone apud Homerum *lib. 2. Iliad.* illis carminibus:

Ὅτ' οἱ κ' ἴγαν' ἀπὸν εὐλοῦ μάχης ἀλώσσειν τὰ

κνήσῳ,

Ὅν οἱ ἀπικνέει σπέρται φυγέει κύναι.

Quam procul à pugna fugitantem forte videbo,

Non sic ille canum poterit vitare rapinas.

Scilicet, quisquis fuga è prælio se subduxerit, deputabitur in escam canum, ut & cætera punitorum cadavera. Quamvis etiam Hector alio Iliadis loco *lib. 15.* eandem ferè pœnam iudicat. unde occasio fuit Aristot. adtribuendum Hectori versus præictos, qui tamen solius Agamemnonis sunt. Et hanc ipsam oblivionem correxit idem Philosophus *lib. 3. Politic.* *Secundus* modus vrgendi milites est, quando præfecti aut duces belli, qui locant milites in primâ acie, verberant eos, qui locum sibi assignatum deserunt. Sic olim à Persis factum in Thermopylis adversus Lacedæmonios scribit Herodotus, quem hoc loco allegat Giphanius. Idemque ferè olim apud Romanos in more fuit teste Livio *lib. 5.* ubi, *Fustuarium*, inquit, *meretur qui signa relinquit, aut præsidio decedit.* Et in Epitome eiusdem Livij *lib. 58.* legitur Scipionem, dum ad Numantiam corrigeret disciplinam militarem, solitum cedere militem e suo loco recedentem, sustibus, si Romanus esset; vitibus autem, si extraneus. Quæ pœna affinitatem habet cum verberibus, de quibus loquitur Aristot. quamvis absolute alia sit. Tertius modus cogendi milites est, cum fossa à tergo obijcitur exercitui, nequis retrocedat. Quod Lacones olim fecisse in prælio adversus Mænenios observat hoc loco Eustratius, & Paulanias in *Messenis* testatur. Idem ferè præstitit apud Romanos Odasilius Crassus Consul: cum milites, qui ad se redierant, missi sub iugum ab Annibale, compellebat ut essent extra vallum. quo, nimirum, indetenti, nec habentes asylum, auerterent periculis, & in hostem ardentius prosilirent. Quod etiam fecit Domitius Corbulo, & alij multi, de quibus Frontinus *lib. 4. Stragtagematum ca. 1.* dilierit. Plures alios cogendi modos indicat generatim Aristot. illis verbis, καὶ τὰ τοῖστων, & aliorum huiusmodi.

§. II.

Secunda species Fortitudinis impropria, ex usu & peritiâ.

6 **S**ECUNDA Species minùs propriæ Fortitudinis dicitur ab Aristotele in præ-

senti *ἡ ἐμπειρία*, id est, ex usu & peritiâ. Quod idem docet in *Magn. Moralibus & lib. 3. Eudem.* Nec bene Gallus censet, illam militarem posse appellari, quoniâ à militibus sumuntur eius exempla. In oppositum enim est, quod Aristot. longè magis communè, & non solum ad militaria extendendam velit eiuusmodi appellationem, dum ait. *Atque etiam omnis in quaque re experientia fortitudo quadam videtur.* Constat præterea, dictam fortitudinis speciem, non solum habere locum in militibus ijs, qui longâ experientia & exercitatione in prælijs didicerunt quomodo se gerant in periculis bellicis: sed etiam in pluribus alijs, quis milites non sunt, & tamen usu ipso ac peritiâ animos sibi fecerunt ad versandum in periculis vitæ. Id palam cernitur in nautis impavido animo scandentibus malos, aut perferentibus procellas: in vrinatoribus quoties profunda maris scrutantur: in medicis, qui grahante lue non timent visitare infirmos: in fabris quando supra recta & regulas editissimorum templorum ambulant: in athleticis, quoties luçatur cum aliquo vitæ discrimine: & denique in funambulis, qui intrepide procedunt, etiam cum iam iam casuri videntur. Porro eorum omnium dexteritâs experimento cõparata, videtur fortitudo quadam: ideoque Socrates putavit Fortitudinem esse scientiam, sive peritiâ quadam rerum formidolosarum & contrariarum: atque in eadem opinione fuit Plato in *Lachete, & Protagora.*

7 **VERVM** Contrâ arguit Aristot. Quicumque enim hanc secundam Fortitudinis speciem nacti sunt, non propterea sunt fortes quod intelligant & sciant res formidolosas: sed quoniam usu frequenti, & longâ rerum terribilium experientia, didicerunt quibus præsidijs & adiumentis se tueri possint adversus pericula ingruentia: ut idem docet *lib. 3. Eudem. cap. 1. in fine.* Ergo cum aliunde constet plures ex prædictis ignavos esse, & proinde carere solidâ Fortitudine, conlequens est ut hæc non consistat in scientiâ, seu peritiâ rerum formidolosarum & contrariarum. Quare duo solum præstat beneficia veteranis militibus scientia prædicta. Vnum est ut probe perspectum habeant multiplici experimento, multos esse terrores vanos, multa inania in bello: quibus ij nullatenus exanimantur, tyrones autem expavescunt subito, & in fugam se committunt. Cuius doctrinæ optimum exemplum affert Giphanius ex Cæliare *lib. 1. de bello Civili*, illis verbis: *Tantus subito timor omnem exercitum occupavit.* & c. Aliud quoque simile est apud Curium *lib. 7.* ubi inquit: *» Ea res, sicuti pleraque belli vana & inania* *» Barbaros ad deditionem traxit. Barba-* *» ri enim, paucis conspectis, qui Petra fa-* *» stigium inermes occuparant, eos armatos* *» esse*

esse rati, & longè plures quàm essent, exter-
 riti sunt, & hosti se permiserunt. His accen-
 dendum quod Tacitus *lib. 1. Annal.* testatur,
 cum Luna pene clarior cœlo visa esset languet-
 cere, Pannonicas legiones tumultuantes fuis-
 se terrore cohibitas, veluti religione iniecta.
 Porro ij terrores ab Arist. & alijs memorati
 sunt similes ijs, quos panicos dicimus, voce
 desumpta à Græcis, qui eos *πανικός* neutro ge-
 nere appellant. Nimirum sunt terricationes
 quædam inanes, & consternationes subitæ ani-
 mi, quas Ethnici putabant immitti à Pane deo,
 lymphaticis simillimas. De quo legendus Eras-
 mus in *Adagijs chiliade 3. centur. 7.* in illud
 adagium *Panicus casus*: ex quo plura huc tran-
 stulit Gallutius ad exornandum Aristotelis
 textum, quæ brevitatis causa omitto. Vnum ta-
 men est quod dissimulare nõ oporteat, aliquã-
 do tantum esse posse terrorem, & adeo insoli-
 tum, ut excusandi videantur vel ipsi fortes &
 strenui viri, si tantisper commoveantur & ti-
 meant. Quod observat idem Erasmus ex Pin-
 dario in *Nemæis*, vbi accinit:

Εν γὰρ δαιμονίοισι φόβοισ

Θεῶν ἰσχυροῖσι καὶ παῖδες Θεῶν.

In divinis enim terroribus,

Fugiant etiam filij Deorum;

8 ALTERVM Beneficium, quod
 præstat militibus fortitudo experimentalis
 prædicta est, ut postquam optime in ea exer-
 citati sunt, sciant optime uti armis, adver-
 sarium ferire, declinare ictus, & tueri seip-
 sos. Unde & faciunt sibi animos, & timorem abij-
 ciunt: quia, ut observat Vegetius *lib. 1. cap. 1.*
 sciëntia rei bellicæ nutrit audaciam militandi:
 nam nemo metuit facere id, quod se didicisse
 confidit. Etenim in certamine bellorum exer-
 citata paucitas ad victoriam promptior est: cu-
 dis & indocta multitudo exposita est semper ad
 eandem. Hæc ille, quibus mirè consonat Ari-
 stotel. in præsentia dum ait, milites expertos,
 & dimicandi peritos, armisque & prædijis
 opportunis instructos, valentissimos esse ad
 agendum, & nihil patiendum. Pugnant enim
 cum plebeijs, sive, quod perinde est, cum tyro-
 nibus, aut rudibus adversarijs, quati armati
 cum inermibus, & veluti athletæ cum novitijs.
 Redditque rationem: quia in his certaminibus
 non fortissimi quique pugnacissimi sunt: sed
 qui plurimum valent viribus, optimeque cor-
 poribus affecti sunt.

9 IAM Verò eiusmodi peritiam dex-
 teritatemque longè esse à verâ Fortitudine,
 probat ab effectu. Quisquis enim periculo emi-
 nente, aut propter inferiorem apparatus, &
 minores copias, ignavam se ostendit, is plane
 nimium à solida Fortitudine distat. At eiu-
 smodi milites periti & dextri, periculo emi-
 nente, aut propter inferiorem apparatus, mi-

norelvè copias, ignavos sese ostendunt. Ergo
 ij nimium distant à solida Fortitudine. Assump-
 tionem, in quâ posset esse difficultas, probat
 experimento apud Hermæum habito: nimi-
 rum, apud planitiem quandam prope Coro-
 næam Beotiaæ urbem: vbi olim Coronæi forti-
 ter pugnantes contra Onomarchum, Phocen-
 sium hostium suorum ducem, qui iam prodi-
 tione occupaverat urbis arcem, omnes occu-
 buerunt. Verum Thebani, qui auxilio ijs ve-
 nerant, contrà se habuerunt cognita enim
 morte Ducis sui Chæronis in fugam conversi
 sunt. Ita exponit textum Græcus Arist. inter-
 pres Eustratius ex Cephisodoro *lib. 12. de*
bello sacro, Anaximene *lib. 4. de r. bus gestis*
Philippi, & Ephoro *lib. 30.* Qui tamen Au-
 thores hodie non inventiuntur, ut monet in
 præsentia P. Victorius. Vbi supponit Aristot.
 Thebanos fuisse quidem in armis peritos, ac
 dextros. Colligit autem non fuisse verè for-
 tes, sed potius ignavos: quoniam eminente
 periculo, aut propter inferiorem apparatus,
 in fugam se receperunt; cum tamen deberent
 in eo prælio aggredi hostes, constanti atque
 impavido animo. Ergo potius ignavi, quam
 fortes extiterunt. Fortitudo enim solida ea est,
 ut turpitudinem magis, quàm mortem exti-
 mescat: ac proinde non dubitet vitam pro-
 fundere, vbi aliter honestas violanda est. Quod
 sanè perspectum habebat fortissimus ille Dux
 Hebræorum Iudas *lib. 1. Machab. cap. 9.* dum
 quosdam militum hortantes ad fugam sic ob-
 iurgat: *Abstet istam rem facere ut fugamus ab*
eis: & si appropiavit tempus nostrum, moria-
mur in virtute propter fratres nostros, & non
inferamus crimen gloriæ nostræ.

§. III.

Tertia species, sita in animositate quadam ex
furorè, & ira.

10 TERTIA Fortitudinis non soli-
 da species est, quam parit *βία*,
 id est, ira, aut furor, sive animo-
 sitas quædam; impellens aliquos ad actus val-
 de similes ijs, qui ex verâ Fortitudine pro-
 deunt. Etenim fortes iracundia excellunt, ea-
 que incitante aggrediuntur pericula. Unde
 & oritur ut priores illi vulgò fortes existime-
 tur. Eandem fortitudinem apparentem ob-
 servat in *Eudemys*, non solum ex ira profi-
 cisci, sed etiam communiore ex causa, *βία*
πάθος, ex passione, sive perturbatione: ve
 ex amore, aut cupiditate, aliave simili af-
 fectione: ex quâ interdum quis sibi facit ani-
 mos, & concitatur ad terribilia aggre-
 dienda. De hac igitur specie docet partim
 esse similem, partem dissimilem Fortitudini
 veræ.

11. PRIOREM Partem probat haec ferè ratione. Quaecumque inclinant ad similes actus, planè similitudinem habent inter se. At iracundia, siue furor inclinatur in actus similes, quos parit Fortitudo. Ergo iracundia, siue furor & fortitudo habent similitudinem inter se. Assumptum probat Aristoteles ex varijs Homeri carminibus, seu potius centonibus, quale est illud: *ὄβριος ἐμβάρε θυμῷ*. quod Turnebus vertit: *Additis & vires animi*. Et *μέγας καὶ θυμὸν ἔγχετο*. *Animos roburque citavit*. Et, *ἄριον δ' ἀρὰ πῖρας μέγας*. *Ingens per nares robur*. Et denique, *ἔχοντι αἶμα*. *Sanguis ferbit*. Quorum sensus est, furorem, siue iracundiam addere animis vires, excitare robur, & vehementi impetu sanguinem impellere, ac per nares emittere. Qui voluerit accuratam singulorum expositionem, adeat Giphanium in Homero veratissimum, qui singula carmina, excepto ultimo, proprijs locis consignat. Ij verò actus similes sunt actibus Fortitudinis veræ: quæ est assumptio illius syllogismi, & sub hanc formam suaderi potest: Quoniam actus veræ Fortitudinis præferunt animositatem, & robur, & impetum quendam. Fortitudo enim vitatur irâ, tanquam affectione sibi cognata ad operandum viriliter, & aggrediendum terribilia. Atqui actus ex iracundia, seu furore profecti, etiam præferunt animositatem, & robur, & impetum quendam. Ergo actus ex iracundia, seu furore profecti, sunt similes actibus veræ Fortitudinis.

12. POSTERIOREM Partem, scilicet, fortitudinem ab iracundia, seu furore profectam, esse longè dissimilem veræ Fortitudini, probat: Quia longè inter se differunt, & valde dissimilia sunt ea, quorum vnum inclinatur ad operandum honestatis gratia, alteram verò non gratia honestatis. Atqui veræ Fortitudo inclinatur ad operandum, scilicet, ad perferendum mala, & aggrediendum terribilia, honestatis gratia: prædicta verò fortitudo ab iracundia, aut furore procedens, non inclinatur ad perferendum mala & aggrediendum terribilia, gratia honestatis. Ergo vna & altera fortitudo longè inter se differunt, & valde dissimiles sunt. Minor, siue assumptio, in qua est dissidium, declaratur & probatur. Qui enim præditus est veræ Fortitudine, omnia honesti causa agit, siue ex fine honestatis & pulchritudinis, quæ in eadem virtute resplendet. Insuper neque aliquid agit aut patitur in aggrediendis terribilibus, aut perferendis malis, nisi perpensa, & prudenter considerata magnitudine periculorum: nimirum, prout recta præscribit ratio. Qui autem solum fortis est ex impetu iracundie, aut cuiusdam furori, non perferit mala, nec aggreditur terribilia honestatis gratia: sed solum vindictæ eu-

piditate, siue propter amorem, aut odiû, nulla habita honesti ratione. Insuper nec mature considerat, perpenditvè periculorum magnitudinem, prout præscribit recta ratio. Quod Arist. æquiparat modo operandi belluarum: quæ excitantur & commoventur, non gratia alicuius honestatis; sed vel propter dolorem acceptum à feriente, ut ulciscantur; vel ob timorem alicuius mali, quod impendens sibi apprehendunt. Probatq; ab experimento: quia si in silva, aut palude sint, vbi nec laudantur, nec timent, nullatenus aggrediuntur. Ergo quando aggrediuntur, id solum faciunt propter dolorem illatum, aut timorem incultum. Insuper & in asinis observat, fortes eo modo videri, cû esuriunt. Perferunt enim verbera dura, ne discedant à pastu: quoniam cupiditas replendi ventrem in causa est ad tolerandum terribilia. Ergo de primo ad ultimum, quicumque hominum ex sola iracundia, siue furore, aut cupiditate, aut alia perturbatione, perferunt dura quælibet, & aggrediuntur terribilia, non sunt præditi ea Fortitudine solida, quæ propria est homini secundum rectam rationem operanti: sed apparenti solum fortitudinis specie, qualis & in belluis cernitur.

13. CONFIRMAT Hoc ipsum exemplo adulterorum, qui propter cupiditatem multa pericula aggrediuntur, temerariaq; faciunt. Conscendunt enim tecta, cursitant nocte, & sese exponunt manifesto vitæ discrimini: ut passim accidit, & expendit Horatius *lib. Serm. 1. Serm. 2.* vbi de mæchis accinit:

*Audire est opera pretium, procedere rectè
Qui mæchis non vultis, ut omni parte laborent:*

*Uique illis multo corrupta labore voluptas,
Atque hæc rara cadat dura inter sæpe pericula.*

*Hic se præcipitem tecto dedit: ille flagellis
Ad mortem casus. fugiens hic decidit acrem,
Prædonum in turbam: dedit hic pro corpore
nummos:*

Hunc perminxerunt calones, &c.

Eademque est alterius amoris, seu libidinis ratio: quoniam eius stimulo acti per plures, terribilia aggressi sunt, & dura quælibet pertulerunt. Quod generatim Arist. iudicat, & exemplis omnium sæculorû, quæ veris, quæ fabulosis, constat. Talis fuit Leander ille celebris apud Ovidium & Martialè, qui ex Abydo Hellepontici litoris oppido ad Sextum è regione positum singulis noctibus transnatabat. Talis & apud eundem Arist. *lib. 3. Eudem, c. 2.* iuuenis ille, qui stimulo amoris percitus, ut suæ libidini faceret satis, ausus est, cõtempo vitæ periculo, Tyrannum potentè ac viribus longè superiorè aggredi & interficere. Talis & circa nostra sæpota adolescens ille, Galeatium nomine, Mævianus eques, de quo Pontanus *lib. 1. de Fortitud. cap. 26.*

testatur; puellæ causa se cum equo ex ponte præcipitem dedisse in Ticinum flumen. longè alio sanè instituto, quàm miles quidam Hispanus *Ruy Diaz* nomine. qui circa annum Christi M. D. XXI. apud Lucronium, alias Iulio-brigam, nobilissimam Rivogix urbem (cuius gratissimo cælo primâ ferè lucis vsurâ debui, & salutare Baptismi vndas, & educationem, & disciplinam in humanioribus litteris, & honores plurimos, tum parentibus meis, tum & mihi collatos. quod aliquâ Operum meorum parte testandum, & perenni hoc testimonio consignandum fuit, in gratitudinis tesseram.) cum ea obsideretur ab exercitu Gallix, præfectus custodiendo ponti, nihiùm edito; ut quemdam ex hostibus prohiberet ab eius ingressu, non dubitavit illum exertis brachijs complecti, seseque cum eo præcipitem agere in profundam Iberi voraginem. Vnde, suffocato in aquis adversario, victor & incolumis ad ripam processit. Quare tum ipsi, tum & ipsius posteris, à Carolo V. Imperatore, & deinceps ab Hispanix Regibus, annuis redditibus provisum est: vortexque ipse fluminis ab eo tempore appellatur, *el pozo de Ruy Diaz*. Hic certè longè alio fine, quàm Galeatius, in periculum adeo immane se coniecit. non enim ob explendam libidinem; sed honestatis gratiâ, nimirum, ut pontem sibi commissum, in quo præcipuum Patriæ suæ præsidium erat situm, plusquam vsque ad sanguinem tueretur.

14. SIMILES Præcedentibus sunt, qui avaritiæ, aut ambitionis causâ, alteriusve perturbationis, non dubitant quælibet dura & terribilia devorare. De avaritiâ quidem, observat id Arist. in *Eudemis*, dum ait: *Mercator quæstus gratia omnia maris pericula & naufragia contemnit*. Vnde illud Horat. *Epist. 1. lib. 1.*

per saxa per imbres
Impiger extremos currit mercator ad Indos.

De ambitione autem elegans est Ciceronis locus *lib. 2. Tuscul. QQ.* a Giphano observatus, ubi ille ait: *Quid de nostris ambitionibus? quid de cupiditate honorum loquar? quæ flamma est, quam non cucurrerint, qui hæc olim punctis singulis colligebant*. Verùm explicatius adhuc, & exemplo adhibito, rem illustrat, Alexander ab *Alex. lib. 6. c. 4.* apud quem, Empedocles Philosopher, cum Panthiam Agrigentium à gravi morbo curasset, atque ob id se penè colli pro numine animadverteret; immortalitatis & famæ ambitione incensus, ut in numerum Deorum traslatus videretur, montem Ætnam ascendit, atque in medios ipsius ignes se coniecit. Similiter & apud Sabellicum *lib. 5. c. 5.* Semiramis regina, gloriæ & famæ cauta, virilem sexum mentita, amplissimos ductavit exercitus, multos & magnos subijt labores, periculæque immensa, præsertim in bello Indico.

15. EANDEM Fortitudinis speciem ab ira, cupiditate, aliave perturbatione procedentem, & ipsis bellis communem, adscribit Aristoteles in *Eudemis* alteri, quam Barbarorum appellat: quoniam ij non tam ratione & consilio, quàm imperu quodam & animositate bella gerebant. Quod ipsum de Celtiberis observat Cicero *Tuscul. 2.* de Germanis Seneca *lib. 2. de Ira*, de Romanis & omnibus nationibus ad Occidentem positis Eustratius Scholiastes Græcus. Eosque omnes à verâ Fortitudine alienos esse, suaderi potest hoc syllogismo, ad mentem Aristotelis conformato. Si ij omnes, qui iracundiâ, aliave perturbatione commoti aggrediuntur pericula, essent verè fortes, etiam bellis conveniret solida Fortitudo, quoniam & illæ ex iracundiâ, aut perturbatione alia excitantur ad pericula subeunda. Atqui hoc falsum est. Ergo & illud.

16. ADDIT Arist. iracundiâ vulgò ac faciliè centeri, seu haberi loco Fortitudinis, quòd huic valde affinis secundum naturam esse videatur. Omnes enim fortes ex suâ naturali constitutione iracundi sunt, & sine aliquo iræ impulsu nihil fortiter fit. Iræ, inquam: nam de hac proprie accipiendum Aristotelem dum *θυμω* appellat, patet ex contextu, & interpretatione omnium ferè, atque inter eos Augustini *lib. 9. de Civit. cap. 4.* & Lactantij, aliorumque, quos Giphanius allegat. Quare quicumque ex iracundiâ aggrediuntur terribilia, consentur communiter generosi, sive fortes. Ideoque Seneca loco nuper indicato *ex lib. 2. de Ira, cap. 15.* ita loquitur: *Ut scias an ira habeat in se generosi aliquid, liberas videbis gentes, quæ iracundissimæ sunt, ut Germanos, & Scythas. Quod evenit, quia fortiora, solidaque naturâ ingenia, antequam disciplinâ molliantur, prona in iram sunt. Et, paucis interiectis: Itaque ingenia naturâ fortia, iracundiâ ferunt, nihilque tenue & exile capiunt, ignea & fervida: sed imperfectus ille vigor est, ut omnibus, quæ sine arte, ipsius tantùm naturæ bono exurgunt: sed nisi domita sunt, quæ fortitudini apta erant, audaciæ temeritæque consuecunt. Hæcenus ille, omnino contentiens Aristoteli in eo quòd ira sit passio Fortitudinis amica, & quòd iracundi, atque animosi faciliè evadant fortes, disciplina accedente: nimirum, ut ipse ait, si fortitudo *delectum finemque habuerit*: id est, si is qui naturæ genio iracundus, atque animosus est, studeat operari, seu pericula aggredi, ex consilio atque electione, ut præscribit recta ratio, atque ex fine honestatis. Habet enim naturæ dono animositatem, quæ bona directione & consilio, faciliè in Fortitudinem veram*

evadat. Quod si verò delectus sive consilium desit, planè in audaciam degenerabit, quæ est alterum è duobus vitijs extremis, quo Fortitudo per exuperantiam læditur;

§. III.

Quarta species spuria Fortitudinis, ex spe multiplici experimento parva.

17 **Q**UARTA Species haud solidæ Fortitudinis est; quæ dicitur κατ' ἐλπίδα, secundum spem: quam habent ij, quos ἐὐέλπιδας, bene sperantes appellant. Ij sunt, nimirum, qui longâ exercitatione & bono exitu è prælijs, spem certam concipiunt victoriæ obtinendæ: quoniam putant non futurum exitum alium, aut dissimilem ex bello imminenti, quàm in præcedentibus experti sint. Docet igitur Aristot. in hac specie esse aliquam similitudinem, aliquam item dissimilitudinem cum verâ gemanaque Fortitudine. Primum probat: quod tam ij, id est, ἐὐέλπιδες, quàm fortes, bona spe sint præditi, seu confidant bonum exitum è prælio. At in hoc quod est, utrosque sperare bonum exitum, seu confidere, aliqua similitudo est, ut patet. Aliqua igitur inter ἐὐέλπιδας, & fortes viros, similitudo est.

18 **SECUNDVM** autem, id est, dissimilitudinem utrorumque, evincit multiplici ex capite. Primum: Quia verè fortes, non utcumque fidenti animo sunt, sed ex consilio, electioneque, & honestatis gratiâ, sive quia id secundum Virtutem est. Εὐέλπιδες autem, seu bene confidentes, non sperant ex eodem fine, sed longè diverso. Solum enim sibi pollicentur victoriam eo quod se existimant viribus aut industriâ superiores adversarijs: ideoque sperant vincere, ut sæpe in alijs prælijs. Secundò. Quia priores illi, seu verè fortes, ita confidunt, ut quamvis imminere periculum, adhuc persistant, & immobiliter expectent victoriam: posteriores vero ita sperant, ut tamen imminente periculo, non perseverent, sed fugiant, & turpiter cetera verentur. Tertio vltimus: Quia priores illi, seu solidâ Fortitudine præditi, ita sperant, ut ipsorum confidentia secundum rectam rationem sit. At posteriores ita sperant, ut illorum confidentia sit communis etiam ijs, qui rationis usu careant, ut ebrijs & remulentis. Hi enim, viâ calore ac vigore excitante, optimam spem concipere solent, ut experimento in ijs constat, & observat idem Arist. in Problem. ubi inquit: Οἷος ὅτι οἱ μὲν οὐκ ἐὐέλπιδες, id est, bene sperantes. Plato etiam dial. 1. de Republ. Vini, inquit, quod qui plus biberit, eo magis spe in se ipso solent. Ideoque Aristophanes Comicus apud Athenæum lib. 10. vi-

num appellat ὀργανητὸν, id est, Imperatorem, seu Ducem exercitus: quoniam eo impellente milites ad pericula quæque confidenter agredienda excitantur. Vnde illud Ovidij: *Vina parant animos*: & Horatij de ebrietate accinentis: *Spes tubet esse ratas: in prælia tradit inermem*. Et Ode 21. lib. 3. salutat merum hac apostrophe:

*Tu spem reducis mentibus anxijis,
Viresque, & addis cornua pauperi,
Post te neque iratos trementi
Regum apices, neque militum arma.*

19 **EX** Doctrinâ præiactâ colligit Arist. multò magis enitere & innotescere Fortitudinem in rebus subitis, seu repentinis, quàm in provisjs, seu ex præmeditato factis. Habitus enim magis splendet innotescitque in rebus subitis, quàm in provisjs. Fortitudo autem est quidam habitus. Fortitudo ergo magis splendet innotescitque in rebus subitis, quàm in provisjs. Maior, sive assumptio, in quâ solâ posset esse dissidium, suadetur: Quæ quoties in rebus subitis quis bene se habet aut malè, operatio non tribuitur consilio & deliberationi, ut in rebus provisjs: siquidem repentini casus non præstant locum consilio & deliberationi, sed ij tantum, qui ex præmeditato fiunt. Ergo in rebus subitis operatio provenit ex habitu: ac propterea hic magis innotescit in subitis rebus, quàm in provisjs. *Confirm. I. hæc ratio.* Quoties quis ex præmeditato operatur, incertum apparet utrum operetur solum ex consilio & electione, an præterea ex habitu. Potest enim quis deliberatè elicere bonam aut malam operationem, præcedente solum consilio & electione, sive vltèrius sit habitu præditus, sive non. Quando autem ex improvilo operatur, nullum est consilium, aut electio præcedens, cui tribui possit qualitas operationis. Ergo tunc superest ut recurramus ad habitum, veluti principium unicum determinans ad operandum. Ergo multò magis in subitis, quàm in rebus provisjs, dignoscitur habitus.

20 **CONFIRM. II.** Ratione aliâ huic affini, ex Giphano. In rebus difficilioribus, & gravioribus cernitur maxime Fortitudo. Atqui subita sunt difficiliora, & graviora. Ergo in subitis cernitur maxime Fortitudo. Maior constat ex dictis lib. 1. & 2. ubi ostensum est, in rebus magis arduis, seu difficilibus, spectari Virtutis τὸ κάλον καὶ τὸ εὖ, id est, pulchram & bonam. Ac præterea ratione constat, quia habitus natura sua instituti sunt ad vincendam difficultatem, quæ est in operando. Minor autem suadetur: Quæ enim non præstant locum deliberationi & consilio, sunt maxime difficilia, & in quibus gravius imminet erandi periculum. At subita non

non præstant locum deliberationi, & consilio. Ergo subita difficiliora & graviora, seu in quibus gravius imminet particulum errandi. Ergo de primo ad ultimum in ijs maximè resplendet habitus Fortitudinis. Quo sanè instructum se ostendit olim Pelopidas. Militi enim subito metu expavescenti, & dicenti *Incidimus in hostes*; respondit illico *Cur non illi potius in nos?* Verùm inter subita aut repentina, de quibus modò agimus, accensenda non veniunt quæ supra hominis vires sunt, ut ostenta, prodigia, fulmina, terremotus, &c. de quibus cap. præcedenti dictum est meritò à viro forti posse timeri. Vnde quavis subito ea timeat, non colligitur destitutum esse habitu Fortitudinis, aut affectum cōgrario timiditatis habitu.

§. V.

Quinta species adumbrata Fortitudinis, ex imperitia, & inscientia.

21 **Q**VINTA Species adumbratæ Fortitudinis est quam hoc loco ignaris adscribit, & quam in Eudemij appellat *δι' ἀπειρίαν καὶ ἀγνοίαν, ex imperitia & nescientia*. Illa verò maximè cernitur in pueris, fatuis, & furiosis, qui quandoque terribilia quædam, seu periculosa faciunt, nescientes esse in ijs aliquid terroris, aut periculi: ut quando aspides, aut serpentes manibus tractant. Porro hæc Fortitudinis species, seu potius umbra, aliquam similitudinem habet cum præcedenti; nimirum, confidentiam aliquam. Sicut enim *ἐὼς ἀπίδες*, id est, *bene sperantes*, confidunt ex victorijs præcedentibus: ita & ignari de quibus modò agimus, confidunt se nihil mali accepturos, quoniam nesciunt periculum imminens. Dissimilitudinem verò utriusque subdit Arist. quatenus hæc species deterior est præcedenti. Non enim in hac apparet quidquam dignitatis, aut qualitatis forti viro dignæ, ut in illa; sed sola imperfectio nescientiæ. Insuper & ignari, cum primùm agnoscunt periculum, ab eo fugiunt. Cæterum bene sperantes, non statim agnito periculo retrocedunt, sed paulatim; id est, cum tandem perspexerint se inferiores esse adversarijs. Vnde & syllogismus hic efformari potest: Qui cognito periculo statim fugit,

magis distat à Fortitudine verâ; ac proinde deterior est, quàm qui non fugit statim, sed lento gradu declinat periculum. Atqui ignarus cognito periculo statim fugit; bene autem sperans non fugit statim, sed lentiori gradu declinat periculum. Ergo ignarus magis distat à Fortitudine verâ, ac proinde deterior est, quàm bene sperans.

22 **EXEMPLVM** Fortitudinis ex imperitia adhibet Arist. in Argivis, qui inciderunt in Lacones, tanquam in Sicyonios. Quod ita factum commemorat Eustratus hoc loco. Argivi bello superaverant Sycionios. Verùm in horum auxilium Patimachus Lacon equitatum congregavit, hoc stragemate addito, ut Argivos deciperet. Equitibus suis, id est, Lacedæmonijs desilire iussit in pedes Sicyoniorum accommodavit eorum scuta, ut & Sicyonij viderentur. Argivi autem putantes prædictos equites esse Sicyonios, propter scutorum figuram, statim in eos irruerunt: veluti sperantes iterum victoriam de Sicyonijs. At cum primùm in ipso prælio cognoverunt eos esse Lacedæmonios (quos maximè timebant, & sibi superiores arbitrabantur) statim animo consternati sunt, & turpiter diffugerunt. Simile quiddam affert Giphanius ex Cæsare *lib. 6. de Bello Gallico*: ubi testatur, Treviros existimantes Labientum fugere, qui tamen fugam simulabat, confidenter in eum irruisse. Cum verò ille statim in eos signa atque acies converteret, usque adeò exterriti fuerunt, ut turpiter fugientes in sylvas, aut nemora se reciperent. Huc etiam spectat ignorantia Troianorum intra muros micentium Græcorum acies equo inclusas, à quibus tamen summum ijs imminabat periculum. Verùm à Laconibus, propterea notantur, non inscientie modo; sed erroris, dum accinito apud Virgil. 2. *Æneid.*

Aut hoc inclusi ligno occultantur Achivum

At hæc in nostras fabricata est machina muros.

Aut aliquis latet error. Equo ne credite Teucri.

Quidquid id est, timo Danais, & dona ferentes.

VIDE Sancti Thome 2. 2. quest.

123. atque ipsius Inter-

pretes.



CAPVT NONVM.

De proprietatibus fortitudinis.

SED Quinquàm circa fiducias, metusque fortitudo versatur, tamen non simili modo circa vtrunque sed magis circa res formidolosas cernitur. Qui nanque non turbatur in hisce, atque se habet circa has, vt oportet, magis est fortis, quàm is, qui circa ea, in quibus confiditur, se habet vt oportet. Fortes igitur ex eo dicuntur, quia res (vt dictum est) inferentes dolores tolerant. Idcirco fortitudo dolores affert, & non iniuria laudatur. Difficilius enim est dolores ferre, quàm à voluptatibus abstinere. Enimvero fortitudinis finis iucundus est: verùm ab evenientibus doloribus obfuscatur. vt & in certaminibus fieri solet. Nam pugilibus finis quidem ipse iucundus est, gratia cuius certant; coronæ, inquam, atque honores: sed cædi molestum est, cùm sint è carne, doloresque affert, & omnis omnino labor. Atque quia hæc sunt multa, ideo id, gratia cuius certant, cùm sit res parva, nihil iucundi videtur habere. Quod si tale & circa fortitudinem est, mors quidem, atque vulnera forti viro molesta erunt, atque invito feret tamen, quòd honestum est ea ferre, vel turpe non ferre. Atque quò magis omni virtute pollet, & felicior est, eò magis ob mortem sanè dolebit. Vir enim talis maximè dignus est vita, maximisque bonis privatur, id ipsum sciens quòd quidem dolorem affert. Verùm nihilominus est fortis: & eò magis fortasse, quòd honestatem, quæ est in bello, his anteponit. Nec fit vt omnibus in virtutibus cum voluptate operemur, nisi quoad attingitur finis. Nihil autem fortasse vetat, non eos, qui tales sunt, præstantissimos milites esse: sed eos, qui minùs quidem sunt fortes, nullum autem aliud bonum habent: hi nanque parati sunt sese periculis obiectare, vitanque pro parvo emolumento perdunt. De fortitudine igitur hætenus dixisse sufficiat. Quid autem est, ex ijs, quæ diximus, non est difficile comprehendere, ac assignare figura.



SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Qualiter se gerat Fortitudo circa timores & audaciam, tristitiam, ac delectationem. Quibus etiam proprietatibus discernatur, quae solida est, ab ea, quae apparens, seu in speciem tantum.



POSTQUAM Arist. exposuit naturam, materiam, mediocritatemque Fortitudinis, & diversitatem à varijs speciebus, quæ vmbra aut similitudinem quandam ipsius referunt; nunc iam accedit ad vestigandas proprietates: dividitque caput hoc in quatuor partes. In primâ docet qualiter Fortitudo se gerat circa timores & audaciam. In secundâ, quodnam sit illius officium erga tristitiam. In tertiâ, quomodo se habeat circa delectationem & iucunditatem. In quartâ denique proprietates solidæ Fortitudinis discernuntur ab ijs, quæ militari & apparenti conveniunt.

2 CIRCA Primam partem comparat timorem cum audacia: quæ duæ affectiones sunt materia Fortitudinis, ut cuiusdam mediocritatis versantis in earum moderatione, iuxta dicta in superioribus. Et quærit in utrâ affectionum magis Fortitudo versetur. Respondetque, potius versari circa timorem, quam circa audaciam: id est, maiori conatu tendere in ea quæ terribilia sunt, sive timorem incutiunt, quam in ea quorum vincendorum spem, seu confidentiam habet. Probatque hoc fere pacto. In ijs magis versatur Fortitudo, ob quæ aliquis communi omnium, etiam prudentum, existimatione censetur fortior. Atqui communi omnium, etiam prudentum, existimatione censetur fortior, qui in rebus terribilibus, seu timorem incutientibus, imperterritum se præstat, quam qui se audacem ostendit in ijs, quorum vincendorum spem seu confidentiam habet. Ergo Fortitudo magis versatur in terribilibus, seu timorem incutientibus, quam in ijs, quorum vincendorum spem, seu confidentiam habet. Urgetur eadem ratio. Fortitudo præcipue duobus his attributis resplendet, perferendi terribilia, & aggrediendi hostem. Ergo præcipue resplendet, comparatione factâ, in altero eorum, quod gravius & periculosius est. Atqui longe gravius & periculosius est perferre terribilia, quam aggredi hostem. Perferre namque terribilia, non, nisi constantis & infracti animi est, ac proinde difficillimum: aggredi vero hostem non est ita grave aut difficile, quoniam quisquis aggreditur alium, spem habet vincendi. Ergo Fortitudo præcipue seu potius versatur in perferendo terribilia, quam in aggrediendo hostem.

3 CIRCA Secundam partem statuit, Fortitudinem non esse sine molestiâ, dolore, ac tristitiâ. Ratio autem, quâ id probat Arist.

aliter atque aliter ab Auditoribus proponitur. Burleus ita digerendam censet, ut concludat Fortitudinem in rebus tristibus & molestiam afferentibus sitam esse. Quare sic ratiocinatur. Fortitudo sita est, in ijs propter quæ vir fortis laudatur. At vir fortis laudatur propter res tristes & molestas, quas perfert. Ergo Fortitudo sita est in rebus tristibus & molestis. Minorem sive assumptum probat ex supra indicatis. Laudatur enim vir fortis propter ea, quæ valde ardua & difficilia sunt. Atqui valde arduum & difficile est perferre res tristes & molestas, imò & difficilius id est, quam abstinere à iucundis & delectationem parientibus. Ergo vir fortis laudatur propter res tristes & molestas, quas perfert. Verum quoniam Arist. rationem instituit comparatione factâ Fortitudinis ad Temperantiam, quæ versatur circa res iucundas & delectationem afferentes, videtur probatio illius melius disposita à Giphiano in sensu comparativo, quamvis illam singillatim non distribuatur in formam argumenti syllogisticam. Nos certe ita digerendam arbitramur, ad probandum minorem illam. Difficilius est perferre res molestas & tristes, in quo versatur Fortitudo, quam abstinere à iucundis, in quo se exercet Temperantia. Atqui abstinere à iucundis, laudatur ut temperans, propter difficultatem operis. Ergo qui perfert res molestas, magis laudatur ut fortis, propter maiorem operis difficultatem.

4 CIRCA Tertiâ partem addit proprietatem aliam consistentem in delectatione, sive voluptate: & hæc etiam convenit Fortitudini. Quod quidem statim difficile apparet ex nuper dictis ab eodem Philosopho allentis, Fortitudinem habere nexum necessarium cum tristitia & dolore. At cum tristitiâ & dolore componi nequit delectatio aut voluptas, sicut neque contrariorum cum alio. Ergo neque Fortitudo componi potest cum delectatione aut voluptate. Verum adhuc persistit constantis in eadem doctrinâ & sibi similis Arist. Docuerat enim supra lib. 1. cap. 8. omnem perfectæ Virtutis operationem altere voluptate: atque adeo cum Fortitudo sit vera Virtus, immo & excellens, debet etiam ipsius actio voluptatem sive delectationem parere. Cæterum modò addit, quamvis res ita se habeat, voluptatem à Fortitudinis actu proveniente, non ita sentiri, seu percipi, ac in actibus aliarum Virtutum, sed quoddammodo obsecrari, dolorum magnitudine. Cum enim Fortitudo præ alijs Virtutibus in dolore & tristitia

versetur, voluptas quam affert, veluti absorbetur ab ijs, & diluitur, aut exigua redditur. Rem illustrat Philosophus similitudine in Gymnicis certaminibus, quæ afferunt quidem voluptatem aliquam certantibus, sed exiguam, quippe quæ vix percipitur inter vulnera, verbera, doloresque, quos in ijs pati solet, etiam qui victor audit. Verum quemadmodum in eo certaminum genere voluptas aliqua est victori propter coronam, lauream, oleaginam, myrtamve, aut propter victum in Prytaneo, sive ab aliud simile præmium, quæ vicumque oblectare possit animum inter dolores certaminis: ita etiam Fortitudo in ipsa malorum perfectione voluptatem aliquam ingenerat, quæ aliquali oblectamento sit inter dolores, & molestias.

5 VIDETVR Autem hoc loco Aristoteles refellere eos ex Stoicis, qui existimant viri fortis, & qualibet Virtute præditi, esse, nullo angî dolore, aut tristitiâ: tanquam qui felix, sive beatus sit, nullumque proinde aditum præstet dolori. Refellit porro opinionem hanc, dum ait: *ο μὴ θάνατος, καὶ τὰ τραυματὰ λυπηρὰ τῷ ἀνδρείῳ κ' ἀκοντι εἶσσι.* *Mors & vulnera aspera forti viro, etiam nolenti, futura sunt.* Idque ratio ipsa evincit, quam assignat illis verbis: *εἴ περ σάρκινος, καὶ λυπηρὸν πᾶσι ὄντων.* *Siquidem carni sunt, omnisque labor molestus est.* Vnde & sic sub superiori argumentandi methodo in Stoicos irruere licet. Omne quod carneum est, molestiâ percipit ex labore: labor enim omnis naturâ suâ molestiam inducit. At omnis vir fortis carneus est. Ergo omnis vir fortis molestiam percipit ex labore. RVERSVS Omne quod constat naturâ sensibili, capit dolorem & tristitiam ex rebus molestis. At vir fortis constat naturâ sensibili. Ergo vir fortis capit dolorem & tristitiam ex rebus molestis. DENIQUE. Procul à viro forti est indolentia, seu tristitiæ vacuitas, quæ solum quibusdam barbaris atque effratis hominibus competit, ut supra cap. 7. lib. 2. dictum est. At quisquis indolens non est, seu tristitiâ vacuus, inter molestias dolet. Ergo procul à viro forti est ut inter molestias non doleat. Quod totum certè iuxta solitum naturæ cursum debet intelligi: nam alioqui, & Deo divitiis gloriæ suæ demonstrante, fieri potest ut quis, vel inter lævissimos cruciatus non doleat, sed quammaximè delectetur: ut contingit multis è fortissimo SS. Martyrum cætu, ac præsertim invicto admiraculo usque Laurentio, qui in craticulâ prunis superpositâ insultabat Tyranno, dicens: *Ecce miset affligi unam partem: regya alia, & manduca, nam carbones isti non dolorem, sed refrigerium mihi præstant.* Frequenter tamen credendum est SS. Martyres dolorem ac molestiam ingentem passos ex tormentis, quamvis interna ope, & læ-

pius delectatione adiuventur ad ea fortiter perferenda. Cui Catholicæ doctrinæ nihil contrarium tradit in præsentî Aristoteles: siquidem docet, virum fortem è rebus molestis percipere quidem dolorem, quamvis asperum aliquâ voluptate, quam Fortitudo affert.

6 ADDIT Præterea, non vicumque dolere virum fortem, sed eò magis, quò fortior est, seu quò excellentiori Virtute se præditum agnoscit. Quod sub hac arguendi formâ ad mentem Philosophi accommodatâ suaderi potest. Quotò maius bonum est quod quis per mortem amittit sciens, eò maior habetur dolor. At quò quis fortior est, ac felicior, atque excellentiori virtute se præditum agnoscens, eò maius bonum per mortem amittit sciens: nimirum, vitam felicissimam, & omni æstimatione dignam, propter Virtutum opes. Ergo quò quis fortior ac felicior est, & se præstantiori Virtute præditum agnoscens, eò magis in morte dolet. Huc spectat querela Theophrasti morientis: de quo scribit Cicero in *Tuscul.* graviter de naturâ conquestum, quod cornicibus dederit longissimam vitam, hominibus autem longè dignioribus brevissimam. Eodem quoque advocat Giphanius dictum illud Aristippi vehementer afflictî in gravi maris procellâ: qui iuveni cuidam nihil timenti, & pallorem ipsius acculanti, respondit: *Nil mirum videas, cum ego timeo & doleo: nam tu de vilissima vita, ego uti Philosophus de insigni & diuturnitate dignissima periclitor.*

7 IDEM Giphanius statim addit, fundamentum huius opinionis, videri positum in animi mortalitate, nam Christianus aliter responderet: vipote cui maiora longè bona & commoda sint promissa. Quibus verbis planè indicat, Arist. hoc loco supponere mortalitatem animi rationalis: siquidem docet, virum fortem eò magis dolere, quò fortior & felicior est, quoniam videt se per mortem orbati maiori bono. Ego verò, quidquid sit de Aristippo, de Aristotele semper existimaui, & sæpius docui, pro immortalitate animorum stesille. Videantur quæ supra admonui hoc libro cap. 2. & tom. 2. Philosophiæ Nov. antiquæ disp. 79. num. 26. & 27. Neque oppositum colligitur ex fundamento cui innititur Arist. dicens virum fortem eò magis dolere, quò pretiosiori vitâ & maioribus bonis scit se spoliari per mortem. Huic enim doctrinæ non opponitur quòd Arist. existimaret aliam esse vitam, in quâ vir fortis & pius maioribus bonis fruatur: neque comparatio fit inter bonum huius vitæ cum omni alio bono sed cum inferioribus, & præcipuis illorum, qui nec Fortitudinem, necque alijs Virtutibus præditi, aut felices sunt. Item in abstractando ab aliâ vitâ & præsentio æternæ vitæ præsens, si honesta, si felix, si Virtutibus intructa sit, proculdubio incunda & amabilis est.

Ergo & illius iactura, abstrahendo ab aliâ vitâ & præmio æterno, tristis est ac dolore digna. At vir fortis dum in bello moritur, facit iacturam huius vitæ honestæ, felicis, & Virtutibus instructæ, proptereaque iucundæ & amabilis. Nihil ergo mirum, quod, abstrahendo ab aliâ vitâ & præmio æterno, tristis sit in morte & doleat. Abstrahit itaque Arist. hoc loco, sicut & pluribus alijs ab immortalitate animæ: quam licet sæpe tradiderit, non tamen adeo firmiter & constanter ut quandoque non videatur de illa aliquantulum dubitasse: & ita hoc loco nec vitæ futuræ meminit, nec præmij bonorum operum post fata. Abstraxit quidem considerationem ab ijs, sed neutrum illorum negavit.

8 EST Et alius modus eximendi Aristotelē hoc loco ab eo errore. Nam vir fortis, quò fortiorem se agnoscit, & Virtute præstantiorem, eò etiam magis necessarium se agnoscit bono publico defensionis Patriæ, ac suorum. Ergo cum dolor crescat iuxta quantitatem boni amissi, dolere potest eò magis, quò se fortiorem & Virtute excellentiorem agnoscit. Idque contingere etiam potest, quamvis certò existimet superesse vitam aliam, & præmium bonorum operum. Tum, quoniam possit alio tempore mori, & obtinere præmium illud, quando iam non esset necessitas vitæ suæ præsentis ad defensionem Patriæ: ac proinde dolere merito potest quòd eo tempore mortem oppetat, cum maximè oportebat vivere. Tum etiam: quia naturale cuique est ut vitam amet, & mortem exhorreat. Unde Ovidius lepidissimè accinit:

In mortem sic vita fuit, velut in mare flumen:

Vivere nam res est dulcis, amara mori.

Ergo quò dulcior ac delectabilior fuerit vita, eò amarior & tristior naturaliter apparet mors. At viri fortis, & proinde Virtutibus præditi, vita dulcissima est: ut potè felix & beata. Nihil ergo mirum quòd naturaliter amarissima ipsi appareat mors. Dixi *naturaliter*: nam loquendo de morte Christiani hominis, fide ac spe supernaturali præditi, longè alia ratio est, & maior, ut post honestissimæ vitæ periodum lætetur in morte, quam doleat. Aristoteles autem ab eâ fide & spe alienus, solum loquitur de ijs, quæ secundum naturam sunt.

9 VERVM, Quidquid sit de mente Arist. circa mortalitatem aut immortalitatem animæ, id certum apparet, etiam iuxta ipsius doctrinam, virum fortem & excellenti Virtute præditum, quando moritur, tristiari naturaliter & dolere de iacturâ huius præsentis vitæ, quam obtinet honestissimam, & quâ se dignum censet. Ceterum cum hoc rectè coheret, quòd tunc etiam habeat voluptatem sive gaudium, quia

moritur honestissimè, & propter bonum Virtutis. Si verò tandem aliquando moriendum est, cur non tunc? Accedit in motivum maioris gaudij, viros foris semper in bello mori ratione alicuius boni publici, quale est, Reipublicæ utilitas, Patriæ libertas, Religionis causa, & alia huiusmodi: quæ oportet & decet utque adeo cordi esse, ut etiam illustrium virorum sanguine consignentur. Habet igitur fortis vir de quo gaudeat, etiam dum moritur. Habet quo compense acerbicatem mortis, & iacturam singularis vitæ, in communi bono, & præcellenti sine honestatis.

10 CIRCA Quartam partem subdit *inquit*, sive corollarium disputationis de Fortitudine. nimirum, quemlibet eorum, qui militiæ nomen dederunt, posse esse bonum militem, etiam si vir fortis non sit, neque ijs Virtutibus instructus, quæ virum fortem decet. Ut enim aliquis sit bonus miles, sufficit quòd sub obedientiâ Imperatoris paratus sit perferre terribilia, & mortis pericula in bello aggredi, idque reipsâ, ubi iussus fuerit, præster. Atqui totum id habere potest, quamvis vir fortis non sit, nec ijs Virtutibus instructus, quæ virum fortem decet. Ergo potest quis esse bonus miles, quamvis vir fortis non sit, neque ijs Virtutibus instructus, quæ virum fortem decet. Minor, sive assumptam, in quo est difficultas, probatur: Quia hoc quòd est perferre terribilia, & mortis pericula aggredi, &c. est quid indifferens ut fiat, sive propter bonum ipsius honestatis, ut fit a viro forti, sive propter vile & exiguum præmium, qualiter a militibus stipendiarijs fit: id est, ab ijs, qui propter vile stipendium militant, & non dubitant sese quotidie obijcere periculo mortis, quamvis reverâ fortes non sint. Ergo totum id fieri potest ab eo, qui vir fortis non sit, neque ijs Virtutibus exornatus, quæ forti viro sunt consentaneæ.

11 CONFIRMATVR. Stipendiarij enim miles, sive qui exiguo præmio vitam venalem ducunt, communiter fere loquendo viles sunt, & liberi ab oneribus matrimonij: nec in hac vitâ habent, aut expectant magna bona, quibus orbati possint. Ergo ij plerumque soluti & liberi sunt ab ijs impedimentis, quibus retardat potentiam a perferendis terribilibus, & aggrediendis periculis mortis. At dum hoc faciunt ex Imperatoris præcepto, sive iuxta militiæ leges, boni milites erunt: ut potè satis detervientes ad victoriam, quam potissimum querit ars militaris. Ergo stipendiarij milites, sive qui exiguo præmio vitam venalem habent, possunt esse boni milites. Et tamen patet ex dictis illos non esse viros fortes: siquidem non propter honestatem, sed propter vile præmium operantur. Potest ergo esse bonus miles, qui vir fortis non est. In quam doctrinam

elucidandam affert Gallutius in milite quodam, Iramo nomine, sub Antigono Macedoniae Rege. Is, nimirum, cum stipendiarius miles esset, multa præclara facinora egit, & inter præstantissimos habebatur. Verum postea ab ipso Rege evectus in fortunam ampliorem, coepit ignavus fieri, atque exotam habere militarem vitam. Rogatusque à Rege, ecquid causæ esset tantæ mutationis; Respondit, divitias, uxorem, & liberos, esse iam sibi impedimento ad præliandum: antea verò ijs solum impedimentis, non dubitasse quælibet pericula aggredi. Simile quoque est aliquatenus quod Petrus Victorius *in presenti* observat ex Horatio de Luculli milite, & ex Græco scriptore de alio itidem Regis milite, qui mutato corporis habitu, etiam animi mores mutavit. Oppressus enim morbo, quo nimium afflictabatur, valentissimè irruerat in hostes, nullumque

recusabat periculum; tanquam qui ex morte imminente minimam salutis iacturam subiret aut nullam: idem verò postea è morbo convalescens, coepit capiti suo providere, & pericula fugere, tanquam cui iam de cætero pretiosior esset vita propter bonam valetudinem.

12 HAC Ergo ratione Arist. docet milites stipendiarios esse posse ac solere optimos milites, faciliusque venditare suam vitam, quàm fortes viros: quoniam ijs sicut vita laboriosa atque ærumnosa est, ita & vilis habetur, quàm proinde facile periculo exponant. Vir autem fortis, cum vitam ac salutem suam agnoscat maximo pretio dignam, non passim, nec temerè illam periculo exponit; sed solum ubi gravis & publica causa id exigit, iuxta rationis præscriptum.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 121. & ipsius Interpretes.

CAPVT DECIMVM.

De Temperantia.



POST Hanc de temperantia dicamus. Hæ namque virtutes patium earum esse videntur, quæ sunt rationis expertes. Atque temperantiam circa voluptates mediocritatem esse, iam antea diximus. Minus enim, & non similiter circa dolores versatur. In eisdem autem & intemperantia est. Sed nunc circa quas est voluptates, determinemus oportet. Dividuntur igitur animæ, atque corporis voluptates, ut honoris cupiditas, & aviditas disciplinæ. Nam tam ambitiosus, quàm avidus disciplinæ eo gaudet, cuius est avidus: & corpus nihil, sed mens potiùs patitur. Atque ij, qui voluptatibus huiusmodi alliciuntur, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur. Pari modo neque qui circa cæteras voluptates, quæ non attribuuntur corpori, occupantur. Eos enim qui fabulis, & narrationibus delectantur, & circa talia dies consumunt, verbosos quidem, atque deliros, intemperantes autem non consuevimus appellare. Nec eos etiam, qui pecuniarum, vel amicorum causa dolent. Temperantia igitur non circa animæ, sed circa corporis voluptates versatur: non tamen & circa has ipsas omnes. Qui namque rebus ijs gaudent, quæ visu percipiuntur, ut coloribus, figuris, pictura, nec temperantes, nec intemperantes dicuntur: etsi videntur & his homines, & ut oportet, & magis quàm oportet, & minus etiam, gaudere. Simili modo neque qui rebus

ijs gaudent, quæ auditu percipiuntur. Nemo enim aut eos, qui cantu, vel histrionis gaudent voce, plus, quam oportet, intemperantes: aut eos, qui, ut oportet, eisdem gaudent, temperantes appellat. Nec etiam ij, qui circa odores gaudent, nisi per accidens. Non enim eos, qui malorum, aut rosarum, aut vaporum, sed eos potius, qui vnguentorum, aut epularum odoribus delectantur, intemperantes dicimus esse. His enim intemperantes ex eo gaudent, quia per hos ipsis rerum earum, quas cupiunt, recordatio fit. Videre etiam licet & cæteros, cum esuriunt, epularum gaudentes odore. At his delectari, intemperantis est, quippe cum eius hæc obijciantur cupiditati. Atque neque cætera animalia voluptatem, nisi per accidens, per hosce capiunt sensus. Neque enim odore leporum, sed esu gaudent canes: odor autem sensum ferit. Neque voce bovis leo, sed esu. Per vocem autem sensit illum esse propinquum, atque hoc ipso gaudet. Pari modo neque si vidit, aut invenit cervum, aut feram capram, hoc ipso gaudet, sed quia cibum habebit. Circa voluptates igitur tales temperantia, intemperantiaque versatur, quæ quidem & cæteris animalibus sunt communes. Quo circa serviles, & ferinæ videntur. Hæ autem sunt, quæ tactu, gustuque suscipiuntur. At enim & gustu intemperantes parum, vel minimè uti videntur. Gustus enim officium, saporum iudicium est. Quod quidem ij faciunt, qui vina probant, & epulas condiunt. Non nimium autem hisce gaudent intemperantes, sed voluptate, quæ fit omnis per tactum, & in esculentis, ac poculentis, & in hisce, quæ Veneræ nuncupantur. Quapropter & quidam voluptatibus deditus epularum, Philoxenus, inquam, Eryxius, precatus est, ut longius sibi guttur, quàm gruis, fieret, propterea quod tactu delectabatur. Sensuum igitur maximè communis est is, circa quem intemperantia versatur. Atque propterea iure vituperanda est, quod hominibus non ratione, qua homines sunt, accidit, sed qua animalia. Talibus igitur gaudere, maximeque talia consecrari, ferinum est. Etenim liberalissimæ voluptates, quæ per tactum proveniunt, exceptæ sunt: ut ea, quæ in ludis, ac certaminibus per frictionem, caloremque fiunt. Non enim intemperantis tactus circa universum est corpus, sed circa quasdam corporis partes.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Temperantiam esse quoddammodo affinem Fortitudini, quamvis ab ea disideat, consistereque in mediocritate quadam circa delectationes corporis, in quarum excessu aut defectu versatur intemperantia opposita. Eas vero esse, quae ad gustum & tactum spectant.



POSTQVAM Arist. disseruit de Fortitudine, progreditur ad disputandum de Temperantia. Dividitur vero caput in tres partes. In prima asseritur ratio, cur post tractationem de Fortitudine agendum sit de Temperantia: simulque assignatur generatim materia, in qua haec versatur. In secunda distinguuntur bipartito delectationes, ut quaedam sint corporis, quaedam animi: asseriturque Temperantiam non versari in moderandis ijs, quae ad animum spectant. In tertia denique statuitur, materiam Temperantiae esse delectationes corporis, non quidem omnes, sed eas nominatim, quas gustu tactuque percipimus.

2 CIRCA Primam partem assignat idoneam rationem, cur post tractationem de Fortitudine disserat de Temperantia. De illa enim Virtute statim disserere oportuit, quae residet in eadem parte animae. Atqui Temperantia residet in eadem animae parte, ac Fortitudo. Ergo post tractatum de Fortitudine oportuit statim agere de Temperantia. Probat assumptionem Philosophus: quoniam utraque ea Virtus residet in appetitu sentienti, qui est eadem pars animae communis homini, & animalibus brutis: dividiturque in irascibilem, & concupiscibilem. Ac Fortitudo quidem residet in irascibili: Temperantia autem in concupiscibili: quae sunt duae quasi portiones eiusdem sentientis appetitus. Temperantia igitur & Fortitudo resident in eadem parte animae.

3 EXPLICATUR Amplius iuxta mentem eiusdem Aristotelis. Nam irascibilis, in qua residet Fortitudo, & concupiscibilis, cui inhaeret Temperantia, conveniunt in eo, quod expertes rationis sint. quippe quae & irrationalibus brutis communes sunt. Rursus: ambae versantur in quibusdam animi commotionibus, quae belluis etiam conveniunt: nam timor, qui est materia Fortitudinis, & voluptas, in qua versatur Temperantia, sunt perturbationes belluis etiam communes. Pertimescunt enim verbera, & mortem: contra autem voluptate gustandi & tangendi afficiuntur. Quare opportunè tractandum fuit de Temperantia postquam de Fortitudine disputatum est.

4 MONET Verò, seu in memoriam revocat, quod iam antea libro secundo cap. 7. dixerat, Temperantiam esse mediocritatem quadam circa voluptates, & tristitias: quo-

niam, scilicet, tam voluptates, quam tristitia, oriuntur ex voluptatum desiderio, cui Temperantia modum imponit. Addit deinde, eam minus in tristitijs, quam in voluptatibus, versari: quia, nimirum, tristitia oriuntur per accidens ex absentia voluptatum: haec autem spectantur per se. Denique subdit, intemperantiam, quae est habitus contrarius Temperantiae contrarius, etiam versari in delectationibus & tristitijs: quoniam sicut habitus contrarij sunt in eodem subiecto, ita & circa eandem materiam versantur.

5 CIRCA Secundam partem discernit duplex voluptatum genus: ut quaedam animi, quaedam corporis propriae sint. Priorum numero censentur voluptates perceptae ex scientijs, disciplinis, honoribus, fabulis, spectaculis, musicis concentibus, alijsque eiusmodi: quae propterea, delectationes, seu recreationes animi appellamus. Posteriores vero longè crassiores sunt, ut quae ad tactum, & gustum spectant: de quibus speciatim infra. Hoc praemisso, decernit, nec Temperantiam, nec intemperantiam versari in voluptatibus animi. Probatque ferè sic: Temperantia & intemperantia solum sunt circa illud genus voluptatum, in quo quis communi hominum iudicio censetur temperans aut intemperans. Atqui in voluptatibus animi communi hominum iudicio non censetur quis temperans aut intemperans. Non enim proprie temperantes aut intemperantes habentur, qui mediocriter, aut plus vel minus iusto ijs voluptatibus indulgent, quae ex scientijs, honoribus, fabulis, spectaculis, aut musicis concentibus, capiuntur. Temperantia igitur & intemperantia non sunt circa voluptates animi. Superest igitur ut utraque in voluptatibus corporis posita sit.

6 CVM Autem voluptates, quae sensu aliquo corporis percipiuntur, sint plures & variae, excurret Arist. per singulas, aut principiaiores illarum, ut ijs exclusis tantum statuatur eas, in quibus nominatim versantur Temperantia & intemperantia. Ac primò quidem extra materiam utriusque vult esse delectationem illam, quae oculis capitur, sive ex aspectu picturarum, tabularum, statuarumque. Quamvis enim quis in ea voluptate plus nimio excedat, non ideo intemperatus audit, sed insanus quoddammodo. Sic enim Cicero Verrem appellat, quod in hac re omnem modum & cupiditatem excederet. Similiter & Damasippum Horatius lib. serm. 2. serm. 3. dum

dum accinit: *Insanit veteres statuas Damasp-
pu emendo.*

7 DENIQUE Excludit voluptates illas, quæ auditu percipiuntur: ut ex musicis, & histrionibus. Non enim aliquis censetur intemperans, quod nimium, earum cupidine teneatur, sicut nec temperatus quod mediocriter ijs indulgeat. Ideoque idem Arist. Eudemiorum lib. 3. cap. 2. cenlet non debere intemperantes censeri, qui Sirenium cantu dicuntur capti fuisse: ut legere est apud Plutarchum Sympos. 9. q. 14. Xenophontem, & Lucianum Commentario de Saltatione. Quippe ijs, non intemperantes, sed incauti fuisse censendi sunt. Contra vero nec temperatus existimatur Vlysses, sed *callidus*, aut *fallax* dicitur, aut *doctus*, à Poetis, quod declinaverit, earumdem Sirenium cantum, atque illicitis cerâ auribus sociorum, liber cum ijs evaserit ab illicio. Postro *callidus* appellatur Vlysses ijs carminibus:

*Ille vitæ cera sociorum callidus aures,
Atque suas vinclis præbuit ipse manus.
Transiit scopulos, & inhospita littora
classis:*

*Ille præcipites desiluere freto.
Sic blandas vocisque notas, & carmina vicit:
Sic tandem exitio monstra canora dedit.*

Fallax vero propterea dicitur à Martiale lib. 3. Epigr. ad Calsianum:

*Sirenes, bilarem navigantium pœnam,
Blandasque mortes, gaudiumque crudele,
Quas nemo quondam deserebat auditas,
Fallax Vlysses dicitur reliquisse.*

Doctus denique prædicatur, dum de Sirenibus Parthenope, Ligia & Leucosia dicitur:

*Has Musæ explumant, has atque iludat
Vlysses:*

Scilicet, est doctus cum meretrice nihil.
Non ergo quis aut temperatus est, aut intemperatus, quod mediocriter, aut plus iusto, musicis concentibus aures accommodet.

8 VERVM Vtrumque id modò traditum de delectationibus ex visu & auditu perceptis, per se loquendo dumtaxat intelligendum est. Nam alioqui & ex accidenti fieri potest, ut occasione capta ex aspectu aut auditu quis evadat intemperatus. Nimirum amor, etiâ Venereus, quo quis proprie intemperans fit, ex oculorum aspectu initium ducit: ut idem Aristoteles exponit infra lib. 9. cap. 5. Idque palam est, vel communi experimento omnium ferè hominum, quotquot in libidinem mittere prolapsi sunt. Ceciderunt enim ex curio, aut incauto oculorum officio: idque testatur Naso in Epistola quadam, ijs versibus:

*Tunc ego te vidi: tunc cepi scire quis essis:
Illa fuit mentis prima ruina mea.*

Et vidi, & perij, nec notis igrabus aesi.
Similiterque Apuleius lib. 10. inquit: *Causa omnis & origo presentis do. oris, & est incelsa*

ipsa, & salus unica, mibi tute ipse es. Ipsi enim tui oculi per meos oculos ad intima delapsi præcordia meis medullis acerrimum commovent incendium. Nimirum, id videtur desumpsisse à suo Antesignano Platone, qui amoris vulnera censuit esse radios quosdam tenuissimos, ex intimo cordis spirantes, ubi vitalis sanguis dulcissimus & calidissimus sedem habet. qui, viâ per oculos sibi patefactâ, atque identidem illapsi ad intimum usque cor penetrant. Quin & id ex aspectu statuarum accidere potest. qualiter accidisse memoratur intemperato cuidam adolescenti, qui intuitus imaginem Danaes à Iove compressæ sub imbre aureo, ipsum se concitavit ad simile facinus. Ergo ex aspectu oculorum potest quis per accidens, & veluti occasione accepta, innodari amore turpi, ideoque fieri intemperatus.

9 SIMILITER Et ex voluptate illâ, quæ auditu capitur. Id patet vel ipso Sirenium auditorum exemplo, quo vitur Aristoteles loco supra indicato. Nam licet in ea mythologia, qui Sirenibus aures præbuerunt, earumque dulci cantu delectati sunt, propterea solum incauti existimentur; at tamen occasione inde acceptâ in libidinem lapsi putantur, quæ intemperantiæ parens est. Ideo sub ænigmate Sirenis cuiusdam decantatum legimus;

*Illicium est mulier, quæ in piscem desinit
atrum:*

Plurima quod secum monstrat libido vebit,
Ideo & D. Hieronymus in quadam Epistola: *Nos ad patriam festinantes, inquit, moris feros Sirenium morsus fugiamus.* Nimirum, blandæ feminatum voces illicio esse solent. Eodemque spectat Socratis celebre effatum apud Xenophontem: *δει ω σπειρασην ασ τας ηδονας ωα-
γειθαι τον σπειραοντα τλω αρετων ιδειν ω σπει-
ρασιδα.* *Voluptates oportet præterire, tanquam Sirenes, eum, qui virtutem ut patriam intueri percipit.* Denique & idiplum satis indicat S. Synelius Epist. ad Herodianum illis verbis: *εγω η εδη αλλο, &c.* *Ego quidem non aliam ob causam existimo Sirenas matè à Poetis acceptas, quam quod vocis dulcedine ad auctios perderent. Audivi à quodam ex sapientibus, qui allegoricè fabulam expleret, Sirenas obsecrare significare voluptates sensuum obtectantes, quæ eos perdant qui earum cantu & blanditijs aures præbuerunt.* Nec prætereundum ea de re elegantissimum epigramma D. Luisij de Gongora, quod instituto huic valde opportunum, nec minus morale sit, Hispanicò carmine:

*O Marnero, tu, que cortis no
Al Palacio l. fias tus ant nas;
Al Palacio Real, que de Sirenas
Es un segundo mar Napolitano:
Los remos de xa, una uolca mano
De los oidos ta desvia apinas:*

Que

*Que esfollo es, quando no syrte de arenas,
La dulce voz de vn Serafin humano.
Qual su silvo, tu muerte serà clara,
Si espira suavidad, si gloria espira
Su harmonia mortal, su beldad rara.
Huic de la que armada de una Iyra,
Si rocas mueve, si baxeles para,
Cantando mata, al que matando mira.*

10 **ULTERIVS**, Nec intemperantes censentur, inquit Aristoteles, qui *histrionis gaudent voce plusquam oportet*: similiter nec temperantes ij, qui, ut oportet, gaudent. Huc revocandos merito censet Gallutius eos, qui narratione rerum lepidarum, aut novarum, aut rumorum audientium studio nimium delectantur. quales fuisse Athenienses testatur S. Lucas in Actis Apostolorum cap. 17. v. 22. dum ait: *Athenienses omnes, & advena omnes, ad nihil aliud vacabant, nisi aut dicere, aut audire aliquid novi.* Ideo Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromateou sine eos obiurgat, quasi novitatum affectatores, dum inquit: *Vos Græci semper estis pueri. Nulla apud vos cana disciplina. nullam penitus in animo habetis antiquam opinionem.* Non tamen ideo, aut Lucas, aut Clemens Alexandrinus, Athenienses intemperantiae notat, ne illos quidem, qui opinionum novarum prurigne ægrotant. Neque etiam Cretensis dum interpretatur Carmen S. Gregorij Nazianzeni ad Cleobulum: ubi non intemperantiae, sed inscitiae & arrogantiae eos accusat. *Novitates, inquit, partim ex inscitia, partim ex arrogantia, originem ducunt.* Non ergo ex intemperantiae vitio.

11 **SED** Inquires, cuius Virtutis sit in voluptatibus videndi audiendique modum præscribere, seu mediocritatem servare. Cum enim id per se experibile sit, & honestum, & difficile, spectare debet ad aliquem habitum. Si autem is non sit Temperantia, videretur, nullus alius existeret. Huic dubitationi respondet Giphanius, ad Liberalitatem spectare ut corrigat quidquid est in luxu tabularum, vestium, valorum, acroamatum, aliarumque rerum eiusmodi. Idque suadere conatur ex doctrina Arist. libello de Virtutibus, ubi tradit Liberalitatis esse proprium τὸ φιλόκαλον. nimirum, quidquid pertinet ad elegantem, egregium, & studium honesti cultum. Cumque omnia illa, quæ oculis & auribus ingenerant voluptatem, prædita sint elegantia aliqua, pulchritudineve, videretur proprium esse Liberalitatis ut corrigat, quidquid luxus sive excelsus in ijs esse potest.

12 **CÆTERVM** Licet hæc doctrina ex parte vera sit, quatenus docet, Liberalitatis esse servare mediocritatem in sumptibus, qui fieri solent in emendis statuis, aut tabulis

pictis, aut in alendis cantoribus, vel fabulis vel spectaculis exhibendis; aliunde difficilis est, & incredibilis, quatenus ad præsens institutum attinet. Nam moderari voluptatem, quæ percipitur ex earum rerum visu & auditu, nullatenus videtur spectare ad Liberalitatem. Huius enim officium per se loquendo solum exercetur in ijs sumptibus, quos quisque facit: ut apparebit infra lib. 4. cap. 1. Atqui voluptatem prædictam experiri quis potest in visu & auditu earum rerum, circa quas non facit sumptus aliquos, sive quæ alieno sumptu & impensis paratæ sunt. Ergo officium Liberalitatis per se loquendo non exercetur circa voluptatem prædictam. Quare dicendum potius videretur cum Gallutio, voluptatem in visu & auditu rerum iucundarum esse materiam spectantem ad aliquam Virtutem innominatam, & valde similem Temperantiae. Nam quemadmodum hæc corrigit voluptates communes homini cum brutis, ita & illa mediocritatem præscribit ijs, quæ hominum propriae sunt. Huiusmodi enim censentur quæ visu, & auditu capiuntur: nam licet externo & corporeo sensu capiantur, non tamen movent corporeo modo (ut observat Alb. Magnus) neque communi animantibus brutis, quæ per se non capiunt voluptatem ex ijs quæ vident aut audiunt, de quo vberius infra.

13 **ADDIT** Philosophus: **NEQVE ETIAM II, QVI CIRCA ODORES GAUDENT** (scilicet, intemperantes dicuntur) **NSI PER ACCIDENS.** Non enim temperans habetur, qui moderate; neque intemperans, qui nimium delectatur odore pomorum, rosarum, herbarum, aliarumque eiusmodi rerum naturalium, quæ confricatæ, aut calefactæ, aut prunis impositæ fragrantiam excitant & circum quaque respargunt. quales commemorat Horatius lib. 2. Od. 15. dum accinit:

*—platanusque celibus
Evincet vicos: tum violaria, &
Myrtus, & cinnis copia narium
Spargent olivæ odorem
Fertilibus domino priori.*

Fieri tamen ex accidenti potest, ut Temperantia in ijs voluptatibus versetur. quoties, scilicet, in memoriam revocant voluptatem aliquam proprie spectantem ad materiam Temperantiae. Cuius generis esse potissimum odores unguentorum aut epularum, observat Arist. eosque, qui nimium ijs indulgent, censeri intemperatos. quoniam existimantur non tam de odore ipso, aut uodore delectari, quam memoria opsoniorum, aut epularum, quarum inordinato amore tenentur. Cuius vitij, inter alios, maxime notatur Claudius Cæsar, qui cum aliquando ius in Curia diceret, percepto nidore carnis, tam impotenter abreptus fuit, ut relicta causa publica, statim se conferret ad ven-

trem implendum. Similiter & vnguentorum odor potest excitare voluptatem libidinis, in qua coercenda versatur Temperantia per se. Quò spectat illud Plinij lib. 13. tantam esse vnguentorum vim, ut transeunte femina odor invitet, etiam aliud agentes. Ideoque qui vnguentis delectantur, eorumque fragrantiam ybique diffundunt, effœminati habentur, suspicionemque ingerant libidinis, quæ ijs irritamentis acuitur. Quam existimationem circa se procul amolitur Seneca Epist. 109. dum, inter alia frugalitatis ac Temperantiæ suæ testimonia, inquit: *Inde in omnem vitam vnguento abstinemus: quoniam optimus odor in corpore, est nullus odor.*

14 HINC Est manifestum discrimen ab Arist. observatum inter odores malorum, rosarum, & vaporum ex vna parte; atque vnguentorum & epularum ex alia. Nam quicumque nimium affecti sunt posteriori odorum generi, intemperantes habentur; non autem qui odoribus prioris generis ultra mensuram delectantur. Quod disertè docet illis verbis: *Non enim eos, qui malorum, aut rosarum, aut vaporum; sed eos potius, qui vnguentorum aut epularum odoribus delectantur, intemperantes dicimus esse.* Vnde primum odoris genus est per se iucundum, seu delectationem afferens, quod proinde non præstat fundamentum conijciendi affectum inordinatum ad rem aliquam, contrarium Temperantiæ: secundum verò non per se, sed per accidens iucundum est, & aliquando, delectat ratione alterius, cuius recordatio excitat appetitum ad voluptatem Temperantiæ contrariam. Ideoque Socraticus laudatus ab Aristotele Eudem. 3. dixit, odores florum esse formosos: opsoniorum verò iucundos. quod postremum potuisset quoque de vnguentis dicere.

15 REM Amplius exponit Aristoteles adhibito exemplo in belluis, quæ nullam capiunt voluptatem tribus his sensibus, olfactu, auditu, & visu. Non olfactu. neque enim odore leporum, sed esu, gaudent canes. Quare odor sensum ferit dumtaxat: id est, excitat sensui speciem vicini leporis, cuius esu apprehenso delectantur. Non etiam auditu: ut patet in leone, qui non mugitu, sed esu bovis delectatur: per vocem autem sentit illum esse propinquum: atque eo ipso gaudere videtur. Non denique visu: quoniam neque idem leo, si vidit, aut invenit cervum, aut feram capream, hoc ipso gaudet: sed quia cibum habebit. Quam postremam similitudinem ab Aristotele ex Homero desumptam vult Theodorus Zuingerus. nam ille Iliad. 4. Menelaum cum Paride decertaturum comparat leoni, qui visa eminus cervæ, aut capræ, lætatur. Belluæ igitur ijs tribus sensibus, olfactu, auditu, & vi-

su, non delectantur per se, sed dumtaxat ex accidenti.

16 OBIICIENS. Belluæ etiam delectantur ijs tribus sensibus, idque absque vlllo ordine ad delectationes aliorum sensuum. Primum enim apes delectari videntur olfactu. Nam Virgilius, doctissimus sanè Poetarum, sicut & eloquentissimus, lib. 4. Georgic. præcipit, galbancos incendere odores circa alvearia, ut apes ijs recreatæ convalescant ab ægritudine, quæ ibidem describitur. Idque tanquam experimento comprobatum iuvat etiam Columella, cap. 13. ubi odorem galbani salutarem apibus testatur. Secundò circa auditum, nam & belluæ quædam flexi cantu existimantur, ut docet Cicero pro Arch. Speciatim verò de delphinis id tradi solet, qui, teste Plinio lib. 9. cap. 8. musicam amant, & demulcentur symphoniarum cantu, atque hydraulii sono. Indeque Poetis antea fuit evulgandi, Ariquem cithara demulcentem in mari delphines, meruille, ut concitata adversus eandem persecutione nautarum iam iam necem meditantium, exceptus fuerit à delphine quodam, delatusque ad litus Tanarum. Nec tantum Poetæ, sed Historici quoque ita scribunt: ut Herodotus lib. 1. & Gellius lib. 16. cap. 16. vltim. qui paulò aliter rem narrant: nimirum, Arionem citharædum insignem, cum patriam suam Corinthum repeteret plenus divitijs, in piratas incidisse, qui, capto consilio interficiendi illum, ut pecunias auferrent, annuerunt nihilominus roganti, ut citharam pulsaret. Quod ille adeo dulciter præstitit, ut delphinus cantu suo & fidibus alliceret circa navim. ex qua se in profundum maris proiciens, à delphine quodam dorso exceptus, & ad portum usque perductus est. Vnde illa Bianoris sententia lib. 1. Epigr. Græcorum expressa.

ἦ γὰρ θάλασσα
ἰχθῦς ἀνθρώπων ἔχει δίκαιοτερον.
—————
meliores equore nasci
Pisces, quam tellus gignat alumna viros.

De lusciniæ quoque avi, Hispanicè *Rugseñar*, testatur plura Plinius, quæ videntur probare, illam nimium voce, ac modulis delectari: præsertim lib. 10. cap. 29. ubi de ijs avibus inquit: *Certant inter se, palamque animosa contentio est. Vt èta, morte sepe finit vitam, spiritu prius deficiente, quam cantu. Meditantur alie uniores, verjusque, quos imitentur, accipiunt.* Legendus Magius lib. 4. cap. 13. ubi de vi musicæ in animantes rationis species. Ergo etiam animantes brutæ delectationem ex auditu capiunt. Tertio denique id ipsum comprobatur in visumam aviculæ quædam videntur maxime delectari, dum se contemplantur in speculis: ideo.

ideoque venatores eas obiectis speculis capere solent. Huc spectat quod de pavone pervulgatum est, & ad sensum parere videtur, illum nimis delectari, quoties expansa cauda & plumis verticoloribus, veluti admirabundus seipsum incedit. Igitur & aves capiunt per se loquendo voluptatem ex visu.

17 HÆC Tamen nullius ferè momenti sunt, ut nos divertant à sententia Aristotelis superius statuta. Negamus itaque belluas, seu quaslibet animantes brutas, etiam indicatas in obiectione, capere voluptatem per se ex olfactu, auditu, aut visu: solumque ex accidenti eas delectari dicimus cum ipso Arist. Neque obstant probationes in oppositum, quæ nihil amplius evincunt. Non prima, quæ de olfactu procedit. Nam non constat, neque Virgilius eo loco affirmat, apes delectari odore galbani, sed curari tantum ab ægritudine contracta: nam de illius curatione loquitur dum accinit, *Hic tam galbaneos suadent incendere odores*. Quod quia non consuluit Gallus in ipso fonte, aliâ fiescio quam evasionem, longè alienam à sensu nobilissimi Poetæ, meditatus est. Potest verò aliquis odor medicamento esse apibus, sicuti & hominibus, qui tamen voluptatem non afferat per se loquendo. Nec secunda probatio obest ex auditu musicæ petita. Nam delphines, & qualibet animantia bruta, si fortè videntur alluci musico accentu, non propterea delectationem capiunt, sed stuporem quemdam, quo sensus eorum devinciuntur, & quasi soporantur: ut proinde facile capi possint. Arionis autem narratio fabulosa omnino videtur, & cui natio Poetarum originem dederit. Idemque est de ovibus, quæ delectari videntur, non tamen re ipsa aut per se delectantur, quoties pastor fistulam inflat. Lusciniarum verò cantus non delectat eas per se, sed per accidens: quia quoties dulciter canunt, versantur in generatione prolis, eoque cantu excitantur mares & feminae ad conjunctionem, quæ proprie spectat ad sensum tactus. Nec denique tertia probatio obstat: nam adhuc restat probandum, aves per se delectari ex aspectu sumptarum. Solum itaque concedimus, si fortè delectantur, id esse ex accidenti, sive quatenus ex aspectu excitantur ad venetem, aut convictum sociarum, aut pastum. Quo etiam sensu serenitas cœli illas exhilarat, & viror campi: prout exinde in animo subit cogitatio veneris, aut pastus, aliter aut oblectamenti spectantis ad gustum, aut tactum id quod sponte facit Aristoteles, dum primum illud negat.

18 CHICA Tertiam partem descendit ad assignandum in specie, circa quas voluptates vertitur Temperantia, similiter & habitus intemperantiæ contrarius. Alteri ergo primum, esse illas, quæ omnibus animantibus communes sunt: ideoque se viles & ferales ha-

bentur. Eas verò pronunciat esse, quæ gustu tactuque percipiuntur. Quod ex doctrina hucusque tradita facile suadetur. Temperantia enim & intemperantia versantur in voluptatibus. At non ijs quæ hominum propriæ sunt, seu ad rationalem animam propriè spectant, cum nemo propter illarum moderatum, aut immodicum vltum censetur temperans aut intemperans. Ergo versantur in ijs, quæ communia sunt homini cum cæteris animantibus. Cuiusque alias probatum sit, eas non esse quæ ex olfactu, auditu, aut gustu capiuntur, superest tandem ut sint, quæ percipiuntur gustu & tactu.

19 VERVM Instituta comparatione inter eos duos sensus, affirmat, multo magis cerni Temperantiam intemperantiæque in sensu tactus, quam gustus. Affirmat, inquam, subobscurè hoc loco: sed clariùs in Eudemij dum ait: *Vulgò quidem ex opinione multitudinis ἀνοδία, seu intemperantia, in duobus, gustatu, & tactu; verè tamen & propriè in tactu tantummodo versatur*. Nimirum, tanquam circa voluptates principalius inspectas. Quod hoc loco sic ferè probat: Quoniam in ijs potissimum versatur voluptatibus Temperantia, atque intemperantia, quibus maximè delectantur intemperantes. At ij delectantur maximè, seu magis, voluptatibus spectantibus ad tactum, quam ad gustum. Temperantia ergo, & intemperantia potissimum, ac magis versantur in voluptatibus spectantibus ad tactum, quam ad gustum. Assumptionem, seu minorem propositionem huius syllogismi, in quâ esse posset dissidium, probat nam actio propria gustus in eo sita est, ut admota lingua gustandis rebus, gustus de saporibus iudicet: eoque iudicio percipiat delectationem sibi propriam in potu & cibo: ut patet in ijs, qui opsonia, & vina probant, ut deprehendant, num competenti sapore prædita sint; nec tamen in ventrem mittunt. Atqui intemperati non curant, nec student discernere sapes, sed totam suam delectationem sitam in eo habent, ut tactu gutturis ac ventris excipiant esculentia, & poculentia, ac iocunditatem illam experiantur, quæ in ijs deglutendis est. Ergo intemperati magis delectantur voluptatibus spectantibus ad tactum, quam ad gustum. Et sane ita accidit in belluonibus: ac ventris ingluviæ deditis: non enim sapes discernunt, sed totam voluptatem suam collocant in deglutendis opsonijs: similiter & in ijs qui ad ebrietatem vltque vino se ingurgitant: tenim quasi per infundibulum illud hauriunt, nihil curantes de qualitate saporis, curis discretio ad gustum & linguam spectat, sed tantum de suavitate tactus illius, quâ in guttore experiantur. Quo spectat illud Varionis apud

apud Nonium: *Quis in omni vita bellus olfecit temetum?* Id est, nullus unquam belluonum vini suavitatem examinavit olfactu, aut saporem gustu: cum tota eorum delectatio in tactu, visu, ac fructione, posita sit.

20 ILLUSTRAT Doctrinam hanc exemplo cuiusdam nobilis belluonis, ac maxime intemperantis, quem appellat Piloxenū Eryxium, iuxta codices, quibus Argyropilus usus est: quamvis Lambinus testetur in alijs nullum proprium extare nomen: sed ab aliquo fuisse additum ex Eudemis; in quibus tamen non appellatur Philoxenus Eryxius, sed Philoxenus Eryxidos, quasi Eryxidis filius. Verum hoc prætermissum, quoniam levis momenti est, inquit Aristoteles eiusmodi belluonem usque adeo effreni intemperantia, & insatiabili gula ægrotasse, ut exoptaverit sibi collum gravis longissimum, idque a dijs ardentem postulaverit, quo sic diuturniorem & productiorem voluptatem in cibo & potu experiretur. Unde manifestè convincitur, totam eius delectationem non fuisse positam in gustando, quod ad linguam spectat; sed in tangendo, quod fit visu ipso & tactione gutturis. Videturque hic ipse Philoxenus esse ille, de quo Athenæus lib. 8. cap. 6. agit: ubi Machon Comicus de eo ait, optasse sibi collum tricubitale. Hoc tamen alij, non de Philoxeno, sed de Chærephonte parasito narrant: de quo apud Gellium lib. 19. cap. 2. habetur, optasse ut sibi a dijs donaretur, τριῶν πόν λαγγυγὰ πηχέων, guttur trium cubitorum. Simile quoque est de Melanchio Poeta Tragico, & insigni ob gulam, qui sibi guttur olorum optavit, quo diutius dapum sensu frueretur. Legendum porro Gellius loco nuper indicato, ubi mirè illustrat hanc ipsam Aristotelis doctrinam, in qua versamur.

21 SED Tamen aliqua illius verba hoc loco describere oportet, quod admodum formandis moribus opportuna sint, ut nos ab ijs voluptatibus arceant, quas Arist. docet, communes nobis esse cum brutis animantibus, quoniam ad gustum & tactum spectant. Ait quippe Gellius: Quis igitur habens aliquid humani pudoris, voluptatibus istis duabus, coeundi, & comedendi, quæ sunt homini cum sue, equo, asino communes, gaudeat? Socrates quidem dicebat, multos homines propterea vivere velle, ut ederent, & biberent: se autem bibere atque edere, ut viveret. Hippocrates vero, divina viri scientia, de coitu Venereo ita existimabat, partem esse quandam morbi terribissimi, quem nostri Comitialem dicere. Hæc ille, satis observanda, & notatu digna. Usque adeo verum est, quod hoc loco docet Aristoteles, delectationes gustus, ac præsertim tactus, in quibus versantur Temperantia & intemperantia, ferales ac belluinas esse. Ex qua doctrina videtur coniecit D. Augustinus sen-

sum quorundam Poetarum, dum aiunt, quosdam hominum abisse in asinos, aut sues: quod, nimirum, instar eorum brutorum se generint circa adipales voluptates, quæ gustu tactuque percipiuntur.

22 ID Aurem discriminis inter utraque observandum est ex eodem Aristotele, quæ imitantur D. Thomas, & alij Veterum, delectationes quæ percipiuntur gustu, seu potius gutture, ab intemperantibus, spectare ad conservationem individui: eas vero, quæ percipiuntur tactu, sive visu Venereis, pertinere ad propagationem & conservationem speciei. Cumque amor speciei sit potentior, quam individui, consequens est, ut delectatio ex tactu sint longe potentiores ad alliciendum, quam voluptates ad individui conservationem ordinatæ, ut Avicenna observat. Neque enim aliter homines ijs tam impotenter abriperentur, cum alas foeditissimæ & terribissimæ sint, quas proinde homines prorsus refugerent, nisi amor sobolis & speciei propagandæ eos quasi sensu alienaret, aut raperet extra se, instar Comitiali morbo ægrotantium.

23 CÆTERVM Non omnem voluptatem ad tactum spectantem vult Arist. belluinam ac feralem esse: nam extremo loco huius capituli monet, aliquas esse liberales, & hominis proprias, proptereaque alienas à materia intemperantiæ. Assignat autem nominatim eas, quæ in Gymnasio & palæstra capiuntur ex vinctione, aqua calida, lucta, pancratio, & alijs ludis: in quibus necesse erat contrectare aliena corpora, etiam nuda. Ratio autem cur ex tactione liberales sint, in eo sita est, quod non ad libidinem, aut ingluviem ordinatæ sint, sed ad bonam habitudinem, valetudinemque corporis. Unde nec ad Temperantiam pertinet, mediocritatem in ijs servare, nec ad intemperantiam affectare immoderantiam & excessum.

VIDE D. Thom. 2. 2. quaest. 141. atque eius Interpretes.

(?)



CAPVT VNDECIMVM.

Quòd diuersa sint cupiditatum species.



CUPIDITATVM Aliæ communes sunt, aliæ propriæ, atque adiunctæ. Alimenti nanque cupiditas, naturalis est. Omnes enim, cum indigent nutrimento, siccum, aut humidum alimentum, & nonnumquam vtrumque cupiunt. Cubile etiam cupit, vt inquit Homerus, iuuenis, atque vigenis. Non autem omnes tale, vel tale, vel eadem cupiunt: quocirca nostrum id ipsum esse videtur. Habet tamen & aliquid naturale: alios enim alia delectant, & quædam quibusdam magis, quam alia quæcumque, sunt voluptati. Hæc cum ita sint, in naturalibus quidem cupiditatibus pauci peccant, & ad vnum, ad ipsum, inquam, plus. Cum enim quispiam quævis comedit, aut bibit, donec impleatur superfluo, fit tum rei naturalis exuperatio multitudine. Ipsa nanque naturalis cupiditas, indigentia est repletio. Quapropter hi furentes circa ventrem dicuntur, quia vltra, quam oportet, ipsum implent, atque farciunt. Tales autem ij sunt, qui mancipijs sunt persimiles. At circa proprias cupiditates, complures homines, multisque modis delinquent. Nam cum talium amatores ex eo dicantur, quia vel gaudent quibus non oportet, vel magis quam oportet, vt ipsi multi, vel non vt oportet, in vniversis intemperantes excedent: gaudent enim quibusdam, quibus non oportet gaudere: quippe cum sint odio digna. Et si talibus quibusdam oportet gaudere, magis illis gaudent, quam oportet, & quam vt ipsa gaudet multitudo. Eam igitur exuperationem, quæ est circa voluptates, intemperantiam esse, & vituperabilem constat. Circa verò dolores, non vt in fortitudine, sic in ipsa temperantia fit: vt temperans quidem dicatur quispiam ferendo dolores, intemperans autem non ferendo. Sed intemperans quidem ex eo dicitur, quia dolet magis, quam oportet, cum voluptate non potitur, atque ipsum dolorem affert ei ipsa voluptas. Temperans autem ex eo, quia absentia rerum eatum, quæ efficiunt voluptatem, non dolet, illisque abstinet. Intemperans igitur ea omnia, quæ afferunt voluptatem, vel ea, quæ maximè concupiscit: & à cupiditate adeò ducitur, vt illa cæteris omnibus anteponat. Quapropter & non adipiscens, & cupiens.

piens dolet: cupiditas enim est cum dolore. Absurdo autem est persimile, ob voluptatem dolere. Atqui deficientes in voluptatibus, & minus gaudentes homines, quam oportet, non nimium fiunt. Non est enim insensibilitas talis humana. Etenim animalia cætera cibos discernunt, & quibusdam quidem gaudent, à quibusdam verò abhorret. Quòd si quis sit, cui nullus prorsus est voluptati, nec vllus ab alio differt, is longè ab homine distat: nomen autem non habuit talis, quia non facile fit. Vir autem temperans in his mediocriter sese habet, Nec enim ijs gaudet, quibus intemperans maximè delectatur, sed potius molestè fert: nec ijs omnino, quibus delectari non decet, nec vehementer vllis rebus huiuscemodi delectatur: neque, sibi absint, dolet, neque cupit, nisi mediocriter semper, nec magis, quam oportet, nec quando non oportet, vlla res omnino talis ipsum delectat. Mediocriter autem, & vt oportet, eas res appetit, quæ voluptate quidem afficiunt, ad sanitatem autem & bonam corporis habitudinem conferunt: & res cæteras voluptatis effectrices identidem, si nec impedimento sint dictis habitibus corporis, nec honestatis cancellos, nec facultatum metas egrediantur. Nam qui ita sese habet, magis, quam dignum est, eiusmodi voluptates amare videtur. At temperans non est talis: sed ita sese habet, vt ipsa ratio recta præscribit.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

Cupiditatum alias esse communes, alias proprias singulorum. Quomodo circa utrasque se gerant temperans & intemperans. quomodo item circa dolores. Vtium oppositum Temperantia per defectum, quale sit, & quam alienum ab homine.



ASSIGNATA Iam superiori capite materiã, in qua versantur Temperantia, atque intemperantia, distulit nunc de illarum actibus, illosq; distinguit iuxta varietatem cupiditarum. Di-

viditur autem caput in quatuor partes. In prima exponitur, quomodo se habeat intemperatus in delectationibus & cupiditatibus, quibus diversimodè agitur. In secunda, quomodo temperatus, itemque intemperatus, se gerant circa molestiam & dolorem. In tertia, edulseritur vitium ipsum intemperantia, quod & quale sit. In quarta denique describitur officium temperati hominis inter cupiditates, delectationes, ac tristitias.

2 CIRCA Primam partem dividit bipartitò cupiditates: vt quædam sint naturales & communes: quædam verò propriæ pecu-

liaresque. Priores sunt, quæ naturã indite sunt omnibus hominibus, vt fames, ac sitis. Fames est cupiditas, seu appetitio calidi & sicci: sitis autem humidi & frigidi: vt idem Philosophus docet 2. de Anima. Quod qualiter accipiendum sit, nos ibidem explicuimus disputat. 88. sect. 6. nam. 60. Porro, vt monet Albertus Magnus, siccum deservit ad reparationem substantiæ assidua activitate naturalis caloris amissæ: humidum verò ad continuationem eiusdem substantiæ, quæ sine humido continuari non potest.

3 CVPIDITATIBVS Naturalibus, seu communibus, adiungit statim Philosophus appetitionem cubilis, seu lectis: idque Homeri testimonio, ex libro ultimo Iliados petito confirmat, dum ait iuxta præiactam Argycopili versionem. *Cubile enim appetit, vt inquit Homerus, iuvenis atque virgine.*

Quæ verba qualiter sint accipienda, non omnium Interpretum vna sententia est. Albertus Magnus, Gualterus, Acciaiolus, & alij, interpretati sunt verba hæc, tanquam Philosophus loquatur de naturali & omnibus insito appetitu quiescendi in cubili, seu solvendi naturæ debitum pensum somni, & requies. Cæterum ita existimasse videntur, quia non consuluerunt, aut exponderunt satis versus ipsos Homeri, qui non de quiete naturali, sed de appetitu Veneris loquitur, quamvis modestè viens cubilis voce. Quod primus Interpretum, quem viderim, observavit Petrus Victorius, & post ipsum Giphanius, quos imitatur Gallutius, quamvis neutrum alleget. Nimirum, verba Homeri finguntur prelatà Thetyde Achillem filium consolante, cum mæreret ob interitum sodalis, & proponente ipsi omnia, quibus levare dolorem posset, atque inter ea cibum, & usum Veneris. Carmina loco allegato sunt:

*Τέννον ἰμὸν, τέο μέγεις ὀβυρέμεν, &c.
Fili mi, quousque stens & dolens,
Tuum arades cor, memor neque cibi
Neque cubilis? bonum verò est mulieri in
amore*

Miseri, &c.

Quare eleganter quidem; sed non satis ad mentem Homeri, reddidit eos versus, qui ita lusi:

Nate, quid usque adeò miseris consumere curis?

Lumina quid sietu crucias, quid pectora questu?

*Immemor ora tibo committere, fessa quieti
Corpora? quid Veneris te non movet vltia voluptas?*

Et pulchrum est blandis nunquam amplexibus uti

Coniugis, &c.

4 SVFFRAGANTVR Plura eidem interpretationi, Primum est, quod idem Philosophus infra lib. 7. appetitum Veneris inter cupiditates necessarias, seu naturales recenset: ut propterea hoc etiam loco eas collocat inter communes & naturales censeatur. Secundum est: quoniam Aristoteles appetitum cubilis adscribit nominatim iuveni ac vigenti. Si autem lentus esset de quiete naturali, non esset quod magis illius cupiditatem iuveni adscriberet, quam seni: cum omnium hominum cuiuslibet ætatis sit quietem appetere. Non ergo appetitio cubilis est intelligenda de quiete naturali. Tertium: Quoniam verbis Homerici Thetys exhortans Achillem, ut cubilis memor sit, statim addit de quo cubili loquatur: scilicet, non tam de illo, quod quie-

ti deservit, quam quod propagandæ soboli. Quartum denique: Quia licet appetitio Veneris non sit necessaria conservationi individui, est tamen necessaria ad propagationem conservationemque speciei: ideoque loco nuper indicato ex lib. 7. existimat, eam cupiditatem non debere reprimi, aut prohiberi ab ijs, qui Republicæ præsent. Fateor, eam ipsam doctrinam corrigi debere ex Christiana Philosophia, quæ virginitatem, celibatum, & castimoniam Deo promissam, præfert matrimonio, omnemque Venereum usum extra illud proscribit, & damnat. Semper tamen verum existit, omnibus hominibus, attento statu naturæ lapsæ, cum primùm ad vigentem ætatem perveniunt, commune esse, ijs concupiscentiæ motibus agitari, qui ad speciei propagationem inclinant: quamvis in libera vniuscuiusque potestate sit non præstare consensum, & servare illæsam pudicitiam iuxta suum statum.

5 POSTERIORIS Generis cupiditates, id est, peculiare, & adventitiæ, sunt, quas unusquisque hominum privatim habet ex suo genio. Neque enim sunt communes instar illarum priorum, sed variæ ac dissimiles, iuxta varietatem indolis, ac temperamenti in singulis naturæ humanæ individuis. Quidam esu carnis delectantur; alij contra solos pisces amant: & rursus inter carnes, ac pisces sua cuique cupiditas privata est, ut potius vno, quam alio, delectetur. Quibusdam vinum ingratum est: alijs verò suavissimum, & gratius melle. Melancholici amaro sapore delectantur: suaviori autem dulcique quotquot sanguine abundant. Borealiū Regionum incolæ abundanter carnibus vescuntur, & vino indulgent; parè verò & moderatius qui ad Occidentem & Austrum habitant. Imò & in diversis Provincijs eiusdem Regni satis vicinis, id experimento comprobatur. Aragouij enim, & Valenti in Hispaniâ parcius vescuntur carnibus, quam habitatores Castellæ, vitorumque finitimi. Porro eæ omnes cupiditates, naturales sunt quoddammodo, prout sequuntur temperamentum vnicuique naturæ insitum, quasi appendix naturæ. Non tamen sunt naturales priori illo sensu: quoniam non committantur vbiq; naturam, sed in hoc aut illo individuo tantum.

6 OBSERVAT Giphanius, divisionem traditam cupiditatum vix dissidere ab eâ, qua vti sunt Epicurei. Ij enim trifariam dividerunt cupiditates: ut quædam sint naturales, & necessariae; quædam naturales, & non necessariae; quædam denique inanes. Quam divisionem, veluti non secundam artem factam, reprehendit Cicero lib. 2. de Finibus, licet rem ipsam prober. Itaque potius voluptates dividi vult in naturales &

& inanēs. Deinde naturales subdividit in necessarias, quales sunt cibi & potus: & non necessarias, ut Veneris, quatenus, scilicet, conseruationi vniuscuiusque individui non sunt necessariae, ut supra dictum est. Inanes denique Epicurus censuit, quas hoc loco Aristoteles *ιδίαις ἡδοναῖς, proprias voluptates* appellat: ut nimiam cupiditatem honoris, imperij, gloriæ, deliciarum; & libidinum. De quo legendus Plato lib. 8. & 9. Politic. de Republica: similiter & idem Aristot. infra lib. 10. cap. 5. vbi disserit de speciebus voluptatum.

7 DIVISIONE Cupiditatum tradita, exponit illarum usum, & pronunciat, in ijs quæ naturales & communes sunt, à paucis peccari, idque per excessum. Frequenter enim homines comedunt ac bibunt, quoadusque faciant satis necessitati naturali, neque inde excedunt. Aliqui tamen sunt qui eam lineam prætergrediantur, ut lurcones, helluones, gurgites, ventres, & ad pastum proiecti, qui propterea ab Aristotele dicuntur *γαστήριμαργοί*, id est, furentes circa ventrem; sive, ut Giphanius interpretatur, *ventres*. Neque enim Philosophus eos tantum *ἀκολούθησιν, intemperantes* appellandos putavit, nisi & præterea ea infami gastrimargiæ notâ significarentur, quæ ventris voraginem, & ingluviem ac rabiem denotat. Quin & præterea eos servilis & illiberalis genij arguit, quod ventris mancipia sint, & pessimæ conditionis servi, deditiorum instar. Qua Philosophi doctrina mirè illustrari possunt verba illa Pauli ad Philipenses 3. vers. 19. *Quorum Deus venter est*. Nimirum, cum id sit vniuscuiusque Deus, quod ille potissimum colit, cui totus servit, & omnia sua impendit; helluonibus Deus venter est. Nihil enim aliud curant, aut cogitant, quam ut ventri serviant, tanquam mancipia, ut loquitur Aristoteles in præsentia, dum ait: *Quapropter γαστήριμαργοί, furentes circa ventrem dicuntur: quia ultra quam oportet ipsum implent, atque refarciunt. Tales autem ij sunt, qui mancipijs sunt per similes*. Videturque Paulus verbis paulò antè observatis alludere ad Dagon Deum Philistinorum, de quo agitur lib. primo Regum capit. quinto. Dagon enim est Deus venter, quoniam ventris causa celebratur: ut ibidem sacri Interpretes monent. Quare Cyclops helluo mactans arietes apud Euripidem accinit:

*Quos ego nulli sacrifico, nisi mihi: non Dijs,
Sed huic ventri meo Deorum maximo.*

Vnde & Tertullianus lib. de Ieiunijs cap. vlt. sic reprehendit gulosum quendam, quasi aras erigentem ventri, illumque colentem pseudo-virginitibus theologicis, tanquam Deum. Apud

te agape (charitas) in cæcibus fervet, fides in culinis calet, spes in fereulis iacet. Sed maior his est agape: quia per hanc adolescenti cum sororibus dormiunt: appendix, scilicet, gulæ lascivia atque luxuria est. Nec dissimile illud eiusdem: Deus tibi venter est, & pulmo templum, & aqualiculus altare, & Sacerdos coquus. Huc spectat iuramentum illud parasiti apud Plautum: *Ita me amabit sancta saturitas*. Vbi in saturitatem ventris, quasi in Deum, iurat. Denique prodest Clemens Alex. 2. Pædag. cap. 1. vbi ita de guloso loquitur: Mentem in ventre infudit: admodum similis pisci, qui Græcè *ὄψος*, id est, asinus dicitur, quem quidem Aristot. solum ex alijs animalibus dicit habere cor in ventre. Tales sunt ij homines, qui in ventrem crediderunt.

8 AC Merito sanè cupiditas gulæ appellatur ab Arist. gastrimargiæ, seu furor circa ventrem. quasi enim quoddam genus furoris est, quo helluones aguntur. Quod optimè exponit Chrysologus serm. 41. dum ait de gula: Non est ratio, sed languor: non vita, sed febris: phrænesis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deiecit, infirmat stomachum, corrumpit sanguinem, vitiat humores, succendit choleram, extremum febris gignit incendium; toties æger mentem perdit, amittit sensum, fertur desiderijs, contrarijs urgetur, salutaria respuit, quærit noxia, fugit curam. Similiter & Philo Hebræus lib. de Agricultura lurcones omnes furoris & libidinis accusat, ijs verbis: Hanc ventris ingluviem pedisequa à natura addita committatur libido coitus, & cæstro pertinaci concita, & molestissimam rabiem afferens. Cum enim è multis condimentis, potuque meraciore contractâ crapulâ, gravantur homines; non sunt amplius sui compos, sed properantes ad amatorios concubitus, comellabundi oberrant ianuis. Verum & cognationem gulæ cum intemperantia libidinis, causamque conjunctionis utriusque, sæpe ab Aristotele traditam, assignat philosophicè atque opportunè admodum S. Basilus lib. de Vera Virginitate, vbi interrogat: Quid illud est, quod animam in primis ad tactum corporis inquinat, & quoddammodo corpus efficit, reliquorumque sensuum voluptates multis modis germinat? Respondet verò huc questioni: Tactus scilicet, qui in gustu est, quique corpus ad coitum passivè trahit. Ex his procedit gustus ille tactus, sequiturque concubitus. Subdit deinde rationem: Nam per gustus tactum ad ingluviem ventris iugiter voracitate delintra, impinguatur corpus: ipsum verò feruentibus in imis recessibus humeris concitatum, libidine ad concubitus rectum im-

patientissimè fertur. Usque adeo alligata est gula furori ac libidini. Legendus præterea Phil. lib. de Somnijs, ac Tertullianus lib. iam allegato de Ieiunijs, præsertim initio, ac lib. de spectaculis cap. 10. Tandemque, ut vno verbo dicam, nihil frequentius traditur à Patribus, & Philosophis Ethicis, quam furorem ventris, seu gulam, esse libidinis matrem, ac speciem eius præcipuam intemperantiæ, quæ in rebus Venereis geritur.

9 ITAQUE In cupiditatibus naturalibus, qualis est appetitus cibi, pauci peccant: ijs, scilicet, solum, qui animo illiberali, ac servili sunt. Quod intelligo de magno, seu notabili excessu. nam de parvo accipi non potest. Rati enim, & in paucis temperantes, ac perfecti homines sunt, qui non excedant aliquantulum in cibo, & potu. Patet id ex D. August. lib. 10. Confess. cap. 31. dicente: Hoc docuisti me Domine, ut quemadmodum me, dicamenta, sic alimenta sumpturus accedam? Et infra: Quis est, Domine, qui non rapiatur aliquantulum extra metas necessitatis? Quisquis est, magnus est, magnificet nomen tuum. Ego autem non sum, quia peccator homo sum. Hæc ille, tantus Vir, atque eximie pius. Quid, quod nos homunciones, fateamur, frequentem in ijs voluptatibus lapsam, penes excessum aliqualem? Vide cap. sequens in Commentario circa finem. In ijs verò cupiditatibus, quæ peculiare sunt, sive singulorum propria, & adventitiæ, addit Philosophus, longè plurimos peccare, idque multipliciter. Huic clasi accentet delicta eorum, quos φιλοτεϊστῶς appellati ait, id est, talium rerum amatores, quales profectò sunt, qui plus solito, & omnino immoderanter indulgent spectaculis, musicæ, libidini, delicatis epulis, & exquisitis potibus. nam & horum cupiditates veniunt diversæ à naturalibus & communibus; atque inter peculiare & adventitias numerantur. Igitur in hoc cupiditatum genere multipliciter delinquitur. Non enim solum in excessu, ut de naturalibus dictum iam est: sed ex pluribus alijs capitibus. *Primo* enim peccatur amando ea, quæ odio digna sunt, ut alienum thorum, & omnem libidinem inconcessam. *Secundo*, quoties amantur quidem ea, quæ amare licet, sed tamen nimium, seu plus iusto. Cuius exemplum, inter alia, exhibet Herodotus lib. 1. in Candaule Lydia Rege, qui uxorem suam ad infantiam usque deperibat, admirabaturque. Simileque est in ijs, qui filios suos ultra modum amant, proptereaque vitia illorum non corrigunt, nec ab illicitis frenant; perniciosior sane amoris genere, quam esset iarestinū odium. *Tertio* delinquitur, quando delectationes expectantur, vel ut à multis, id est, more vulgi, vel non ut oportet, vel non qua parte oportet. Nimirum, ea ipsa, quæ alioqui licet, usurpantur

sæpe alieno modo, tempore, loco, ac circumstantijs abhorrentibus à prudentia & pudore. Addit deinde, intemperantes excessu peccare in omnibus rebus, etiam in ijs, in quibus delectatio mediocris est concessa. non enim delectantur iuxta rationis præscriptum, sed more vulgi, sive instar multorum. Cui doctrinæ consonat, quod idem Arist. tradit libello de Virtutibus, intemperantes ac libidinosos homines, plerumque etiam inverecundos, seu impudentes esse.

10 CIRCA Secundam partem exponit, qualiter se habeant temperans & intemperans in molestia & dolore: asseritque, eos non perinde se gerere, ac virum fortem. Nimirum, dictum iam est sæpe hoc ipso libro, officium Fortitudinis esse situm circa molestiam & dolorem, in vulneribus, in morte, & periculis ipsius. Quare vir fortis est ille, qui in ijs molestijs & doloribus versatur æquo animo, ac propter honestatem: timidus verò, qui aut ea mala refugit quoties subire deberet; aut subit quidem, sed non æquo animo, aut propter honestatem. Temperans autem & intemperans non ita se habent. Quippe temperans ille est, qui ægrè non fert, aut facillè & æquo animo patitur absentiam voluptatis, sive rei iucundæ: intemperans autem, qui eiusmodi absentiam ægrè fert, doletque defectum rei iucundæ. Quare duplex inter virosque differentia est. Prima, quod materia Fortitudinis sit dolor sive molestia præsens: Temperantiæ verò desiderium absentis boni. Secunda, quod dolor sive molestia, quam moderatur Fortitudo, procedit à malo quod opponitur bono utili, nimirum, corpori, & vitæ. Desiderium autem voluptatis absentis, quod moderatur Temperantia, provenit à malo, quod opponitur bono iucundo, seu afferenti voluptatem. Cum autem intemperantis appetitus effundatur ad concupiscendum quicquid iucundum est, & non fiat ex toto voti compos, aut neque ex parte, dolet, ac tristatur vehementer ex voluptatum absentia. Quare merito inquit Arist. cupiditatem rerum iucundarum in homine intemperante esse comitem doloris.

11 DICES: Nequit unum contrariorum esse causa alterius: ideoque nec nigredo albedinem, nec frigus calorem, nec Virtus vitium efficere potest. Unumquodque enim generat sibi simile. Atqui voluptas est contraria dolori & tristitiæ. Ergo voluptas nequit in homine intemperato efficere dolorem & tristitiæ. RESP. nec Aristotelem, nec nos dicere, dolorem positive oriri ex voluptate, etiam in homine intemperato: sed privative tantum. Intemperatus enim dolet, quia se considerat privatum voluptate, seu bono iucundo, quod e operat & deperit. Hoc etiam modo dicitur privato causa appetitus; & gubernatori navis tri-

tribuitur illius demeritio, non quod positivè illam deiecerit in profundum, sed quod prætermisserit officium, seu id quod sui muneris est.

12 INFERTVR. Ex doctrina tradita, dolores, molestias, & tristitias, magis spectare ad Fortitudinem, quàm ad Temperantiam, Ratio est: Quia effectus sequutus ex præsentia causæ, magis ac principalius inspicitur, quàm effectus secutus ex absentia. Atqui Fortitudo respicit dolores ac molestias consequentes ex præsentia causæ, nimirum, rerum terribilium; Temperantia autem consequentes ex absentia rerum iucundarum, quæ desiderantur, & non habentur. Ergo magis ac principalius respicit Fortitudo, quàm Temperantia, dolores ac molestias. Infertur deinde (quod Eustratius hoc loco monet) intemperatorum hominum vitam, quamvis iucunda appareat, & delicijs plena, reipsâ acerbissimam esse: quia cum omnia concupiscant, & non omnia ex voto accidant, necessum est, ut ex absentia eorum tristitiam & dolorem assiduum experiantur. Vnde illud Senecæ 3. de Benefic. cap. 3. *Novis semper cupiditatibus occupati, non quid habeamus, sed quid petamus, inspicimus: non in id, quod est, sed in id, quod appetimus, intenti.* Infertur denique, & è converso, vitam hominis temperantis iucundissimam esse: quoniam licet non nimium gaudeat rebus delectationem afferentibus, gaudet tamen mediocriter ijs, quæ sibi concessæ sunt. Si autem non possit eas obtinere, æquo animo earum absentiam subit. Quò spectat illud Democriti effatum, virtute Temperantiæ suaviora reddi ea ipsa, quæ per se suavia sunt. Et sanè ita experimento deprehenditur in ijs, qui frugalitatem amant. Etenim & panis siccus, & poma agrestia, & simplicia olera, maiorem ijs voluptatem ingenerant, quàm helluonibus Principibus dapes, & epulæ exquisitæ.

13 CIRCA Tertiam partem procedit ad exponendum alterum vitium oppositum Temperantiæ per defectum, atque adeò extreme oppositum intemperantiæ hucusque explicatæ, quæ peccatur per excessum. Illud autem, licet proprio nomine careat, dicitur ab Arist. ἀναίσθησις, id est, vacuitas sensus, sive stupor. Nam cui nihil est iucundum, nihilque inter hoc & illud interest, profectò is ab humanitate remotissimus apparet, imò & à conditione naturæ sentientis: cum & animantia bruta quibusdam delectentur, & inter voluptates discernant. Quare id genus hominum vix in rerum natura videtur habere locum, sed tantum apud Comicos, ut idem Arist. observat lib. 3. Eudemiorum. Comici enim quandoque in faculis suis introducunt quosdam homines adeò agrestes, & ab omni urbanitate alienos, ut vitiem iucunditatem exosam habeant, de quo etiã

infra lib. 4. cap. 8. Verùm eos raro, aut nunquam existere Cicero etiam notat in Oratione pro Cælio, dum ait: Quamobrem, si quem forte inveneris, qui aspernetur oculis pulchritudinem rerum, non odore villo, non tactu, non sapore capiat, excludat auribus omnem suavitate, huic homini ego fortasse, & pauci Deos propitios, plerique autem temerarios putabunt.

14 NOTANDVM Verò est, stupiditatem hanc, sive insensibilitatem, hoc loco accipi pro defectu opposito virtuti Temperantiæ, ac proinde vituperabili. Alioqui enim potest esse aliqua ἀναίσθησις, sive sensus vacuitas, quæ non habeat rationem defectus, nec vitij, aut oppositionem ullam cum Temperantia. Pro cuius intellectu notandum cum Acciaolo, posse hominem considerari secundum intellectum speculativum, nobilissimamque eius operationes, & quoddammodo divinas, quibus veritates rerum perfectè atque assiduo contemplatur (de quo infra lib. 10. cap. 7. ubi de beatitudine theotica) aut etiam secundum intellectum practicum, quo deputatur ad vivendum civiliter, seu in humano convictu. Priori consideratione fieri potest, ut diuturno Virtutum & Sapientiæ exercitio, quod in contemplatione situm est, cõparet sibi usque adeò perfectum Temperantiæ gradum, ut omnes corporis voluptates contemnat, neque villo modo ijs tangatur. Verum id genus ἀναίσθησις, seu insensibilitatis, non vertitur vitio, nec defectui adscribitur, sed maximæ atque insolitæ perfectioni, communem & humanam excedenti. Solum itaque vitium, ac defectus Temperantiæ oppositus est in ijs, qui nullatenus dediti exercitio contemplationis, sed deputati vitæ civili, ac degentes in humano convictu, usque adeò indulserunt voluptatibus sensuum, ut iam torpeant, & brutescant quoddammodo, neque vlla de cætero voluptate tangantur.

15 CIRCA Quartam partem describit officium temperati hominis, quatenus differt ab intemperato, & sensu carente, tanquam à duobus extremis: atque, illum mediocriter se habere circa voluptates, ut nec eas plus iusto amet, nec omnino recuset, sed mensurâ quadam. Ac primò quidem temperatus non delectatur rebus ijs, quibus intemperans delectatur & gaudet: sed potius *noie se feret*, ut interpretatur Argyropilus, sive *offenatur*, ut Lambinus, sive *angitur*, ut Gallus post Turnebum vertit, quod in Græco est *Πυρραγία*. Cum enim voluptates, quibus delectatur intemperans, sint turpes, nequeunt non esse ingratae studioso & temperanti viro. Secundò nec eas quidem delectationes, quæ concessæ sunt, experiri plusquam debeat, aut alio loco, aut tempore, quam deceat. Tertio, si ex aliis sint,

dia.

non propterea anxius est, aut dolet, sed æquanimitè fert. Quarto eas ipsas moderatè perceptas refert in finem honestum, aut immediatè, vt in ordine ad castitatem; aut mediatè, vt in ordine ad bonam corporis valetudinem, & habitudinem, quã ipsam ordinat in exercitium optimarum virtutum. Nimirum, bona corporis habitudo, vt Arist. monet, est scopus, siue finis, in quem Temperantia dirigit voluptates concessas, non modò eas, quæ simpliciter necessariae habentur, sed illas etiam, quæ minùs necessariae sunt, & intra honestatis limites continentur. Quam doctrinam ex toto, aut potiore saltem parte, tradidit post Arist. Seneca Epist. 89. dum ait: *Temperantia voluptatibus imperat. alias odit, atque abigit: alias dispensat, & ad sanum modum redigit: nec vnquam ad illas, propter ipsas venit.*

16 Ex qua doctrina infertur diuisio ac subdivisio accommodata voluptatù: vt quædam sint per se turpes, seu naturã suã illicitæ: quædam per se honestæ: quædam denique interiectæ, seu mediæ inter præcedentes. Porro turpes sunt, quæ capiuntur ex omni inconcessa libidine, vt ex stupro, incestu, adulterio, alijsque similibus: à quibus præcipuè abstinet vir temperans. Honestæ per se sunt, quæ capiuntur ex vsitato, mediocri, ac proportionato cibo, & potu, ambulatione, exercitatione, alijsque eiusmodi præsijs, naturã suã ordinatis ad bonam valetudinem comparandam, aut retinendam. nimirum, *vt sit mens sana in corpore sano.* Et in his positivè versatur vir temperans: quoniam, vt paulò antè observavimus, omnes voluptates concessas refert proximè in bonam valetudinem, vigoremque animæ & corporis. Denique interiectæ, seu mediæ, sunt quæ percipiuntur ex delicatioribus cibis, potu iu-

cundiori, aut vsu Veneris concesso intra matrimonium. Et in his etiam versatur virtus Temperantiæ.

17 SED Tamen vt hæ ipsæ voluptates mediæ admittantur à viro temperante, præscribuntur ab Interpretibus aliquor regulæ cum ipso Arist. Prima, vt non noceant bonæ habitudini, seu valetudini corporis, qualiter nocere solent, quoties ultra mediocritatem, seu in excessu aliquo sumuntur oblectamenta exquisiti cibi, & potus iucundioris, aut concessæ Veneris. Secunda, ne exuperent vires facultatum, seu bonorum fortunæ vniuscuiusque. nam pauperem dedecet exquisitus cibus, ac pretiosus potus. Vnde obiter admonemur, quicumque ratione status Religiosi adstringimur ad servandam paupertatem Deo promissam, ne in cibo, potu, aut quolibet vsu nostro, sit, vel appareat quidquam exquisitum, aut pretiosum, vel quod magno sumptu paretur. Hoc enim & status ipse paupertatis proscrit, & in iure prohibitum est *Clement. Ne in agro Dominico, de statu Monach.* Tertia, vt non pugnent cum honestate. Quod intelligo de ijs, non naturã suã consideratis (sic enim essent delectationes per se turpes, de quibus supra) sed in hoc etiam singulari. Vbi enim quis percipit ex ijs oblectamentis, alijs concessis, se provocari nimium in libidinem, aut affectum turpem qualitercumque, ideoq; sibi proximè imminere spiritualem ruinam; abstinere debet ab ijs, & contentus esse necessarijs ad vitæ sustentationem. Has omnes præceptiones servat, & promptè exequitur vir temperans, quoniam in omnibus se exhibet, prout recta postulat ratio.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 142. atque ipsius Interpretes.

CAPVT DVODECIMVM.

De Temperantia extremis.



OSTRA Autem sponte, magis intemperantia, quàm timiditas, comparatur. Hæc enim ob voluptatem, timiditas fit ob dolorem: quorum alterum expetimus, alterum fugimus. Et dolor quidem distrahit, atque corrumpit naturam eius, qui habet ipsum: voluptas autem nihil tale facit. Magis igitur intemperantia nostra sponte, quàm timiditas, acquiritur. Quapropter & reprehensione magis est digna. Nam ad res afficientes voluptate,

facilius est assuescere: sunt enim complures tales in vita. Et assuetudo fit sine periculo: in rebus autem formidolosis, contrà. Videbitur etiam timiditas non perinde, atque singula, sponte agendi principio subijci. Hæc enim dolore vacat: sed illa adeò dolore distrahunt, ut & arma proijcere, & cætera contra decus agere compellant: quapropter & violenta esse videntur. At intemperantia fit contrà. Singula namque sponte agendi principio magis subijciuntur: quippe cum intemperans ea percipiat, atque affectet: totum autem minus: nemo enim cupit intemperans esse. Nomen autem intemperantiæ, & ad puerilia delicta transferimus: habet enim similitudinem quandam. Vtrum autem ab utro dicatur, nihil ad præsentem refert sermonem: constat tamen à priori posterius dici, atque non absurdè videtur esse translatum. Est enim castigandum, & temperandum id omne, quod turpia concupiscit, & incrementum suscipit magnum, atque luxuriat. Tale autem est ipsa cupiditas maximè, atque puer. Nam & pueri cupiditate vivunt, & in his ipsis maximè viget appetitio rerum carum, quæ voluptate afficiunt. Si igitur non obtemperet, neque subijci patiatur, nimirum efferetur. Est enim voluptatum appetitio insatiabilis, & vndique adest imprudenti, & ipse cupiditatis actus id, quod eiusdem generis est, auget. Quod si magnæ sint, vehementesque cupiditates, rationem quoque extrudunt, atque eijciunt. Quam ob rem mediocres sint ipsæ, & perpaucæ, & rationi non aduersentur oportet. Atque id, quod est tale, obediens, & temperatum, castigatumque vocamus. Sed ut vivere puerum sub prædagogi præceptis oportet, sic & cupiendi vis cupere debet perinde, atque ratio iubet. Idcirco temperantis cupiditatem concordem esse cum ratione oportet: nam vtriusque propositum est honestas. Atque vir temperans ea cupit, quæ cupere oportet, & ut oportet, & quando oportet. Hoc autem modo & ipsa ratio dicat. Hæc igitur sint de temperantia dicta.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Instituta comparatione Temperantiæ cum timiditate, vna ab altera secerantur. In temperantem se gerere instar puerorum. Temperans qualiter se habeat circa voluptates & cupiditates.



COMPARAT Philosophus in hoc capite Temperantiæ cum timiditate, & ducit utramque. Dividitur autem illud in tres partes. In prima earum comparatur multiplicatione: temperantia cum timiditate. In secundâ ostenditur intemperantiæ esse similem delictis puerorum, quæ tamen non sunt habitus, vel operationes

vitiosæ, ut illa, quæ ab intemperante præstantur. In tertiâ denique dæternit, quomodo se gerat temperans in cupiditatibus, & voluptatibus.

2 CIRCA Primum statuit intemperantiæ magis spontè fieri seu generari, quam timiditatem. Quod sic ferè probat. Magis spontè generatur quicquid fit ob voluptatem, quàm ob dolorem. At intemperantia fit ob voluptatem, timiditas autem ob dolorem. Magis ergo spontè gene-

generatur intemperantia, quàm timiditas. Minor se ipsa patet. Maior constat, quia magis spontaneum est id, quod experimus, quàm id, quod fugimus. Expetimus autem id, quod fit ob voluptatem, & fugimus quidquid ad dolorem spectat. Deinde aliter suadetur eadem maior: Quia timiditas generatur ex eo quod dimovet ac distrahit naturam, scilicet, ex dolore: intemperantia autem ex eo, quod demulcet & leviscat. Magis ergo spontanea est intemperantia, quàm timiditas.

3 EX Quâ doctrinâ infert Philosophus, intemperantiam esse vituperabiliorem timiditate. Duorum enim vitiorum illud vituperabilius est, quod est magis spontaneum. Cum ergo ostensum sit, intemperantiam magis spontaneam esse, quàm timiditatem, consequens est, ut & vituperabilior sit. Deinde, ex duobus vitijs, quod facilius declinatu est, liberiori voluntate contrahitur, & proinde est peius. At intemperantiæ vitium facilius declinatu est, quàm timiditas: quia in Temperantia, seu recessu à voluptatibus, nullum apparet periculum: in Fortitudine autem, seu depulsione timoris, ubi quis aggreditur ardua, apparet periculum. Ergo vitium intemperantiæ liberiori voluntate contrahitur, quàm timiditatis, atque adeo peius est.

4 INFERT Præterea, timiditatem & intemperantiam non eodem ordine, sed contrario, subijci principio sponte agendi: idque probat hoc pacto: Illa vitia, quæ ita se habent, ut alterius obiectum sit magis spontaneum, quàm ipse habitus vitijs; alterius verò habitus magis spontaneus sit, quàm obiectum; opposito modo se habent in subiectione ad principium sponte agendi: ut manifestum videtur. At huiusmodi sunt intemperantia, & timiditas. Ergo opposito modo se habent in subiectione ad principium sponte agendi. Probat minor. Intemperantia enim est talis habitus vitijs circa voluptates obiectivas, ut nemo velit habitum ipsum directe, nec expetat esse intemperantem, sed tantum voluptates ipsas appetat: Contra verò timiditas est talis habitus vitijs, ut timidus magis velit subire habitum ipsum, & esse timidum, quàm perferre dolores, qui sunt timiditatis obiectum. Idque totum iudicio hominum constat. Si enim intemperans rogetur, velitne esse intemperans, an potius voluptatem capere; illud negabit, & hoc posterius fatebitur. Timidus verò rogatus, an velit esse timidus, an verò, perferre aspera, & terribilia; hoc postremum negabit, & primum fatebitur. Ergo ita se habent intemperantia, & timiditas, ut prioris obiectum sit magis spontaneum, quàm ipsum vitium; posterioris verò obiectum, minus spontaneum, quàm ipse habitus.

5 CIRCA Secundam partem decernit, intemperantiam esse similem vitijs puerorum, quæ tamen verè vitia non sunt. Nomen enim

luxuriæ ad delicta puerorum refertur per similitudinem alterius ad alterum. Scilicet, cupiditas se habet ad rationem, sicut puer ad pædagogum. Sicut enim puer non obediens præceptis pædagogi sui, nimium effertur, & absque freno in vitia præcepit; ita & cupiditas, nisi rationi subdatur. Hæc vero analogia melius intelligitur in ipso textu Græco, ubi intemperantia dicitur ἀκολασία, quasi impunitas, & intemperatus ἀκόλαστον, quasi incastigatus, aut impunitus. Quemadmodum ergo puer a pædago incastigatus, exorbitat in cupiditatibus, & effrenis fit; ita & appetitus intemperantis, si rationis freno non cobibeatur, exorbitat, & vitijs infordeſcit.

6 CIRCA Tertiam denique asserit, oportere ut concupiscentia hominis temperati, sit concors rationi: quia virtusque propositum est honestas. Quare temperans illa solum appetit, quæ decent, & quemadmodum, & quando decent, & qualiter conformia sunt præscripto rationis. Sive, ut capite præcedenti dixerat, *temperans in his rebus medio quodam modo se habet. Nam nec delectatur ijs quibus intemperans maxime, sed angitur potius: nec omnino quibus rebus non decet; nec vanae dolet si illa eiusmodi desint; nec cupit, nisi moderatè; neque magis quàm decet, nec quando dedecet, nec quid omnino eius generis. Quæ autem ad valetudinem pertinent iucunditates, vel bonam corporis habitudinem, eas moderatè, & ut docet concupiscit: ceterasque res iucundas, quæ his non sint impedimento, aut contra honestatem, aut supra facultates.* Scilicet, ut ex professo docet S. Thomas 2. 2. q. 141. ar. 6. regula Temperantiæ desumitur secundum necessitatem præsentis vitæ. Quod & prius tradiderat S. Augustinus lib. de Moribus Eccles. cap. 21. illis verbis. *Habet vir temperans, in rebus mortalibus, atque fluentibus, vitæ regulam: ut eorum nihil diligat, nihil per se appetendum putet, sed ad vitæ huius, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet, ut ensis modestia, non amantis affectu.* Quare aliqui apud Clementem Alexandrinum. 2. Pedagogi cap. 1. taxantur, quod sint, & vivant, ut edant, & saturantur: alij è converso laudantur, quod edant ut sint. Idemque postea lib. 3. c. 7. statuit mensuram earum rerum esse necessitatem corporis, sicut calcei mensura est necessitas pedis. Quod ipsum, adhuc ex doctrinâ, & consilio Philosophorum, præsertim Pythagoræ & Platonis, tradit eleganter S. Basilius Magnus Homil. de legendis cum fructu libris Gentilium.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 142. atque illius Interpretes.

{**}



LIBER QVARTVS ETHICORVM ARISTOTELIS AD NICOMACHVM. SVMMMA LIBRI.



OSTQVAM Arist. disseruit de Fortitudine & Temperantia, pergit ad exponendum reliquas Virtutes morales, excepta Iustitia, de qua fusè tractaturus est libro quinto proxime sequente. Hunc verò ordinè quartum dividit in quinque tractatus. In primo agit de Liberalitate & Magnificentia, quæ versantur in pecunijs. In secundo de Magnanimitate & Modestia, quæ sunt circa honores. In tertio de Virtute illa, quæ animum circa mala externa moderatur, & dicitur Mansuetudo, vel lenitas. In quarto de ijs Virtutibus, quibus curæ est convictus humanus: scilicet, de Affabilitate, Veritate, & Comitatu. In quinto denique de Verecundia: quæ licet propriè non sit Virtus, est tamen Virtuti admodum similis.

CAPVT PRIMVM.

De Liberalitate, eiusque extremis.

ARIST. λέγομεν δ' ἐξῆς περὶ ἐλευθεριότητος, &c.



INCEPS Antem de liberalitate dicamus. Videtur itaque mediocritas circa pecunias esse. Non enim bellicis in rebus ipse vir liberalis, nec in quibus laudatur vir temperans, nec etiam in iudicijs, sed in dandis, capiendisve, & magis in dandis pecunijs laudatur. Atque pecunias ea dicimus videri quorum estimatio menturatur nimio. Est autem circa pecunias exuperatio quidem prodigalitas, defectus autem illiberalitas: & illiberalitatem quidem, ac avaritiam istem per accommodamus, qui magis, quam oportet, pecunijs student. Prodigalitem verò necentes nonnunquam esse mus. Nam eos homines, qui sunt inconti-

nentes, & ob intemperantiam pecunias profligant, prodigos vocitamus. Quapropter tales homines sunt flagitiosissimi: multa nanque vitia simul habent. At non proprie tali nomine nuncupantur. Est enim prodigus, qui malum unum aliquod habet, corrumpere, inquam, patrimonium. Prodigus enim est, qui ob se ipsum perditur. Videtur autem & patrimonij dissipatio, interitus quidam ipsius esse, propterea quod patrimonio, ac facultatibus vivitur. Hoc igitur modo prodigaliter accipimus. Rebus autem his, quarum est aliquis usus, & bene uti, & male etiam possumus: at divitię res sunt tales. Is autem optime re quavis utitur, qui eam virtutem habet, quę ad rem illam accommodatur. Et divitijs igitur optime is utitur, qui virtutem eam habet, quę ad pecunias attinet. Hic autem est ipse vir liberalis. At qui sumptus quidem datioque pecuniarum, est usus earum: acceptio vero, conservatioque, possessio potius esse videtur. Quo circa viri liberalis est potius dare quibus oportet, quam capere unde oportet, & non capere unde non oportet. Est enim ipsius virtutis, beneficia potius conferre, quam suscipere: & honesta potius agere, quam non agere turpia. Non est autem obscurum, cum dadas quidem, sequi ut beneficia conferas, honestaque agas: cum n capis vero, ut suscipias, aut non turpia agas. Gratia præterea sequitur eum, qui dat, non eum, qui non capit. Et laus etiam magis. Facilius est etiam non accipere, quam dare. Homines enim multo minus erogant sua, quam non accipiunt aliena. Ij quoque, qui dant, liberales dicuntur: sed qui non accipiunt, non ob liberalitatem, sed ob iustitiam potius laudantur. Qui vero capiunt, non laudantur valde. Liberales insuper homines, maxime omnium ferè studiosorum amantur: proluat enim. At id consistit in dando. Omnes autem actus virtutum honesti sunt, & honestatis causa fiunt. Et liberalis igitur honestatis causa dabit. Et recte dabit enim quibus oportet, & quod oportet, & cum oportet: ceteraque omnia observabit, quę dandi actum rectum sequuntur. Et etiam cum voluptate, vel sine ullo dolore. Id enim, quod per virtutem efficitur, afficit voluptate: aut fit cum indolentia sane, minime vero affert dolorem. At is, qui dat quibus non oportet, aut non honestatis gratia, sed ob aliam causam, non liberalis, sed alius quidam dicetur. Et itidem is, qui dālo dolet: honestis enim actibus talis pecunias anteponet, quod quidem non est liberalis. At vero neque capiet unde non oportet. Talis enim acceptio non est eius, qui pecunias non magnificat. Nec etiam, ad postulandum propensus erit. Facile nanque suscipere beneficia, non est hominis beneficia conferētis. Verum unde oportet accipiet, ex proprijs inquam, rebus: non quia id ipsum honestum sit, sed quod necessarium, ut donare possit. At neque res suas negliget: quippe cum n per illas quibusdam affectet opem afferre. Neque quibusvis dabit: ut quibus oportet, & quando, & ubi est honestum, donare possit. Ad hominem præterea liberalem pertinet in primis, ut in dando adeo exuperet, ut sibi ipsi pauciora relinquat. Est enim liberalis non ad se ipsam respicere. At enim pro facultatibus ipsa liberalitas dicitur. Liberalis enim actio, non in multitudine rerum quę dantur, sed in habitu dātis consistit. Hic autem pro facultatibus erogat. Nihil igitur prohibet, eum magis esse liberalem, qui pauciora donat, si modo minores ei sint facultates. Magis autem ij liberales sunt, qui non comparant sibi facultates, sed ab alijs acceperunt. Nec enim experti sunt indigentiam: & opera omnes sua amant ut parentes, atque poetę. At vero facile non est, liberalem divitem esse: quippe cum non sit ad capendum, & conservandum, sed ad erogandum proclivis, neque magni per se faciat ipsas pecunias sed causa dandi. Quapropter & acculatur fortuna, quod homines ij, qui maxime sunt digni, minime sunt locupletes. Accidit autem id ipsum non sine ratione. Fieri enim non potest, ut is pecunias habeat, qui non adhibet diligentiam, ut paret ipsas: quemadmodum & ceteris in rebus fieri solet. At tamen non dabit quibus non oportet, neque quando non oportet, & de ceteris talibus simili modo. Non enim ageret liberalitatis ipsius lege: & consumptis ad hæc ipsa fortunis, ad ea quę oportet, & cum oportet, sumptus facere, dareque non posset. Etenim is est, ut paulo ante diximus, liberalis, qui pro facultatibus erogat, & in quibus oportet. Qui vero exuperat, prodigus est. Quo circa tyrannos prodigos non dicimus: non enim facile videtur esse dādo, ac erogando, tantam rerum, quas habent, copiam exuperare. Cum igitur liberalitas mediocritas sit circa dandas, capiendaque pecunias, liberalis dabit in quibus oportet, & quod oportet, tam in parvis, quam etiam in magnis atque cum voluptate. Et accipiet unde oportet, & quod oportet. Nam cum virtus circa utrumque sit mediocritas, utrumque faciet ut oportet: sequitur enim dationem bonam, talis acceptio. Ea vero, quę non est talis, contraria est. Hęc igitur, quę sequuntur, fiunt in eodem simul: contra: ja vero non fiunt. Quod si præter id, quod oportet, & bene sese habet, conigerit ipsum pecunias erogare, dolebit sane: moderatè tamen, & ut oportet: ad virtutem enim pertinet, ut pro quibus oportet, & ut oportet, voluptas fiat, ac dolor. Est etiam in rebus pecuniarijs lenis

focius ipse vir liberalis. Potest enim iniuriam pati, quandoquidem pecunias non multiplicat: magisque moleste fert, si quid, cum oporteret, non erogaverit, quam dolet, si quid, cum non oporteret, erogaverit; Simonidisque sententiam non probat. Prodigus autem & in his ipsis delinquit, nec enim latatur, nec dolet pro quibus oportet, & ut oportet. Atque hoc magis patebit per ea, quae deinceps dicemus. Diximus autem, exuperationem quidem esse prodigalitatem, defectum autem illiberalitatem: & in his duobus, in datione videlicet, atque acceptione, & sumptum enim in datione ponimus. Prodigalitas igitur in dando quidem, & non in capiendo exuperat, in capiendo autem deficit. At illiberalitas, ac avaritia, deficit quidem in dando, exuperat autem in capiendo, in parvis tamen. Prodigalitati igitur illa duo non nimium simul perfiliunt. Non est enim facile, nulla ex parte capientem cunctis donare. Cito namque deficiunt patrimonium privatorum hominum erogantium: qui quidem & prodigi sunt. Atque talis non paulo melior videbitur esse illiberali. Et ab avaritate enim, & ab egestate facile curari, & ad mediocritatem accedere potest. Nam habet ea, quae sunt hominis liberalis. Dat enim, & non accipit, quanquam neutrum facit ut oportet, ac recte. Quod si ad hoc assuescat, vel aliquo modo mutetur, fiet utique liberalis. Etenim dabit quibus oportet, & capiet unde oportet. Quapropter & videtur non esse moribus pravus. Non est enim improbi, nec ingenerosi, tam in dando, quam in non capiendo exuperare: stolidi tamen. Qui vero hoc modo est prodigus multo melior est illiberali, atque avaro: cum non ob ea, quae dicta sunt, tum etiam quia prodigus quidem compluribus prodest, illiberalis autem nemini, ne sibi ipsi quidem. Sed plerique prodigorum, ut dictum est, & accipiunt unde non oportet, & sunt hoc ipso liberales. Ad capiendum autem proni sunt, quia cupiunt quidem erogare. Hoc autem facile nequeunt facere, cum nec ita facultates ipsis deficiant. Itaque ex alienis dare coguntur. Et simul quia nulla est eis honestatis cura, sine ullo discrimine, & undique capiunt. Dare namque percipiunt: quoniam autem modo, aut vade, nullum est apud ipsos discrimen. Quapropter nec dationes ipsorum sunt liberales. Non enim sunt honestae, nec honestatis gratia, nec ut oportet, efficiuntur. Sed interdum quos oportet esse pauperes, eos divites faciunt: & iis quidem, qui moderati sunt moribus, nihil dant; adulatoribus autem multa, aut quampiam aliam afferentibus voluptatem. Quam ob rem & plerique ipsorum intemperantes sunt. Nam cum facile erogent, proni sunt & ad sumptus in flagitijs faciendos. Atque quia non ad honestatem vivunt, ad voluptates declinant. Prodigus igitur si nullam propriam habeat emendationem, & haec transgreditur: cura vero, diligentiaque adhibita, ad medium, & ad id, quod oportet, tandem devenerit. At illiberalitas, ac avaritia, incurabilis est. Etenim & senectus, & imbecillitas omnis, avaros efficit. Estque hominibus insita magis, quam prodigalitas. Plerique namque cupidi sunt magis pecuniarum, quam ad dandum proclives. Extenditur praeterea longe, & plures species subit. Complures enim sunt illiberalitatis, ac avaritiae modi. Nam cum in duobus hisce consistat, in defectu, inquam, dandi, & exuperatione accipiendi: non in omnibus inest tota, sed interdum sciungitur: & quidam in capiendo exuperant, quidam in dando deficiunt. Qui namque talibus appellationibus nuncupantur, parci, tenaces, aridi, omnes in dando deficiunt, aliena vero non appetunt, neque accipere volunt. Quidam enim in dando deficiunt, propter molestiam quandam, turpiumque rerum cautionem: videntur enim nonnulli, vel saltem aiunt, ob eam rem suam conservare, ne compellerentur aliquando turpe aliquid agere. Ex his est & ipse camini lector, & quivis talis, qui quidem ab exuperatione non dandi cuiquam nomen habuit tale. Quidam vero ob metum abstinere alienis: quippe cum non facile sit ipsos aliena, & non alios res ipsorum accipere. Itaque nec accipere ipsis nec dare placet. Quidam autem in capiendo exuperant undique & quicquid capientes: quales sunt ii, qui operationes illiberales exercent, ut lenones omnes, & omnes tales, & foeneratores, & qui dant parva pro magnis: hi namque omnes, unde non oportet, & quantum non oportet. Communis autem ipsis omnibus esse videtur, turpis comparatio lucri. Universi namque gratia lucri, & huiusmodi quidem parvi, probra sustinent. Eos enim, qui grandia unde non oportet, & quae non oportet, accipiunt, ut tyrannos civitates expugnant, & templa ipsoliantes, non illiberales, sed perniciosos, sed impios, sed iniustos potius appellamus. Aleatores tamen, & fures, atque latrones, illiberales sunt. Turpi enim versantur in lucro. Omnia namque causa quaerunt, & sustinent probra. Atque fures quidem capiendi gratia, maxima pericula subeunt. Aleatores autem ab amicis quibus dare oportet, lucrantur. Vtrique igitur vade non oportet lucrari volentes, foras quaerunt causa, turpi in lucro versantur, & omnes tales accipiendi actus, illiberales sunt. Merito autem illiberalitas liberalitati contraria dicitur. Nam & maius est malum, quam prodigalitas: & homines magis haec ipsa peccant, quam ea, quam diximus, prodigalitate. De hiis eruditate igitur, & vitijs ipsi contrarij, huc illuc, ut faciant.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Liberalitatem esse mediocritatem circa pecunias, veluti interiectam extremis vitijs prodigentia, & avaritia. Quae conditiones exigantur ad praecipuum Liberalitatis actum: quae etiam proprietates sint viri liberalis. Ipsa autem Virtus, qualiter utriusque extremo comparetur, & utrum eorum peius sit.



POTEST Caput hoc commode dividi in quatuor partes. In prima assignatur materia, circa quam versatur Liberalitas, & vitia ipsi contraria. In secunda traduntur cautiones quaedam, functionesque propriae eiusdem Virtutis, & circumstantiae servandae in actibus dandi & accipiendi, ut secundum Liberalitatem sint. In tertia differitur de prodigo & avaro, & observatur quomodo, & in quibus exuperet prior, ac deficiat posterior. In quarta denique agitur speciatim de illiberalitate, seu avaritia, ac multiplici modo peccandi in illa, ac difficultate sanandi in ijs, qui tam turpi morbo aegrotant.

2 CIRCA Primam partem docet, pecunias esse materiam Liberalitatis. scilicet, remotam, ut communiter Interpretes hoc loci observant cum Eustratio. Nam proxima materia Virtutum moralium non est aliquid externum, sed cupiditas, perturbatio, seu affectio aliqua, ut lib. 2. generatim statutum est. Quare materia proxima Liberalitatis est affectio, seu cupiditas pecuniae, quam moderatur; remota autem, pecuniae ipsae. Sic materia proxima Fortitudinis est timor & audacia: remota vero res terribiles, & pericula mortis, quae timemus, vel audacter amplectimur. Porro Liberalitatem in in pecunijs versari, probat fere sic Arist. Quae-libet virtus, proindeque & Liberalitas, versatur in ea materia, in qua laudatur quisquam bene se gerit. Laus enim Virtuti debetur, ut lib. 1. cap. 12. traditum est. At vit liberalis laudatur, quoniam bene se gerit circa pecunias. Non enim vit liberalis, qua liberalis est, laudatur ex alio capite, quanquam ceteroqui in rebus bellicis fortiter se gerat, aut circa voluptates corporis temperanter se habeat, aut in iudicijs rite ac sancte versetur. Liberalitas ergo in pecunijs, tanquam in materia propria, versatur. Addit statim, versari Liberalitatem, tum in largitione pecuniarum, tum & in acceptione: magis autem in largitione. Cuius doctrinae ratio potest facile erui ex precedenti discursu: sed tamen infra uberius probabitur.

3 NOMINE Autem pecuniarum Graecè τὸ χρημάτων, intelligit omnia illa, quorum aestimatio nummo aestimatur. Apud Graecos enim ea appellatione non solum censentur nummi, ut aurei, argentei, & moneta quaelibet; sed etiam res omnes precio aestimabiles:

ut praedia, domus, greges, arbores, servi, & similia, quae libet in usum rei familiaris. Quod idem significationis genus habet pecunia apud Latinos: ideoque Cicero quandoque hereditatem appellat *defuncti pecuniam*. Similiter & apud Iurisperitos pecuniae appellatione intelligenda veniunt quaecumque pretio aestimantur: ut patet ex l. 4. 22. 125. & 222. ff. de Verb. signific. Excipiuntur ab ijs res sacrae, quoniam excellentiores sunt, quam ut pretio aestimentur. Itaque materia in qua versatur Liberalitas, est pecunia: scilicet, ut ipse Philosophus hoc loco exponit, *universa quorum aestimatio mensuratur nummo.*

4 ADDIT Statim, vitia opposita Liberalitati, scilicet, prodigiam & illiberalitatem, etiam versari in pecunijs; illam per exuperantiam, hanc vero per defectum. Commune siquidem est omnibus vitijs extreme oppositis versari circa materiam Virtutis contrariae, ijsque interceptae. Atqui prodigiam & illiberalitas sunt vitia extreme opposita, & contraria Liberalitati. Ergo eadem pecunia, quae est materia Liberalitatis, est etiam illiberalitatis & prodigiam. Porro Arist. prodigiam Graecè *ασοτιαν* vocat, quam vocem Latini etiam usurparunt, quamvis frequenter prodigiam dicant. Gellius enim *atoriam* appellat, ac si iam facta fuisset vox inter Latinos familiaris: & Cicero in 2. de Finibus *atos* eos dicit, qui luxu, popinationi, atque ingluviei ventris dediti, dilapidant atque obli-guriant facultates suas. Quin & Theophilus Iurisperitus, qui iulium Imperatoris Iustiniiani libros Institutionum e Graeco Latine reddidit, pro eo quod est *ασοτος ζῆς*, vertit, *luxuriose vivere*: tanquam *atos* ij sint, qui dissipatione patrimonij in helluatione & luxu, eodem devenerint, ut voluerint in turpissima lasciviae cano. Ceterum, quemadmodum esse potest prodigiam nulli alteri vitio coniunctum: ita etiam *atoria* quandoque accipitur, & proprie loquendo accipi debet pro eo vitio, quo quis res sive facultates suas dissipat, ac negligit earum custodiam. *Asotia* enim Graecè dicitur a *σώζω*, quod est servare, & ab *α* privativo, quali qui eo vitio aegrotat nesciat servare res suas, sed imprudenter dilapidat, & expendat, quo sensu accipitur leg. 1. ff. de Curatoribus fidei, qui ibidem prodigus appellatur, sicuti & evertor patrimonij apud Calpurnium lib. 1. Institut. de tutel. Et sane ad mentem Arist.

Arist. hoc posteriori sensu accipit debet afortia in præsentis: nimirum, prout est mera prodigantia opposita Liberalitati. nam alioqui, & quatenus intemperantiæ coniuncta, opponitur Temperantiæ.

5 DEINDE Subiungit alterum vitium Liberalitati oppositum per defectum, quod αἰσχυρία vocat, id est, illiberalitatem, seu avaritiam. quæ nunquam accipitur, nisi pro vitio opposito Liberalitati per defectum; cum tamen afortia quandoque accipiatur pro luxu & libidine, non opposita eidem Liberalitati, ut nuper dictum est; & simul pro vitio per excessum opposito Liberalitati. Ideoque subdit, intemperantes esse deteriores avaris ac prodigis: quoniam hi solum peccant vno vitio Liberalitati contrario: illi vero duobus, profusione, nimirum, facultatum suarum, ac libidine. Quin & addit, intemperantes esse omnium pessimos: quoniam plurimis vitijs inquinati sunt, ex vna intemperantia ortis, eiusque nomine comprehensis. quorum tamen reus non est afortus, nisi, præter pecuniæ & facultatum profusionem, se inquinat vitio libidinis atque intemperantiæ.

6 PERGIT Deinde ad assignandum actiones proprias Liberalitatis, & utriusque vitij contrarij. Ac primò statuit, posse homines bene & malè uti materiâ ijs propositâ, quam supra dixit esse pecuniâ, aut quidquid nummo æstimari potest. Id verò probat ferè sic. Quibuslibet bonis utilibus potest homo bene aut malè uti. At pecuniæ sunt bona utilia, ut patet. Ergo pecunijs potest homo bene aut malè uti. Maior propositio, in qua posset esse dissidium, suadetur. Quælibet enim bona utilia, ideo sic appellantur, quia conferre possunt, & referri in aliquem finem, cui obtinendo utilia sunt. Ergo cum finis possit esse bonus aut malus, referri possunt ab homine in bonum aut malum finem: ac proinde homo potest ijs bene vel malè uti.

7 DICES: Virtus moralis etiam dici potest utilis: cum ordinetur ad Felicitatem, tanquam in finem: ut lib. 1. dictum est. Et tamen Virtute morali nemo potest uti bene aut malè, sed dumtaxat bene. Est enim bona qualitas mentis, quâ nemo malè utitur: ut constat ex dictis lib. 2. Ergo ex eo quod pecuniæ sint bona utilia, non satis colligitur, posse homines ijs uti bene vel malè. RESP. esse dissimilem rationem utriusque. Pecuniæ enim non sunt bonum per se honestum, aut expetibile ratione sui: sed censentur bona ἀδιάφορα, sive indifferentia, quibus proinde homo uti potest in ordine ad finem honestum, aut turpem. Quare sistunt intra limi-

tes bonorum utilium. Virtus autem moralis est bonum per se honestum, atque expetendum ratione sui: ideoque naturâ suâ repugnat turpitudini, nec in eam concurrere potest: ideoque nemo potest Virtute morali, ut principio, malè uti, sed dumtaxat bene. Neque ea honestas Virtutis impeditur ex eo quod ordinetur ad Felicitatem, utique proinde fit ad eam obtinendam. Inde enim solum probatur, habitum Virtutis moralis non habere rationem Felicitatis, sive finis ultimi, sed intermedij, seu ad finem ultimum ordinati. quod docuit Arist. lib. 1. cap. 6. 7. & 8. Quin imò ex ea indifferentia, seu utilitate pecuniarum in ordine ad bonum, vel malum finem, probat Aristoteles Liberalitatem esse veram Virtutem. Omnis enim habitus, cuius præsidio semper utimur bene ijs bonis, quibus alias possemus bene aut malè uti, est vera Virtus. Atqui præsidio Liberalitatis semper bene utimur bonis pecuniarum, quibus alias possemus bene aut malè uti. Liberalitas ergo est verè Virtus.

8 DEINDE Assignat propriam & præcipuam functionem viti liberalis, asseritque sitam esse potius in dando, quam in accipiendo, aut possidendo, aut non accipiendo unde oportet non accipere. Eamque assertionem pluribus rationibus probat, quas Acciajolus redigit ad quatuor, Burleus & Victorius ad quinque: alij sex esse volunt: Giphanius, & ex ipso Gallutius, octo. Eas omnes breviter præstringere placet, ac summatim indicare, PRIMA est: Quia cum pecuniæ sint bona utilia, ut nuper statutum fuit, actus proprius & præcipuus Virtutis versantis circa pecunias est ille, in quo magis apparet earum usus. Quippe usus est qui propriè respondet bono utili. Atqui usus pecuniarum, est earum largitio, nimirum δόσις; acceptio autem & retentio non tam est usus, quam ἀρσις, id est, acquisitio, seu possessio. Ergo actus proprius & præcipuus Virtutis versantis circa pecunias, non est illarum acceptio aut retentio, sed largitio. SECUNDA ratio, Virtuti magis proprium est beneficium conferre, quam accipere: ideoque idem Aristotel. infra lib. 8. cap. 3. docet, propriam Virtutis esse, ut omnibus profit: ac lib. 2. Rhetoricor. definit Virtutem, ut sit vis & potestas conferendi multa & magna beneficia in mortales. Cum ergo Liberalitas sit Virtus, & quidem nobilissima, magis propria erit illius largitio pecuniarum, quâ beneficiû alijs conferitur, quam acceptio, per quam beneficiû ab alio recipitur. TERTIA. Virtuti magis proprium est honestè agere, quam non agere turpiter: quoniam prius illud maiorem

laudem meretur apud omnes. At vir liberalis dum accipit, vix aliud praestat, quam non agere turpiter, seu continere se ab avaritia; scilicet, non recipiendo, nisi ut oportet: dum autem largitur, honeste agit. Ergo magis secundum virtutem agit vir liberalis largiendo, quam accipiendo. *Quarta*: Quoniam gratia non solet haberi viro liberali dum non accipit, sed tantum dum largitur, quin & offensionem aliorum incurrit solet, non accipiendo; nunquam autem dando. Ergo actio largiendi in viro liberali praestantissima est. *Quinta*. Laudari enim magis solet qui dat, quam qui nihil dat, nec accipit. Hic enim, ex eo quod non accipiat, longe minus laudatur. *Sexta*. Actio difficilius est magis propria Virtutis, vix potest versantis in difficili, & arduo. At difficilius est dare, quam accipere. Naturaliter enim magis appetimus bona propria nobis ipsis, quam alteri. Ergo dare est magis proprium Virtutis, quam accipere. *Septima*. Qui largiuntur censentur ab omnibus liberales: qui autem non accipiunt quos oportet non accipere, solum habentur iusti. Ergo quia Liberalitas potissimum cernitur in largiendo. *Octava*: Quia inter omnes viros probos maxime diligitur qui liberalitate praecellit. Iusti enim plerumque molesti habentur: prudentes censentur callidi: temperantes, acerbi. Solus liberalis omnibus iucundus, & amabilis est: ideoque Boethius 2. de Consolat. *Largitas*, inquit, *maxime caros facit*. Ac D. Ambrosius lib. 1. Offic. cap. 28. ait: *Iustitia excellentior virtus videtur: liberalitas vero gratior*. Atqui ea maioris amoris, & gratiae causa, non est quod liberalis vir non accipiat, sed quod largiatur. Ergo actio largiendi est praecipua in viro liberali.

9 CIRCA Secundam capituli partem assignat, tum cautiones quasdam, tum & proprietates viri liberalis in largiendo. Non enim satis est largiri, nisi attendantur & observentur regulae, iuxta quas dare oporteat: ut admonet etiam Cicero 1. de Offic. & Seneca lib. 1. de Benefic. cap. 1. vbi expendit quantum nocenti afferat inscitia largiendi, sicut & accipiendi. *Prima* igitur cautio ab Aristotele proposita, est, ut quidquid largimur, honestatis gratiam largiamur. Id enim est commune omni actioni secundum Virtutem, ut ex fine honestatis fiat. Verum speciatim in actibus largiendi ex Liberalitate is decor exigitur: quoniam quidquid apparet splendoris in largitione, obscuratur & deturpatur, si spe lucri, honoris, aut voluptatis ducatur. Quae in rem pulchrae & plurimae sententiae apud eundem Senecam sunt insigni illo Opere de Beneficijs, vbi passim fere quatuordecim pseudo-liberalitatem damnat: ideoque nolu-

mus paginas onerare testimonijs ipsius cuiuslibet obvijs. *Secunda* cautio est, ut attente percipiamus, quibus dandum sit, quantum, & quo tempore, caeteraque circumstantias necessarias, ut largitio sit recta, & nullo ex capite defectuosa. Vir enim Liberalitate praeditus dabit (ut habes in littera) *quibus oportet, & quod oportet, & cum oportet: caeteraque omnia observabit, quae dandi actum rectum sequuntur*.

10 HOC Tamen singularim expendere opus est. Ac primo, *quibus oporteat*, dare? Id recte exponit Cicero 1. de Officijs, vbi docet in largiendo esse habendum dignitatis delectum, considerandumque esse, quid, seu quantum mereatur is, cui beneficium conferre volumus. Meriti vero quantitas consideranda est, iuxta illius mores, qualitatemque, & animum ipsius, seu officia, quibus nos ante obstrinxit, ut in ea mensura beneficium conferatur. Quod si vero quis roget, an indigni, seu improbi excludendi sint; respondendum est ex Christiana Philosophia, non esse excludendos, si liberalitas erga illos, nec Reipublicae, nec alteri privato, nec ipsi nocuum sit allatura. Id enim consentaneum est, ad imitandam utcumque bonitatem ac beneficentiam Dei, *qui Solem suum oriri facit super bonos & malos, ac pluit super iustos, & iniustos*. Quod fere idem observat Seneca; addens tamen, propterea non esse arcendos indignos, quia saepe a dignis separari nequeunt, & aequum est, ne digni propter indignos excludantur. Verba sunt lib. 4. de Benefic. cap. 28. *Dij quoque multa ingratis tribuunt: sed illa bonis paraverunt. Contingunt autem etiam malis, quia separari non possunt. Sanctius est autem prodesse etiam malis, quam bonis deesse propter malos. Ita, quae refertur, diem, Solem, hyemis, aetatisque cursus, & media veris autumnique tempora, imbres, & fontium haustus, ventorum status status, pro ventis versis invenerunt: excipere singulos non poterunt. Rex dignis honores dat: congrarium & indignis. Frumentum publicum, tam fur, quam periurus, & adulter accipiunt, & sine delectu morum quisquis civis est. Cum aliquid est, quod tanquam civi, non tanquam bono datur, ex aequo boni ac mali ferunt. Deus quoque quaedam in univsum humano generi dedit, a quibus excluditur nemo. Nec enim poterat fieri, ut ventus bonis viris secundus esset, contrarius malis. nec poterat lex casuris imbris dici, ne in malorum improborumque iura defluerent. Quaedam in medio ponuntur. Tam bonis quam malis, conduntur vrbes. Medicina & sceleratis opem ministrat. Compositiones reum mediocrum nemo suppressit, ne favoreretur indigni. Ius ferri omnibus dicitur. Pace etiam homi-*

fruentur. Sua repetunt, etiam qui aliena repuerunt. Percussores & domi ferrum exercentes murus ab hoste defendit. Legum praesidio, qui plurimum in eas peccaverunt, proteguntur. Haecenus ille. Qui aliam praeterea causam assignat cap. 30. eiusdem libri ut officium liberalis viri, etiam ad indignos extendatur. Vbi autem id nociturum sit Reipublicae, aut alteri privato, aut ijs ipsis, repellendi sunt. Quo spectat illud Ennii effatum apud Ciceronem: *Beneficia male locata, male facta arbitror.*

11 **ILLA** Autem duo, quod oportet, & cum oportet, praescribunt mensuram & tempus largitionis. Nimirum, ut tribuatur habita ratione, tum indigentiae alienae, tum & facultatum donantis. Vnde illud Ciceronis lib. 1. Officiorum: Saepe idoneis hominibus indigentibus de re familiari est impertiendum: multi enim patrimonia effuderunt, in consulte largiendo. Quid autem stultius est, quam quod libenter facias, eurate, ut id diutius facere non possis? Atque etiam sequuntur largitionem rapinae. Cum enim dando egere coeperint, alienis bonis manus afferre coguntur. Quamobrem nec ita claudenda est res familiaris, ut eam benignitas aperire non possit: nec ita referenda, ut pateat omnibus. Modus adhibeatur; isque referatur ad facultates. Haecenus ille, prudenter, & opportune quidem.

12 **DENIQUE** Tertia cautio in largiendo, praeculis habenda viro liberali, est, ut donet libenter, aut saltem non gravate, seu moleste. Hoc enim est commune omni homini operanti secundum habitum Virtutis, ut delectabiliter, ac facile operetur: sed & speciatim in Liberalitate id monet Aristoteles, quasi in sacris litteris legisset, illud: *Non ex tristitia, aut necessitate: hilarem enim datorem diligit Deus.* Sed & hoc ipsum mire illustrat Seneca lib. 1. de Benefic. cap. 1. & 2. dum ait: Gratiam corrumpimus omnem, non tantum postquam damus beneficia, sed etiam cum damus. Quis enim nosticum contentus fuit, aut leviter rogari, aut semel? Quis non cum aliquid a se peti suspicatus est, frontem obduxit, vultum avertit, occupationes simulavit, longis sermonibus, & de industria non invenientibus exitum, occasionem petendi abstulit, & varijs artibus properantes necessitates elusi? in angusto verò comprehensus, aut distulit, aut timide negavit, aut promissit, sed subductis supercilij, sed malignis, & vix exeuntibus verbis. Nemo autem libenter debet, quod non accepit, sed expressit. Hucusque Seneca: qui & legendus cap. 7. sequenti, ac lib. 21. cap. 1. Ratio-

nem verò eius doctrinae subiungit Aristoteles: quoniam qui non libenter, sed inuito, aut gravate dat, videtur diligere magis pecuniam, quam actionem honestissimam largiendi. Id autem alienum est a viro liberali. Vnde & formula esse potest. Quisquis agit Virtute morali, atque adeo & Liberalitate, plus diligit honestatem actionis, quam propriam utilitatem, & pecuniam. At quisquis cum tristitia donat, non plus diligit, sed minus, honestatem actionis, quam propriam utilitatem & pecuniam. Non ergo agit ex Virtute, atque adeo nec ex Liberalitate.

13 **CVM** Autem supra docuerit, viri liberalis esse praecipuum officium dare, & minus praecipuum accipere, ac servare (nisi enim hoc faciat, non habebit unde largiatur) ut ne in hoc quidem secundario munere peccetur, quaedam praecipiones statuit. Prima est, ut cum aliquid accipit, aut servat ad largiendum postea, de suo accipiat, ac retineat; non autem de alieno. nimirum, ut sibi illud reservet a proventibus sive redditibus suis. Alioqui usurpans aliorum bona, incurreret notam illam, metaphorice quidem, sed ethice, a Poetis impactam puero cuidam, de quo ita luditur in Gabriæ apologo:

Βόες πάγαν πᾶσι εἰς ἐορθὸν ἐσκατα, &c.

Puer die festo bovis cum viscera

Vorasset, Huius mater, clamat, mea effluunt

Intestina. At videns ait, Fili, haud time:

Nam non tua haec sunt, sola at aliena vomis.

Nimirum, qui congesterunt divitias alienas, seu alios expilatunt, ut postea largirentur, cum dant, non sua, sed aliena largiuntur, quod alienum a Liberalitate est. Ratio indicatur a Cicerone, quoniam Liberalitas est Iustitiae amica, ideoque ab omni iniustitia debet esse libera. Accipere autem & servare non sua, sed aliena in proprium vltum, species iniustitiae est. Hinc taxantur quicumque cum damno Regis, aut Reipublicae, aut aliorum denique, divites esse student, sed eo animo, ut templa aedificent, xenodochia extruant, aut quavis alia opera insignia moliantur, quasi vero, aut Liberalitatis, aut Magnificentiae, aut alterius cuiuspiam. Virtutis opus esse possit, quod iniustitiae plenum est, & saepe pauperum ludore, atque iniuria paratur. Itaque liberalis vir e suo accipere & servare debet, idque non ex fine aservandi (hoc enim per se honestum aut laudabile non est) sed largiendi opportuno tempore. *Secunda* praecipio est, ne vir liberalis sit pronus ad poscendum, quamvis interdum oporteat poscere quidquam ab amicis ad largiendum alijs. Ratio autem

ea esse videtur: quoniam liberalis viri magis est dare, quam accipere ab alijs: ideoque nō animo quidem largiendi videtur pronus esse ad poscendum ab alijs accipiendumvē, nisi tantum cum debita moderatione. Est & opportuna ratio ex rebus naturalibus petita, & ab Acciaio assignata: quod omnia, quæ maximè sunt activa, parum passiva existunt: ut patet in igne, qui, cum maximè activus sit inter elementa, parum aut nihil passivus est. Hoc igitur modo, in moralibus se habet vir liberalis: est enim maximè activus, seu efficax ad beneficia largiendā, ideoque nunquam est pronus ad recipiendum.

14 HINC Colligit, liberalem virum, quoties recipit, non aliunde recipere, quam vnde, & quomodo, & propter id quod oportet: scilicet, ut habeat vnde agat, sive vnde det. Nimirum, in liberali, qui præcipuè activus est, receptio solum est actus quidam secundarius, ac proinde ex fine primarij, qui est largitio. Vnde oritur rursus, liberalem nullatenus negligere res suas, seu pecunias. Quod probat Aristoteles: Quoniam quæcumque conferunt in præcipuum Liberalitatis actum, non negliguntur à viro liberali. Atqui facultates, seu pecuniæ conferunt in præcipuum liberalitatis actum, qui est largitio. Nemo enim dat, quod non habet. Ergo res, sive pecuniæ propriæ non negliguntur à viro liberali.

15 POST Hæc procedit iam ad assignandum præcipuas viri liberalis notas, seu proprietates. *Prima* est ut velit excedere in donando, Græcè *ὑπερβάλλον*, quod significat exuperanter se habere, nimirum, ut velit plura dare, & pauciora sibi relinquere: quoniam liberalis vir non tam suam, quam aliorum utilitatem attendit. Licet autem quantitas doni dimetienda sit cum facultatibus, ut & supra dictum est; tamen non iuxta doni magnitudinem, aut exiguitatem æstimanda est Liberalitas maior aut minor, sed iuxta habitum studiosum dantis, habitam rationem suarum facultatum. ideoque accidere potest, ut dans minora liberalior sit, quoniam minus facultatum habet.

16 SECUNDA Proprietas est, ut liberales appareant qui divitias hereditario iure adquisierunt, quam qui eas industria & labore suo compararunt: tum quoniam priores non sunt experti indigentiam, quæ posteriores retardare solet à largiendo: tum etiam quoniam unusquisque opus suum amat, quemadmodum parentes, atque Poetæ; facultates autem propria industria adquisitæ sunt quasi opus acquirentis; ideoque difficilius dimittuntur, & gravatè alijs donantur.

Quæ ratio videtur desumpta ex Platone dialogo de Republica. Porro utrumque exemplum ab Aristotele adductum in parentibus & Poetis vehementer amantibus filios suos, & fœtus mentis, illustrari facile potest. primam quidem ex dicendis infra lib. 9. cap.

vbi de amore parentum in filios: secundam autem ex Cicerone in 5. Tulculi, vbi loquens de Dionysio Siculo, ait fuisse Musicum & Poetam, ac subdit: *Muscorum vè d'perstudiosum fuisse accepimus, Poetam etiam tragicum: quàm bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere, nescio quo pacto magis quàm in alijs suum cuique pulchrum. Ad hoc neminem cognovi Poetam (& mihi fuit cum Aquinio amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet. Te tua, me delectant mea.* Hactenus Cicero. Verùm & id philantia genus videtur commune ijs omnibus, qui qualescumque libros edimus. Insuper enim nobis est amor eorum, veluti filiorum, ac fœtum mentis, & plerumque iusto maior, quoniam unusquisque ferè opus suum maiori in pretio habet, quàm id mereatur. Imò quamvis nullum sit pretium opinione quorumlibet doctorum hominum, vix Auctor ipse ad existimandum oppositum adduci poterit. Narrat Athenæus lib. 12. cap. vltim. quemdam Trasylaum eò insaniam devenisse, ut putaret suas esse naves omnes, quotquot Pyraum appellerent: ideoque eas ingenti voluptate numerare solitum è portu, ac narrare cæteris, quàm dives esset. Veniens autem è Sicilia quidam ipsius frater, cum medico curandum commisit, veluti infantum. Qui vbi ex amētia respuit, fatebatur, se nunquam iucundius vixisse, quàm cum eo mentis errore teneretur. Sic multis Scriptoribus accidit. Putant enim se magnas ingenij ac doctrinæ divitias comparasse, & congelisse in operibus, quæ publicæ luci committunt: eaque imaginatione, & philantia delusi ingentem animo læticiam gestant: cum tamen nullius pretij sint, & ut aiebat Plato, instar hortorum Adonidis, qui subito, & vna die nati, celerimè intereunt. Enitendum itaque nobis est, ne ea philantia agrotemus, sed modeste ac sobrie de scriptibus nostris sentiamus. Cuius rei, vel inter Ethnicos & Poetas, exemplo est Horatius: qui se inferiorem Pindaro fateatur, trivis ijs versibus, *Pindarum quisquis studet imitari, &c.* atque inter Ecclesiæ Doctores Sanctus Gregorius Papa, cognomento Magnus: qui humiliter fateatur, omnia scripta sua (licet tanta, & talia, ac propè divina sint) quàm longissimè distare a quibuslibet scriptis Augustini.

17 TERTIA Denique liberalis viri proprietas est, ut raro inveniatur dives: quoniam

nam cum non sit propensus ad acquirendum, nisi ut largiatur alijs, necessum est ipsius facultates non augeri, sed minui. Quare solet acculari fortuna quod divitias non dederit ijs, qui maximè liberales sunt. Quod spectat illud popularis cuiusdam apud Senecam in *Hercule Furcanti*.

*O fortuna, viris invida fortibus,
Quam non equa bonis premia dividis!
Res humanas ordine nullo
Fortuna regit, spargitque manu
Munera caeca, peiora fovens.*

Verum expositulatio hæc non videtur iusta: quoniam potius mirum esset, si liberalis vir, parcus in accipiendo, & largus in erogando, adhuc locuples esset.

18 **QUARTA** Denique, ut liberalis non det quibus non oportet, neque quando non oportet. Quæ proprietates facile colligitur ex præcedentibus. Lex enim Liberalitatis præscribit mediocrem curam in asservandis pecunijs, ut donentur quibus oportet, & quando oportet. Igitur eadem lex præcipit ne impendantur, seu profundantur erga quos, aut quando non oportet. Si enim absque delectu expendantur, superveniet indigentia, seu defectus facultatum, impediens opportunam largitionem.

19 **CIRCA** Tertiam partem comparat primo prodigum cum liberali, & deinde cum avaro. Ac de priori parte comparationis pronuntiat, liberalem mediocriter se habere in dandis accipiendisque pecunijs; scilicet, quando, quomodo, & circa quæ oportet: quoniam ad parandam congruam ac decentem largitionem, quæ est potissima Liberalitatis functio, necessaria est mediocris & conveniens acceptio, veluti medium ordinatum in eum finem. Ideoque liberalis vir dolebit, si contigerit dedisse quomodo, quando, aut quibus non oportuit; quoniam satius fuisset eum opportunè dedisse: minùs tamen dolebit, quam si acciderit non dedisse quando, & ubi, & cui dare oportuit. Ideoque censet Aristotel. probandam non esse opinionem Simonidis arbitrantis, debere hominem pœnitere si fecit quod non oportebat; secus verò si non fecit, quod oportuit facere. Hoc enim esse falsum patet in viro liberali: qui dolere debet præmissam à se opportunam largitionem. Porro nec autoritas vlla esse potest eidem opinioni, quod à Simonide traderetur, vixit Poeta, & avaro: ut commemorat Plato in *Hipparcho*, Plutarchus de *tarda Dei vindicta*, Alianus lib. 8. initio, & Athenæus lib. 14. ex quibus constat, Simonidem binas domi arcas habuisse, alteram gratiarum, & pecuniarum alteram, in pretium carminum suorum, seu Musæ vœnalis. Cùm autem aperiret arcam pecuniarum, aiebat se illam temp-

per invenire plenam; arcam verò gratiarum vacuum. Et hætenus quidem de viro liberali. De prodigo autem contra observat Aristoteles, in ijs ipsis peccare per excessum. Non enim lætatur de quibus oportet, neque quemadmodum oportet; neque etiam dolet, sicut vir liberalis. Gaudet enim in dando quibus non oportet, & plus quam oportet; doletque si forte immoderanter non dederit.

20 **DEINDE** Instituit comparationem prodigi cum avaro: ac primò disserit de prodigo per se considerato, sive seorsim ab alijs vitijs, asseritque propriè esse illum, qui excedit in dando, & deficit in accipiendo unde oportet. Avarus verò, seu illiberalis, deficit in dando, & excedit in accipiendo; circa parva tamen: in quo sanè differt à Tyrannis, quoniam hi non parva accipiunt, sed magna, ut vrbes, & regna: ideoque graviorem, quam avaritiæ, notam incurunt. Itaque avarus & prodigus opponuntur ex diametro. Prodigia verò non multum durare solet: quoniam difficile est parum, aut nihil accipientem, & sua passim effundentem, habere diu plura, quæ alijs largiatur.

22 **HIS** Positis asserit, avarum esse peiorem prodigo. Idque probat: Quia inter duos extremos vitiosos ille peior est, qui difficilius sanari potest. Atqui avarus difficilius sanari potest, quam prodigus. Avarus ergo peior quam prodigus est. Minor propositio, in qua esse posset dissidium, suadet, tum ratione quasi à priori, tum & experimento. Ratione quidem: nam avarus magis recedit à medio Liberalitatis, quam prodigus: ideoque difficilius ad medium ipsum revocari potest. Avarus enim deficit in dando, & excedit in accipiendo: ideoque non solum distat, sed contrarius est per omnia liberali. Prodigus autem similior liberali est, quatenus libentissimè dat, & vix aut ne vix quidem recipit. Unde licet peccet in modo quantum ad utrumque, non videtur adeò recedere à medio, nec ita contrarius liberali. Experimento autem idipsum suadet: quia prodigus solo decursu ætatis, & indigentia facile supervenientis, sanatur: avarus verò, quò magis auget patrimonium, eò magis avarus fit: iuxta illud Horatii: *Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit*. Idque potissimum habet locum in senibus, qui progressu annorum fieri solent magis tenaces, & avari, ut mirum habeatur, si verum, illud Terentij in *Adelphis*: *Demea est aspero, duro, & avaro sene, liberalem & lenem se præbere studet*.

22 **EA** Verò comparatione inter utrumque statuta, infert Aristoteles pro-

prodigum non videri moribus pravum: quia excedere in dando non est ingenerosi & abiecti animi, sed inconsiderati. Vnde & præferendus est avaro, quoniam ipsa eius profusio multis proficua est, cum tamen avarus nemini proffit. Verum hoc intelligendum de prodigo simpliciter, sive per se loquendo, & præcisione facta ab alijs vitijs, ratione quorum potest esse peior, quam avarus; ut plerumque evenire solet: quoniam prodigalitatem plura vitia nimiam deformia comitantur. Immo & simul sub diversis rationibus potest quis esse avarus & prodigus: avarus, quia capit vnde & a quo non oportet; prodigus autem, quia excedit in dando. Quare & largitiones ipsius non sunt liberales, nec honestæ: quia non fiunt ut oportet, sed plerumque ex alienis, aut quando & quomodo non oportet, & circa quem non oportet, nec honestatis gratia, nec discretione facta personarum, quibus beneficiat, aut antepositione eorum, qui digniores, indigentioresve sunt. Ideo de prodigis illis, qui alias avari sunt, accipiendum illud Alciati:

Sic & avari opibus parafiti & scorta fruuntur,

Et nulla iustos utilitate iuvant,

Quod ipsum monet Arist. in præsentis, dum de ijs ipsis ait: Ijs quidem, qui moderati sunt moribus, nihil dant: adulatoribus autem multa, aut quampiam aliam afferentibus voluptatem. Quamobrem & plerique ipsorum in temperantes sunt. nam cum facile erogent, proni sunt & ad sumptus in flagitijs faciendos. Itaque prodigi plerumque in ea vitia declinant: verum si curam & diligentiam adhibeant, facile ad mediocritatem Liberalitatis propriam deveniunt: nam cum proclives sint ad largiendum, & non faciles ad recipiendum, iam plura habent cum liberalibus communia: ideoque haud difficulter in eorum classem transire possunt.

9 VLTIMA Denique parte capituli statuit, ἀρεστεργίαν, ἀνιδίαν εἶναι, avaritiam insanabilem esse: id est, non impossibilem, sed valde difficile sanatur: quoniam apud Græcos a privans, non solum impossibilitatem, sed sæpe solam difficultatem denotat. Probat verò assumptum, quoniam crescit cum ipsa ætate; & oritur ex imbecillitate, quæ processu annorum maior fit; ac denique quoniam videtur magis insita nobis, quam prodigalitas; cum plerumque homines sibi potius acquirere velint, quam profundere in alios. Hæc tamen causæ non per se & necessario, sed plerumque inferunt avaritiam, cum multi, etiam in ipsa senectâ, nihil avaritiæ præ se ferant, sed potius liberales sint. A signat deinde varias avaritiæ species, sive gradus. Licet enim omnes avari conveniant in parcitate circa da-

dum, & appetitu retinendi sua; quidam tamen eorum res alienas non appetunt, nec accipere volunt, aut quoniam ijs solum quid apparet; aut quia malum aliquod pœnamve exinde metuunt; aut quia volunt res suas servare, ne compellantur aliquid turpe agere egestatis causa. Ex his est (addit) & cumini sectores, & quovis talis. nimirum, ij omnes, qui sordidissimo avaritiæ summa, seu illiberalitatis morbo agrotant: non enim solum sunt parci, & tenaces, sed κομινεωγιοται, cumini sectores; κίμβριες, ollares, instar Euclionis cum sua olla; σνοκτραγιδαι σιτου, bus victitantes, ac denique ῥυποκόνδυλοι sordidi. quique in vicinia, & populo, imò & apud Auctores, præsertim Poetas, nomē sibi faciunt, & famosi extiterunt ob insignem avaritiæ notam. Quorum ignobilem genium lepidè & optime expressit Theophrastus in Ethicis Characteribus, cap. de sordida parcimonia: ubi de quodam eximie avaro ita loquitur: Vxor solet edicere, ne cuiquam salem, aut ellychniū, aut cuminum, aut origanū, vel etiam farris quidquam, vel corollam vllam, vel libum vllum commoderet. Magnam enim, inquit, parva hæc tandem in anno summam afficiunt. In summa, sordidorū istorum hominū loculos videas sicuti obsitos, claves ferrugine illitas. ipsos etiā videre licet vestes gestare, quæ vix femora tegant, &c. Quid lepidius? Alij è contrâ accipiendo exuperant, quod vndique & sine discrimine accipiant. Et hi quidem turpis quæstus gratia moventur, avarique dicuntur, quoniam circa non magna inhiant. Nam alioqui eos, qui magna accipiunt vnde non oportet, non avaros dicimus, sed secestros, & iniurios, quales sunt tyranni, qui fana dilapidant, & vrbes depopulantur. Aleatores autem, Spoliatores, & latrones, avaris sive illiberalibus accensentur: quoniam quæstus turpis causa negotiantur, & probra sustinent, & ingentibus periculis sese exponunt; atque ab ipsis amicis lucrifaciunt, quibus potius donare oporteret. Quo tandem evincitur, nihil magis contrarium Liberalitati, quam avaritiam, & in nullo eius extremo gravius peccari. Quod quidem duplici syllogismo in ipsa doctrina Philosophi subobscurè indicato demonstrari sic potest. Ex quibuslibet duobus vitijs extremis illud magis medio contrarium est, quod minorem cum illo affinitatem habet. Ita enim supponimus ex dictis lib. 2. cap. 8. Atqui avaritia longè minorem cum medio Liberalitatis affinitatem habet, quam prodigentia: ut supra est ostensum. Ergo avaritia magis contraria est Liberalitati, quam prodigentia. Alter syllogismus, seu ratio, est huiusmodi. E duobus extremis vitijs illud medio magis est contrarium, ad quod magis propensum sumus: ut eodem cap. 8. libri secundi ostensum fuit. At magis propensum sumus ad retinendum res nostras, quod fit per avaritiam, quam

quàm ad effundendum, quod fit per prodigiam: ut supra manet probatum. Ergo è duobus huius vitij extremis avaritia est magis contraria medio Liberalitatis, quàm prodigiam. Et hæc quidem circa hoc caput: quod facile ac multipliciter hinc, & inde

exornari posset. Sed tamèn plurima dissimulare opus fuit, ne nimium transgredemur solitam Commentarij mensuram.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 117. 118. 119. atque ipsius Interpretes.

CAPVT SECVNDVM.

De Magnificencia, & eius extremis.



SEQVITVR Iam vt de magnificencia disseramus. Est enim & ipsa virtus quædam circa pecunias: non tamen sese extendit vt liberalitas ad omnes pecuniarios actus, sed ad sumptus tantùm. Atque in his ipsis liberalitatem exuperat magnitudine. Nam vt ipsum nomen significat, decens fit per ipsam in magnitudine sumptus. Magnitudo autem est ad aliquid. Non enim idem sumptus triremis, & spectaculorum præfectum decet. Decens igitur est & ad ipsum, & in quo, & circa quæ fit. Qui verò parvis in rebus, aut mediocribus, pro dignitate sumptus facit (qualis est ille, qui dicit: Atque ego sæpe dedi peregrè venientibus vltro) non dicitur magnificus: sed is, qui in magnis. Nam magnificus quidem liberalis est: at liberalis, non continuo magnificus est. Talis autem habitus defectus quidem, circa decorum pusillitas nuncupatur: exuperatio verò sordiditas, & circa decorum ruditas appellatur. Et quot sunt tales, non circa quæ oportet exuperantes magnitudine, sed in quibus non oportet, & quemadmodum non oportet, quærentes sibi splendorem: de quibus posteriùs dicemus. Magnificus autem scienti similis est. Nam decorum ipsum contemplari potest, & magnos concinnè facere sumptus. Vt enim in principio diximus, habitus operationibus, & ijs, quorum est, definitur. Sumptus igitur magnifici, magni sunt, & decentes. Talia autem & opera sunt. Sic enim magnus erit sumptus, & decens ad opus, vt sumptu quidè opus, opere verò dignus sit, vel etiam exuperet sumptus. Atqui magnificus, honestatis causa tales faciet sumptus. Hoc enim omnibus est commune virtutibus. Et etiã cū voluptate, & sine parsimonia erogando. Exacta nanque ratio, ad pusillitatem nimirum attinet. Atque potius quonam modo pulcherrimum, maximeque decens fuerit ipsum opus, considerabit, quàm quanti constiterit, & quonam modo confectum per quàm minimos fuerit sumptus. Necesse est igitur

tur, ipsum magnificum liberalem etiam esse. Etenim liberalis, sumptus faciet quos oportet, & ut oportet. In his autem est magnum ipsum, magnifici, ut magnitudo circa hæc, liberalitatis. Et ab æquali sumptu magnificentius faciet opus. Non enim eadem est virtus rei, quæ possidetur, & operis. Etenim illa quidem est ea, quæ quæquam plurimo pretio digna est, & pretiosissima, ut aurum, & opus, quod magnum est, atque pulchrum: talis enim operis aspectus est admirabilis. At quod est magnificum, est admirabile. Virtus operis, est magnificentia in magnitudine. Impensæ verò suat hæc, quas dicimus honorabiles: ut ea, quæ deorum, heroumque causa fiunt, dedicationes, inquam, & extructiones, ac sacrificia, & ea, quæ ad Rempublicam liberaliter fiunt, ut si aliquo in loco ludos splendide facere oportere putant, aut præfecturas subire navium, aut etiam epulum publicum exhibere. Atque in vniversis, ut diximus, & ad agentem habent respectus quisnam sit, & quas habeat facultates. Digna enim his esse oportet, & non solum opus, verum & ipsum facientem decere. Quocirca, pauper non erit magnificus: quippe cum ei non sint ea, è quibus multos decorè faciat sumptus. Qui verò aggreditur, fatuus est: nam præter dignitatem facit, & id quod oportet: id verò, quod rectè sese habet, à virtute emergit. Decent autem & eos, quibus talia antecedunt, aut per seipso, aut per maiores, aut per eos, ad quos ipsi se referunt propinquitatis aliqua ratione: & nobiles etiam, & gloriosos, & quotquot sunt huiuscemodi. Hæc enim vniversa amplitudinem habent, & dignitatem. Maximè igitur talis est ipse magnificus: & in talibus impensis versatur ipsa magnificentia, quemadmodum diximus: & maximæ enim & honorabilissimæ sunt. Ex privatis verò hæc pertinent ad magnificum, quæ semel fiunt, ut nuptiæ, & si quid aliud tale. Et si circa aliquid tota civitas, aut qui sunt in dignitatibus studeant, & circa hospitum susceptiones, & missiones, & munera. Non enim ad se ipsum, sed ad publica sumptus facere magnificus solet. Ipsa autem munera simile quid habent ijs, quæ dijs dedicantur. Ad magnificum etiã pertinet, & domum à se extructam, ut divitias, deceter habere. Est enim quoddam & hæc ornamentum. Et item ijs magis operibus sumptus facere, quæ diuturno tempore persistere possunt: hæc enim sunt maximè pulchra. Atque in singulis decorum ipsum servare. Non enim eadem dijs, & hominibus, & ad templum, atque sepulchrum accommodantur. Est autem vnusquisque sumptus magnifici sui in genere magnus: & magnificentissimus quidem is est, qui est magnus in magno: hic autem is, qui est in his

mag-

magnus. Et differt magnū, quod est in opere, à magno, quod est in sumptu. Pila namque pulcherrima, aut pulcherrimus vrceus, puerilis quidem muneris magnificentiam habet: pretium autem eius pusillum est, atque illiberale. Quapropter magnifici est, quocunque in genere faciat, magnificè facere: tale nanque neque facile superari potest, & sese habet vt sumptus dignitas postulat. Talis est igitur ipse magnificus. Is autem, qui exuperat, quique sordidus est, sumptus faciendo ultra id, quod oportet, exuperat, vt est dictum. Nam parvis in rebus multa consumit, & splendorem inconcinnè captat, nunc his, qui pecunias conferunt ad convivia sibi paranda nuptiali apparatu epulum præbens, nunc subministrans comœdis, exhibens in eorum transitu purpuram, vt facere Megarense consueverunt; & omnia talia non honestatis, sed ostensionis divitiarum causa facit, & vt admiratione propter hæc, vt putat, afficiatur. Atque vbi quidem multos facere sumptus oportet, parvos facit: vbi verò opus est parvis, magnos. Pusillus autem in decoro circa vniuersa deficit, & maximis factis sumptibus in parvo perdit decorum: & quicquid facit, tardè, differendoque facit, consideratque quonam modo quàm minimos faciat sumptus: & etiam quæritur, cunctaque maiora, quàm oportet, se facere putat. Sunt igitur hi duo habitus, vitia quidem: non tamen afferunt probra, propterea quòd neque detrimento sunt alijs, neque nimium sunt deformes.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

Magnificentiam quoque sicut & Liberalitatem versari in sumptibus pecuniarum: verum longe splendoribus & illustrioribus. Quomodo in ijs se gerat vir magnificus, præ sordido & modico: quorum alter ipsi opponitur per exuperantiam, alter per defectum.



BREVITER Percurrā quæ ad huius capitis explanationem spectant, quoniam pleraque eorum opportuniorem locum habebunt in disputationibus Ethicis: ideoque hoc loci libabo solum quæ maioris momenti sunt circa Virtutem Magnificentie: cuius tractatio sequitur post doctrinam de Liberalitate, quoniam hæc duæ Virtutes sunt maximè affines, & ambæ circa pecunias. Dividitur verò totum caput in quinque partes. In prima exponitur materia Magnificentie, & extremorum ipsius. In secunda, quomodo magnificus se gerat in ordine ad illam. In tertiâ qualiter se habeat circa sumptus, qui propriè ad ipsum spectant. In quarta, quomodo se gerat circa eos sumptus, qui sibi principales non sunt. In quinta

agit de vitijs, seu extremis Magnificentie oppositis, scilicet, defectu decori, & modicitate.

2 CIRCA Primam partem stavit Magnificentiam cum Liberalitate convenire quòd vtraque sit circa pecunias: differre autem ab eâ, quoniam non se extendit ad omnes actus pecuniarios, sicut Liberalitas, sed ad sumptuos tantum, & qui splendorem quemdam præferant, vt ipsum Magnifici nomen indicat. Sicut enim non idem sumptus est decens trierarcho, & architeoro, scilicet, præfecto trieremis, & spectaculorum, vt Argyropilus, & alij communiter vertunt. Refelluntur tamen: quoniam, vt notat Giphanius, apud Græcos duo erant legatorum genera: alij, nimirum, sacri, profani alij. Hos vocabant *πρωτοβεις*, illos vero *θεωγεις*, quos mittebant ad sacros ludos, vt Olympicos, vel Delum ad oracula consulenda.

Itaque Latine reddendum est: *Non enim idem sumptus Trierarcho, & Archithero, seu legato sacro*: nam vere non aliter reddi potest incomplexa voce. Maior quippe sumptus conveniens est Archithero, quam Trierarcho, seu praefecto triemis: similiterque maiores sumptus decent magnificum, quam liberalem. Magnificencia quippe eodem modo Liberalitatem exuperat, & respectiva est. Liberalis enim circa parva aut mediocria decenter insumit; magnificus vero circa magna. Quare omnis quidem magnificus, liberalis est: non autem e converso. Porro materia Magnificenciae est duplex, ut & aliarum Virtutum: interna una, externa altera. Prior consistit in affectu moderari circa magnos ac splendidos sumptus; scilicet, proportionatos dignitati propriae, & operi: ut, si aedificetur domus Principi, debet sumptus esse maior, quam pro domo personae privatae; & maior adhuc in extructione templi, quod erigitur in Dei cultum. Maiores etiam impensas exposcunt publici ludi, & spectacula, quam una triemis. Posterior autem materia adhuc est duplex: una minus remota, consistens in ipsis magnis sumptibus: alia remotior, sita in ipsis divitijs, seu pecunijs multis, sine quibus nequit Magnificencia exerceri.

3 EXTREMA Verò duo eiusdem Virtutis in mediocritate consistentis, duo sunt: quorum alterum excedendo aberrat, alterum deficienti. Primum *βαυαυσία, καὶ ἀπειροκαλία*, scilicet, *sordiditas, & circa decorum ruiditas*, appellatur eorum; nempe, qui magnos quidem sumptus, & immoderatos faciunt, circa ea quae non decent, aut quomodo non oportet, quaerentes sibi splendorem. Secundum vero *μικροπρέπεια*, id est, *modicitas*, dicitur, seu defectio circa decorum: illorumque propria est, qui velent quidem facere magnos sumptus: sed poenitent cepti, & non audent perficere, aut splendorem operi auferunt defectu modi, aut parcitate quadam in eo exequendo.

4 CIRCA Secundam exponit quomodo magnificus se habeat circa materiam suam, id est, circa magnos sumptus: & assignat quinque ipsius proprietates. PRIMA est quod similis sit scienti. Is enim scienter operatur, qui praeviâ speculatione circa materiam suam, invenit quod est agendum, & quomodo oporteat illud executioni mandare; atque eo ipso scit resolvere conclusiones in sua principia, & ex eisdem conclusiones inferre. Atqui hoc modo se habet magnificus circa magnos sumptus, qui sunt ipsius materia. Ergo scienter se habet, seu scienti similis est. Quare & decorum ipsum contemplantur, ut iuxta illius exigentiam operetur: ideoque magnos ac decentes sibi operisque suo sumptus faciet; quique potius ad exuperantiam, quam ad modicitatem

declinent. SECUNDA proprietas est, ut honestâ causâ eos sumptus exequatur, quod & ceteris secundam quamlibet Virtutem operantibus commune est. Omnis enim studiosus in materia Virtutis ex fine honesti operatur. At magnificus est studiosus, & Magnificencia virtus. Ergo in materia illius, quae consistit in magnis sumptibus, ex fine honesti operatur. Quare qui ex fine inanis gloriae, vel alio motivo sinistro, magnas quantitates insunt, non magnifici, sed sordidi censendi sunt. TERTIA proprietas est, quod magnificus faciat magnos sumptus cum voluptate: quod & alijs Virtutibus commune esse superioribus observavimus, ut voluptatem in operando afferant: & speciatim Magnificenciae conveniunt praemodicitate ipsi opposita, quae dolorem videtur afferre in ipso sumptuum exercitio. QUARTA est, quod magnificus exequatur magnos sumptus absque parsimonia: *ἢ γὰρ ἀντιβολογία μὴ κροονεῖ. exacta enim computatio, ad pusillitatem attinet*. Quare largitas quaedam, & magnitudo animi in operando splendere debet. QUINTA proprietas est, quod magnificus consideret magis, quoniam pacto fiat opus pulcherrimum, & maxime decens, quam quanti constet: in quo sane opponitur modico, cuius cura in eo est, ut opus fiat quam minimo pretio potest executioni mandari.

5 CIRCA Tertiam, ultima magnifici proprietas est ut liberaliter se gerat (in quo differt à modico, & indecoro, veluti à duobus extremis) faciendo sumptus quos oportet, & ut oportet, sed magnos; & aequalibus impensis exhibeat opus magnificentius. Non enim eadem est Virtus, seu aestimabilitas rei quae possidetur, & operis: nam prior ex pretio aestimatur, ut vas aureum; posterior vero ex magnitudine, & pulchritudine admirationem pariente. Potest autem fieri ut aequali sumptu magnificus faciat aliquid excellentius, quam liberalis: quoniam opus illius magnitudine, pulchritudine, & admiratione praecellit, quamvis pretio inferius sit. Ut si v.g. liberalis offerat in alicuius templi cultum vas aureum valoris decem millium argenteorum; magnificus efficiet aequali sumptu aliud opus, quod minus pretiosae materiae sit, ceterum magnitudine ac pulchritudine praestet, ideoque praeter illo excitet admirationem sui. Quare magnifici viri praeter liberali est eiusmodi splendorem in operibus quaerere: ut circa templum & Numinis cultum, ac circa Rempublicam: ut si publicum ludum, spectaculum, aut epulum facere oporteat, vel navium praefecturas subire. Verum & in his attendere debet, tum dignitatem propriam, tum & vires suarum facultatum, ut non solum opus in se magnum & pulchrum sit, verum & ipsi decens. Quare pauper non erit magnificus, cum dolent ipsi

ipsi amplæ facultates, quibus magnificè operetur: ideoque si quis eiusmodi magna & admiranda opera aggrediatur, fatuus erit, quoniam & supra dignitatem, & ultra vires agere cogitat: Virtus autem nihil aggreditur, nisi quod decet, & quatenus decet. Ideoque magnificè operari solum decet eos, qui, vel quorum maiores, aut propinqui, talia exhibuerunt; ac nobiles quidem, & illustres: quoniam in ijs solum dignitas magnitudoque locum habent.

6 CIRCA Quartam, Magnificentiam, quamvis potissimum exerceat opera magna ac splendida circa res publicas, ut dictum est; etiam attendit ex privatis sumptibus eos, qui semel fiunt, ut in nuptijs, alijsque eiusmodi; & si alicui rei tota civitas studet, vel qui in dignitate sunt; itemque in hospitum susceptionibus, legationibus, & donis, & remunerationibus. Non enim magnificus in seipsum, sed in alios sumptuosus est: & ipsa eius munera idcirco similia sunt ijs, quæ in Divorum cultum dicantur. Pertinet quoque ad ipsum habere domum à se decenter extructam, sicut & divitias: quoniam & utrumque hoc ad ornamentum dignitatemque suam spectat: insuper & in hisce operibus curare, ut diuturno tempore durent, quoniam hoc nimium pulchritudini congruit: præterea & decenter ea omnia exequi, quoniam non eadem conveniunt dijs & hominibus, aut templo & sepulchro. Verum quodcumque opus faciat magnificus, in eo magnus erit: quia magnitudo operis præclarior est, & longè maior, quàm pretium rei: ut si pilam pulcherrimam, aut vrcum elegantissimum donet, pretium erit pusillum atque illiberalis: sed munus ipsum magnificentiam exhibebit, & quæ vel in re puerili resplendet.

7 CIRCA Quintam & ultimam capitis partem exponit vitia Magnificentie opposita, & primò sordiditatem, quæ peccatur per excessum; deinde modicitatem quæ peccatur defectum. Sordidum itaque appellat illum, qui excedit in sumptibus faciendis plusquam decet ipsum opus, quod exequitur, ideoque vult videri magnificus in eo ipso, quod alienum à decore est. ut Megarenses, qui in comicis apparatibus scenas purpurâ induerunt, cum antea pellibus tegi solerent; contra decorum, & iustam consuetudinem; & quisquis sodalem nuptiali convivio excipit, alijsque eiusmodi, qui non honestatis amore, sed ostentationis, atque admirationis apud imperitos excitandæ, maiores, quam par sit, sumptus faciunt, & quandoque minores. Pusillus autem, seu modicus, in omnibus defectuosus est, & si quandoque magnos sumptus fecerit, magnave, honestum pervertet: & quidquid fecerit, exequetur cunctans, spectansque qualiter parùm expendat: conquereturque de sumptuum magnitudine, atque existimabit se facere cuncta maiora, quam de-

ceat. Concludit denique, in eo utroque extremo vitium esse, non tamen quod opprobrio sit: quoniam nec alijs detrimentum affert, neque habenti nimium dedecus parit, sed modicum, & quandoque ritum. qualem peperit Xerxi excessus circa decorum, cum aliquando iter per Lydiam faceret. Etenim platanos exornavit torquibus aureis, & armillis, relicto curatore, qui custodiret.

8 AFFINE Huic est, & infano Magnificentie generi adscribendum, quod legitur de Æsopi Tragædi, filio, qui aves cantu nobiles, & ingenti pretio emptas, convivis apposuit, quasi ficedulas, aut turdos, aliasve aves modicæ aut nullius æstimationis. Quid enim magis risu dignum, quam aves ad gratisimam cantum à naturâ influvias emere tulano pretio, non ut auditui, sed ut gustui deservirent? At longè magis risu dignum est inane Magnificentie studium in Hellogabalo: de quo Lampridius, in eius Vita, sic loquitur: *Comedit sepius ad imitationem Apicij calcanea camelorum, & cristas vivis gallinaceis dempsit, linguas pavonum, & luscinarum. Exhibuit & Palatinis ingentes dapas exotis mullorum reseratas, & cerebellis phœnicopterum, & perdicum ovium, & cerebellis turdorum, & capitibus psittacorum, & phasianorum, & pavonum. Canes iecinoribus asserum pavit. Misit vas Apamenas in prasepia equis suis: & psittacis atque phasianis leones pavit, & alia animalia.* Quid insanius, & magis à verâ Magnificentia exorbitans? Verum & in hoc videtur Hellogabalus non modò risu, sed infamia dignus, propter monstruosum excessum in apparatu epularum; cum insolito illo dispendio totius fere irrationalis nature, quæcumque in aère, terrâ, & aquâ degit. Neque hoc est contra Aristotelem: qui solum loquitur de excessu frequenter observato in magnis sumptibus, dum docet non nimium vituperabilem esse. Si enim vidisset Hellogabali tempora & mores, exuperantiam ipsius, præsertim in epularum sumptu & apparatu, veluti infamem & probrosum damnaret. Verum circa ea omnia, quæ hætenus solum libata sunt, plura, eaque lectu jucunda, reservamus in Ethicis disputationibus.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 134. &

135. atque ipsius Interpretes.



CA-

CAPVT TERTIVM.

De Magnanimitate, & eius extremis.

MAGNANIMITAS autem circa magna quidem, vel ex ipso nomine versari videtur. Circa quæ verò versatur, primùm accipiamus oportet. Atque nihil refert, siue habitum ipsum, siue eum consideremus, qui habitum habet. Itaque magnanimus est, qui magnis est dignus, & dignum sese magnis censet. Qui namque non pro dignitate hoc facit, stolidus est: at eorum, qui præditi sunt virtute, nemo demens, ficti & nemo stolidus est. Is igitur quem diximus, magnanimus est. Qui namque parva meretur, & hisce dignum sese censet, modestus quidem, at non magnanimus est. Magnanimitas enim in magnitudine, sicut & pulchritudo corporis in magno cõsistit: parvi verò, formosi quidem sunt, & membris apti, sed non pulchri. Is autem, qui est indignus, & magnis dignum se ipsum censet, lentus est. Non est autem omnis lentus, qui maioribus, quàm meretur, dignum se ipsum censet. At is, qui se dignum minoribus, quàm dignus sit, opinatur, pusillanimus est, siue magna, siue mediocria mereatur: siue parva quidem, minoribus verò se dignum esse existimet. At maximè videbitur, qui magnis est dignus: quid enim faceret, si tantis non esset dignus? Est igitur ipse magnanimus, magnitudine quidem extremus, ratione autem eius, quod oportet, medius. Dignum enim eo se ipsum cõsuet, quod ad dignitatem suam accommodatur. Illi verò exuperant, & deficiunt. Quod si magnitudine animi præditus magnis se dignum cõsuet, & sic dignus, & maximè maximis, circa vnum genus maximè versabitur ipse. Dignitas autem ad externa dicitur bona. Maximum verò id asseruerint omnes esse, quod dijs ipsis tribuimus, & quod maximè homines, qui sunt in dignitate, affectant, quodque dari præmium eorum pulcherrimas solet. Talis autem est ipse honor: hoc est enim bonorum maximum, sed externorum. Circa igitur honores, & oppositum eorundem, versatur vt oportet ipse magnanimus. Et sine etiam ratione, magnanimi circa honores esse videntur. Viri namque magni maximè se dignos esse honore pro dignitate censent. Sed pusillanimus deficit, tam ad se ipsum, quàm ad ipsius magnanimi dignitatem. Lentus autem respectu quidem sui exuperat, non tamen ipsum magnanimum. Atqui magnanimus ipse, cum sit maximis dignus, fuerit optimus sane. Melior enim maiora semper meretur, & optimus maxima. Eum er-

go,

go, qui verè magni est animi, bonum esse oportet. Atque magnanimi videbitur id esse, quod est in vnaquaque virtute magnum: nulloque modo convenit magnanimo pericula fugere ob timorem, aut iniuriam facere. Gratia nanque cuius is aget turpia, cui nihil est magnum? Singula verò consideranti, magnanimus si non sit bonus, ridiculus omnino videbitur. Nec etiam dignus erit honore, si parvus sit: quippe cum honor præmium sit virtutis, ac bonis hominibus tribuatur. Videtur igitur ipsa magnitudo animi, tanquam ornamentum quoddam esse virtutum: nam maiores efficit ipsas, & sine illis ipsa non fit. Quam ob rem difficile est, verè magnanimum esse: non enim esse potest, si non omnis probitas adsit. Magnitudo igitur animi maximè circa honores, & oppositum versatur. Atque magnanimus pro ijs quidem honoribus, qui & magni sunt, & à studiosis hominibus offeruntur, moderatè lætabitur, tanquam accommodatos sibi, vel minores etiam adipiscens. Virtuti enim cumulatae nullus dignus honor fieri potest. Accipit tamen, quia maiora nequeunt exhiberi. Sed eos honores, quos cuiusvis homines & parvis tribuunt, parvipendet omnino: non est enim his dignus. Similiter & id, quod est honori contrarium, non enim iure fuerit circa ipsum. Ut igitur dictum est, vir magnanimus maximè circa honores versatur. Et circa tamen divitias, & potestates, & omnem prosperitatem, adversitatemque Fortunæ quocumque evenerit modo, moderatè sese habebit. Et neque vehementer in prosperitate lætabitur, neque nimium in adversitate dolebit. Neque enim circa honorem ita sese habet, qui quidem maximum bonum est. Potestates enim, divitiæque propter honorem expetuntur. Itaque qui hæc habent, per ipsa honoribus affici volunt. Cui igitur & honor est parvum, huic & cætera parva sunt. Quapropter ipsi magnanimi contemptores sunt. Videntur autem & prosperitates Fortunæ, ad magnanimitatem conducere. Nobiles enim, & ij, qui sunt in potestatibus constituti, vel divites, digni censentur honore. In excellentia nanque consistunt. Atque omne bonum, quod excellit, dignum est magis honore. Quapropter & talia magis magnanimos faciunt. A quibusdam enim honorantur. Re autem vera solus bonus est honorabilis. Atque ij quidem, quibus insunt ambo, digni magis honore censentur. Qui verò sine virtute talia bona habent, immeritò se dignos magnis honoribus aestimant, neque magnanimi rectè dicuntur. Non enim sunt hæc sine cumulata virtute. Contemptores autem, petulantesque fiunt. Non est enim facile, sine virtute res moderatè ferre secundas. Atque cum æqualiter ferre non possint, putentque se cæteris antecellere, illos quidem despiciunt.

Ipsi

Ipsi verò quicquid contigerit, agunt. Imitantur enim magnanimum, & si similes ei non sunt. Idque faciunt, in quibus possunt. Ea igitur, quæ à virtute proficiscuntur, non agunt: despiciunt autem cæteros. Sed magnanimus iure despicit: opinatur enim verè: vulgus autem ut contingit. Non autem parva pericula subit, nec periculorum est cupidus, propterea quòd res paucas multifacit: sed subit magna, atque cum in periculo versatur, vitæ suæ non parcat, quasi non sit dignum omnino vivere. Est etiam talis ut beneficia conferat, & pudeat ipsum, si suscipiat beneficia. Illud enim superioris est, hoc inferioris, & in retribuendo maiora beneficia conferat. Hoc enim modo debitor insuper fiet is, qui primus contulit, atque suscipiet beneficium. Videtur etiam & eorum quidem meminisse, in quos beneficia contulit: eorum autem non meminisse, à quibus ipse suscepit. Est enim is, qui suscepit, inferior eo, qui contulit beneficium: ipse vero vult superior esse. Et cum voluptate quidem audit ea, quæ ipse accepit. Quapropter & Thetis non enarrat beneficia Iovi: nec Atheniensibus Lacedæmonij, quæ contulerunt in illos, sed quæ susceperunt ab illis. Est etiam magnanimi, neminis, aut vix indigere, subministrare autem promptè. Et ad eos quidem homines, qui in dignitate sunt constituti prosperitatibusque utuntur Fortunæ, magnum esse: ad medios autem mediocrem. Illos enim superare, difficile est, & gloriosum: hos autem facile. Et inter illos quidem gloriari, non est ingenerosum: inter humiles autem, est importunum, quemadmodum viribus contra imbecillos contendere. Est etiam: magnanimi, non audire ea, quæ afficiuntur honore, & ubi alij primas occupant partes, & otiosum esse ac tardum, nisi ubi magnus est honos, vel opus: & paucas quidem agendas res aggredi, magnas autem & præclaras. Necessè est etiam palàm ipsum, tam odisse, quàm etiam amare: quippe cum metuentis sit occultare. Et magis ipsi curæ veritatem, quàm opinionem esse. Et apertè loqui, ac agere: est enim hoc contemptoris. Quapropter utitur libertate: est enim & libertate utentis. Idcirco contemptor est, & etiam verax, nisi dissimulatione utatur, qua quidem ad multitudinem utitur. Et non posse ad alium vivere, nisi ad solum amicum: est enim servile. Quapropter & omnes adultores, serviles sunt: & omnes humiles, adultores. Nec est proclivis ad admirandum. Nihil enim apud ipsum est magnum. Nec est sibi mali memor illati. Non est enim magnanimi meminisse, præsertim mala, sed potius despiciere. Nec de hominibus loquitur. Etenim neque de se ipso, neque de alio dicet: nec enim ut lauderetur ipse, nec ut alij reprehendantur, est ipsi curæ, nec rursus est laudator. Idcirco nec maledicus, ne

in inimicos quidem, nisi ob contumeliam. De necessarijs prætereà rebus, vel parvis, minimè est querulus, nec ad precandum proclivis: est enim studentis circa hæc ita se habere. Est etiam talis, ut res magis pulchras, sineque fructu, quàm fructuosas, vtilisque possideat. Est enim magis sufficientis. Insuper ipsius magnanimi motus, tardus esse debet, & vox gravis, & locutio tarda. Non enim properat is, qui circa pauca studet: nec est vehemens, qui nihil existimat magnum. Acumen autem vocis, & celeritas, propter hæc ipsa fieri solent. Talis est igitur ipse magnanimus. Is autem, qui deficit, pusillanimus est. Qui verò exuperat, lentus. Nec igitur hi mali homines sunt: quippe cum mala non faciunt: sed aberrant. Pusillanimus enim meretur quidem bona: his tamen se ipse privat, quibus est dignus. Atque malum quoddam habet, quia bonis se dignum non censet, & se ipse ignorat. Appeteret enim ea, quibus est dignus, cum sint bona. Non tamen stolidi tales homines, sed pigri potius & sunt, & dicuntur. Talis autem opinatio deteriores ipsos efficit. Singuli nanque appetunt ea, quibus sunt digni. Dimovent sese & à præclaris actibus, & officijs, quasi sint indigni: & à bonis externis simili modo. At lenti, stolidi sunt, & se ipsos ignorant, & etiam clarè: nam quasi sint digni, res eas aggrediuntur, quæ honorantur: deinde redarguuntur. Vestituque se, & gestu, & similibus ornant: & prosperitates suas manifestas esse volunt. De ipsis etiam dicunt, ut ob ipsas afficiantur honore. Magnitudini autem animi, pusillanimitas opponitur magis, quàm lentitudo. Fit enim magis, & peior est. Magnitudo igitur animi circa honorem, ut diximus, versatur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Magnanimitatis materia, item & vitiorum extremorum, quanam sit? Eiusdem Virtutis functiones & actus proprii: nota etiam, ac peculiaris attributa. Vitia, quibus intercipitur, quæ & qualia sint.



DE Magnanimitate, quam Græci μεγαλοψυχίαν dicunt, & Cicero magnitudinem animi appellat lib. 1. de Officijs, disseritur hoc loco. Agitur de eâ S. Thomas 2. 2. q. 129. per octo articulos; & similiter de vitijs extremis apertius per quatuor quæstiones, sequentes. Pontanus quoque fusè de illâ disserit duobus integris libris. Nos brevius agemus, imitati Aristotelem: qui summam quærit, quid sit Magnanimitas, quibus versetur in rebus, & quanam propria nota sint magnanimi viri, seu excelso animo præditi. Dividitur autem caput in quatuor partes. In primâ vestigatur, quanam

sit materia Magnanimitatis, & vitiorum extremè oppositorum, quibus interiecta est. In secundâ assignantur Magnanimitatis functiones, & actus proprii. In tertiâ exponuntur notæ, sive proprietates magnanimi viri. In quartâ demum agitur de vitijs ipsis Magnanimitati contrarijs.

§. I.

Illustratur prima pars capituli. De materia in qua versantur, tum Magnanimitas, tum & vitia apposita.

CIRCA Primam partem præmittitur Magnanimitatem; ut ipsa

nomen præ se fert, in rebus magnis versari. Quamnam vero ea sint, examinare oportet, adnotando prius, parum referre ad id vestigandum loqui de ipso Virtutis habitu, aut potius de eo, qui eadem virtute præditus est: quoniam eadem est vis & natura abstracti & concreti, seu conjugatorum, ut Dialectici loquuntur. Magnanimitatem ergo, sive virum magnanimum in rebus magnis versari ait, probatque ex definitione viri magnanimi: quem omnes illum dicunt, qui paratum animum habet ad omnia, quæ incurrere possunt, ut nec prosperis extollatur, nec deiciatur adversis. Est enim instar corporis robusti ac bene valentis, quod nec nimio calore languescit, nec frigore contrahitur, sed æquabile permanet ad quælibet agenda, & subeunda. Huic vero communi definitioni viri magnanimi addit Arist. quod cum magnis dignus sit, iisdem quoque se dignum existimet, proindeque ad magna contendat.

3 RATIO Autem quæ hoc postremum probat, hæc ferè est. Quicumque dignus est magnis, & ijs se dignum arbitratur, is plane in magnis versatur, & in ea studio suo ac propensione contendit. At vir magnanimus dignus est magnis, & ijs se dignum arbitratur. Ergo vir magnanimus in magnis versatur, in eademque studio suo atque propensione contendit. Maiorem supponit Aristoteles, veluti certam exploratamque. Minorem dupliciter probat. PRIMO: Quia si vir magnanimus non est ille, qui dignus est magnis, seque ijs dignum arbitratur; restat ut ille magnanimus sit, qui nullis dignus est, & tamen magnis dignum se existimat. At hic potius stultus & fatuus est, quam magnanimus, ut patet. Ergo ille solus magnanimus est, qui cum magnis verè dignus sit, iisdem se existimat dignum. SECUNDO eandem propositionem videtur probare sic. Si vir magnanimus non est, qui verè magnis dignus est, & ijs se dignum censeat; is profectò magnanimus erit, qui parvis dignus est, & parvis quoque se dignum iudicat. At hic non magnanimus est, nec censeatur, sed modestus, seu eâ Temperantiâ præditus, quæ in quolibet genere moderationem animi significat. Ergo ille demum magnanimus est, qui cum magnis dignus sit, etiam magnis dignum se existimat. Itaque minor illa propositio dupliciter ab Arist. probata est.

4 DIFFICULTAS Autem esse videtur in eius veritate: quoniam falsitatis illam arguunt Lud. Vives lib. 6. de causis corruptarum Artium, & Vitus Amerbachius in Comment. ad lib. I. Magn. Moral. eâ ductus ratione, quod virum aliquem se existimare magnis dignum, quamvis verè dignus sit, videtur opponi cum Christianâ Magnanimitate. Vir enim magnanimus, licet insignibus meritis afful-

geat, debet esse humilis, imò & eo humilior, quò & meritis excellentior. Atqui nemo, si verè humilis est, existimat se dignum magnis, sed potius exiguis aut nullis. Ergo vir magnanimus, licet insignibus meritis fulgeat, non existimat se dignum magnis, sed potius exiguis, aut nullis. Magnanimitas ergo Aristotelica videtur cum Christianâ Magnanimitate pugnare. Ita ferè prædicti Auctores.

5 SED Falluntur: quia prædicta Arist. doctrina non opponitur Humilitati, ac proinde nec Magnitudini Christianæ, quamvis vir magnanimus se existimet dignum magnis, cum verè dignus sit. Quod in terminis, ut aiunt, tradit S. Thomas 2. 2. q. 129. art. 3. ubi proposito eodem argumento quarto loco ad probandum, Magnanimitatem non esse Virtutem; sic respondet: Ad quartum dicendum, quod in homine invenitur aliquid magnum quod ex dono Dei possidet; & aliquis defectus, qui competit ei ex infirmitate naturæ. Magnanimitas ergo facit quod homo se magnificet secundum considerationem donorum, quæ possidet ex Deo. Sicut si habet magnam virtutem animi; magnanimitas facit quod ad perfecta opera virtutis tendat. Et similiter est dicendum de usu cuiuslibet alterius boni: puta, scientiæ, vel exterioris fortunæ. Humilitas autem facit quod homo seipsum parvipendat secundum considerationem proprii defectus. Ac, nonnullis interpositis, subiungit: Et sic patet quod magnanimitas & humilitas non sunt contrariæ, quamvis in contraria tendere videantur: quia procedunt secundum diversas considerationes.

6 ITAQUE Magnanimus vir, etiam si magnis dignum se existimet, non propterea superbus aut arrogans est; cum intra Magnanimitatis, id est, Virtutis fines se contineat, dum non iudicat se dignum magnis, quibus verè dignus non sit. Quare potest esse simul quis magnanimus, & humilis, ac modestus. Magnanimus quidem; quatenus cognoscens sua merita, eaque tribuens Deo, ut præcipuo Auctorità quo bona cuncta procedunt (ut & ipse Aristoteles varijs docet locis) se dignum magnis existimat; & sic in magna atque excellentia sed suis meritis proportionata, erigit animum. Humilis autem simul esse potest: quia quæ parte cognoscit suam infirmitatem, & se nihil boni habere, nisi à Deo accipiat, arbitratur nullum sibi esse meritum ad quæque magna, sed exigua aut nulla. Modestus denique est, quoniam, ut dicebamus, non putat se præditum maioribus meritis, quam reipsâ habeat; neque conatur in maiora, quam secundum rectam rationem possit. Id enim esset immodestum, aut superbiæ vel arrogantiae indicium, quas Arist. reprehendit & damnat hoc ipso loco: sicuti &

& Seneca t. de Ira cap. 16. vbi ait: Ambitio
 ,, nō est contra honoribus annuis. Si fieri po-
 ,, test, occupare fastos vult, & per omnem or-
 ,, bem titulos disponere. Et Epist. 74. Nullum
 ,, habet malum cupiditas maius, quā quod
 ,, ingrata est. Nemo eorum, qui in Republ.
 ,, versantur, quos vincat, sed a quibus vinca-
 ,, tur, aspicit. Et illis non tam iucundum est
 ,, multos post se videre, quā grave aliquem
 ,, ante se.

7 ADDIT, Magnanimitatem pulchri-
 tudini similem esse: quoniam sicuti pulchritudo
 apparet in quibusdam magnis corporibus, ita
 & in rebus magnis, circa quae Magnanimitas
 versatur. Parva enim corpora, inquit, elegan-
 tia, venusta, aut conciana dicuntur, vbi recte
 disposita sunt. Formosa autem & pulchra di-
 ci non solent. quippe id magnorum proprium
 est. Quare Xenophon laudans Cyrum, non
 modo ut optimum Regum, sed ut pulcherri-
 ,, mum, inquit: Alij praeedicabant sapientiam:
 ,, alij tolerantiam: alij lenitatem: alij denique
 ,, dignitatem & magnitudinem. Vbi dignita-
 tem pro pulchritudine posuit, eamque magni-
 tudini coniunctam. Ovidius quoque de Romu-
 ,, lo accinit: Pulcher & humano maior. Ac de
 ,, eodem Plutarchus in Parallelis, inquit, Ro-
 ,, mulum in monte visum, quovis homine am-
 ,, pliorem, ac Deum factum. Et Tacitus *Hist.* 1.
 ,, fabulatur, erupit cella Iunonis maiorem
 ,, humanā speciem. Denique de animā Achil-
 ,, lis, veluti pulcherrima, Eusebius ex alijs re-
 ,, fert, apparuisse primo cubitorum quinque;
 ,, mox cubitorum duodecim, de suo busto cla-
 mydatam. Itaque magnis rebus, circa quas Mag-
 nanimitas versatur, merito Arist. pulchritudi-
 nem adiungit. Recte quippe cohaeret, aliquid ef-
 se pulchrum, simul & magnum. E contra diffi-
 le apparet, seu minimē componitur, bellum ali-
 quem, & magnum simul esse. Vnde Martialis
 irridet Cottam illo carmine: *Bellus homo, &*
magnus, vis idem Cotta videri. Quippe bellum,
 seu venustum esse, pumilionam hominum, pusil-
 larumque rerum est.

8 PROGREDITVR Arist. ad expo-
 hendum vitia duo Magnanimitati opposita:
 quorum alterum per exuperantiam peccat, &
 est proprium eorum, qui se magnis existimant
 dignos, cum tam verē digni non sint, sed potius
 indigni: appellanturque superbi, elati, tumidi,
 ventosi, inflatique; & paulō antē ab eodem Ari-
 stot. *ἰλιθιοὶ καὶ ἀνοήτοι*, *Stolidi & dementes*,
 dicti sunt. Alterum eorum vitiorum peccat
 per defectum: & asserit in eo reperiri, qui aut
 nihil mereri, aut minus mereri se existimat,
 quā mereatur: ideoque *μικροψυχον*, *pusillan-*
imitatem vocat, quod exiguo & angusto animo
 sit. Vitium verō ipsum in abstracto *μικροψυ-*
χία dicitur: quae & communiter *pusillanimitas*:
 nam Latinā proprietate, complexo nomi-

ne, *parvitas animi* appellanda esset: iuxta illud
 Horatij libr. 1. Sermon. Satyrā 1. *Di bene-*
fecerunt, mopis me, quodque pusilli Finxe-
runt animi. Vitium autem hoc pusillanimitatis
 (ita nobis cum Scholasticis loquendum)
 planē oppositum est Magnanimitati, ut pa-
 tet ex notionibus utriusque; & extremē con-
 trarium alteri vitio superius explicato, quo
 delinquitur per excessum.

9 IGITVR Quatuor gradus ho-
 minum hucusque distinctos habemus. Pri-
 mus est eorum, qui exigui meriti sunt, & se
 pariter existimant parvis dignos: ideoque ab
 Aristotele *σώφρονες* dicuntur, id est, mode-
 rati, seu modesti. Secundus illorum, qui cum
 nihil, aut parum meriti habeant, se putant
 dignos magnis quibuslibet: ideoque elati &
 tumidi habentur, & per exuperantiam pec-
 cant. Tertius eorum, qui magna quidem me-
 rita habent: sed tamen maioribus se dignos
 putant, quā verē mereantur. Hos nec sto-
 lidos, nec superbos appellat Aristotel. quam-
 vis in hoc posterius videantur inclinare. Quar-
 tus denique illorum, qui magna quidem me-
 rentur; sed tamen ex pusillitate animi exi-
 stimant se minora, aut nulla promeruisse.
 Hi omnes quatuor gradus diversi sunt ab eo,
 in quo vir magnanimus positus est: quippe
 qui & magna meretur, & verē iudicat se
 magnis dignum, in aequali gradu, ac medio-
 critatem servante inter excessum & defectum.
 Licet enim in magnis versetur, adhuc in ipsa
 magnitudine servat medium rationis, quod
 est diversum a medio rei, ut dictum est *libr.*
2. capit. 6. & abstrahit ab eo, ut res in se-
 ipsa sit parva, vel magna, aut etiam ma-
 xima.

10 PERGIT Deinde ad expo-
 nendum in specie, quanam sint res magnae,
 aut etiam maximae, in quibus Magnanimitas
 versatur. Eas verō in honoribus collocat,
 & probat hac ferē ratione. Magnanimitas
 in ijs rebus magnis, aut maximis versatur,
 quibus homo censetur dignus propter ope-
 ra Virtutum. At ea, quibus homo dignus
 censetur propter opera Virtutum, sunt bona
 externa honoris. Haec enim sola inter ho-
 mines sunt verē magna, & maxima. quippe
 quae vel ipsi Deo tribuimus. Ergo Magnani-
 mitas versatur in bonis externis honoris.
 Cum verō ad eundem Virtutis habitum spe-
 ctent opposita, addit, eandem Virtu-
 tem etiam versari circa ignominiam, quam
 repellit magnanimus vir eadem mediocri-
 tate rationis, quā conatur in magnos ho-
 nores.

11 DICES, Hanc doctrinam esse ip-
 si Aristoteli contrariam. Nam *lib. 1. Rhetor.*
 docet Magnanimitatis materiam esse benefi-
 centiam, seu magnorum beneficiorum largi-
 tio:

tionem. Ergo malè hoc loco decernit, eam in honoribus versari. Deinde in libello de Virtutibus asserit, materiam Magnanimi esse secundam & adversam fortunam. Ergo potius in utraque versatur Magnanimitas, quam in honoribus. RESP. hæc nihil obstare doctrinæ præiactæ. Nam Aristoteles priore illo loco non disserit de Magnanimitate secundum primariam rationem inspectata, ut in præsentibus; sed solum secundum quandam illius affectionem contemnendi divitias ad subveniendum alijs, quæ magnanimum virum comitatur secundario. Posteriori quoque loco disserit de ijs solum, quæ consecutaria sunt naturæ Magnanimitatis, iam constitutæ per ordinem ad mediocritatem in magnis honoribus. In hoc enim posita est primùm quidditas ipsius: quamvis ex consequenti informet & præparet animum, ne in prosperis extollatur, aut deiciatur in adversis.

12 DEINDE Magnanimitatem comparat cum alijs Virtutibus, & vestigat quodnam habeat cum ijs commercium. Quod ut edisserat, præmittit, neminem esse posse magnanimum, nisi & cæteris Virtutibus exornatus sit, ideoque vir optimus, & præstantissimus existat. Non enim magnanimus is est, qui nullâ honesti ratione habitâ, ad honorum fastigia contendit: sed qui crebro Virtutum exercitio animum instruxit, & paravit ad magna quæque obtinenda. Quod hæc ratione probat. Quisquis prudenter, & verissimè iudicat se magnis honoribus dignum, is dumtaxat, magnanimus est. At solus ille qui crebro Virtutum omnium exercitio optimus & præstantissimus evasit, prudenter, & verè se iudicat magnis honoribus dignum. Ergo solus ille, qui crebro Virtutum omnium exercitio optimus, & prudentissimus evasit, verè magnanimus est. Virtutes igitur omnes simul cum Magnanimitate coniunctas esse oportet, ut ex ijs omnibus coalescat vir optimus, & præstantissimus.

13 MONET Præterea, Magnanimitatem ita se gerere cum alijs Virtutibus, ut in ipsarum materiâ præstare studeat, quidquid magnum est. Fortitudinè enim satis est intra suos fines subire terribilia, & aggredi pericula. Verùm ubi ea maxima sunt, accedit Magnanimitas, eaque despiciit, ac sublimi animo subeunda decernit. Temperantia dum se continet à voluptatibus, in ijsque mediocritatem servat, numeros officij sui explevisse videtur. Magnanimitas verò comitem se adiungit, ad frangendum spernendumque maximas cupiditates. Ideoque Aristoteles ipse lib. 3. Eudem. monet Magnanimitati esse strictam affinitatem cum Magnificentiâ, & gravitate; quatenus docet, Magnanimitatem ex-

tendi ad omne illud, quod in materia singularum Virtutum est magnum.

14 NOTAT Aristoteles non esse virò magnanimo dignum in incursum inimicorum potentiorum *πρὸ γὰρ κατακταῖν, fugam ob timorem arripere*, ut vertit Argyropilus: vel *fugere dimissis manibus*, ut interpretatur Lambinus. quo Latino adagio significatur apud Plautum, qui præ timore festinanter, & effusè currunt. Hoc autem alienum est à magnanimo viro: qui, si vegente necessitate aliquando fugit, in ipsa fuga decorum, & dignitatem retinet, ac præ se fert. ut de leone, animalium fortissimo, observat idem Aristoteles apud Giphanium, & Plinius lib. 8. cap. 15. ubi in leone laudatur illa *nobilior animi significatio, quod à qualibet magna canum, & venantium turba ingruente, resistat in campis patentibus, & ubi videri potest: idemque ubi virgulta pertravit, acerrimo cursu feratur*. Quâ comparatione Homerus lib. 7. exponit fugam Aiæcis, & leoni similem facit, ut exponit Petrus Victorius lib. 29. Variar. lect. cap. 2. Ratio verò Aristotelis, ne indecenter fugiat magnanimus vir, & ne alicui iniuriam faciat (hoc enim elogio insuper eum cohonestat) est, quod sublimi animo sit, & nihil magnum existimet, sive periculi, sive utilitatis. Unde & pericula despiciit, & bona fortunæ, quibus impelli solent qui indecenter fugiunt, aut iniuriam faciunt.

15 VNDE Infert nonnulla alia. Primum est, magnanimum virum non habere impedimentum ad probitatem, aut occasionem ut malus existat: quia, nimirum, exigua arbitratur omnia, quæ à Virtute avertere, vel in vitium abducere possent: ideoque ea, veluti nullius momenti, despiciit. Secundum, & coherens, rebus probè inspectis, & singulis Virtutibus ad trutinam expensis, videri stolidum, quicumque magnanimus apparere velit, cum verè improbus sit. Clausis enim, ut aiunt, oculis innotescet, illum alienum esse à Magnanimitate, quæ ceteras Virtutes, ac seipsam, statim in luce collocat, easque omnes splendidissimas reddit. Quare improbus ubi se magnanimum iactat, ne cæcos quidem fallere potest. Tertium est, eundem improbum toto cælo differre à magnanimo, cum ille indignus, hic autem dignissimus sit honore, qui soli Virtuti debetur, veluti præmium ipsius.

19 DENIQUE Infert, Magnanimitatem esse Virtutum omnium ornamentum, & eximium decus: quoniam eas meliores, ampliores, & longè illustriores reddit, dum in singulis earum id studet exequi, quod maximum, & præclarum est. Quare & Cicero eam Virtutem *splendissimam* dicit, & Pon-

Pontanus coronam ex optimis quibusque floribus intexam : aut quasi Danubium, vel Rhenum, fluviorum Europæ Reges, in quorum alveum, veluti ærarium, cæteri dilabuntur. Cùm verò talis, & tanta hæc Virtus sit, monet Aristoteles eam difficile parari, ac perpaucos hominum inveniri magnanimos: cùm rari sint qui obtineant καλοκαγαθίαν, *complexionem Virtutum omnium*, ut ipse loquitur *lib. 2. Magn. Moral.* Sine eâ autem Virtutum omnium complexione, nemo verè magnanimus est.

§. II.

Illustratur secunda pars capituli. Functiones propriae, sive officia magnanimi viri, tum in prosperis, tum & in adversis.

17 **C**IRCA Secundam partem disserit de actibus, sive functionibus, in quibus Magnanimitas versatur. Id ut exponat, docet materiam huius Virtutis esse duplicem: alteram veluti principem, & primariam, in honoribus & ignominia positam, ut supra dictum est: alteram secundariam, & consequentem, sitamque in opibus, potentia, & fortuna, tum prospera, tum adversa. Ac circa priorem quidem docet, magnanimum virum non nimium, sed moderatè lætari, ubi afficitur magnis honoribus, à probis & eximijs viris: veluti qui scit ea bona Virtuti deberi, & nullum impendi honorem ab hominibus, quo maiorem alium Virtus, præsertim eximia, non mereatur. Sola quippe Virtus condignum sibi præmium est, & *pulcherrima merces*, ut accinebat Claudianus. Verùm cùm magnanimus vir sciat, nullum sibi à mortalibus præmium recipi posse maius, quam honorem, illum libenti animo admittit, ubi honor magnus est. qualis profectò censeatur, qui à probatis & eximijs viris defertur. Si autem exiguus honor sit, qualem exhibent plebeij & vulgares homines ob potentiam, dominatum, divitias, aut elegantem formam, seu vultus maiestatem; vir magnanimus illum aspurnabitur, veluti longè inferiorem honore illo, qui Virtuti debetur. Consonat huic doctrinæ Cicero *lib. 16. Epist. epist. 6. ad Cæzonem*, à quo laudari gaudet, veluti probato, atque optimo viro. Et *lib. 5. Epist. 12. ad Lucetium* inquit: *Atque hoc præstantius mihi est, & ad lætitiâ animi, & ad memoria dignitatem, si in tua scripta pervenero, quàm in cætorum.* Achilles quoque apud Homerum *Iliad. a. Nestori* suadenti ut ab Agamemnone honores admitteret, respondet, nolle se præmia ab Agamemnone inimico & ignavo homine, sed à Iove dumtaxat recipere. Sicut autem vir mag-

nanimus contemnit plebeium honorem, & minorem iusto; sic & spernit ignominias: quoniam scit, in Virtutem eximiam, quâ ipse pollet, nullatenus cadere posse aliquid dedecus. Quare Socrates in *Critone* monet, in nullo pretio habendam reprehensionem, nisi eorum qui sapientia ac prudentia cæteris antecellunt. Legendus eâ de re Pontanus *lib. 2. cap. 1. de Magnanimitate.*

18 **HINC** Aristotel. procedit ad explicandos actus magnanimi viri circa materiam secundariam; nimirum circa bona externa fortunæ, aut etiam adversa quæque, & ijs contraria. In ijs igitur docet, virum magnanimum moderatè se habere, ut neque prosperitatibus insolenter turgeat, nec deprimatur calamitatibus. Quod probat argumento quasi à fortiori in hunc modum. Qui in maioribus bonis ac malis æquabiliter & moderatè se habet, multò magis putandus est in minoribus temperatè se habere. At magnanimus vir in maioribus bonis honoris, & malis ignominie, æquabiliter & moderatè se habet, ut probatum est. Ergo in minoribus bonis, & malis externis fortunæ putandus est temperatè se habere. Quippe ut maiora illa, sic & minora hæc, exigua secum animo reputat: ideoque nec in elationem, nec in deiectionem declinat. Vnde oritur, inquit Aristotel. ut magnanimi viri vulgò superbi, & contemptores habeantur: quoniam homines imperiti non discernunt verum à falso, nec Virtutem solidam bene distinguunt à vitio. Quod & idem Arist. illustrat *libello de Virtutibus*, ac præterea Cicero *lib. 1. de Officijs.*

19 **CONFIRMAT** Hoc ipsum: Quia prosperitas tam procul est ab extollendo magnanimo viro in fastum & superbiam, ut potius exinde ansam capiat proficiendi in eadem Virtute. Quippe ea externa fortunæ præsidia, ut nobilitatis, potentie, opum, pulchritudinisque, augent honorem illum, quo magnanimus vir seipsum prudenter dignum existimat: ac proinde augent Magnanimitatem, secundum quam ea omnia respicit, veluti Virtute minora & longè inferiora. Nimirum, ea corporis, & fortunæ ornamenta Virtuti addunt decus quoddam & honorem apud cæteros. Quò spectat illud Homeri de quodam:

Non ita formosum, venerandumve ante notavi

Vultu, namque vivi Regis forma illa videtur. Æneam pium & magnanimum virum, ipsa vultus maiestas, longè magis venerandum reddidit; præsertim ubi apud Virgilium legitur,

Os humerosque Deo similis. namque ipsa decoram

Cæsariem, & nato genitrix assarat honores.

Maximino Casari magnam conciliavit venerationem magnitudo ipsa corporis, & decor vultus. Iulianum Apostatam contra despiciabilem fecit exilitas, & humilis statura. Ac propinquas nostris sæculis, mirum est quantum dignitatis honorisque addiderit, non modo apud populares, sed eximios quoque sui temporis viros, Ioanni Pico Mirandulae Comiti, elegantia vultus, proceritas corporis, & denique incomparabilis pulchritudo, in viro rarissima: quam deprædicant, ut miræ sapientiae, ac Virtutum ipsius singulare ornamentum, nobiles Scriptores præsertim Angelus ille Politianus, quo nihil politius, argutiusve, hæc duo aurea sæcula tulere.

21 RATIONEM Verò, cur ea externa præsidia, & ornamenta honorentur, reddit Aristoteles, quoniam qui ijs præditi sunt, *ἐν υπερβολῇ*, in eminentia conspiciuntur. Eminent enim nobilis quisque obscuro, Princeps subdito, sapiens indocto, & dives pauperi. Quidquid verò eminent, seu antecellit, communiter censetur honore dignum. Ergo viri ijs externis ornamentis præditi, communiter censentur honore digni. Unde inferitur, magnanimum virum, si ea ornamenta adsint, non nihil amplius honorari, quam si desinet: nimirum, non solum vero honore, qui Virtuti debetur, & præcipuus est; sed etiam vulgari illo, qui externis ornamentis deferitur. Prospera igitur fortuna, ut paulo antè dicebamus, quoddammodo augendæ Magnanimitatis occasio est, quatenus auget honorem, qui est illius materia, sive pabulum. *Præterea*. Cum omnibus in confesso sit, gloriam esse Virtutis incitamentum, sive calcar, id conferet ad Virtutem augendam, quod est occasio augendæ gloriæ. Atqui externæ fortunæ præsidia sunt occasio augendæ gloriæ: quoniam sita est in communi hominum iudicio, & fama non vulgari alienæ excellentiæ, quæ crescit cum ipsis fortunæ ornamentis. Igitur externa fortunæ præsidia conferunt ad Virtutem, proindeque & ad Magnanimitatem augendam.

22 NEC Tamen hinc vult Aristoteles improbos homines in animum inducere, ut credant, se honore dignos existere, quod potentiâ, divitijs, aut alijs huiusmodi bonis ornati sunt. Non enim seorsim à verâ Virtute quemquam honorabilem reddunt: sed tantum eâ præsuppositâ honorem, & splendorem augent,

Quale manus addunt eburi decus, aut ubi flavo

Argentum Pariusvè lapidis circumdatur auro.

Ratio autem est, quoniam soli Virtuti tribuitur verus honor; cæteris autem non, nisi quatenus referuntur ad Virtutem, sive quatenus

sunt instrumenta, seu media Virtutis exercenda, aut condecoranda. Cum igitur in improbo nulla sit Virtus, quam exerceat, vel condecorare oporteat, condecoratum etiam est, ut neque verus aliquis honor improbo tribuatur, propter externa fortunæ præsidia. Fucatus itaque & evanidus est ille, qui sibi à vulgaribus, aut imperitis exhibetur; quemadmodum & ipse non revera, sed specie tenus magnanimus apparet, dum ijs bonis turgescit, inflatur, & alios despicit. Magnanimus enim licet caduca hæc, & fluxa despiciat, non facit id ex superbia, aut elevatione aliquâ: sed ex prudenti sublimique iudicio, & æstimatione Virtutis, quam cæteris omnibus iudicat superiorem. Itaque non habet locum apud magnanimum virum illud Platonis convitium, ad quendam specie tenus magnanimum, qui divitias quidem, & humana quælibet calcabat; sed alio fastu, & elatissimo supercilio. Magnanimus verò non extollitur, sed continet se intra moderationis menturam.

§. III.

Illustratur tertia pars capitis. Varia atque insignes nota, quibus discernitur magnanimus vir ab eo, qui pusillo atque abiecto animo est.

23 CIRCA Tertiam partem referet, expenditque notas magnanimi viri, seu proprietates: easque bipartito distribuit in duo genera: quorum primum eas complectitur, quæ Magnanimitati proveniunt ex comparatione cum alijs Virtutibus: secundum verò illas, quæ sunt intra materiam ipsius habitus. Priori generi, ex comparatione ad Fortitudinem, adscribit illam Magnanimitatis notam, quæ est in ordine ad pericula externa, & consistit in eo quod magnanimus vir non sit *μικροκύνδυνος*, id est, in parvis rebus periclitans, seu exiguorum causâ periculis se exponens: nec *φιλοκύνδυνος*, seu facile se obijciens periculis. Ratio est: quia nemo se obijcit periculis, nisi propter ea, quæ magna existimat. At vir magnanimus, quæ parva sunt non existimat magna; imò & quæ magna apud homines sunt, veluti parva despicit, ut probatum est. Ergo vir magnanimus non est *μικροκύνδυνος*, seu parvarum rerum causâ se obijciens periculis, aut facile ea suscipiens. Quare potius est *μαγαλοκύνδυνος*, id est, magnorum periculorum susceptor, sive pro magnis rebus, ut salute publicâ, Iustitiâ, aut Religione. Eidem generi accenset proprietatē aliam viri magnanimi: qui quoties pericula maxima subit se-

sequē discrimini committit, non id præstat frigidè, sed summo conatu, & vehementissima vi: non quidem in temeritatem abeunte, sed intra Prudentiæ fines consistente. Et ex ijs duabus notis dignosci posse ait magnanimum virum in materia Fortitudinis.

24 DEINDE Alias quinque proprietates magnanimi viri observat in materia Liberalitatis. *Prima* est, ex animo beneficia largiri; sed tamen non accipere libenter, quin potius cum rubore. *Secunda*, beneficia cumulatiùs compensare, quàm acceperit. Vult enim dantem maiori longè beneficio obstringere. *Tertia*, potius eos memoria retinere, quibus benefecerit, quàm à quibus accepit beneficia. Ratio est: quoniam magnanimus magis delectatur ex eo quòd sit maior, quàm ex illo capite, è quo minor est. At in eo quòd benefecerit, est maior, seu præminet recipienti: ex eo autem quòd receperit, inferior est, & minor. Magnanimus ergo maiorem delectationem capit ex eo quòd benefecerit, quàm quòd acceperit beneficium. Vnde & consequens est, vt magis recorderetur recipientis ab ipso, quàm dantis. quilibet enim magis recordatur eorum, quæ maiorem delectationem afferunt. *Quarta*, & cohærens præcedenti, libentiùs audire commemorationem beneficiorum, quæ in alios effudit, quàm eorum, quæ receperit: quoniam sic excellentiam suam præ oculis habet, quàm amat. Id Aristoteles illustrat duplici exemplo. Alterum petit ex Homero *Iliad. a.* vbi Thetis pro filio Achille Iovem deprecans contra Agamemnonem, non recenlet obsequia ipsi Iovi exhibita, ne magnanimum Iovem offendat eorum commemoratione, sed solùm leviter indicat, verbis illis, *ei wovè dè, &c.* id est,

*Si quid promerui de te bona sola tot inter
Magnos cœlicolas, sive est ea gratia verbis,
Seu factis impensa.*

Alterum exemplum petit à Lacedæmonijs, qui ab Atheniensibus auxilium contra Thebanos petierunt, non sua in Athenas beneficia commemorantes, sed ab ijs accepta, vt graviores essent preces. *Quinta* denique proprietas est, vix, aut ne vix quidem alicuius opem rogare, aut petere: suam verò libenter impendere alijs. Ratio est, quoniam magnanimus vir excellentiam suam amat, quæ videtur deprimi rogando, & splendet benefaciendo.

25 ADDIT Duas alias notas Magnanimitatis intra propriam ipsius materiam, petitas ab honore, & excellentia cui exhibetur honor. Quod vt rectè capiatur, præmittendum ex eodem Aristotele *lib. 4. Politic. cap. 11.* tres esse hominum gradus: supremum,

medium, & infimum. Eo verò supposito, præscribit modum, quo se habet vir magnanimus erga vnumquemque hominum gradum: ac primò circa eos, qui supremum obtinent locum, decernit, debere se ostendere magnum & excelsum: circa mediocres verò moderatum; circa infimos denique moderatiorem adhuc, & feliciorem. Itaque docet in summa, potius curandum viro magnanimo, vt cum summis, & primarijs viris excelso animo & sublimi se habeat, quàm cum mediocribus, aut infimæ, & abiectæ conditionis. Id autem dupliciter probat. *Primò*: quia Magnanimitas, sicut & aliæ Virtutes, potius versatur in difficili, & arduo, quàm in eo quòd facile est. At sublimem & excelsum animum ostendere cum summis, & primarijs viris, est valde difficile, & arduum: cum mediocribus verò & infimis, facile est. Ergo Magnanimitas, sive vir magnanimus, potius versatur in eo, vt sublimem, & excelsum animum ostendat cum summis, & primarijs viris, quàm cum mediocribus, & infimis. *Secundò*. Omnis Virtus, & præsertim Magnanimitas, potius inclinatur ad id quòd maioris dignitatis est, quàm ad illud quòd minoris. At maioris dignitatis est se magnum & excelso animo præditum exhibere cum magnis, quàm cum mediocribus, aut abiectæ fortunæ viris. Ergo Magnanimitas potius inclinatur ad exhibendum magnum & excelsum animum cum magnis, quàm cum mediocribus, & abiectæ fortunæ viris.

26 CONFIRMATVR. Quia alienum est à sublimitate, & splendore magnanimi viri, vt cum inferioribus se excelsum ostendat. Id enim perinde est, ac si robustissimus quis & valentissimus, cum imbecillo, & ignavo certare velit, & vires suas exerere. quod probrosum est. Quippe vir magnanimus, si cui, & superior viribus, se gerere debet erga inferiorem sicut leo: de quo Plinius *lib. 8. cap. 15.* inquit: Leoni tantùm ex feris clementia in supplices. Postratis patitur, & in viros citiùs, quàm in fœminas latuit: in infantes non, nisi magna fame. Nimirum, illius generosæ indoli satis est prævaluisse, & supplicem hominem, aut devictum notasse: vt Ovidius accinit illo carmine: *Corpora magnanimum satis est postrasse leonem.* Estque idoneum exemplum apud Iulium Cæsarem, à Giphaniò indicatum, quòd Hirrius Ptolomæum Ægypti Regem, quem captivum apud se habebat, Ægyptijs reddidit, vt cum eo, iam potentiore, & suis copijs instructo, splendidiùs præliaretur. Qui verò aliter faciunt, & cum inermibus, aut supplicibus longè maiores vires ostendunt, degenerant à magnitudine animi, & tubeunt notam illam, seu potius ironiam Iunonis apud Virgilium: *Na Egre,*

*Egregiam verò laudem, & spolia ampla re-
fertis,*

*Tuque, puerque tuus, magnum & memo-
rabile numen,*

*Vna dolo Divum si femina victa duorum
est.*

Consonatque illud Tibulli lib. 1. exprobran-
tis Cupidini:

*Quid tibi scève puer mecum est? an gloria
magna est,*

Insidias homini composuisse Deum?

27 NEC Tamen ex dictis hoc lo-
co ab Aristotele colligat quis, licere viro
magnanimo, ut cum primarijs & sublimibus
viris se iactet superbè, aut insolenter extollat.
Id quippe à verâ Virtute alienum est, & à do-
ctrina Philosophi. Solum itaque conceditur,
ut inter præstantes viros dignitatem quam re-
tineat, & pro temporis opportunitate osten-
dat; nec superari se patiatur ab ijs, qui sibi
superiores non sunt. Quin & interdum, ubi
recta ratio id exigit, inter claros & honora-
tos viros licebit ipsi aliquid gloriosum de se
referre, seu merita sua commemorare. Quod
exemplo suo probarunt optimi quidam Prin-
cipes, ubi ad tuendam dignitatem suam narra-
runt, & amplificaverunt interdum res à se gestas.
Talis fuit Iphicrates Imperator magnanimus:
qui, ut est apud Aristidem, Atheniensibus ob
columnam sibi impositam cum honorifica
inscriptione, ita gratias egisse dicitur: Vos
, fortasse, Athenienses, istam columnam, &
, in ea inscriptas litteras, quasi præclarum
, quiddam, & gloriatione dignum, à vobis
, mihi contigisse arbitramini. Mihi verò co-
, lumna cælum attingens in Peloponneso,
, virtutis meæ testis est constituta. Idem quo-
que sic alijs apud eisdem Athenienses
, gloriatus legitur: Si qualis ego sum, ta-
, les vobis fuissent septem Imperatores, de-
,serta iam esset, & inculta Lacedæmon. Ni-
mirum, quâcum Athenienses bellum gere-
bant. Aneas quoque apud Virgilium de se
ipso accinit: *Sum pius Aneas fama super
æthera notus.* Et tamen magnus, ac peri-
tissimus Vates non dubitat ipsum MAGNA-
NIMUM appellare, idque veluti ore ip-
so Iovis, cuius nomine pronuntiat ad Ve-
nerem:

*Magnanimum Aneam seis ipsa, & scire
fatervis*

Deberi cælo, satisque ad sidera tolli.

Cavendum tamen est maximè, ne absque ne-
cessitate, aut cum exaggeratione, vel iactan-
tiæ typho, suas quis laudes, aut merita alijs re-
ferat; nec, nisi præstantibus viris. quoniâ apud
inferiores, ut diximus, magnanimus vir non
debet se ostendere superiorem.

18 ALTERA Proprietas magna-
nimi intra propriam ipsius materiam obteu-
rè traditur ad Aristotele: verum iuxta va-
rias Turnebi, Lambini, Argyropili, Gal-
lucij, & aliorum Interpretum versiones, ex-
positionesque, videtur in eo sita esse, quod
vir magnanimus vitro non accedat ad hono-
ratos res, sive loca; neque ea appetat, ne
honoris cupidus appareat; qui solum ad-
mittere debet honorem sibi delatum. Alioqui
enim poterit pati repullam, quæ probro-
sa est.

29 SVNT Alie notæ magnani-
mi viri, quæ in apertum se proferunt, & dig-
nosci facilius possunt, quàm præcedentes. Ari-
stoteles numerat novem illarum. PRIMA in
eo sita est, quod vir magnanimus sit cessa-
tor, cunctator, & qui lento gradu procedat
in agendo: nisi tamen res maximi momenti
proponatur, & instet, ut honoris, aut cau-
sæ publicæ. Tunc enim non putat procrastina-
andum: sed sua ipsius excellentia impelli-
tur, & propensione ad eximium honorem, ut
rem executioni demandet. Cum verò res mi-
noris momenti, seu leves sunt, cunctatur,
& moras trahit: quoniam ita gravem virum
deceat. Redditque rationem Aristoteles: quo-
niam vir magnanimus non multa decernit
agere, sed pauca, eaque sublimia, & præ-
clara. In agendis verò rebus tanti momen-
ti, non tam celeritas, & impetus conve-
niens est, quàm consilium, & maturitas iu-
dicij. Gravius ergo & prudentius, quàm
celerius, ea geri oportet à viro magnanimo.

30 SECUNDA Proprietas est, ut
nihil occultè, aut ex simulatione agat: sed
palam proferat, aut odium, & inimicitiam
in alium, aut amorem, & benevolentiam,
Rationemque assignat: Quoniam occultè,
aut simulanter agere, sit proprium hominis
formidantis, seu timidi. At vir magnanimus
nihil habet, quod sit hominis formidan-
tis, aut timidi. Non ergo vir magnanimus
quidquam occultè, aut simulanter agit. Ac-
cedit quod ille admodum verax sit: ac proin-
de nihil fictè agat, sed quod verum putat,
factis & verbis exponat, nulla habitâ ra-
tione opinionis aliorum. Non enim tam
exoptat bonus videri, quàm esse: ideoque
est *παρρησιαστικός*, sive in loquendo liber.
Tales fuere inter Romanos Cato, & apud
Athenienses Phocion; ideoque celebrantur à
Plutarcho. Talem quoque se gloriatur Ci-
cero in *Epistol. familiar. lib. 9. ad Patrum*:
& ita fieri debere docet idem *lib. 1. Offic.*
Achilles ille magnanimus, simplex & apertus
decantatur ab Euripide, & Homero *lib. 9. Iliad.*
Tribuitur quoque laus eadem Alexandro
Magno, qui ingenuus & sine dolo aliquo
se dicitur; proindeque longè alius à parente
100

suo Philippo, quem abdito fuisse ingenio, & sinus arcanos habuisse, litteris proditum est.

31. VBI Occurrit dubitandum, an ex mente Aristotelis, aut re ipsa, liceat magnanimis exercituum Ducibus, sive Imperatoribus, uti insidijs artibusve, quibus celent arcana, & aliud verbis, aut facto ostendere, quam in animo habeant. Videtur enim id negare dum docet, magnanimi viri esse nihil retinere occultum, & pectus suum in apertum proferre. Quod & multis persuasum fuit. nam Achæi apud Polybium *libr. 13.* arbitrati sunt, nullam esse dignam laude victoriam, nisi quæ ex pugna manifesta habetur, absque vlla fraude, aut dolo. Additque Romanos raro ijs artibus usos. Ratio quoque videtur suffragari duplex supra expensa eiusdem Arist. quod id sit argumentum formidinis, & mendacij, à quibus longè abest magnanimus vir.

32. DICENDVM Tamen est, licet magnanimis viris, exercituum Imperatoribus, in bello uti ijs stratagematis, quæ procul sunt ab iniustitia, iniuria, & mendacio. Quod non solum exemplo suo probârunt magni illi Heroes, & Duces Israelitici populi, sed & inter Ethnicos ij, qui magnanimi vulgò audierunt: ut Alexander, Scipio, Cæsar, Quintus Fabius Maximus, & nonnulli alij. Ratio quoque id evincit, quasi à priori: Quoniam homo natura sua rationalis, ac liber est: proindeque non debet omnia in prospectu habere, instar belluarum, quæ nihil arcanum servant: sed potest iure, ac merito consilia sua celare, quoties id valeat iniustitiâ & mendaciò, expeditque ad obtinendum finem rationi conformem. Ergo in ijs circumstantijs poterit quilibet. Dux, vel Imperator magnanimus uti stratagematis, & astu militari. In hoc enim non mentitur, cum non dicat aliquid contra mentem: sed solum amphibologiam vitur, aut facto dubio & ancipiti; idque, urgente necessitate, & in ordine ad rectum finem, ac rem magni momenti. Nec præterea formidinis notari potest: quoniam id non operatur ex metu, sed ex desiderio victoriæ, in quâ magnam sibi gloriam appetit, simul & Reipublicæ suæ decus. Ex quibus solutæ manent rationes dubigandi in oppositum.

33. TERTIA Est, magnanimum virum non posse, seu non pati esse in alterius potestate, eiusque nutum observare. Ratio Aristotelis est, quod viri magnanimi nullatenus sit ferre, aut tolerare vitam abiectam, & servilem. Atqui potestati alterius subiacere, eiusque nutum observare, est vita abiecta & servilis: ut patet in scurris, parasitis, assentatoribus, alijsque vilis, & despicibilis

genij hominibus, qui totius vitæ suæ institutum, & motus omnes, ad alterius voluntatem effingunt, & adaptant, instar Lesbæ regulæ. Ergo viri magnanimi nullatenus est potestati alterius subiacere, eiusque nutum observare. Quod & docet *lib. 1. Politic. cap. 3.* atque præterea indicat *lib. 1. Metaphysicæ*: ubi eandem scientiam ideo cæteris omnibus præfert, quod nulli alteri ancilletur, sive deserviat. Achilles quoque magnanimus apud Homerum Agamemnonis, imò & mortalium omnium dominatum recusat, ut iuxta illud Horatij monitum, *Iura neget sibi nata, nihil non arroget armis.* Nec verò proinde licet viro magnanimo contemnere leges, & iura. Id enim alienum à Virtute est, ut patet, observatque Cicero *lib. 1. de Offic.* Solum itaque abiicit dominatum illum, qui verè deprimit sublimitatem animi, & dignitati ipsius contrarius est. Excipit tamen Aristoteles siquis ad amici alicuius, aut necessitudinis vinculo constricti, arbitratum se componat. Id enim liberale videtur, Virtuti que consentaneum, & nullo modo servile: cum non ex vi illata, sed ex spontaneo & honesto amore procedat.

34. QVARTA Proprietas magnanimi consistit in eo quod non sit θαυματολόγος, admirator, seu facilis ad admirandum res illas, quæ singulares, sumptuosæ, aut eximie habentur. Ratio autem oritur ex ijs, quæ initio constituimus, & sub hac formula præstringi possunt. Illa solum admiramur, quæ magna apparent, & sublimiora cæteris omnibus, quorum notitia in nobis præcessit. Atqui magnanimo viro nullæ res externæ apparent magnæ, nec sublimiores, ijs, quarum notitia in mente præcessit. Quippe quælibet res externæ magnanimo viro exigua videntur, præsertim facta comparatione ad Virtutem longè sublimiorem, cuius notitiam in mente habet. Ergo viro magnanimo nullæ res externæ admirationem pariunt. Id itaque vulgare, & imperitorum hominum est, admirari superba ædificia, insanas opes, & pretiosa quæque, ac rara in palatijs Regum, ac potentum hominum: quoniam, cum pusillo animo sint, ea magna reputant. Vir autem magnanimus, qui de vna Virtute, eaque eximia, & solitam menturam supergrediente, putat sublimiter existimandum esse, cætera omnia, veluti inferiora, & caduca despicit: ideoque nihil eorum admiratur. Insedit hæc eadè doctrina Stoicis, & confirmat suffragio suo Seneca pluribus locis.

35. QUINTA Est, iniurias ab alio irrogatas facile oblivisci, nec velle in memoriam revocare. Ratio est: Quia magnanimus vir amat honorem & excellentiam, ac proinde

de odit quæ utriusque contraria sunt. Ergo quemadmodum delectatur cogitando honorem excellentiamque, sic etiam moleste fert, nec facile admittit recordationem iniuriarum, quæ sunt honori & excellentiæ contrariæ. Unde & consequens est, ut earum obliviscatur. In qua re præclarum est apud Ciceronem exemplum in Iulio Casare: qui cum adeo felici memoria præditus esset, ut oblivisci nihil posset; solum iniurias obliviscatur, & æterna oblivitione delebat. Sunt & in alijs viris magnanimis exempla eiusmodi.

36 SEXTA, Non esse ἀνθρώπου λόγος, id est, ut colligitur ex ipso Aristotele, facilem ad se laudandum, aut vituperandum alios. Ratio prioris partis est, quod vir magnanimus nihil superbiæ aut arrogantiæ habeat: ac proinde nec facilis sit ad prædicandum merita sua. Ratio posterioris est: quoniam appetit honorem eximium. Honor autem eximius non est, sed exiguus, imò & nullus, qui fortè habetur ex vituperatione, seu depressione aliorum. Et certè pusilli atque ignobilis animi est, & prorsus diffidentis de Virtute partâ, velle ex aliorum dedecore comparare sibi honorem & excellentiam. Hoc autem procul est à viro magnanimo, qui in Virtute altissimas radices misit, & honoris sui fundamentum solidum habet, longeque sublimius, quam ut ex aliorum vituperatione & depressione extollatur.

37 SEPTIMA, Patientem esse, ac tolerantem in earum rerum indigentia quæ vitæ humanæ necessaria sunt. Unde nec sollicitus est nimium in ijs quærendis, nec facile cõqueritur muliercularum instar, aut alios rogat, ut succurrant, vbi aliquid deest. Ratio est, quoniam eiusmodi sollicitudo, & anxietas, est eorum dumtaxat, qui in rebus externis aut habendis, aut augendis, potissimum operam suam ponunt. Cum igitur magnanimus vir in alijs longè excellentioribus, & verè amore dignis, studium suum & conatum adhibeat; consequens est, ut rerum inferiorum, quæ vitæ humanæ deserviant, nulla sollicitudine, aut anxietate teneatur.

38 OCTAVA, Ex rebus externis malle splendidas & elegantes, quam viles. Itaque magnanimus vir potius vult possidere hortos, tabulas, statuas, equos, servos, comitatum, satellitiumque splendidum, quam vineas, agros, pecunias, & alia huiusmodi. Ratio est: quoniam suis contentus est bonis: ac proinde non amat bona externa, quæ utilitatem pariant, & fecunda aliorum sint: sed splendida, quæ ad decus & splendorem suæ domus conferant, quamvis sterilia, & infructuosa.

39 NONA Proprietas denique est magnanimi viri, ut eius motus, sive incessus, non sit celer, sive concitatus; sed gravis: vox

non acuta, sed grata: oratio non varia penes festinantem & tardam, sed constans & eiusdem tenoris. Ratio primi est, quoniam vir magnanimus, ut supra dictum est, paucitolum gerenda suspicit, eaque gravis momenti. Ergo oportet ut non festinanter aut concitato motu incedat, sed gravi. Ratio secundi, quia acuta & clamorosa voce solum vivunt, qui realiquam obtinere volunt, quam magnam existimant. At vir magnanimus nihil earum rerum existimat magnam. Ergo neque est concitatur acuta & clamorosa voce. Ratio tertij ferè eadem est: quoniam variatio orationis, seu inæqualitas, denotat in aliqua illius parte esse maiorem conatum & anxietatem circa quidquam obtinendum, veluti magnum & pretio dignum. quod procul est à magnanimo viro, dictum iam est. De quibus omnibus audire oportet Ciceronem lib. 1. *Officiorum*, cuius verba circa gestum & orationem magnanimi viri, seu prudentis & probi, loco commentarij esse possunt: Statio, inquit, incessus, seisio, accubatio, vultus, oculi, manuum motus, teneant illud decorum. Quibus in rebus duo sunt maxime fugienda: nequid effeminatum aut molle, nequid durum aut rusticum sit. nec verò histrionibus oratoribusque concedendum est, ut ijs hæc apta sint, nobis dissoluta. Et quoniam magna vis orationis est, eademque duplex; altera contentionis, altera sermonis; contentio disputationibus tribuatur iudiciorum; sermo in circulis, disputationibus, congressionibus familiarium versetur; persequatur etiam convivia. Sed cum orationis indicem vocem habeamus, in voce autem duo sequantur, ut clara sit, ut suavis; utrumque à natura petendum est. verum alterum exercitatio auget; alterum imitatio præse loquentium, & leniter. Hactenus Cicero.

§. IV.

Illustratur quarta pars capituli. Exponuntur vitia Magnanimitati contraria, exponuntur, & comparantur inter se.

40 CIRCA Quartam partem differit Aristotel. de vitijs Magnanimitati contrarijs: quorum alterum pusillanimitas dici solet, & opponitur eidem Virtuti per defectum: alterum inflatio, sive tumor animi appellatur, & per excessum peccati exorbitatque à medio rationis. De his igitur duobus vitijs docet, quemadmodum capite præcedenti pronunciaverat de duobus alijs Magnificentiae oppositis, non esse probrosa aut flagitiosa; sed solum aberrantia à medio, seu præscripto rationis. Ratio quoque eadem

ferè est: Quoniam sicuti ibidem dictum fuit de lordiditate & modicitate, sic etiam modo existimari debet, pusillitatem aut elationem animi non asserere nocentem alijs, aut maleficium, nec continere improbitatem, sed totum deviationem quandam a præscripto Virtutis. Ideoque quotquot aut angusti animo sunt, aut etiam elati, non censentur scelesti, sed *magis peccantes, sive aberrantes à medio.*

41 **PORRO** Pusillum animo peccare, quamvis non multum, probat quatuor rationibus. **PRIMA** est: Quia proculdubio peccat, qui iniustus quoddammodo est erga seipsum. At pusillus animo est iniustus quoddammodo erga seipsum. Spoliat enim se debitis & iustis honoribus. Ergo pusillus animo, proculdubio peccat. **SECUNDA**. Qui recusat honores sibi debitos ex pusillitate animi, videtur ansam præstare alijs, ut existiment ipsum vitij & criminibus occultis obstrictum, ideoque conscientie sue testimonio indignum honoribus. Atque eiusmodi ansam præstare alijs, malum aliquod & culpa est. Ergo recusare honores sibi debitos ex pusillitate animi, malum aliquod & culpa est. Ex pusillitate, inquam, animi. nam si ex alio iusto aut superiori motivo fiat (ut sæpe fit ab optimis & Christianis viris) laudabile est: neque ansam eius existimationis pravæ apud alios præstat, sed solum permittit ex iustâ causâ. **TERTIA**: Quia vitiosum & turpe est ignorare seipsum, sive nescire dignitatē propriam: ut videtur notum, & docet Plato in Philæbo. At qui pusillus animo est, videtur ignorare seipsum, seu nescire dignitatem propriam. Ergo qui pusillus animo est, videtur quadamtenus vitiosus & turpis. **QUARTA**. Turpe & rationi adversum est, ut quis ex pusillitate, seu demissione animi, aut desidia quadam, se inutilem præstet publicis rebus præclare gerendis. At qui pusillo animo est, se inutilem ijs præstat. Neque enim suscipere vult Magistratus, munia publica, & honores, in quibus posset præclara multa gerere. Turpiter ergo & contra rationem agit. Quod & iuxta moderationem, seu sensum paulo antè notatum, accipi debet: ne dum Magnanimitati studemus, petum dare aut minus dignè existimare videamur de Christianâ modestiâ & humilitate: iuxta quam laudabile est recusare ex altiori fine honores, & dignitates; nisi forte utilitas publica, sive necessitas id exigat

ab homine probò, & verò digno. Alioquin ferendum illud monitum S. Gregorij Magni, tot Christianorum Heroum exemplo confirmatum. *Virtutibus pollens, coactus ad regnum veniat. Virtutibus vacuus, ne coactus quidem accedat.* Habendumque præ oculis terribile illud monitum S. Scripturæ comminatione plenum: *Potentes potenter tormenta patientur, & durissimum iudicium ijs qui præsumunt alijs.* Legendus S. Thom. 2. 2. q. 133. per totam, ubi de pusillanimitate disputat.

42 **ELATVM** Verò, seu præsumptuosum, aut ambiciosum, peccare per excelsium sive exuperantiâ a medio Magnanimitatis, probat dupliciter. **PRIMO**: quia plus sibi dignitatis tribuit, quam vere habeat: ideoque honores ambit ultra mensuram debitam. Hoc autem proculdubio malum est, & rationi contrarium. **SECUNDO**: Quia videtur seipsum ignorare, & stolidus esse, dum de se existimat, sive sentit sublimius de Virtute tuâ, quam par esset. Quod & non obscuris indicijis ostendere elati solent, præsertim insolenti vestitu, atque inverecundâ suarum laudum prædicatione. Spectat huc illud Senecæ 2. de Benef. cap. 27. *Ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, qua quondam eius fuit impudens votum.*

43 **SI** Autem comparatio inter utrumque vitium instituat, existimat Arist. pusillitatem animi magis contrariam esse Magnanimitati, & adversam rationi, quam elationem seu præsumptionem. Ratio prioris partis est: quoniam magis pugnat cum appetitu magnorum honorum, in quo Magnanimitas versatur. Ratio posterioris est, tum quoniam pusillitas animi magis serpit in humanum genus: cum plures homines ob paupertatem, & vitæ ærunnas, abiectio & pusillo animo sint, quam elati ob prosperam & lenocinantem fortunam. Tum etiam, quia reddit homines prorsus inutiles Reipublicæ, cum eos deterreat à gerendis publicis muneribus, quibus Reipublicæ bono consulitur, & præstet ansam quoddammodo ut intestinorum scelerum rei habeantur, quamvis eorum expertes sint.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 129. 130.

131. 132. 133. & illius

Interpretes,

(***)

(?)

CAPVT QVARTVM.

De modestia, eiusque extremis.

EST Etiam circa honores, vt antea diximus, & alia quædam virtus, quæ quidem perinde sese habet ad animi magnitudinem, atque sese habet ad magnificentiam liberalitas. Hænanque virtutes ambæ à magnitudine quidem discedunt: circa verò mediocria, parvaque nos, vt oportet, disponunt. Atque vt in capiendis, dandisque pecunijs mediocritas est, & nimium atque parum, sic & in honorum appetitione fit, vt magis, quàm oportet, & minus, & vnde oportet, & vt oportet, appetantur honores. Reprehendimus enim & ambitiosum hominem, atque honoris appetitione vacantem: illum, quia plus, quàm oportet, & vnde non oportet, honorem appetit: hunc, quia ne ob res quidem honestas honoribus affici vult. Interdum autem illum, tanquam virilem, & rei cupidum pulchræ. Interdum hunc, tanquam moderatum, modestumque laudamus: quemadmodum & antea diximus. Constat autem cum pluribus modis quispiam alicuius cupidus rei dicatur, non ad idem nos semper ambitiosum ipsum referre: sed cum laudamus, ad plerosque, quia magis, quàm plerique, honores cupit. Cum reprehendimus, ad id, quod oportet, quia magis, quàm oportet, honores affectat. Cum autem nomine mediocritas vacet, contendere de ipsa, tanquam regione vacua, videntur extrema. In quibus verò nimium est, atque parum, in ijs est & medium. At honores & magis, quàm oportet, affectantur, & minus: ergo fit vt affectentur, & vt oportet. Laudatur igitur hic habitus, quo, vt oportet, affectantur honores, cum sit mediocritas circa honorem nomine vacans. Atque ad ambitionem quidem vacuitas appetitionis honoris, ad vacuitatem autem appetitionis honoris ambitio. Ad vtrumque autem vtrumque quodam modo esse videtur. Quod quidem & in cæteris esse virtutibus constat. Extremi autem hîc opponuntur, quia mediolum est positum nomen.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Esse quandam Virtutem circa honores respondentem Magnanimitati, sicut Liberalitas respondet Magnificentia circa sumptus. Eam proprio carere nomine (quamvis apud Latinos Modestia communiter dicatur) & versari circa honores exiguos. Quibus vitijs extremis interiecta sit.



PERGIT Arist. ad exponendum aliam Virtutem, proprio nomine carentem, quæ tamen communiter Modestia dicitur, & perinde se habet ad Magnanimitatem, sicut Liberalitas ad Magnificentiam. Sicut enim Liberalitas non versatur in magnis, sed in mediocribus aut parvis bene afficit animum; ita & Modestia. Dividitur autem caput in tres partes. In primâ proponitur materia, sive argumentum de quo agitur. In secundâ assignantur rationes ut aliqua Virtus sit circa parvos aut exiguos honores. In tertiâ deniq; exponitur illius mediocritas & extrema vitia.

2 CIRCA Primam partem statuit, quandam esse Virtutem in honoribus versantem, & eo modo correspondentem Magnanimitati explicatæ superiori capite, sicut dictum est cap. 2. Liberalitatem in ordine ad Magnificentiam se habere. Quod ferè sic probat. Ita se habet Liberalitas, ut conveniat in materiâ cum Magnificentia: nimirum, in tractandâ pecuniâ: verum eo inter utramque discrimine, quod Magnificentia solum inclinât ad sumptus pecuniæ magnos & splendidos; Liberalitas verò ad parvos, seu mediocres tantum. Ergo oportet quandam aliam Virtutem esse, quamvis proprio apud Græcos nomine carentem, quæ eodem modo cum Magnanimitate comparatur. Proindeque cum illâ conveniet in eadem materiâ: nimirum, in honoribus. Diversitas autem erit in eo, quod Magnanimitas solum versetur in magnis honoribus; hæc verò Virtus innominata, quam communiter Modestiam dicimus, versetur dumtaxat in honoribus mediocribus & parvis. Quare, quemadmodum Liberalitas ad mediocres parvosque sumptus animum inclinât, & continet à magnis; ita & Modestia animum moderatur in mediocribus exiguisque honoribus appetendis, frænât autem à magnis.

3 CIRCA secundam partem id ipsum probat duplici argumento: nimirum, oportere ut sit Virtus aliqua in parvis & mediocribus honoribus occupata: Quia ubicumque in materiâ certâ ac determinatâ morum defectus aut excessus esse potest, ibidem oportet esse Virtutem aliquam peculiarem, quæ inclinât animum in mediocritatē inter defectum & excessum. Atqui in appetendis aut respiciendis honoribus, tum mediocribus, tum &

exiguis, defectus & excessus esse potest. Ergo oportet esse Virtutē aliquam peculiarem circa expetendos aut respiciendos honores, tum mediocres, tum & exiguos. quæ profectò Virtus consistet in studio honoris moderato. Maior patet ex dictis lib. 2. cap. 2. & 6. atque ex ibidē traditis probari & multipliciter exornari potest.

4 MINOR Autem, sive assumptio, suadetur dupliciter. PRIMO à pari pecuniæ mediocris & parvæ, quam vir liberalis largitur, accipit, aut retinet. In largitione enim, acceptione, & retentione pecuniæ mediocris aut parvæ, excessus aut defectus esse potest quia potest quis largiri, accipere, aut retinere, plus aut minus quam oportet, & quando, & ubi, & quomodo non oportet. Atqui etiam potest quis mediocres, vel exiguos honores appetere, vel odisse, plus aut minus quam oportet, & quando, & ubi, & quomodo non oportet. Ergo & in appetendis respiciendive honoribus mediocribus atque exiguis, excessus aut defectus esse potest. Nimirum, potest enim quis mediocres aut exiguos honores appetere plus quam oporteat, & ex ijs rebus, ex quibus non oporteret honorem querere, & eo modo quo non oportet, nec præscribit recta ratio. Potest è contra respicere vel minus appetere honorem, quam par sit, aut non appetere unde appetendus merito esset, quales sunt res honestæ, seu Virtutes, quibus debetur honor.

5 SECUNDO Minorem eandem, sive assumptionem probat à communi loquendi usu, quo vir honoris appetens cognominari solet φιλότιμος, Latine honoris amans: & nunc quidem in bonam, nunc in malam partem, prout bene aut malè honorem appetit, vel contemnit. Vituperamus enim ob defectum, quæries quis respicit mediocrem aut exiguum honorem quando & quomodo non oportet; similiter & cum plus iusto illum appetit, arguimus illum & vituperio dignum censemus, propter excessum. Ergo quia verè in appetendis respiciendive honoribus mediocribus & exiguis excessus aut defectus esse potest. Quare oportet esse Virtutem aliquam, quæ inclinât ad eos honores appetendos mediocritate quadam inter excessum & defectum, ac proinde non aliter quam exigit recta ratio.

6 MONET Autem, ex errore aut ignorantia hominum oriri, ut ambitioni homines, sive plus nimio honorem appetentes, cen-

feantur animosi; seu virili animo præditi: contra verò, qui omnes honores contemptui habente, & repudiant, existimantur modesti. Id enim non aliunde, quàm ex ignoratione, seu non iustâ rerum æstimatione, oritur: quoniam priores verè peccant exuperantiâ appetendi bonorem; posteriores autem defectu. Id quod etiam in extremis Eutrapeliæ accidit ex errore vulgi, vt infra cap. 8. apparebit.

7 CIRCA Terciam partem exponitur ampliùs mediocritas huius Virtutis, & extrema ipsi opposita. Quod vt edisserat, præmittit, eam nomine proprio carere, instar earum regionum quæ domino carent, & desertæ sunt. De harum verò possessione dominoque vicinæ regiones altercantur & pugnant, arbitantes debere esse sub ditione occupatis. Quare nunc in vnus populi, nunc in alterius potestatem veniunt. Simili itaque modo evenire ait huic Virtuti innominatæ: cuius mediocritas, veluti regio quædam deserta, ab extremis circumiacentibus invaditur: & nonnumquam videtur occupari ab vno, nonnumquam ab alio. Dictum quippe est nuper, tam excedentem in appetitu honoris, quàm deficientem, errore vulgi existimari solere præditum Virtute hac. Vnde vnumquodque è vitijs extremis videtur terminos, huius innominatæ Virtutis, veluti cuiusdam desertæ regionis, invadere.

8 VERVM Oportet iniquo invalore deiecto, habitum hunc inducere in possessionem. Licet enim proprio nomine careat, est vera & solida Virtus. Quod probatur facile: tum quia mediocritatem quærit inter extrema vitiosa, ambitionis honorum ex vnâ parte, & contemptus ex aliâ: tum etiam, quia ab omnibus laudatur quicumque mediocriter se habet

circa appetentiam & fugam honorum. Vtrumque autem est signum peculiaris alicuius Virtutis moralis. Habitus ergo, qui eam mediocritatem quærit, & laudem eiusmodi meretur, est peculiaris aliqua Virtus moralis.

9 ADDIT Verò, eiusmodi habitum, si conferatur cum ambitione, quæ est extremum per exuperantiâ peccans, videri profus carentem affectu sive desiderio honoris: si autem conferatur alteri extremo contemnendi omnem honorem, quo delinquitur per defectum, apparere ambitionem. Nimirum, ea generalis Virtutum moralium conditio est, vt vnaquæque earum alteri extremo comparata subeat similitudinem alterius extremi. Sic fortis comparatus timido apparet temerarius: si autem temerario conferatur, videbitur timidus. Sic & liberalis instituta comparatione cum avaro, speciem prodigalitatatis refert; cum prodigo autem avaritiæ. Quo ipso suadet denuò, Modestiam etie, instar Fortitudinis, Liberalitatis, aliorumque habituum, Virtutem moralem: quoniam eius mediocritas alteri extremorum comparata similitudinem exhibet alterius extremi.

10 SVBDDIT Deniquè, vitia extrema, nimia cupiditatis honorum, & contemptus eorundem, videri inter solùm contraria, & nullatenus contraria medio. Quod docet, non quia verè non opponantur ipsi medio vitique interiecto; sed quia cum medium careat proprio nomine, plerisque hominibus ignotum est. Quod autem homines non agnoscunt, pro nullo ab ijs habetur, ideoque nullam oppositionem habere censetur cum aliquo alio.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 160. 161. 169. & illius Interpretes.

CAPVT QVINTVM.

De Mansuetudine, eiusque extremis.

M

ANSVETVDO Est quidem mediocritas circa iram. Ac cum medium, & extrema ferè nomine vacent, ad medium quidem mansuetudinem ipsam adducimus, cum ei, quod est parum, & nomine vacat, propior sit, quàm nimio: quod iracundia quædam dici potest. Etenim affectus quidam est ira. Ea verò, quæ ipsam efficiunt, multa sunt, & diversa. Is igitur, qui pro quibus, & quibus oportet, & vt oportet, & cum

cùm oportet, & quanto in tempore oportet, irascitur, laudatur. Estque hic mansuetus, siquidem laudatur ipsa mansuetudo. Mansuetus enim, ac mitis, perturbatione vacare, & non ab affectu duci, sed pro his, & tanto in tempore irasci solet, perinde atque ratio iubet. Peccare autem circa defectum magis videtur. Non est enim vindex ipse mansuetus, sed potius clemens, & ad veniam propensior dandam. Defectus verò siue sit quædam iræ vacuitas, siue aliquid aliud, vituperatur. Qui nanque non irascuntur pro quibus oportet, & ut oportet, & cùm oportet, & quibus oportet, fatui sunt. Nam neque sentire, nec dolere videntur. Atqui qui non irascitur, non est aptus ad vlciscendum. Perferre autem contumelias, & suos negligere, servile est sanè. Exuperatio verò per omnia quidem fit. Nam fit & in quibus non oportet, & pro quibus non oportet, & magis, & velocius, & maiore in tempore, quam oportet. Non tamen vniversa eidem insunt: quippe cùm esse non possit. Malum enim, & se ipsum perdit: & si integrum sit, intolerabile fit. Iracundi igitur citò quidem irascuntur, & quibus non oportet, & magis, quam oportet. At citò desistunt; quod quidem & optimum habent. Hoc autem ideo fit, quia non detinent iram, sed reddunt. Idcirco & manifesti sunt ob celeritatem: deinde cessant. Exuperatione autem sunt celeres, & ad quidvis, & pro quovis iracundi, qui summæ sunt bilis. Vnde & summæ bilis homines appellantur. Amari autem cum difficultate placantur, & longo tempore sunt sub ira: detinent enim ipsam, sed ubi reddiderint, cessant. Ultio nanque ponit iræ modum, pro dolore voluptatem efficiens. Quod si hoc nō fiat, habent ipsum pondus. Etenim quia non est manifestū, nemo persuadet ipsis. Ut in se autē concoctio fiat iræ, tempore opus est. Sunt autem tales homines & sibi ipsis, & amicissimis permolesti. Infensos autem eos dicimus, qui pro quibus non oportet, & magis, quam oportet, & longiore tempore irascuntur, sineque vltione, vel pœna, non reconciliantur. Mansuetudini autem magis exuperationem opponimus. Fit enim magis: quippe cùm humanius sit punire: & ipsi infensi difficiliiores sunt ad vitam simul agendam. At enim (quod & antea dictum est, & ex ijs, quæ dicuntur, emergit) non est facile determinare, quonam modo, & quibus, & pro quibus, & quanto tempore irascendum sit, & quousque iratus, rectè faciat quis, aut peccet. Qui nanque parum transgreditur, non reprehenditur, siue ad id, quod est nimium, declinet, siue parum. Nonnunquam enim deficientes laudamus, mansuetosque vocamus: & ipsos infensos, tanquam aptos ad dominandum, viriles dicimus esse. Facile igitur non est assignare ratione, quantum, & quomodo quispiam egressus vituperandus

us est. In singulis enim & sensu, iudicium est. Illud tamen est manifestum, medium quidem habitum (quo quibus oportet, & pro quibus oportet, & ut oportet irascimur, & simili modo de cæteris) laudabilem esse: extrema verò vituperantur. Atque si parum distent à medio, leviter: si plus, magis: si nimum, vehementer carpenda sunt. Constat igitur habitum medium comparandum esse, ac amplectendum. Sed de habitibus, qui sunt circa iram, satis iam diximus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Mansuetudinem esse mediocritatem circa iras, carentem proprio nomine sicuti & vitia extrema ipsi contraria: quorum tamen alterum ὀργιλότης, iracundia, alterum ἀργησία, lentitudo dici potest. Virtutis eiusdem ac vitiorum multiplex comparatio: & quatenus virum mitem irasci deceat.



HOC Loci sermo est de Mansuetudine, quæ est mediocritas quædam inter irarum extrema. Dividitur caput in quinque partes. In prima præmittitur, esse mediocritatem & extrema circa iram. In secundâ traditur, quisnam sit verè mansuetus, sive lenis. In tertiâ assignantur extrema opposita Mansuetudini. In quartâ eadem extrema diversimodè comparantur mediocritati interiectæ. In quintâ denique præscribitur regula, quo loco, ac tempore, & quatenus irasci oporteat.

2 **CIRCA** Primam partem observat, Mansuetudinem esse quidem mediocritatem inter extrema: verum tam medium ipsum, quàm extrema quibus intercipitur, proprio nomine carere. Quod ideo dicit, quia licet medium illius apud Græcos nominetur *ἡσυχία*, *mansuetudo*, nomen tamen proprium non est. Mansuetudo enim, si ad proprietatem nominis attendamus, solum significat lenitatem quandam animi nunquam irascentis. Medium autem Virtutis moralis circa iras, non in eo positum est, ut nunquam irascamur: sed in eo quod irascamur quatenus, & quomodo, & quando oportet. Ergo nomen *ἡσυχία*, id est, *mansuetudo*, non est proprium ad significandum medium Virtutis moralis circa iras. Cæterum adhuc utimur eo nomine Græco, & Latino ipsi correspondente: quoniam habitus medius circa iras, videtur potius propendere ad defectum, quàm ad exuperantiam. Quare cum proprium nomen adinventum non fuerit, utimur illo *ἡσυχία*, *mansuetudinis*, veluti aptiori cæteris omnibus, quorum vnum habeamus.

3 **EXTREMA** Quoque proprio carere nomine observat, quoniam ὀργιλότης, iracundia,

qua significatur excessus, non solum habet vim significandi exuperantiam iræ; sed etiam facultatem ipsam naturam insitam ad irascendum, quæ *irascibilis* communiter dicitur. Nomen autem quod duo aliqua indifferenter significat, neutrius eorum proprium est. Similiter & alterum extremum peccans per defectum, aut proprio carere nomine. Siquid enim utrumque illud explicare Græcè potest, est ἀργησία, Latine *lentitudo*, ut habet Cicero, seu iræ vacuitas. At neque hoc nomen proprium est, cum non solum significet defectum mediocritatis circa iras, sed etiam facultatis naturalis irascendi, quam irascibilem communiter dicimus. Cæterum cum alia vocabula non inveniuntur aptiora, ijs utimur: & mediocritatem eius Virtutis dicimus Mansuetudinem: excessum, iracundiam: defectum verò, lentitudinem, seu vacuitatem iræ.

4 **CIRCA** Secundam partem determinat, Mansuetudinem in mediocritate consistere: idque dupliciter probat. PRIMO generali ratione: Quia quidquid inter extrema vitiosa servat mediocritatem, id verè habet rationem Virtutis: ut lib. 2. cap. 2. & 6. probatum est. Atqui Mansuetudo servat inter extrema vitiosa debitam mediocritatem: nimirum, inter exuperantiam & defectum iræ. Affectus enim iræ, præ cæteris perturbationibus, in exuperantiam evehitur, quoniam plurimas habet causas unde concitetur, sive acuat: & quasdam maiores alijs, quasdam minores, iuxta quas proportionari debet. Neque enim æquales causas æqualiter irasci oportet; sed iuxta pondus uniuscuiusque. Vnde & excessu peccari potest, si quis pl^{us} irascatur, quam ratio exigit; & per defectum, si minus quàm par sit. Ergo oportet esse Virtutem aliquam, quæ mediocritati inter utrumque vitiosum extremum

studeat. Hæc autem est, quam Mansuetudinem nominamus. Illa ergo Virtus moralis est.

5 SECUNDO Probat ab etymologia nominis. Dicimus enim *μαρῶν*, id est, *mansuetum*, illum virum, qui eius indolis & genij est, ut etiam quibuslibet iniurijs irrogatis, aut occasione aliâ irascendi datâ, non excedat, nec se abripi patiatur immoderato & excedente impetu iræ: sed illo tantum, qui secundum rectam rationem est, & qui iuxta Prudentiam adhiberi debet. Quamvis enim leni animo sit, ideoque videatur per defectum peccare, ut ipsa Mansuetudinis vox significat; verè tamen mediocritatem in irascendo servat. Mansuetudo igitur posita est in mediocritate, ideoque Virtus moralis est.

6 CIRCA Tertiam partem assignat, exponitque extrema Mansuetudini opposita: ac primo alterum eorum consistens in defectu, seu vacuitate iræ. Quoties enim quis non irascitur quando irasci deberet, vel quibus deberet irasci, aut non eo modo, atque intensione, & tempore, quo deberet irasci, sed minus quam sit; tunc vituperabilis est, & reprehensione dignus. Quod ipsum probat tripliciter. PRIMO. Omne indicium stoliditatis, seu fatuitatis, est vituperabile. At vacuitas iræ iam explicata est indicium stoliditatis seu fatuitatis. Quod confirmat effato quodam Zenonis Eleatis, insignis Philosophi: qui reprehensus quod probris seu convicijs sibi illatis excandesceret, respondit: *Si convicia a quo admissem animo, ne ipsas quidem sentiam laudes.* Quo significavit, non hominis ratione utentis, nec Philosophi esse non irasci, cum adest causa irascendi; sed stolidi, & insensati. Ergo vacuitas iræ vituperabilis est. SECUNDO. Quisquis non vindicat quæcumque vindicare oportet, is reprehensibilis profectò est. At qui non irascitur ubi est causa irascendi, non vindicat quæ vindicare oportet. Ergo qui non irascitur ubi est causa irascendi, is reprehensibilis sanè est. TERTIO. Perferre iniurias, & eas non depellere ubi ratio recta suadet depellendas, dignum vituperatione est, & animi abiecti ac servilis. Atqui vacuus est iræ, perfert iniurias, nec depellit ubi ratio recta suadet depellendas. Ergo vacuus iræ dignus est vituperio, veluti animi abiecti & servilis.

7 DEINDE Pergit ad exponendum alterum extremum, quo delinquitur per exuperantiam: de quo latius disserit, quoniam vitium frequentius & perniciosius est, quodque longè ac latè per mortalium animos grassatur. Ac primo quidem docet, exuperantiam iræ multiplicem esse, & apparere in omnibus circumstantijs actionum humanarum. Deinde & distinguit tres exuperantiae modos, sive species, in irâ, ad rem luculentius expediendam. Porro in omnibus circumstan-

tij actionum humanarum posse exuperantiam inveniri, probat: Quia saepe accidit ut quis irasci non deberet, & quibus ex causis non deberet, & quatenus non deberet, aut diutius quam par esset. Quod ita intelligendum esse monet, ut non censetur omnem eam exuperantiam ex tot capitibus in vnum simul hominem cadere: quia tanta mali vis in vnum coacta, hominem proculdubio interimeret, veluti vires non habentem ad sustinendam tam immanem perturbationis exuperantiam. Quare ita accipiendum est, ut quasi per partes, aut diverso tempore, aut in varijs subiectis, aliæ atque aliæ irascendi exuperantiae locum habeant. Vnde & quasi proverbio dicitur, malum integrum esse non posse; præsertim illud, quod privatio boni est; quoniam de medio tolleretur subiectum. Ut si quis esset orbatus visu, auditu, cæterisque sensibus, animâ, & corpore; non esset homo, sed nihil. Si autem careat visu, vel auditu, cæteras tamen perfectiones habeat; homo erit & permanebit.

8 MODOS Igitur, sive species, tres exuperantiae in irâ recenset, ut dicebamus, & exponit. PRIMVS est eorum, quos vniuersè *ὀργιλῶς*, *iracundos* dicimus, & magis propriè *ἀκροχολῶς*, *summè biliosos*. Nimirum, competit ijs, qui facillimè, & levissimis ex causis irascuntur, ideoque in ira videntur cæteris antecellere. Horum proprietatem esse ait, quod quâ facilitate irascuntur, eadem quoque deponat irâ. Id verò bonum esse ait, & probat: Quia impetus ille subitus iræ profluit à naturali excessu cholerae; & ira foras erumpit, ut nihil venenatum, nihil indignationis reconditum in pectore maneat, sed totum brevi profiliat: quæadmodum apes, dimittit aculeo, statim quiescunt. Quare quidam Grecorum eiusmodi iracundiam dixerunt *μακρὰν ὀλιγοχρόνιον*, id est, *furorè ad breve tempus*. De eaque accinit Horatius: *ira furor brevis est.* Atque alio insuper loco de seipso inquit: *Irasci facilis, tamen ut placabilis essem.* Et de eadem agit Cicero Epist. 16. lib. 1. ad Atticum, illis verbis: *Nam si ita statueris, & irritabiles animos esse saepe optimorum virorum, & eisdem placabiles, & esse hanc agilitatem, ut ita dicam, mollitiemque naturæ plerumque bonitatem,* &c.

9 SECUNDVS Exuperantiae modus in iracundiâ competit ijs, quos *πικρὸς* Graeci, amarus seu acerbos Latini dicunt. Hi genio atque indole præcedentibus contrarij sunt: quoniam intra pectoris adyta recedunt iram, & silentio premunt. Hæc iracundiâ exuperantia à Stoicis dicitur, *ὀργὴν παραλαβωμένην*, quam Cicero interpretatur *inveniatum odium*. Dicit etiam consuevit apud Graecos *ὀργὴν ἐπιμνωμένην*, *ira permanens*, sive pertinax: qualiter & apud Virgilium *meioris ira*. Quam locutio-

neuz

nem P. Victorius observavit apud Æschylum in *Agamemnone*. Livius quoque lib. 9. dixit, Appium luminibus captum fuisse *memori Deorum ira*. Qualiter & Eustathius initio commentarij *Iliados* appellat *iram mente repositam, diu reservatam*. Exemplum adhibet Tacitus in Tiberio Cæsare, adversus Scaurum, cui vehementer iratus fuit, quod liberius in Senatu locutus fuisset. Ait quippe de Tiberio: *Cum in ceteros, quibus non ita erat insensus, aperte salamque fuisset intuitus, Scaurum, cui implacabilis irascebatur, silentio transmissit.*

10 EIVSMODI Autem hominum proprium est difficillimè desistere ab irâ, nec deponere illam ante vindictam, quâ unâ suo dolori medendum arbitrantur. Tunc verò quiescunt, & vice doloris, qui fovebat iram, concipiunt voluptatem. Nisi verò vindictam reportarent, & iniuriam pro iniuriâ referrent, gravissimo cordis onere premerentur: quoniam cum dolorem intus fervent, nec amicis patefaciant, carent eo solatio, sive præsidio, quo facile leniretur. Vnde quemadmodum humores vitiiati, nisi foras mittantur, aut naturæ impetu, aut beneficio artis, exitiales morbos pariunt, quibus homo corrumpitur; ita & arcana ira, nisi aut evomatur coram amicis in lenimentum doloris, aut tandem erumpat in vindictam, ita animum gravat, & cor pondere suo premit, ut hominem tanti oneris impatientem interficiat, aut saltem plurimum torqueat. Quo fit, ut & sibi ipsi gravissimus sit, & familiæ suæ, ac sodalibus. Cui enim iucundus erit, qui intestino odio exardescit, & intus implacabilis est? Verè igitur & bene *πικρός*, sive acerbus & amarus dicitur.

11 TERTIVS Denique modus iracundiæ exuperantis adscribitur ijs, quos Græci *καλεπός*, *asperos*, sive infusos, favos, aut atroces, difficilese dicunt. Hi profectò duobus præcedentibus peiores sunt: nam de vtrisque capiunt id quod malum est, & ex ambobus pessimum quoddam mistum efficiunt. Et enim, sicut priores, ita & ij facile, & quacumque ex causâ, vel levissimâ, subito excandescunt, atque iracundiam suam manifestè proferunt: ac præterea, instar posteriorum, furorem illum diu retinent, nec antè deponunt, quàm vlciscantur. Vnde & familiæ suæ, & cæteris hominibus, quibus convivunt, molestissimi sunt.

12 ITAQUE Triplex ordo iracundorum sic breviter exponitur. Primus est, eorum, qui irritabiles sunt, biliosi admodum, seu acuti iræ: quoniam celeriter & facile concitantur, & iram in apertum proferunt: sed citò placantur, & quâ facilitate irascuntur, eadem quoque iram deponunt. Secundus eorum, quos acerbos, sive amaros dicimus; quo-

niam licet non sint ita faciles ad irascendum, ac præcedentes, tamen iracundiam semel conceptam diu in animo occultam retinent, neque antè dimittunt, quàm vlciscantur. Tertius denique illorum, qui savi, & truculenti audiunt: quoniam & facile concitantur ad iracundiam, & illam exterius proferunt, & præterea servant intus, nec antè placantur, quàm favam & atrocem vindictam reportent. Inter eos primi bonæ indolis censentur, non absolute, sed relatè ad posteriores: quoniam absolute loquendo exuperantia illa iracundiæ vituperabilis est. Secundi peiores habentur. Tertij denique omnium pessimi. Quod de triplici hominum eorum genere expressit Eustathius Homeri Interpretæ ubi supra apud Cabotium: eiusque verba Græca Latine reddita, hæc sunt: *Primum est detestandum: secundum multò magis: tertium longè maxime*. Omnes igitur ij per exuperantiam iracundiæ peccant, quatenus inæqualiter: quoniam irascuntur aut facilius, aut magis, aut diutius, quàm par sit, & quibus irasci non deberent, & ex quibus causis oporteret non irasci.

13 CIRCA Quartam partem comparat Arist. eadem vitia extrema mediocritati Mansuetudinis interiectæ: & inquit, quodnam eorum peius sit, seu magis opponatur mediocritati. Quæ controversia Aristoteli solemnitas est in extremis quibusque vitij, contrariæ Virtuti comparatis. Respondet verò quæstioni, iracundiam, sive exuperantiam iræ multò magis contrariam esse Mansuetudini, quàm defectum seu vacuitatem iræ. Idque tripliciter probat. PRIMO. Illud vitium ad quod naturaliter procliviores sumus, est magis adversum Virtuti. At exuperantia iræ est vitium ad quod naturaliter procliviores sumus, quàm ad iræ defectum seu vacuitatem. Ergo exuperantia iræ est magis adversa Virtuti, quàm defectus seu vacuitas iræ. Maior patet inductione vitiorum extremorum in materiâ aliarum Virtutum: quæ eò peiora sunt, quò in ea magis propendet inclinatio naturæ: nimirum, a græ, aut corruptæ. Minor autem iudetur: quia experimento constat homines esse proniores ad irascendum & vlciscendum, quàm ad ignoscendum & condonandum: SECUNDO: Quia vitium illud, in quod frequentius labimur, indicit maius bellum Virtuti, proindeque ipsi magis contrarium est. At ita vitium iracundiæ frequentius labimur, quàm in vacuitatem iræ, sive defectum. Ergo iracundia indicit maius bellum Virtuti, proindeque magis contraria est. TERTIO denique: Quoniam illud vitium est magis Virtuti adversum, quod in convictu sive communi hominum societate, est intolerabilius. Huiusmodi autem est exuperantia iræ: propter quam homines molestissimi & terribiles alijs sunt: cum tamè prop-

propter lenitudinem, seu iræ vacuitatem, vix aut ne vix quidem alijs molesti fiant, sed potius suaves. Exuperantia igitur iræ magis adversatur Mansuetudini, quā lenitudo, seu defectus iræ.

14 CIRCA Quintam partem præscribit regulam, sive modum, quo oporteat irasci. Sed antequam id edisserat, præmittit non esse facile constituere quonā modo, & quibus hominibus, & qualibus ex causis, & quanto tempore irascendum sit; ac demum quousque bene, aut malè se gerat quis in irascendo. Rationē verò eius difficultatis in eo sitam ait, quòd qui parū recedit à medio, sive in exuperantiam, sive in defectum, non appareat dignus vituperatione, seu non reprehendatur communiter. Quin potius deficiens in irā, laudari solet, appellariq; mansuetus: exuperans verò aliquantò, censetur vitæ animo præditus, & idoneus ad imperandum. Quod & Cicero observavit in 4 *Tuscul.* QQ. quamvis Plato à regimine excludat homines admodum iracundos, & Antiochus Sophista vltro ab administratione Reipublicæ abstinerit, quòd sibi conscius esset eius vitij, Sed verè, & iuxta sententiam eiusdem Platonis,

oportet Imperatoribus, Magistratibusve iram & stomachum esse ad vlciscendum desicta. Sed difficile admodū est quantum & quomodo vituperabilis sit, qui in alterutrum extremorum declinat, præsertim cum eiusmodi rei iudicium in singularibus, sive in sensu positum sit: ideoque nequeat præscribi regula aliqua vniversalis & certa.

15 QVARE Generatim solū pronuntiat, habitum inter extrema vitia medium, laudabilem esse, & in eam mediocritatem contendendum esse vnique toto conatu. Id enim commune est in materia omnium Virtutum moralium, vt statutum fuit *lib. 2. cap. 2. § 6.* Itaque vitandam esse monet exuperantiam & defectum iræ: quoniam declinare in vtrumvis laterum, vituperio dignum est: & grave quidem, vbi nimium declinatur; leve autem, vbi parum quis deflectit à medio. Iuxta mediū itaq; deprehendet quis, ex quo, & quibus oporteat irasci, & ob que, & quomodo, & ceteras circūstātiās servādas iure meritoq; in irascendo. *VIDE D. Thomam 2. 2. q. 157. 158. 159. & illius Interpretes.*

CAPVT SEXTVM.

De Affabilitate, eiusque extremis.



LN Congressionibus autem, & conuictu, & vsu communi verborum, ac rerum, quidam placidi sunt. Qui quidē pro voluptate afferenda, laudant omnia, & nihil adversantur: putantes haudquaquā sese molestos cuiquā esse oportere. Quidam contrā, in omnibus adversantes, neq; curā vllā habentes si dolorē afferant, difficiles, contentiosiq; vocantur. Patet igitur, hos quidē duos habitus esse vituperādos: mediū autē inter hos laudandū, quo quidē quispiā ea, quæ oportet, & vt oportet acceptabit, similiter ægrè feret. Verū ipsi nomen nullum est positum. Persimilis autem est amicitia. Talis est enim is, qui mediū hunc habet habitum, qualem probum hominem, amicum dicere solemus, sumpta dilectione. Sed differt ab amicitia, quòd est sine affectu, dilectioneque eorum, quibuscum is congregitur, qui hunc habitum habet. Non enim amore, vel odio, sed quia talis est ipse, probat singula vt oportet. Nam similiter tam ad notos, quā ad ignotos, tam ad familiares, quā ad non familiares, id ipsum aget: in singulis tamen vt conuenit. Non enim æquè familiarium, & externorum curam habere,

neque dolore similiter eos afficere oportet. Universaliter igitur dictum est, ipsum congruere ut oportet. Respicens autem ad honestatem, utilitatemque, coniectabit dolorem non afferre, vel delectare. Videtur enim hic circa voluptates, doloresque eos versari, qui in congressionibus fiunt. Atque quibus voluptatibus non est honestum ipsi, vel affert damnum delectare, eas molestè feret, & eliget dolorem inferre. Et si facienti deformitatem non parvam afferat, aut damnum, oppositio vero parvum dolorem; non probabit, sed ægrè feret. Diverso autem modo cum ijs, qui sunt in dignitatibus, & cum privatis, & cum magis, minusve notis, & cum aliarum identidem differentiarum hominibus congruetur, singulis tribuens id, quod decet, & per se quidem expetens delectare. Cavens autem dolorem afferre, & sequens ea, quæ eveniunt, si sint maiora, honestum, inquam, & id, quod conducit: atque voluptatis gratia magnæ; quæ eveniet, dolorem affert parvum. Talis est igitur ipse medius: sed nomen non habet. Is autem, qui delectat, si id agit studens esse iucundus, non ob aliud quicquam, placidus vocatur: si emolumentum causa sui, ut inde sibi proveniat in pecunijs, & in ijs, quæ pecunijs comparantur, utilitas, adulator: cum verò, qui molestè fert omnia, difficilem, contentiosumque quendam dicimus esse. Videntur autem extrema inter sese oppositionem suscipere: quia medium nomine vacat.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Affabilitatem esse mediocritatem quandam circa sermonis suavitatem & asperitatem erga alios. Ratio propria eius Virtutis explicatur, & attributa quadam. Similiter & extrema vitia, quibus intercipitur.



PRÆCEDENTI Capite dictum fuit de Mansuetudine, veluti Virtute quadam leniori, quæ studet ab humano cõvictu depellere omnem discordiæ atq; indignationis causam. In hoc verò, ac cæteris duobus sequentibus, agitur de ijs Virtutibus, quæ hominem faciunt affabilem, suavem, iucundum, & urbanum in quotidiana consuetudine, quæ dictis, quæ factis. Quare omnes eæ Virtutes ab Eustratio dicuntur ἐμιλιτικὰ, id est, sociabiles, & affabiles. Cæterum singulariter in hoc capite agitur de sola Affabilitate, eiusque extremis; & dividitur illud in tres partes. In prima statuitur, esse mediū quoddam circa suavitatē & asperitatē sermonis in consuetudine humanā, extremis vitiosis interiectū. In secunda exponitur quisnam sit is habitus medius, & quodnā illi nomē, quæ insuper proprietates. In tertia denique explicantur extrema vitia, quibus intercipitur cuiusmodi habitus.

2 CIRCA Primam partem observat, in congressionibus, in convictu, & negotiorū, ac sermonū, communitate, esse aliquos genios, & indole iucundos, qui blandiendo, alentado, & lenocinando placere omnibus student, & ad alterius arbitratum voluptatemq; loquuntur faciuntq; omnia; quin unquā adversentur, vel molestiam inferant. Quod certè mortalibus gratū esse solet, & à plerisq; censetur laude dignum: ideoq; apud Terentium in *Andria* Simo laudat adolescentis filij mores, probatq; dum accidit.

*Sic vita erat. facile omnes perferre ac pati,
Cum quibus erat cunq; unā ijs sese dedere,
Eorum obsequi studijs, adversus nemini,
Nunquam preponens se alijs: ita ut facillimè
Sine invidia invenias laudē, & amicos pares.*

Alios è contrā monet esse in omnibus dictis factisq; adversantes cæteris, nec curæ habentes, utrū inde offensionē capiant, necne: quos proinde inquit appellari posse dyticolos & dyterides; id est, importunos, molestos, difficiles, ac litigiosos.

VTRVM.

3 VTRVMQVE Autem genus hominum vituperio dignum censet: quoniam priores exuperantiam peccant, dum placere & iucundi esse omnibus student, absque vilo prorsus discrimine: posteriores vero defectu plane delinquunt, dum nulli omnino placere volunt, nec iucunditatem asserre. Vnde oportet esse habitum aliquem qui mediocritati studeat inter utrumque extremum. Quod certe faciet, qui probaverit & laudaverit in alijs quae probare & laudare oportet: ea vero improbaverit, quae sunt vituperio digna: idque totum secundum rectam rationem. Habitum vero id praestantem esse Virtutem moralem, probat hoc fere pacto: Quicumque habitus extremis vitiis intercipitur, laudabilis & honestus est: ut constat ex doctrina tradita *lib. 2. c. 2. & 6.* pluribusque alijs locis. Atqui habitus probans quae probanda in alijs sunt, & improbens quae vituperio digna existunt, intercipitur duobus extremis vitiis, iam ante explicatis. Ergo eiusmodi habitus laudabilis & honestus est. Vnde & colligitur, inter Virtutes morales censendum.

4 CIRCA Secundam partem disserit de homine eius habitus, & proprietatibus, quibus dignoscitur. Ac circa nomen quidem docet, nullum ipsi proprium esse: quoniam est valde affinis, sive similis amicitiae, quia, instar illius, studet suavitati & iucundo convictui. Etenim sicut amicus cum amico probat ita se gerit, ut probet in eo probanda quae sunt, & improbet, quae probanda non sunt; & in hac mediocritate suavis est sive iucundus amico: ita etiam qui huius Virtutis habitu praeditus est, probat in alijs quae probare oportet, improbat vero quae non oportet probare, & in hac mediocritate vere iucundus & suavis est alijs. Quare vir praeditus hoc habitu, admodum idoneus est ad amicitiam cum alijs contrahendam; cum praestet alijs iucundum convictum & consuetudinem externam, quae gradum ad amicitiam faciunt. Oportet vero addere intimum amoris affectum haerentem animo, in quo praecipua amicitiae ratio sita est.

5 ITAQUE Virtus haec apud Graecos innominata, quam tamen Latini Affabilitatem, sive Comitatem dicimus, affinis quidem est amicitiae. Verum adhuc idem non est cum amicitia vera, sed ab ea dissidet, quod careat motione interna amoris. Nimirum, qui Affabilitate praeditus est, probat quidem in alijs quae probanda sunt, & improbat quae improbare oportet; non autem ex amore aut odio; sed quia eo habitu paratus est, sive affectus, ut ita intelligat & sentiat. Praeterea utriusque differentia cernitur in eo quod amicitia solum faciat hominem iucundum & suavem cum amicis: Affabilitas vero, non modo cum amicis, sed & cum alijs, etiam omnino extraneis. Simile est in Liberalitate amicitiae comparata, eidemque

simili in benefaciendo amicis; dissimili autem in eo, quod Liberalitas non inclinatur per se ad benefaciendum amicis ex dilectione ipsorum, quod proprium est amicitiae; sed ex studio illius peculiaris honestatis, ad quam inclinatur habitus Liberalitatis. Ita ergo de Affabilitate dicendum, esse simile amicitiae, quoniam instar illius inclinatur ad iucundum convictum in societate humana: dissimilem vero, quatenus eam iucunditatem non quaerit ex dilectione aliorum; sed ex studio peculiaris honestatis, quam per se spectat intra materiam propriam.

6 QVAMVIS Autem habitus hic studeat suavi & iucundo convictui cum alijs; non tamen cum omnibus aequaliter, sed habita ratione singulorum; & iuxta peculiare versandi, ac convivendi modos. Vnde & aliter se gerit erga domesticos, aliter erga extraneos: quia & id recta ratio exigit, & una aequalis regula omnibus praescribi non potest. Huic etiam spectat varius urbanae allocutionis modus, iuxta uniuscuiusque dignitatem. de quo habemus in signe Opus nuper editum, & omnigena eruditione cumulatam ab insigni Scriptore, & doctissimo Viro, Regioque Consiliario D. D. Petro de Salcedo, cui epigrapha est, THEATRUM HONORIS. Caterum absolute in omnes extenditur Affabilitas sive Comitatus: cum propria sit illius, qui se facilem praebet iucundumque; in omnibus congressibus humanis: id est, in audiendo, loquendo, respondendo, ut observat Cicero *lib. 1. 2. Offic.* ubi & laudat illum, qui in omni sermone omnibus affabile & iucundum se exhibet, atque, inter alia, inquit: *Difficile dictu est quantopere conciliet animos comitas affabilitasque sermonis.*

7 ASSIGNATA Mediocritate & extremis praedictae Virtutis, progreditur ad exponendas ipsius proprietates. *Prima* attenditur ex modo congregandi & colloquendi: & sita est in eo quod vir instructus hac Virtute cum omnibus agat, versetur, & colloquatur iucunde suaviterque, quantum ratio & decorum ipsum exigit. *Secunda* spectatur ex fine, qui debet esse liber a turpitudine, & damno alieno, ac demum honestus, ut in qualibet alia Virtute, iuxta propriam materiam. *Tertia* in eo sita est, ut vir comis & affabilis quandoque alijs tristitiam pariat, vice iucunditatis. Quod dupliciter accidere potest. *Primo* si is, cum quo versatur vir affabilis, parum honestus sit, aut ipsi perniciosus, quales profecto sunt, qui verba obscena proferunt absque pudore vilo; aut aliter scelesti & turpes inveniuntur. Tunc enim oportet virum probatum & affabilem increpare & objurgare sic loquentem, aut agentem; proindeque aliquam tristitiam afficere, ut corrigatur. *Secundo* id contingere potest si ille, quocumque versatur, seu colloquitur vir affabilis, faciat aliquid damnosum, ac malum sibi ipsi, circa salutem corporis, aut honestatem

animi, aut certe circa prodigiam bonorum externorum. Tunc enim nec circa verba, nec facta vitiosa illius se iucundum, ac suavem exhibere debet vir affabilis, sed difficile (& asperum). Præstat enim ea asperitate inferre aliquam tristitiam vel molestiam amico, aut aliter notum, dum errant, quam consensum ipsis vllò modo præstare, aut eos in suâ improbitate relinquere.

8 QVO Spectat illud Salomonis, Proverbiorum cap. 27. *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula blandientis.* Quam sententiam ita exponit & confirmat S. Augustinus: Non omnis qui parcat, amicus est: neque omnis, qui verberat, inimicus. Meliora sunt amici vulnera, quam voluntaria oscula inimici. Melius est cum severitate diligere, quam cum lenitate decipere. Alio in super loco idem S. Doctor: Non solum arguendi sunt amici, sed si opus fuerit, obiurgandi. Obiurgandus sæpe est amicus si veritatem aspernatur. Obsequijs & blanditijs in crimen impellitur. Quâ in re elegans est Alciati Emblema in adulari nescientem:

Seire cupis dominos toties cur Theffalis ora Mutet, & ut varios querat habere duces?

Nescit adulari, cuiquamvè obtrudere palpi:

Regia quem morem Principis omnis habet.

Sed veluti ingenuus sonipes dorso excutit omnem,

Qui moderari ipsum nesciat, Hippocomon.

Nec scævire tamen domino fas: ultio sola est;

Dura ferum ut iubeat ferre lupata magis.

9 QVARTA Proprietas affabilis viri est, ut non omnibus æquè comem & iucundum se præstet, sed habita ratione singulorum. Aliter enim in ipsa Comitatu se gerere debet cum ijs, qui Reipublicæ administrationem gerunt, aut in dignitate constituti sunt: aliter cum privatis hominibus: aliter cum ijs qui infimæ sortis censentur, quam cum ijs qui ad mediocrem, aut præstantiorem gradum spectant: aliter cum amicis, notis, & familiaribus, quâ cum extraneis, aut ignotis. Nimirum, unicuique eorum impendere oportet officium suæ dignitatis, aut conditioni respondens, quamvis erga omnes generatim se debeat suavè exhibere. Monet verò, quamvis hoc ita sit, & potius spectet ad virum affabilem delectare aliquos, quam tristitia afficere; adhuc tamen suboriri causam posse, ut merito tristitiam inferat: si, nimirum, exinde aut ingentia mala vitentur, aut magna commoda sequantur. Quod intelligo iuxta dicta nuper circa tertiam proprietatē affabilis viri.

10 CIRCA Tertiam partem disserit iterum de vitijs, quibus Affabilitas intercipitur. Et quidem alterum in exuperantia positum observat esse proprium eorum, qui indiscriminatim omnibus placere volunt, ijsque delectationem afferre. Id autem si hoc ideo solum faciant, ut alios delectent; dicuntur ab Aristotele *ἀγρο-*

χοι, id est blandi, aut gratiæ aucupatores. Si vero id faciant quæstus gratia, sive ut pecuniam corradant, aut opes, aut quidquam aliud pretio æstimabile; dicuntur *κόλακες*, *assentatores*. Priores illorum exprimit Terentius in *Andria* versibus supra exscriptis. Et præterea in *Adelphis* eodem sensu dicitur de Mitione: *Clemens, placidus, nulli lachryas, arridere omnibus*. Postiores vero exprimuntur optimè à Iuvenale *Satyra* 3. dum accinit:

Quid, quod aduiculi gens prudētissima laudas

Sermonem indocti, faciem deformis amici,

Et longum invalidi colum cervicibus equat

Herculis, Anteaum procul à tellure tenentis?

Miratur vocem angustam, quâ deterius nec

Ille sonat, quo mordetur gallina marito.

Quasi diceret his postremis verbis (nam cetera planiora sunt) assentatorem solum laudare, etiam vocem exilem, quæ æquè ingrata & stridula est, ac rauca vox galli, qui inter ascendendum gallinam mordet. Se vero ab assentatorum albo excluserat paulò antè, illis versibus, lepidis sanè, & notatu dignis:

Quid Romæ faciam? mentiri nescio. librum,

Si malus est, nequeo laudare, & poscere motus

Astrorum ignoro: funus promittere patris,

Nec volo, nec possum: ranarum viscera nunquam

Inspexi: ferre ad nuptam quæ mittit adulter,

Quæ mandat, norint alij. me nemo ministro

Fur erit, atque ideo nulli comes exeo, tanquam

Macus, & extinctæ corpus non utile dextra.

Posset hoc loco dubitari an *ἀγροχοι*, aut *κόλακες* putandi sint, qui, ut quæstus faciant, aut gratiam vulgi mereantur, libros à se confictos pro veteribus vendunt, eosque aut magnis viris, aut phantasticis Authoribus tribuunt. Hinc pseudo-Liberatus Diaconus, hinc Aubertus Hilpalensis, hinc plures alij eiusdem farinae: quos hæcenus proseribere non potuit accuratissima eruditio Philippi Labbé, Marchionis Agropolitani D. Gasparis Ibañez de Segovia & Peralta, D. Nicolai Antonij, D. Iosephi Pellicerij, D. Ioannis Luca Cortesij, aliorumque plurium, qui sanè possunt usurpare illud Virgilianum: *Scilicet, obruimus numerò*. Vulgus enim novitatum amicum, quasi pro aris & focis certat pro fide inconcussa eorum Auctorum, eo solum nomine, quod nulla sit Hispaniæ Provincia, urbs, oppidum, templum, eremitorium, cui non consignetur in ijs aliquid gloriosum, aut memorabile. Faxit Deus ne tanta & tam diu lues amplius serpat. Utinam novus aliquis Alcides Hispaniæ toti exorta monstrorum capita abscindat, & adhibito vitone penitus extinguat. Verum hæc libasse aut indiguisse suffecerit nobis, dum materiam Ethicam tractamus.

18 DENIQUE Alterum extremorum quo per defectum delinquitur, tribuit ijs, qui in

omnibus morosi & contētiōsi sunt. Eos propterea *δυσκόλως καὶ ἀσέγγιδας* vocat, id est, importunos & litigiosos. Quod sanè vitium acerbum omnibus est, & toleratu molestissimum; adque Virgilius eleganter depingit & carpit in Polyphemo, veluti mortalium omnium maximè importuno & immani. Carmina sunt

3. *Æneid.*

*— domus sanie, dapibusque cruentis
Intus opaca, ingens. ipse arduus: altaque
pulsat,
Sidera (Dij talem terris avertite pestem)*

*Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli,
Visceribus miseriorum, & sanguine veskitur
atro.*

Sive, ut brevius exprimit Aëtius in Philoetere, *Quem neque tueri contra, neque affari queas:* Vide pro pleniori explanatione capituli Alciatum Emblem. quinquagesimo tertio, atque ibidem Claudium Minoem, & Federicum Morellum, vnde huc plura advocari possent circa assentatores, sive adultores.

*VIDE D. Thomam 2. 2. q. 114. eiusque
Interpretes.*

CAPVT SEPTIMVM.

De Veritate, eiusque extremis.



CIRCA Eadem ferè versatur & arrogantiæ mediocritas; quæ quidem & ipsa nomine caret: atque non inutile fuerit de his etiam pertractare. Nam & ea magis quæ ad morem pertinent, percipiemus, si de singulis fuerit pertractatum. Et virtutes etiam ipsas, mediocritates esse credemus, si id in omnibus fuerit ita sese habere perspectum. De ijs igitur, qui in convictu ad voluptatem congregiuntur, atque dolorem, iam diximus: sed nunc de veracibus, mendacibusve similiter, & in verbis, & in actibus, & in fictione dicamus. Arrogans itaque præclara, & ea, quæ non insunt, & maiora, quàm insunt, sibi inesse fingit. Dissimulator autem contra, negare quæ sibi insunt, aut imminuere solet. At medius cum sit talis, ut vnumquodque quale est ipsum, dicat, atque ostendat, tam vita, quàm verbis est verax, ea sibi inesse confitendo, quæ insunt, & neque maiora, neque minora. Fit autem, ut horum vnumquodque quispiam & alicuius, & nullius rei causa faciat. Atque qualis est vnusquisque, talia tam dicit, quàm agit, & ita vivit, nisi alicuius gratia agat. Per se autem mendacium quidem improbum est, & vituperabile: verum autem, probum, ac laudabile. Itaque verax quidem, cum sit medius, est laudabilis: mendaces autem ambo vituperabiles sunt, sed arrogans magis. At enim de vtroque dicamus oportet, prius autem de veraci. Atque non de illo nunc dicimus, qui in stipulationibus verum dicit, & in ijs, quæ ad iustitiam, & iniustitiam pertinent (hæc enim ad aliam virtutem accommodatur) sed de eo, qui in quibus hoc nihil refert, & in verbis, &

in iusta ex eo vera dicit, quia habitu talis est: atque talis æquus, & bonus esse videbitur. Qui namque verum amat, & in quibus etiam nihil refert, vera dicit, is multò magis vera dicit, in quibus refert. Ut turpe enim, mendacium fugiet, quod & per se fugiebat. Talis verò laudabilis est. Magis autem ad defectum veritatis declinat: hoc enim æquabilius est, propterea quòd exuperationes sunt præmolestæ. Sed qui res sibi maiores, quam insunt, fingit, si nullius causa rei; pravo quidem est similis; non enim mendacio gauderet: vanus tamen magis, quàm malus est. Sin alicuius gratia, si gloriæ, vel honoris, non nimium est vituperandus, ut arrogans: sin argenti, & eorum, quæ ad argentum rediguntur, deformior est. Arrogans autem non in potentia, sed in electione consistit. Habitu namque, quia talis est, arrogans est: sicut & mendax quidam ipso mendacio gaudens, quidam gloriam, aut lucrum affectans. Qui igitur gloriæ causa sunt arrogantes, ea simulant, pro quibus homines laudantur, aut beati esse dicuntur: qui verò gratia lucri, ea, quorum usus ad proximos transit, & quæ non inesse latere possunt. fingunt enim se medicos, vel vates egregios. Quapropter plerique talia simulant, ac arroganter sibi assument. Sunt enim in ipsis ea, quæ dicta sunt. At dissimulatores, extenuantes sua, elegantiores sunt moribus. Non enim id lucri causa facere videntur, sed fugientes tumiditatem. Maximè autem hi negant ea, quæ sunt præclara, ut & Socrates faciebat. Sed qui parva, manifesta que dissimulant, ij delicati simul, malitiosi que dicuntur, & facile sperni possunt. Atque id ipsum arrogantia videtur interdum, qualis est Lacedæmoniorum vestitus. Nam & nimium, & parum ad arrogantiam pertinent. Sed qui moderatè dissimulatione utuntur, nec ea dissimulant, quæ nimis ante oculos sunt, & extant, gratiosi sunt. Arrogans veraci opponitur: est enim dissimulatore deterior.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Esse quandam Virtutem, quæ mediocritatem servat inter iactantiam & ironiam, veluti inter vitia extrema. quorum omnium ratio propria singulatim exponitur.



VM Aristoteles proposuerit sibi exponendas tres Virtutes humano convictui suaves ac iucundas, quarum prima est Affabilitas, secunda Veritas, tertia Eutrapelia; nunc ad secundam earum explanandam accedit, postquàm de prima egit superiori capite. Itaq; hoc loco potissimùm docet, esse quandam Virtutem, quæ mediocritatem servat inter iactantiam & ironiam. Dividitur caput

in quatuor partes. In prima præmittitur certam quædam Virtus, iactantiæ adversa, de qua disserendum est. In secundâ docet, eam Virtutem esse mediocritatem quædam extremis vitijs interceptam. In tertiâ exponit naturam eius habitus interiecti. In quartâ explicat quænam sint extrema vitia, quibus est interposita Veritas, eaque comparat inter se.

2 CIRCA Primam partem præmittitur, esse quandam Virtutem similem præcedenti (nisi

mīrum, Affabilitati, de quā præcedenti capite egi (& consistere in mediocritate arrogantia, etiā carente proprio nomine. Quare, sicuti sæpe alias, confugit Arist. ad appellationem cōplexam, quā eam virtutem nominat, τ' ἀλαζονείας μεσότητα, arrogantia mediocritatem. Latine dicitur Veritas à Cicerone lib. 2. de Invent. ubi eam inter Virtutes collocat, & describit, dum ait: *Veritas est per quam immutata ea quæ sunt, aut antè fuerunt, aut futura sunt, dicuntur.* Ipse quoque Arist. in Eudemij, & in Magnis Moralibus, & supr. à lib. 2. c. 7. hanc Virtutem vocat ἀληθείαν, Veritatem: quoniam propria est illius, qui in humano convictu verum sectatur, & amat. Vnde & φιλαλήθεια, id est, amor veritatis dici solet: nimirum, illius veritatis, quā spectare & amare debent homines in suis congressibus, & colloquijs. Alioquin veritas apud Arist. frequenter vsurpatur pro eā, quā scientiæ theoreticæ, sive speculativæ cōsiderant, & omnino differt à materia circa quā versatur habitus practicus. Itaque Veritatem appellabimus iuxta receptum loquendi vsu, quamvis Gallutius dicat, melius appellandam iri Veracitatem: quod hoc nomine aptius exprimat energia & functio huius Virtutis.

3 ITAQVE Virtus hæc est mediocritas quædam arrogantia, sive iactantia, aut gloria-tionis, aut iactationis inanis, quā aliqui res suas plus iusto extollunt, & prædicant; aut amplius promittunt de se, quā præstare possint; aut etiā aliena facta laude digna sibi arrogant. Sic enim ἀλαζονείαν, sive arrogantiam Veritati oppositam interpretatur idē Arist. lib. 1. Rhetor. & Vlpianus Demosthenis Scholiastes, qui & vaniloquiā eam appellat, sicut & alij, ostentationē, & venditionē. Monet verò Arist. vitale esse differere de Virtute iam dicta, quoniā proderit ad ea penitus intelligēda, quæ in hoc Opere differunt circa mores, & mediocritatem omnium Virtutum moralium. Quare proponit sibi disputandum de ijs, qui in humano convictu, & civilis vitæ societate, Veritatem colunt: similiterque, & ex opposito de ijs, qui tum verbo, tum factis, & simulationē mentiuntur.

4 CIRCA Secundam partem distinctius exponit habitus vitij extremos, & mediocritatem ijs interiectam. Ac primò quidem eos, qui per exuperantiā peccant, vocat ἀλαζόνες, arrogantes: quos & gloriosos appellat Cicero passim, ostentatores Livius lib. 1. ab urbe condita, Quintilianus lib. 11. c. 2. iactatores, & Aulus Gellius lib. 18. c. 4. venditores. Mitto discordiā inter Lambinum & Petrum Victorium circa interpretationem eius vocis: quoniam hoc loci potius de re ipsa, quàm de verbis agimus, pro ritu Scholæ. Sufficiat dicere ad præsens institutum, arrogantes apud Aristotelē hoc loco appellari eos, qui præclara quædā de se fingunt & simulant, idq; dupliciter: vno modo, quoties

aliquid gloriosum & excellens se habere, aut fecisse simulant, cum verè nec habeant, nec fecerint: alio insuper modo, cum illud ipsum quod fecerunt, aut habent; extollunt, & fingunt veluti maius, quàm re ipsa sit.

5 ARROGANTIBVS Contrarij sunt, & per defectum peccant ijs, quos Arist. εἰρωνίαν vocat, id est, dissimulatores, & cavillatores. Verbum enim εἰρωνέομαι, apud Græcos significat dissimulationem vti. Vnde & deductū fuit nomē εἰρων, dissimulator, & εἰρωνία, ironia, quā Cicero 2. de Oratore interpretatur dissimulationē, & exponit, dicens: *Urbana etiā dissimulatio est, cum aliter sentias, ac loquere.* Et parvo interstitio: *Socratem opinor in hac ironia, dissimulatioq; longè lepore & humanitate omnibus præstitisse.* Vbi Cicero loquitur, non generatim de omni ironiā, sed de eā nominatim, quæ Oratoribus in vsu est ad illudendum & irridendum adversariū; atque ipsi Ciceroni pro Rabir. dum, ait: *At credo cū innumerabiles hostiū corpora in Italia fudisset, atque obsidione Italiā liberasset, omnia sua secū vna moritura arbitrabatur.* Apud Virgiliū quoque Turnus ironice Drancem obiurgat, & ignaviæ acculat dū verbo tenus fortissimum prædicat, & accinit inter alia:

*Proinde toma eloquio, solitum tibi, meq; timoris
Argue tu Drance, quando tot cædis acervos
Teucrorū tua dextra dedit, passimq; trophæis
Insignis agros.*

6 VERVM Oratorum ironia differt ab ea, quam Arist. hoc loco exponit, & censet arrogantia contrariam. Oratores enim dum ironice loquuntur, ita se gerunt ut aliquid excellens alteri tribuant verbis solū, & in specie, & vel exinde appareat, rē ita nō esse. Ipse enim modus affirmandi per ironiam præ se fert sensum negationis. Ironia verò apud Aristotelem peccans per defectum, & contraria arrogantia, non est sita in eo quod quis de seipso affirmet aliquid, quod verè non fecerit: hoc enim arrogantia competit: sed in eo quod verbis, aut factis dissimulet, sive fingat se non habere quod habet, aut minùs habere quàm habeat. Quippe latum discrimen est inter simulare, quod est arrogantis, & tribuentis sibi quod non fecit, aut magis quàm fecerit; & dissimulare, quod est occultantis verum, & fingentis non esse id, quod verè est, aut illud minuētis. Simulator itaque est qui verum esse fingit quod nullatenus verum est: dissimulator autem qui fingit verum non esse quod certè est verum. Quo sensu dicitur apud Ciceronem quis dissimulare appetitum voluptatis: & alter apud Livium dissimulare silentio acceptam iniuriam. In hac igitur dissimulatione situm est alterum vitium extremum, quo per defectum peccat quis, & deflectit à Veritate, sive à medio ipsius.

7 HIS Positis accedit ad exponendum medium ipsum, seu hominem mediocritatis inter prædicta extrema studiosum, quem appellat *αὐθέκαστος*, id est, severum, & rectum, æquumque exactè persequentem: ut ex Plutarcho in *Alcibiade*, & Platone, colligitur. Ratio verò cur ita appelletur qui severus & rectus iudicio est, ea assignatur, quòd eiusmodi vir, in ijs, quorum rationem reddere debet, *ἑκάστη*, ipsorum singula accuratissimè expendit & recenset, nullo addito aut dempto, atque ut revera est. In hoc enim se exhibet veracem, & planè interiectum, mediumque, tum arroganti, qui simulat vel auget; tum & dissimulanti, qui contegit, aut diminuit.

8 DEINDE Addit diligentiorum eorum nominum expositionem. Quod ut præstet, observat, verum & falsum proferri posse ex multiplici causa, sive fine. Quidam enim mentiuntur vel ex metu, vel alicuius utilitatis, aut gloriæ causa: alij autem nullo metu adacti, nec præmio allesti: sed quoniam improbo mentiendi habitu præditi sunt. Similiter & quidam verum dicunt, vel metu compulsi, vel præmio, aut utilitate ducti: alij verò solùm, quia instructi sunt recto habitu, quo verum ipsum per se amant, & in eo proferendo delectantur. Nimirum veritas ipsa in dictis & factis pulcherrima est, & in qua æquus quisque rerum æstimator meritò delectetur: ut expressit quidam Poetarum Græcorum opportunè & elegantè, ijs versibus:

Ὀὐκ ὥστε ζῳγῆρος, &c. Id est;
Haud arte tantam pictor ullus assequi,
Statuariusve pulchritudinem queat
Tantum decorem, veritatis quantus est.

8 QVA Differentia sic explicata inter mendacem, & veracem, docet habitum Virtutis, de quâ agimus, non competere dicenti verum metus causa, aut utilitatis intuitu, sed per se, & ex amore veritatis. Qui autem veritatem dicunt timore adacti, aut præmio aliquo allesti, ad alias classes spectant, seu Virtutum, seu legum, quibus moderatio agendi præscribitur. Cùm verò ad Virtutem hanc, de qua sermo est, nec spectent arrogantes, quoniam mentiuntur affirmando, vel augendo; nec dissimulantes, quia mentiuntur occultando, aut minuendo; superest ut illa dumtaxat locum sibi vendicat in viro veraci, qui media inter utroque via incedit, & solus laudabilis est, sicut & ij vituperabiles. Quod & hoc pene syllogismo demonstrat. Omnis homo, cuius actio est laudabilis, etiam ipse laudabilis est; sicut vituperabilis est ille, cuius actio est vituperio digna. At veracis hominis actio est laudabilis iudicio omnium; simulantis verò & dissimulantis actio censetur ab omnibus vituperio digna. Ergo omnis homo verax est laudabilis; simulans verò & dissimulans vituperabilis. Unde & habi-

tus ille, quo præditus est homo verax, habebit rationem Virtutis: cæteri autem duo habitus erunt vitia extrema; quamvis deterius eorum sit, quo per exuperantiam delinquitur, & peior censeri debeat arrogans, gloriosusque; quam dissimulans. quod postremum infra latius apparebit.

10 CIRCA Tertiam partem edisserit amplius habitum Virtutis interiectæ, ex notis, seu proprietatibus veracis viri. Verùm præmittit, se non loqui de omni viro qui veritatem loquitur utcumque. Non enim de illo, qui in stipulationibus, & ijs quæ ad Iustitiam, vel iniustitiam attinent, verax est: quoniam hoc ad aliam Virtutem pertinet, ut Fidelitatem, vel Iustitiam. Solùm itaque sermonem instituit de illo, qui veritatem profert verbo & opere in ijs omnibus, quæ ad neutram prædictarum Virtutum attinet: quoniam eo habitu Veritatis præditus est, ut amet verum ipsum per se; neque quidquam alienum ab eo proferat, sive metus gratia, sive utilitatis intuitu. Unde & colligitur eiusmodi virum probum esse, id est, nemini iniustum fore, neque unquam aliquod mendacium contra Iustitiam dicturum. Quod probat: Quisquis enim vel in ijs rebus, quæ nihil referunt, est tenax recti, & verum constantè profert, multò magis idem ipsum præstabit in rebus gravioris momenti, & quæ ad Iustitiam spectant. Atqui homo præditus habitu Veritatis, vel in ijs rebus, quæ nihil referunt, est tenax recti, & verum constantè profert. Ergo multò magis idem ipsum præstabit in rebus gravioris momenti, & quæ ad Iustitiã spectant. Quare & in ijs mendacium cavebit, veluti rem turpem, quam iam per se vitabat, etiam in rebus minoris notæ.

11 CÆTERVM Quoniam veritas indivisibili consistit, & difficile admodum est illius quasi medium punctum attingere; observat Arist. veracem hominem, si declinandum sit ad alterutram partem, potius deflectere ad id quod est parum, quam ad nimium. Ratio est: Quia homo Veritatis habitu præditus, si declinandum sit in alterutrum latus, potius deflectit ad id quod minus malum est, minusque à Veritate alienum, quam ad id quod deterius est, & ab eâ magis recedens. Atqui parum deficere in vero minus malum est, minusque à Veritate alienum; nimium autem excedere à vero est deterius, & magis recedens à Veritate: ut infra amplius constabit. Ergo homo veritatis habitu præditus, si declinandum sit ad alterutram partem, potius deflectit, ut parum deficiat circa verum, quam ut nimium excedat. Nimirum exuperantia ipsa in hoc genere admodum odiosa est: quoniam qui studet antecellere cæteris, & præminere, cunctorum contra se odium excitat. Ideoque potius ab illa, quam ab alio extremo per defectum opposito, fugiendum est.

Ne.

Neque propterea sequitur, veracem hominem, ut ab exuperantiâ fugiat, reipsâ impingere in contrarium scopulum dissimulationis veri. Adhuc enim se continebit intra medium, & iuxta rationis præscriptum. Solum ergo dicitur, ita se habiturum, eaque loquuturum moderatione, ut ipsius verba, potius ad defectum, sive dissimulationem, quam ad excessum sive arrogantiam inclinare videantur, quamvis reipsâ intra mediocritatis limites se contineant.

12 CIRCA Quartam partem expendit amplius eadem extrema vitia, & comparat inter se, ut inde colligat utrum eorum altero peius sit. At primum quidem disputationem aggreditur ab exuperantia, nimirum, ab habitu vitioso iactantiæ, de quo tria quaerit. Primum, quotuplici ratione & modo in eo peccetur. Secundum, quid sit illud, penes quod maximè attenditur iactantiæ vitium. Tertium, quibus in rebus præcipue ipsa iactantia appareat.

13 QUANTVM AD Primum, pronuntiat iactantiæ peccatum tripliciter admitti posse. PRIMO, si quis gloriatur aut ea sibi inesse, quæ non in sunt; aut maiora, quam in sunt; adque non metus causâ, non utilitatis alicuius intuitu, sed dumtaxat, quia in eo iactationis seu ostentationis genere delectatur. Hominem huius conditionis existimat similem improbo & flagitioso, quoniam capit ex mendacio voluptatem, sicut ille ex scelere & turpitudine: ceterum addit, reipsâ nec esse, nec censei debere improbum, sed *ματτωρ*, id est, *vanum*, ut interpretatur Argyropilus, & Turnebus, ac Gallutius: vel *futilem & ineptum*, ut alij: vel *leviculum & nugatorem*, ut nonnulli. Placet tamen prima interpretatio: iuxta quam, qui eo vitio peccat, potius vanus, quam malus censei debet. Neque enim perniciosus alijs est, aut noxius, sed dumtaxat leviculus, aut nugator. SECUNDO id accidit, cum quis de se gloriose loquitur intuitu honoris assequendi, quod non admodum vituperabile esse monet Arist. quia pro fine habet honorè, quodammodo similem ei, qui Virtuti tribuitur, TERTIO denique, cum quis gloriatur ut pecuniam exinde comparet, vel quidquam aliud eorum, quæ pretio aestimantur. Hoc autem turpius esse docet, quam præcedens: quia minorem ob causam prætermittitur Veritas, & mendacium eligitur.

14 QVOAD Secundum, exponit penes quid præcipue vitium iactantiæ existimari debeat. Et docet, pensari debere potius ex electione, quam ex facultate, vel potentiâ, quâ potest quis se gloriose iactare. Alioqui omnis homo reipsâ arrogans, seu iactator esset. Dicitur & est ostentator quis, propter habitum, secundum quem ex consilio & ele-

ctione operatur: quoniam ex habitu sequitur consilium & electio. Quod idem de mendacio existimari debet. Non enim quis mendax dicitur, aut est in re, & exercitio, ob facultatem, sive potestatem mentiendi (alioqui omnis homo frequenter mentiretur) sed propter habitum mentiendi, ex quo oritur consilium & electio falsæ locutionis. Vbi Arist. tacite videtur refellere oppositam existimationem Platonis, qui in *Hippia Maiore* docet, mendacem ac veracem simul vnum eundemque hominem esse: quoniam & mendax verum dicere potest, & verax mendacium. Refellit, inquam, ex eo quod mendacem aut veracem quempiam esse, non ex facultate seu potentiâ spectetur, sed ex consilio & electione, quæ est secundum habitum. Itaque mendacem, sive vitiosum per exuperantiam peccare eo modo, fere sic probat. Vbicumque habitus est, ibi non solum facultas est & potentia, sed etiam consilium & electio. Atqui in viro mendaci est habitus iactantiæ, quæ loquitur & profert falsum. Ergo in viro mendaci non solum est facultas & potentia, sed etiam consilium & electio, quæ loquitur, & profert falsum.

15 INSUPER Et eandem Platonis opinionem impugnat lib. 4. Metaph. adhibito etiam exemplo mendacis, qui non censei eo vitio peccans, ex potentiâ & facultate mentiendi, sed ex ipso mentiendi exercitio, secundum consilium & electionem profectam ex habitu. Quod pene in hunc modum demonstrat. Quicumque facilis est ad agendum in aliqua materiâ, & ex actionibus ipsis delectationem capit, is profecto operatur ex habitu. Atqui mendax facilis est ad actiones mentiendi, & ex ijs delectationem capit. Ergo mendax operatur ex habitu. At quisquis operatur ex habitu, is certe ex consilio & electione operatur: proindeque potius ex his capitibus, quam ex potentiâ seu facultate mentiendus est. Nomine verò mendacis hoc loco, intelligitur arrogans, sive ostentator, qui de se gloriose prædicat, quæ non habet; aut profert maiora, quam verè habeat.

16 QVOAD Tertiam exponit quibus in rebus præsertim appareat vereturque iactantia. Pro cuius intellectu breviter recollendum quod supra num. 8. præmissum fuit, quosdam ex iactatoribus, sive arrogantibus, solum spectare iactantiam; quosdam honorem & gloriam; quosdam denique pecuniam, sive quæstum. In his ergo tribus generibus rerum posita est iactantia. Nunc autem pergit Arist. ut edisserat quomodo & qualiter circa ea se habeat, iuxta vnumquemque modum ex tribus prædictis. Pronuntiat verò, iactantem se, nullo alio fine proposito, quam delectatione in iactando seipsum, promiscue de rebus omnibus glo-

gloriari : quoniam ad eam delectationem capiendam, quam vnam quærit, perinde se habet quod de hoc aut de illo se iactet. Qui verò in iactatione quærent honorem & gloriam apud ceteros homines, ij venditant & arrogant sibi actiones præclaras, quibus honor & gloria impenditur, eaque bona, ob quæ homines beati & cæteris præcellentes habentur. Quare gloriantur de actionibus Virtutum, bonisque fortunæ & corporis; vt opibus, valetudine, nobilitate, pulchritudine, & elegantia. Denique ijs, qui utilitate aut quæstu ducuntur in iactantia, duo rerum genera sibi in esse simulant, alterum earum, quæ voluptati utilitative capiendæ sint alijs opportuna (alioqui frustra ex ijs quæstum sibi pollicerentur) alterum earum, in quibus facile alios decipiant, & caveant sibi ne in mendacio deprehendantur. Huius generis sunt animi bona, vt scientiæ quædam & artes, quarum fucata professione, quidam deceperunt alios, indeque divites evaserunt.

17 TRIPLEX Hominum genus profert in id exponendum: nimirum, divinos, medicos, & sapientes. Eas namque disciplinas, seu dotes animi, plures sibi tribuerunt, & venditarunt, cum aliorum fraude, & ingenti suo quæstu. Innumeri enim olim (utinam & non hodie) se divinos, aut medicos, aut sapientes iactarunt, ad aliorum pecuniam corradendam. De divinis, sive hariolis, vniversè pronunciat Sophocles in Antigone: τὸ μαντικὸν φιλάργυρον πάντων γένος. *Omne genus d. v. m. pecunie cupidum.* Cicero quoque lib. 1. de Divin. inquit, & in medium prolatis versibus Ennij confirmat: *Nunc illa testabor, non me fortilegos, neque eos, qui quæstus causa hariolentur, ne psychomantia quidem, quibus Appius amicus tuus uti solebat, agnoscere.*

*Non habeo denique nauci Marsum augurem,
Non vicanos baruspices, non de circo Astrologos,
Non Isiacos coniectores, non interpretes somnium.*

*Non enim sunt ij scientia aut arte divini,
Sed superstiosi vates, impudentesque harioli,
Aut merces, aut insani, aut quibus egestas imperat.*

*Qui sibi semitam non sapiunt, alteri monstrant
viam.*

*Quibus divitias pollicentur, ab ijs drachmam
ipsi petunt.*

*De ijs divitijs sibi deducant drachmam, red-
dant cætera.*

181 DEM Cicero lib. 2. de Divin. sic in eos, veluti mendaces, & seductores invehitur, dum ait: Quotidie refelluntur Chaldaei. Quam multa ego Pompeio, quam multa Crasso, quam multa huic ipsi Cæsari à Chaldaeis dicta memini; neminem eorum, nisi in senectute, nisi domi, nisi cum claritate moriturum,

vt mihi permirum videatur, quemquam extare, qui etiamnum credat ijs, quorum prædicta quotidie videat re & eventis refelli. Quare & Phavorinus apud Gellium lib. 14. c. 1. pronunciat, ea quæ Genethliaci temerè auctore, astute vera dicunt, præ cæteris quæ mentiuntur, partem non esse millesimam. Denique Henricus Cornelius, alioqui vanitatum studiosissimus, falsus est, hæc artem nihil aliud esse, quàm supersticiosorum hominum coniecturam fallacem; qui ob multi temporis cursum de rebus incertis scientiam fecerunt: in quâ, emungendæ pecuniæ gratiâ, decipiant imperitos, & simul ipsi decipiantur. Plura alia huc spectantia, & admodum opportuna illustrandæ doctrinæ Arist. quam præ manibus habemus, dedi tom. 1. Theologie Florulentæ Lud. 6. per tot.

19 DE Medicis quoque & pharmacopolis manifestum est, quod Arist. observat. Quamvis enim multi inveniantur præstantes, alij plurimi, & propè innumeri existunt, præsertim circulatores, & circûforanei, qui scientiam ostentant, quam ignorant, & expensis vitæ atque opum alienarum divites fiunt. Sapientum denique nomine videtur intelligere Sophistas, quos etiam Plato arguit arrogantia pariter & avaritiæ. Vide infra lib. 9. cap. 1. Nimirum, ij omnes facile imperitum vulgus fallere possunt, & ita se gerere, vt in mendacio vix, aut ne vix quidem deprehendantur, interim emungentes aliorum pecuniam inani ostentatione artis, vel scientiæ.

20 HINC Proceat ad alterum extremum vitium dissimulatorum, in defectu positum. Eos autem bipartitò distribuit Aristoteles, seu in duplicem classem refert. Prima est illorum qui negant se habere ea, quæ summo honore aut gloria apud homines digna existimantur: cuiusmodi sunt excellens ingenium, singularis eruditio, & alia huius generis. Eiusmodi conditio, sive dissimulatio tribuitur Socrati, cuius vita perpetua quædam ironia seu dissimulatio fuisse videtur: quoniam semper dicere solitus est, se nihil scire, cum tamen subtilis Philosophus & scientissimus esset. Quare de illo Quintilianus lib. 9. ca. 2. ita loquitur: Vita vniversa ironiam habere videtur, qualis est vita Socratis, nam ideo dictus εἰρωνία id est, agens imperitum, & admiratorem aliorum tamquam sapientium. Cicero quoque in QQ. Academ. Socrates, inquit, de seipso detrahens in disputatione, plus tribuebat ijs, quos volebat refellere. Ita cum aliud diceret, atque sentiret, libenter vti solitus est eâ dissimulatione, quam Græci εἰρωνίαν vocant. Porro eos, qui tam magna & glorioia dorum genera dissimulant, sive occultant, Aristoteles modestos, & χαρισίους, id est, elegantiores moribus, appellat. Non enim quæstus gra-

gratiâ videntur loqui; sed fugientes elationem. *Maximè autem, inquit, hi negant ea quæ sunt præclara, ut Socrates faciebat.*

21 ALTERA Classe censentur qui parva manifesta que bona sua dissimulant: ut opes exiguas, ingenium commune, ac vulgarem doctrinam. Eos verò Arist. βαυκοναργῶν appellat: id est, *delicatos simulque masitiosos*, iuxta Argyropilum: *versipelles*, iuxta Turnebum: *gravitatem assutè venantes*, iuxta Giphanium: *versutos seu delicatos veteratores*, iuxta Lambinum: *versutè graves*, iuxta Gallutium. Denique P. Victorius Latine reddere noluit, sed litteris Latinis *baucopanurgus* expressit: quod existimaret difficile reddi posse. Verum apud Theodorum Zuingerum in notis ad hunc locum lego, esse nomen compositum: quoniam βαυκιδῆς apud Pollucem & Eustathium significant genus quoddam calceamentorum valde delicatum. βαυκῶν αργῶν autem significat veteratorem, & versipellem hominem, qui aliud in ore, aliud in pectore versat. Veteratores enim dicuntur proprie qui ex veteramentis rem faciunt: nimirum, ex vestibus, & quibusvis utensilibus, vetustate atque usu attritis iam & corruptis. Quare optima videretur interpretatio, ut Latine *versuti seu delicati veteratores* dicantur.

22 QVOD Esse admodum conforme Aristotelis sensui, patet: quoniam statim addit, eiusmodi homines esse aspernabiles, & videri arrogantes, instat Lacedæmoniorum, qui sordidas & attritas vestes gerebant, ut divitiarum contemptores viderentur. Nam & nimium curare corporis cultum sive ornatum, & valde parum, est arrogantia, seu iactantia nota. Quò spectat notum illud Diogenis Cynici, pedibus conculcantis stragula, tapetes, & Milesia vellera, quibus Plato ornatam & splendidam domum suam habebat; ac dicentis, se calcare Platonis fastum. Cui Plato occurrit dicens, *Fastum quidem calcas, sed maiore fastu*. Nimirum, verissimum est illud S. Augustini effatum, *etiam in ipsis sordibus esse posse iactantiam*. Itaque quicumque vulgaria & exigua merita dissimulant, aut incultâ & sordidâ vel attritâ veste, aut verbis, aut factis, videntur dissimulatione hac decipere velle, & ex levi gloriæ humanæ contemptu maiorem gloriam aucupari. Nimirum, videri volunt eximiâ Virtute aut Sapientiâ præditi, veluti qui caduca hæc & fluxa prorsus aspernentur. Ideoque *baucopanurgi* appellantur ab Arist. scilicet, *veteratores versuti seu delicati*: quoniam ex rebus vilibus (quales sunt βαυκιδῆς: calceamento enim, licet pretiosissimo quò ad materiam, nihil vilius, si utrum spectes) quas contemnunt, & sibi adesse, vel dicto, vel facto negant, gloriam aucupantur.

23 EANDEM Lacedæmoniorum

consuetudinem ab Arist. reprehensam commemorat Xenophon *lib. de Republ. Lacedæm.* ubi tradit, solitos uti vestibus vilissimis, nec infra genu demissis, ut frugalitate præditi viderentur. Cum verò id aliquando videret atque expenderet secum quidam vir prudens, *Novum, inquit, gloriationis & iactantia genus, sub amictu viloso ac sordido animum tegere arrogantissimum*. Neque tamen ideo vel in minimo taxandus, aut minori pretio habendus mos quorundam Religiosorum Ordinum, qui sodalibus suis vilia & horrida indumenta præscribunt. Id enim meritò fit in macerationem carnis, in contemptum sæculi; non Stoicum, non turgidum, aut gloriæ humanæ avidum, sed Christianum, & Evangelicum: ac veluti testimonium quoddam internæ modestiæ & humilitatis, quam profitentur. Quò spectat illud S. Hieronymi: *Sordida vestes candidæ mentis indicia sunt. Mundi contemptum probat vilior tunica: sed ita, ne tumeat animus, ne habitus & sermo differant*. Quibus postremis verbis indicat scopulum in eo cultu horrido devitandum. Neque obstat quòd eam ob causam Lacedæmonij ab Arist. reprehendantur: quia in ijs non carpitur, aut damnatur factum ipsum; sed animus, & finis, quo id faciebant. *Non enim propterea* (inquit S. Augustinus *lib. 1. de Sermone Domini in monte cap. 12.*) *ornatus superfluo debet aspectus hominum mulcere Christianus, quia illum parcum habitum ac necessarium etiam simulatores factus usurpant: quia & illæ oves non debent pelles suas deponere, si aliquando eis lupi se contendant.*

24 DENIQUE Dissimulatores omnes, quotquot defectu peccant, & extreme contrarij sunt iactatoribus, sive arrogantibus, hoc ordine recensentur & comparantur, tam cum ijs, quam inter se. Qui bona sua imminuunt, ac de se detrahunt, generatim loquendo, meliores apparent, quam iactatores & gloriosi: cum saltem priores ij ad modestiam accedant, à quâ procul recedunt posteriores. Qui autem prorsus dissimulant, sive occultant bona præclara, & magna, quibus præditi sunt, meliores etiam longe existunt, quam iactatores & gloriosi: quoniam & præ ijs molestiam colunt, & superbiam fugiunt. Qui tandem dissimulant bona sua exigui ponderis, videntur iactatoribus æquales; quoniam eandem, ac ij, gloriam humanam quaerunt, licet diversâ viâ: iactatores quidem, ostentando & simulando; hi autem contemendo & dissimulando. Sunt autem longe peiores dissimulatoribus primi & secundæ generis: quoniam dissimulatio illorum non est ob aliquem finem bonum, neque ad vitandum inanis gloriæ malum, sed potius ad humanam gloriam aucupandam. Quare meritò comparat tandem ironicum seu dissimulatorum iactatori, & querit, uter eorum Veritati magis ad-

ver.

versetur. Respondet autem, iactatorem magis adversari, quia veraci dissimilior est, magisque à Veritate recedit: cum palam de se prædicet quod non habet, aut magis quam habeat: ironicus verò seu dissimulator solùm contegat dicto aut facto id quod verè habet. In quo cer-

tè non exiguum Modestia specimen est, & iustà causà exigentè, Virtutis exercitium honestum & laudabile esse potest.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 109. 110. & 111. atque ipsius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM,

De Comitate, & eius extremis.



VM Verò sit & requies in vita, atque in hac ipsa ioco sese recreent homines, videtur & hic esse quædam æquabilis congressio, & dicendo, & audiendo ea, quæ oportet, & ut oportet. Differt autè & dicendo inter tales, & audiendo tales. Atque patet etiam in his esse nimium atque parum. Qui igitur in ridiculis exuperant, scurræ sunt, ac importuni, affectantes omnino ridiculum, & magis coniectantes facere risum, quàm honestè loqui, & non afficere eum dolore, in quem facetè dicunt. Qui verò neque dicerent quicquam ridiculi, neque alios dicere paterentur, rustici sunt, & duri. At is, qui cum moderatione iocatur, comis, atque urbanus vocatur: talem sanè moris iam habitum assecutus, ut ad bene, rectèque iocandum sese flectere possit. Huiusmodi nanque motiones, mores ipsius esse videntur: atque uti corpora, sic & ipsi mores, motionibus discernuntur. Cùm autem exundet ipsum ridiculum, plurimique ioco, salibusve magis, quàm oportet, gaudeant, scurræ quoque eodem nomine nuncupantur, ut gratiosi, elegantes. Sed eos differre, atque non parum, ex ijs, quæ diximus, constat. Accommodatur autem huic habitui medio, ipsa dexteritas. Atque ipsius est dextri, ea dicere, & audire, quæ ad modestum virum, liberalemque accommodantur. Sunt enim quædam, quæ ioco dicere, & audire, talem hominem decet. Atque ipsius liberalis iocus, & eruditi, à servilis ioco, rudisque differt. Licet hoc tam in antiquis quàm in novis comædijs intueri. Quibusdam enim verborum obscœnitas, quibusdam potius subintellectio, ridiculum erat. Atque hæc non parum honestatis differunt ratione. Isne igitur dicendus est rectè facetijs uti, qui dicit ea, quæ liberum hominem decet? An is, qui eum, qui audit, dolore non afficit, vel etiam delectat? An & hoc indefinitum esse constat? Est enim aliud alijs odio, & iucundum. Talia autem & audiet. Quæ nanque

que fert audiendo, ea videtur & facere. At non quidvis faciet. Et enim facetiæ, convicia quædam sunt. Et legum latores nonnulla convicia dicere vetant. Fortasse autem illos & nonnulla prohibere facetè dicere oporteret. Vir itaque graciosus, ac liber, ita sese habebit quasi sibi ipsi lex sit in ioco. Talis est igitur ipse medius, sive dexter, sive urbanus, sive comis dicatur. Scurra autem à ridiculo superatur, & neque sibi, neque alijs parcat, modò moveat risum: eaque dicit, quorum nihil prorsus graciosus ipse diceret: & aliqua ne audiret quidem. Sed rusticus ad tales congressiones inutilis est: quippe cum nec ipse quicquam afferat salis: & cum afferunt alijs, ægrè, molesteque ferat. Requies autem, & iocus, in vita necessaria sunt. Tres igitur eæ sunt, quas diximus, mediocritates in vita. Sunt autem omnes circa verborum quorundam, actuumve communem usum. Sed differunt, quòd una circa veritatem, cæteræ circa voluptatem versantur. Atque harum altera quidem est in ioco, altera autem in congressionibus reliquæ vitæ consistit.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Esse nimium & parum in ludis, proindeque & mediocritatem ijs extremis interiectam, quam Græci Eutrapeliam, Latini Comitatem dicunt. Ibius propria ratio, tam prout opponitur vitijs extremis, quam prout differt à Veritate, & Affabilitate, superius explicatis.



E Comitatem, inquam. Sic enim inscribit Latinè Argyropilus hoc caput: cum vix invenitur apud nos aliud nomen quo exprimitur illa Virtus, quæ in ludi moderatione, seu mediocritate sita est, & à Græcis Eutrapelia dicitur. Est autem admodum affinis aut similis Affabilitati, de quâ dictum fuit cap. 6. huius libri: ideoque passim una pro alia usurpari solet. Sed tamen verè dissident, ut apparebit seriò expèdenti rationes formales utriusque, & proprietates diversas. Quare & Arist. de ijs alio atque alio loco agit, tanquam de Virtutibus distinctis. Dividitur autem caput hoc in quatuor partes. In primâ docet, posse esse nimium & parum in ludis; similiterque mediocritatem utriusque extremo interiectam. In secunda designat eadem vitia extrema, & Virtutem interceptam. In tertiâ decernit quid propriè pertineat ad singulos eorum habituum. In quartâ denique statuit discrimen inter hanc Virtutem, & Veritatem, atque Affabilitatem, de quibus utroque præcedenti capite disseruerat.

2 CIRCA Primam partem pronuntiat, etiam in ludis esse posse Virtutem ac-

vitia extremè adversa. Quod probat ex eo quòd vitæ humanæ sit necessaria requies aliqua, & oblectamentum; quod præcipue in ludo, sive ioco positum est. Inde tam multiplex ludorum varietas, quibus indicandis ne plures quidem pagine sufficerent. Vide Onuphriû Panuinum singulari Opere de Ludis, Rossinum; adiuncto Dempstero lib. 5. Antiq. Roman. Bulengerum in Opusculis lib. de Circo Romano, ut alios omittam. Vnde & ratio sic institui potest ad mentem Aristotelis. In requiete, sive oblectamento vitæ humanæ, potest esse mediocritas ad Virtutis præscriptum, sicut & excessus, & defectus vituperabilis. Atqui ludus, sive iocus, est quædam requies, aut oblectamentum, & quidem præcipuum, vitæ humanæ. Ergo in ludo, sive ioco, potest esse mediocritas ad Virtutis præscriptum, sicut & excessus & defectus vituperabilis. Consequentia est perspicua. Maior autem probatur. Quia circa omnia media, sive subsidia necessaria vitæ humanæ, potest esse iusta mediocritas, sicut & excessus & defectus vituperabilis: ut apparet in somno, cibo, & potu: quæ in mediocri & proportionatâ mensurâ, ad Virtutis præscriptum sunt: in excedente autem, aut deficiente, pertinent ad vitia extrema. Tunc cuim

enim media iusta sunt, sive iuxta Virtutem, cum servant proportionem ad finem rectum obtinendum: tunc autem vitiosa, cum ab eo exorbitant, vel deficient. Minor autem præcipua suaderetur autoritate simul & ratione Arist. lib. 8. Polit. cap. 3. & Ciceronis lib. 1. de Officijs. Quia humana vita nequit esse labori & negotijs semper intenta: quoniam vires non suppetunt ad tantum onus absque intermissione sustinendum. Ergo oportet, necessariumque est ut requies aliqua sit, sive oblectamentum, quo tantisper recreata, possit iterum ad laborem redire. Eiusmodi autem requies, sive oblectamentum est ludus, seu iocus. Ergo ludus, seu iocus, est requies, sive oblectamentum humanæ vitæ.

3 CONFIRMATVR. Potest quis ita ludere, seu iocari, ut mediocritatem seruet, spectatis omnibus circumstantijs, quatenus oportet ad iustam animi relaxationem, atque interstitium laboris. Potest etiam in eo excedere, qualiter ij, qui totos dies, noctesque exigunt in eo oblectamenti genere, neque ludunt ut vivant, sed potius vivunt ut ludant. Potest denique aliquis ita difficilis & austerus esse, ut ne oblatâ quidem occasione iustâ, aut urgente vitæ humanæ necessitate, ludere velit ad breve tempus, aut permittere sibi requiem aliquam, ut idem tamen ad laborandum revertatur. At ex hoc triplici hominum genere, primi censentur secundum Virtutem agere: secundi per excessum delinquere, sive exorbitare à medio: tertij demum existimantur peccare per defectum. Ergo in ludo, sive ioco, potest esse, tam mediocritas secundum Virtutem, quam vitium penes excessum & defectum.

4 CIRCA Secundam partem plenius edisserit, seu exponit eadem vitia extrema, Virtutemque interiectam. Ac primò quidem loquendo de extremo illo, quo per exuperantiam in ludo peccatur, observat, eos qui immoderatiùs iocantur, aut ludunt, à Græcis appellari βωμολόχης, καὶ φορτικῶς: id est, *scurras* & *importunos*, ut interpretatur Argyropilus, & ferè cæteri: quoniam ex qualibet risum captant, studentque potius in ridicula, quam honesta affluere toti; nec dubitant alijs offensionem ingenerare, ut iocentur, & facere se habeant. Cur autem eos Arist. βωμολόχης appellat, non vna ab omnibus ratio assignatur. Eustatius Græcus Interpres Aristotelis in hoc Opere ait, bomolochos esse quasdam aves, cibi avidissimas, quæ proinde solent etiam λοχεῖν τοῖς βωμοῖς, id est, *insidiari aris*. Scilicet, solebant captare quidquid fortè reliquiarum esset ex victimis immolatis. Sicut enim aves illæ cibum undique conquirere & rapere solitæ erant: sic ridiculi homines, sive scurræ ex quacumque re, etiam sacrâ, & ad Dei cultum spectante, occasionem ridendi, & iocandi quæ-

runt. Quæ interpretatio videtur satis congrua & opportuna. Obertus tamen Giphanius observat ex Suidâ, eo nomine appellatos viles quosdam & plebeios homines, qui olim, dum immolarentur victime, adstabant ijs, emendicantes particulam, & veluti dolo captantes. quo ipso risum excitabant immolantibus. De quo legendus Rhodiginus lib. 10. cap. 6. Unde & ab Aristotele appellantur βωμολόχοι, sive scurræ, homines abiecti & viles, quibus nihil aliud curæ est, quam ut risum ubique moveant, & iocentur.

5 SIMILITER Et eos φορτικῶς appellat, id est, importunos, sive onerosos. Nihil enim est quod magis stomachum provocet, aut fastidio sit, quam homines scurræ, sive saniones; ij præsertim qui dicacitatem suam vendunt, & pecuniam aut cœnam ab opulentis, seu Principibus captant. Unde ortum fuit vetus proverbium: *Qui semel scurra, nunquam pater familiâs*. Cuius ratio est, quam nuper assignavimus. Cum enim scurræ non laborent ad parandum sibi victum, sed facetijs & dictarijs venalibus semel didicerint victitare de alieno, & mendicare ad aliorum mensas; gravissimum ijs fit de cætero laborare ad familiam alendam, qualiter decet patrem familiâs. Unde qui semel scurra est, nunquam, uti oportet, pater familiâs erit. Quare & Cicero in actione pro Publio inquit: *Memini, vetus est, de scurrâ, multò faciliùs divitem, quam patrem familiâs fieri posse*. Hinc & eorum dictoria ad nauseam provocantia, à veteribus dicebantur *Siculæ nugæ*, sive *gerræ*. Unde illud Ausonij Epist. ad Symmachum: *Missi ad te frivola gerris Siculis vaniora*. Nimirum, Siculi dicaces, & scurræ fuisse memorantur: atque ex ijs præcipuè Epicharmus vetus Poeta, ad cuius exemplar properare Plautum dixit Horatius: quoniam Plautus in nugis ac iocis φορτικῶς, id est, importunus & nimius est. Et hæc quidem de ijs, qui in ioco, sive ludo, per exuperantiam peccant.

6 VENIAMVS Ad alterum extremum, quo peccatur in defectu ludi, sive ioci, & proprium eorum, qui nihil facetum, nihil saluum loquuntur, neque unquam festivè iocantur: quin potius si alios iocantes viderint, ægrè id ferunt. Hos porrò Aristoteles appellat ἀγροῖς καὶ σκληροῖς, id est, *agrestes* & *duros*. Nimirum videtur similis feræ agresti, & profus alienæ ob humanâ consuetudine, qui non modo nihil loquatur unquam, faciatve, quod oblectamento, aut diverticulo esse possit; verum etiam neque patitur, alios honestam aliquam recreationem habere, quâ labores & onera vitæ assidua fallere quoddammodo & tolerare possint. Itaque hi per defectum peccant, & vituperabiles censentur ab Arist.

7 ACCEDIT Itaque ad differendum de ijs qui mediocritatem seu moderatorem in ludo & ioco servant, illosque *εὐτραπέλας* nominat, id est, *benè facileque flexibiles*; ab *εὐ*, quod Græcè significat *bene*, aut *facile*; & *τρέπειν*, quod est *flexere*. Eiusdemque vocabuli etymon ducit Arist. à facili motu, seu docilitate eorum, qui festivi animo sunt in debita mensurâ, & consentaneâ urbanitati, atque humano convictui. Ij enim facile flexuntur & concinnè ad sales & dicta, quando & quomodo decet: habentque se instar corporum bene valentium, quæ facile flexuntur vbi opus est. Contrâ verò agrestes & duri, de quibus paulo antè dictum est, inflexibiles existunt, instar corporum agrorum & malè habentium, quæ vix, aut ne vix quidem flexuntur. Itaque qui eam mediocritatem in iocis & ludis servant, Eutrapeli dicuntur, sive Eutrapeliæ habitu præditi. Quæ vtraque vox, quamvis origine Græca sit, vsu ipso Latina facta est. Nam teste Cicerone Epist. 26. lib. 9. Volumnius Senator ob eam animi festivitatem Eutrapelus à Romanis dictus est, Latinâ terminatione. Inde & in vsum derivata ea vox, sicuti & Eutrapeliæ, ad significandum Virtutem in ludi, seu ioci moderatione positam.

8 VERVM Quamvis hoc ita sit, monet Arist. frequenti hominum vsu nomen Eutrapeliæ transferri ad vitium extremum, quod per exuperantiam peccatur: ita vt scurræ, sive sanniones, Eutrapeli nominentur, & scurrilis dicacitas Eutrapelia appelletur. Quod & in sacris litteris locum habet. nam *Ephesiorum* 5. in textu Græco Eutrapelia dicitur, quæ in Vulgatâ versione *scurrilitas* vocatur. Vbi sensus non est, ab Apostolo reprehendi mediocritatem in ioco, quæ verè Virtus est, quæque decet viros optimos, præsertim in humano convictu versantes; sed nimiam festivitatem, sive exuperantem, cui ex communi vsu loquendi nomen ipsum Eutrapeliæ adaptatur, quamvis principio ad inventum, seu institutum ad significandam eam mediocritatem, Virtutis propriam. Causam verò eius translationis in eo sitam indicat Arist. quod ex frequenti & nimio iocorum vsu, Virtutis nomen in vitij significationem transferit. Cum enim plerisque hominum opulenti & potentibus gratæ sint faceræ & sales hominum ridiculorum, tandem evenit, vt quos scurras, seu parasitos appellare oporteret, eos facetos, lepidos, ioculos, atque demum Eutrapelos dicant. Nimirum iam illo ævo ingens copia erat homuncionum eiusmodi, quæ potuit communi vsu detorquere nomen Virtutis ad significationem vitij.

9 CIRCA Tertiam partem describit expendique quædam eorum habituum proprietates; ac primò quidem illius, qui in

mediocritate consistit. Pronuntiat igitur, virò prædito habitu Eutrapeliæ inesse propriam *επιδελξιότητα*, dexteritatem. Imo & ipse habitus Eutrapeliæ est quædam dexteritas: nimirum, convenientia, sive sagacitas in agendo, deducta ab agilitate dextræ manus, quæ sequax est, & versabilis ad quodlibet opus. Vnde Livius lib. 8. Belli Punici, *Tanta erat, inquit, Scipioni comitas, atque ad omnia naturalis ingenij dexteritas*, &c. Ac lib. 7. Belli Macedon. Simili stilo: *Multa in eo & dexteritas, & humanitas visa*. Quare vix differre significatione vtrumque vocabulum dexteritatis & Eutrapeliæ, censet hoc loco Gallutius; licet veriùs sit dissidere veluti genus à specie. Omnis quippe Eutrapelia dexteritas quædam est circa iocos, quoniam huius Virtutis in specie considerata est inspicere, quibusnam iocandum sit, quo loco, tempore, & modo. in quo certè dexteritas quædam apparet. Cæterum dexteritatis ratio generatim per plures alias Virtutes morales, & artes vagatur: in quibus Gallutius negare non potest esse propriam quandam dexteritatem: cum in earum exercitio plura inspicere opus sit, & varias circumstantias expendere, vt rectum evadat. Differunt ergo Eutrapelia & dexteritas, sicut species & genus.

10 EST Et alia ratio cur Aristoteles Eutrapeliæ tribuat dexteritatem: quoniam iuxta ipsum lib. 3. de Partibus Animal. cap. 9. *motus à dextris procedit: eaque propter fortior est motus partium dexterarum*. Et Plinius observat pariter, *vires dextra parte esse maiores*. Ideo hepar splene melius iuxta Anatomicos. Ideo è renibus, manibus, pedibus, testiculis, quæcumque dextra sunt sinistris meliora. Ideo & cor propendet in lævam partem, veluti infirmiore, quæ propterea eget validiore impulsu. Rationemque delignat, præsertim lib. de Incessu Animal. tum, quia dextræ partes sunt calidiores, quàm sinistræ: tum etiam quia priores agunt, posteriores patiuntur, & agens debet esse perfectius passio. Vnde & demum ortum est, vt quæcumque recte fiunt, communi ferè vsu dextrè fieri dicantur: & in quibuslibet rebus dextra sinistris præferantur. De quo plurima polioris notæ dedim⁹ tom. 1. Theologiae Florulentæ Lüd. 3. per tot. Quare Eutrapeliæ tribuitur hoc loco dexteritas, veluti Virtutis & rectitudinis nota. Qui enim eutrapelus est, dexteritatem, sive rectitudinem servat, in inspicendis circumstantijs omnibus, quas exigit iocus, vt secundum rationem fiat, & nihil sinistrum habeat.

11 NIMIKVM, Eutrapelum virum oportet dextrè se habere in discernendis ludis, sive iocis: quoniam vt hoc loco monet Arist. est quoddam genus iocandi ingenium & liberale: quoddâ verò illiberale & flagitiosum.

Primum illud elegans est, honestum, & probo viro dignum: aliter verò probrosum & turpe ac scurrarum proprium. Quod exponit dissimilitudine ioci inter virum doctum & indoctum, quos ait differre in iocando, sicut Comœdiæ recentis sui temporis dissidebant à veteribus. Etenim licet utraque quoddammodo in salibus & iocis convenirent, adhuc erat ingens earum discrimen. Veteres enim Comœdii nimium excedebant in iocis, & disterij: neque ijs probrosum videbatur usurpare verba turpia & obscœna: aut præsentis & absentis maledictis proscindere. Vnde carpit eos Horatius Satyra 3. dum accinit:

*Eupolis, atque Gratinus, Aristobanusque,
Poetæ*

*Atque alij, quorum Comœdia prisca viro-
rum est,*

*Siquis erat dignus describi quòd malus
aut fur,*

*Quòd mæchus foret, aut sicarius, aut alioqui
Famosus; multa cum libertate notabant.*

Quare opus fuit lege eam licentiam prohibente, & frænante obicœnitatem dicacitatemque in Comœdijs veteribus usitatam. Quod idem Horatius commemorat in Arte Poetica, illis versibus:

*Succesit vetus his comœdia non sine multa
Laude: sed in vitium libertas exiit, & vim
Dignam lege regi. Lex est accepta, chorusq;
Turpiter obtulit, subiato iure nocendi.*

12 MERITO Igitur discrimen assignat Arist. inter Comœdias veteres, ac recentiores sui temporis, quòd in illis prioribus nulla pudoris ratio haberetur, sed prævaleret obscœnitas & dicacitas: in posterioribus autem decoro & verecundiæ consulerebatur. Quippe etiam ubi quidquam minus honestum, aut rei turpiculæ sententia proferebatur, hæc non in aperto erat, sed obscura, & allusionibus cõiecta. Hoc ergo modo differre ait virum Eutrapeliæ habitu præditum à scurrâ & sannione: quòd ille dexter sit & sagax ad discernendum in iocis ludisque decorum à turpi, neque quidquam admittat indecens, aut verecundiæ adversum, aut quod alijs offensionem ingeneret: cum tamen scurra per omnia in oppositum se habeat: quippe cui nulla decori aut honesti ratio est.

13 EX Proprietate traditâ Eutrapeliæ viri, quæ circa exteriora, tum facta, tum verba est, procedit Philosophus ad vestigandam eius interiorem notam. Quod ut exponat, querit qualiter definiendus sit vir Eutrapelus, seu mediocritatem servans in iocis. an, scilicet, eius intima seu propria ratio sit bene affectum esse ad ea dicenda & audienda in lucis & iocis, quæ dicere & audire congruum sit viro probo & ingenuo: an verò date ope-

ram, seu studere ne alijs offensionem pariat: an denique aliquomodo: consulere voluptati moderatæ aliorum, quibuscum iocatur. Omnia enim hæc confectaria videntur, seu illata ex proprietate antè traditâ. Si enim, ut nuper statutum fuit, viro Eutrapelo studium & dexteritas est ne quidquã dicat faciatve, nisi quod ingenuum, & probum virum decet circa iocos; profectò curabit ille ne dicat audiatve quod alios offendat, sed potius moderate delectet, quoties ratio præscribit iocandum esse. Quamvis verò huius quæstionis resolutio in textu perobscura sit, ac veluti mysterio involuta, ut plures alij apud Arist. videntur docere, ac statuere, potiorẽ sive præcipuam hominis Eutrapeliæ proprietatem non in eo sitam esse, quòd voluptatem pariat, aut offensionem non ingeneret ijs, quibuscum iocatur: sed in eo quòd studeat inter iocandum nihil dicere, vel audire, quòd non deceat probum atque ingenuum virum.

14 PRIOREM Resolutionis huius partem videtur probare ferè sic. Id quòd in infinitum abit, & inexhausti laboris ac negotij est, non competit viro Eutrapelo ut præcipua proprietas. Atqui voluptatem alijs parere, & nullam ingenerare offensionem, est quid in infinitum procedens, & inexhausti laboris ac negotij. Ergo voluptatem alijs parere, & nullam ingenerare offensionem, non competit viro probo ut præcipua proprietas. Consequentia patet: & maior propositio similiter: Quia cuiuslibet finitæ rei præcipua proprietas debet esse finita, & certis terminis clauia: absurdumque est viro probo & Eutrapelo iniicere molestissimum ac planè intolerabile onus. Minor autem suadetur. Quia cum variæ ac dissidentes hominum complexionibus, seu affectionibus sint, videtur procedere in infinitum, & molestiâ ac labore plenum, velle omnibus afferre voluptatem, & nulli offensionem. Sapissimè enim accidit, ut quòd vni, aut multis voluptuosum sive iucundum est, alijs, aut plerisque grave sit: imò & vni eidemque homini, alio atque alio tempore, eadem ipsæ res, modo voluptati, modo dolori sunt. Quippe verissimum est illud Homeri Odyss. 8. accinentis: Ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπὶ τέρπειται ἐργείοις. id est: *Alius enim alijs homo delectatur operibus.* Ecce quòd Persius Satyra 5. observat de variâ hominum indole, genioque, illis versibus:

*Mille hominum species, & rerum discolor
usus.*

*Velle suam cuique est, nec voto vivitur uno.
M. rebus hic Italis mutat sub Sole recenti
Rugosum piper, & pallentis grana cumini.
Hic satur irriguo mavult turgescere somno.
Hic cæpo indulgetq; hunc alia decoquit: ille
In Venerem est putris.*

Ita

Itaque velle omnibus voluptatem afferre in iocis, & nulli omnino esse occasionem alicuius offensionis, res difficillima, gravis, & interminata esset Eutrapelo viro, prout varia hominum ingenia & affectiones sunt. Ergo praecipua viri Eutrapeli proprietates non in hoc posita est.

15 POSTERIOR Pars resolutionis suadet: Quia studere inter iocandum nihil dicere vel audire, quod non deceat probum & ingenuum virum, non solum est res finita, & certis terminis clausa, & quae exacte servari possit; verum etiam digna, ut alicui Virtuti per se competat, veluti praecipua proprietates. At nulli alteri Virtuti per se convenire videtur, quam Eutrapeliae. Ergo studere inter iocandum nihil dicere vel audire, quod non deceat probum & ingenuum virum, est Eutrapeliae praecipua proprietates. Quare homo Eutrapelus, siue ea Virtute praeditus, non curat siue studet, omnibus in ioco voluptate parere, nulli; omnino offensionem ingenerare (id enim & infinitum, & impossibile esset) sed solum ea dicere, quae viro probi, ac bene affecto, in iocis iucunda sint, neque vllam ipsi offensionem afferant: quidquid sit de alijs prave dispositis, aut diversa affectione & obliqua laborantibus, qui interdum delectantur ijs, quae graviter ferre deberent; interdum offenduntur ijs, quae delicio, & oblectamento idonea & proportionata sunt.

16 HINC Procedit ad aliam proprietatem Eutrapeli viri, iam superius indicatam. Praemissit enim, faceri & lepidi hominis officium esse, non modo loqui salse & urbane, citra aliorum convitium, sed etiam similia aliorum dicta facile audire, & iucunde atque humaniter excipere. Nunc vero eandem notionem uberius exponit, & probat: Quia qualia vir Eutrapelus, siue lepidus, delectatur alijs dicere, talia etiam ab ijs libenter audire debet. Cum enim probus vir sit, seu Virtute praeditus, eam debet aequalitatem servare, ut sicuti dicta sua vult iucundo animo ab alijs probis hominibus excipi, sic etiam eorum similia verba humane & comiter audiat. Et rationem, veluti a priori, indicat ex eo, quod (ut saepe alias in hoc Opere docet) vir probus sit veluti canon & norma aliorum: ac proinde debeat instituere mores suos, dicta & facta erga alios, quemadmodum ipse est affectus in se. Cum igitur ita affectus in se sit, ut velit sua dicta ab alijs iucunde & comiter audiri; etiam paratus esse debet ad similia aliorum dicta iucunde & grato animo audienda. Vnde & curabit nihil unquam dicere quod probis viris, & bene animo affectis, dolorem ingenerare possit, quoniam & ipse hoc officium sibi recipi vult.

17 ITAQUE Ex dictis proprietatibus optime infertur, Eutrapelum virum, dum iocatur, nullum convitium, seu contumeliam in alios prolaturum: nihil etiam quod obsecennum sit, aut pudori quoque modo adversum. Idque colligitur

ex notissimo illo naturae ac rationis moralis principio: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* At vir Eutrapelus non vult audire dicta aliorum, quibus convitium aliquod, aut obscenitas significatur: quin potius ea gravissimè fert. Ergo neque ille proferet dicta, in quibus convitium aliquod, aut obscenitas significetur. Id enim graviter ferretur a probis viris adstantibus, quorum ingenio conditionique diximus se conformare debere, quidquid sit de genio aliorum finitro, & illiberali. Quippe, ut cum Iuvenale *Satyra 3.* loquar, non Eutrapelus homo, sed scurra & turpis existimabere,

*Si poterit illa pati, quae nec Sarmenus iniquas
Caesaris ad mensas, nec vilis Galba tulisset.*

18 NOTANDVM Autem est ea dicta, aut contumeliosa alijs, aut obscena, quae in ioco dicuntur, ab Aristotele nominari *scommata*. Quae vox iuxta Iulium Scaligerum *lib. 1. Poeticae* per metaphoram deducitur ab ave quadam, a fine dicta, quae a Graecis *σκῶψ* nominatur, estque ridicula in circumamiciendo capite, & flectendo collo. Hinc apud eosdem Graecos in usu est *σκῶψαν*, id est, irridere aliquem agitatione capitis; & *σκῶμμα*, quod significat iocosum & amarum convitium. Additque Aristoteles, oportuisse, ut eiusmodi scommata, seu convitia legibus vetarentur: & indignatur quod prohibita eorumque non fuerint, instar aliorum malefactorum. Quippe haec apud Graecos iam tum prohibita erant: sicuti apud Romanos in Iure, sub Titulo *de iniurijs & famosis libellis*. Verum addit, virum Eutrapelum, seu vere festivum, & facetum, ad iocandum moderatè nullas requirere leges, neque ijs opus habere, cum sit ipse sibi lex, ne aliquid ioco dicat, quod iure meritoque alijs offensionem ingeneret. Vnde & sacris Interpretibus illustris est hic locus ad elucidandum verba illa Apostoli quodam loco: *Iusto non est imposita lex.*

19 EXPLICATIS Proprietatibus viri Eutrapeli, siue in iocis mediocritatem servatis, pergunt ut exponat proprias vitiorum extremorum notas, ac primo quidem illius, quod in exuperantia positum est, & scurrarum proprium. Igitur observat, scurras esse ijs moribus praeditos, ut quacumque occasione data, seu accepta, proclives sint ad ridicula, ijsque impotenter & illiberaliter abripiantur, quin vllum propensionem suam modum imponant, aut a iocis temperent. Quare ubi occurrerit dixerium aliquod, aut scomma, etiam in aliorum offensionem, aut contra pudoris leges, statim illud effluunt, nulla decori ratione habita. Quo casu difficile esse, etiam viro probi & prudenti, te continere, & a facetijs occurrentibus temperare, monet Ennius, Poeta vetus, apud Ciceronem dicens, sicilius a sapiete flammam ore inardente opprimi, quam bona dicta teneri. Cui tenentique plus nimio subteribunt, qui Hispanicè dicunt & sentiunt, *Que por un buen*

dicbo se ha de perder vn amigo. Apage iniustum proverbium, a ratione atque Eutrapelia alienū. Nimirum, contemptibilis scurra est, vt rectè accinit Horatius, qui vt risum *Executiat sibi, nō is cuiquam parcat amico.*

20 ID Virium reprehendit idem Horatius in Menio scurra, qui solitus fuit *Qualibet in quemvis opprobria dicere sevus.* Damnat quoque in Oratore Cicero, atque in ipso Cicero Plutarchus: nec dissentit aut diffidet Quintilianus, quamvis amantissimus eiusdem Ciceronis, dum de illo ait, non modo extra iudicia, sed in ipsis quoque orationibus, fuisse nimium risus affectatorē. Livius quoque eius viri notat Philippum Macedoniae Regem, sicut & alij Vespasianum Augustum, de quo Suetonius testatur, fuisse dicacissimum, & scurrilem ac sordidum in loquendo. Eiusmodi homines merito Arist. *περιιδος, molestos*, sive onerosos appellat, quoniam ceteros ad nauseam, & quandoque ad odium provocat. Ideoque Calliodorum illum scurrā, & in convivio ceteros provocantem dicerijs & scommatibus suis, arguto epigrammate insectatur Marialis, & concludit: *Nemo propinavit Calliodore tibi.* tanquam omnes offendisset.

25 DENIQUE Vitium illud, quo per defectum peccatur, & rusticus sive agrestis animus ostēditur, exinde innotescere monet, quod qui eo laborant, sint ad urbana facta & colloquia prorsus inepti. Non enim quidquam factū, aut falsum vnuquam loquuntur, sed ne audire

ab alijs volunt, quin potius exosum habent. Id verò honestatis fines egredi, ac in vitio ponendū esse, probat: penè sic: Quicumq; averlatur & exosum habet id, quod vitæ humanæ utile & necessariū est, is profectò vitiosus est, & reprehensione dignus. Atqui homo agrestis & insul-
sus, sive, quod perinde est, inimicus mediocri-
voluptatis in ioco, averlatur & exosū habet id,
quod vitæ humanæ utile & necessariū est: vt n.
2. stabilitū manet. Ergo homo agrestis & insul-
sus, sive inimicus mediocri voluptatis in ioco,
vitiosus profectò est, & reprehensione dignus.

22 CIRCA Quartam partem statuit dis-
crimen inter hanc Virtutem, & Affabilitatē, ac
Veritatem, de quibus disseruerat utroq; capite
præcedenti. Atque, licet omnes ille tres ver-
sentur in mediocritate verborū & actionū, ad-
huc esse discrimen, quod Veritas sit circa actio-
nes & locutiones veras: duæ autē reliquæ circa
iucunditatem. Rursus & inter has duas assignat
discrimen, quod Eutrapelia in iocis dumtaxat
posita sit: Affabilitas autem in reliquis huma-
næ vitæ congressionibus.

23 EX Doctrina autem tribus ijs ca-
pitibus tradita constat eos tres habitus verè ac
re ipsa distinctos esse: cum quilibet eorum ver-
setur in propria & peculiari materia, ac per se
difficilis paratu sit. quæ duo capita sunt di-
stinctionis venandæ in habitibus Virtutū, tam
intellectualium, quam moralium.

*VIDE D. Thomam 2. 2. q. 168. art. 2. 3.
& 4. atque ipsius Interpretes.*

CAPVT NONVM.

De Verecundia.



DE Verecundia autē, vt de aliqua virtute, dicere nō oportet. Est enim affectui magis, quàm habitui, similis. Itaque definitur timore, timorūque dicitur dedecoris quidam: & fit perinde, atque circa res formidolosās timor fieri solet. Nam qui verecundantur, erubescunt: qui timent mortem, pallefcunt. Vtrumque igitur ad corpus quodam modo accommodatum est, quod quidem magis ad affectum videtur, quàm ad habitum pertinere. Non autem ad quamvis ætatem is affectus, sed ad iuvenilem, accommodatur. Censemus enim eos, qui huius ætatis sunt, verecundos esse oportere: vt cum non sine perturbatione vivant, multumque ob hoc peccent, à verecundia prohibeantur delinquere. Atque laudamus quidem eos iuvenes qui sunt verecundi. Sed nemo ex eo seniore m homine m laudabit, quia est

est verecundus. Nihil enim eorum ipsum oportere censemus agere, pro quibus emergere verecundia solet. Neque enim homini probi verecundia competit, quippe cum pro rebus improbis fiat. Non enim sunt res tales agenda. Quod si quaedam re vera, quaedam opinione sunt turpes, nihil refert: neutrae nanque sunt agenda. Quare non erubescendum. Sed improbi est & talem esse, ut aliquid turpe agat. Probum autem ideo quempiam esse putare, quia ita se habet, ut si turpe quid egerit verecundetur, absurdum est sane. Verecundia nanque fit pro ijs, quae sua sponte quispiam facit. Sed nunquam sua sponte vir bonus res agat turpes. Erit autem verecundia probum, ex suppositione. Nam si egerit, verecundabitur. Hoc autem in ipsis virtutibus non est. Quod si impudentia, & quempiam non pudere res turpes agentem, improbum est: nihilò magis ob id ipsum probum erit, quempiam res turpes agentem erubescere. At verò neque continentia virtus est, sed est quaedam permista. Ostendetur autem de ipsa post paulo. Nunc de iustitia dicamus oportet.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Verecundiam non esse Virtutem per se loquendo, quamvis magnam eum Virtute affinitatem habeat. In qua materia versetur. Comparatio illius cum Continentia, quae pariter excluditur ab albo Virtutum.



POST Explanatas eas Virtutes, quae in omni cõgressu sive cõvictu humano moderantur & condiunt dicta & facta, ut grato aut iucundo animo excipiuntur, dicit Arist. hoc loco de

Verecundia: quam licet expungat ab albo Virtutum, tamen ita cum ijs esse illigatã docet in verbis & factis, ac totius vitæ progressu, ut instar Virtutis haberi possit. Dividitur autẽ caput in tres omnino partes. In prima pronuntiat, Verecundiam per se loquendo nõ esse Virtutem. In secunda assignat obiectum, seu materiam, in qua Verecundia versatur. In tertia comparat illam cum Continentia, quae similiter non est Virtus.

2 CIRCA Primam partem præmittit, Verecundiã non esse Virtutem: ideoq; licet hoc loco de illã agatur, non tamen veluti de Virtute aliquã. Si enim Virtus esset, haberet rationẽ habitus. Atqui rationem habitus non sortitur. Non ergo Verecundia est Virtus. Assumptionẽ, sive minorem, in quã est difficultas probat dupliciter. Primo à definitione Verecundiæ communiter traditã, tum à Platone in *Euthyæmo*, tum ab ipso Arist. *lib. 2. Rhetor.* & communiter admilla, per hoc ut sit *metus dedecoris atq; ignominia*. Atqui metus nõ est habitus, sed affectus quidam, sive perturbatio animi, ut patet. Ergo Verecundia non est habitus. Secundò idiplum

probat ab effectu. Proprium enim effectuum, sive perturbationũ est, & longè alienũ ab habitu, non nihil immutare, seu movere corpus, & quoddãmodo afficere. Etenim perturbationes sive affectiones, in sentiente appetitu, & organo corporeo, sibi vendicant sedẽ, atq; adeo quoties agitantur, nequeunt non movere corpus. Atqui Verecundia semper existit cum aliqua corporis mutatione, ut experimento patet. Sicut enim ijs, qui subito metu in rebus formidolosis occupantur, statim expallefcunt; ita qui pudore afficiuntur à rebus turpibus & obicenis rubent. Ergo Verecundia potius est quaedam affectio, seu perturbatio, quam habitus.

3 RATIO Autem cur metuentes expallefcant, & verecundantes rubescant, ut Aristoteles hoc loci observat, hæc reddi solet. Metuentes expallefcunt, quoniam sanguis, & spiritus confugiunt ad fovendum cor, veluti præcipuam viventis partem: ideoque faciem, & extimas corporis partes desierunt, & albescere faciunt. Nimirum, ubi præcipua viventis portio, imò & motuum vitæ fons, in subita commotione & periculo est, ipse naturæ ordo postulat, ut ceteræ partes statim in eius subsidium occurrant. Nempe interno vitæ ipsius & cordis periculo, internis quoque auxilijs spirituum & sanguinis succurrendum est, quibus alitur vita. Rubescunt autẽ verecundantes: quoniam non commoventur ab interno

aliquo vitæ amittendæ metu, sed à dedecore, & ignominia, quæ exteriùs obijciuntur. Vnde sanguis & spiritus in ea commotione, nō recedūt ad cor, sed ad faciē accurrunt ipsam & oculos, quibus horror quidam ingeneratur, ex præsentia rei turpis & obscenæ. Atqui nō minùs naturale & necessarium est, vt accurrente sanguine in extimam cutē acies rubeat, quā vt recedente palleat. Naturale igitur & necessarium est, quod verecundates rubeāt, & metuēres palleāt.

4 PORRO Verecundia ab Arist. dicitur *αἰσχρῶν*, sicuti & *αἰσχρῶν pudor*. Quæ duo licet pro vno eodemq; affectu habeantur, differre observat Giphanius ex Eulthatio in præsentia. Nā pudor, qui & confusio iuxta etymon Græcum, est ob mala iam perpetrata. Verecundia autem est ob perpetranda. nimirū, metus reprehensionis ob perpetranda mala. Insuper & observat aliud discrimen ex Francisco Patricio *lib. 7. de Regni cap. de Verecundia*; quod pudor non curat quomodo quid agatur: siquidem est post rem factam. Verecundia autem ipsa, cum præcedat rem, curat nequid, nisi decēter & honeste fiat. Cæterum aperte constat ex ipso textu, & apparebit clariùs ex progressu capituli, Arist. nō loqui de Verecundia quæ antecedit operationem turpem: sed de illa, quæ sequitur, & proprie pudor est, improbitate factam supponens. Alia igitur, & minùs proprie dicta Verecundia est, quæ antecedit omnino turpe factum, illudque vitare studet: quoniam sita est in timore reprehensionis, seu ignominia, ob factum turpe, nondum committum. Et hæc miris laudibus effertur à Philosophis, Oratoribus, Poetis, & Ecclesiæ Patribus, quorum loca congerunt Iosephus Langius in Polyanthea Novissima, & Laurentius Beyerlinek, verbo *Verecundia*, & v. *Pudor*. Sufficiat illud adnotasse ex Cicerone: *Verecundia parens est omnis honesti consilij, tutela solemnium officiorum, magistra innocentia, cæcra proximis, accepta alienis, omni loco, omni tempore favorabilem præ se ferens vultum.*

5 CIRCA Secundam partem assignat obiectum, seu materiam, circa quam Verecundia vertatur: deducit, quibus conveniat aut nō conveniat is animi affectus: & proponit ac rejicit quasdam aliquorum in illam criminationes. Ac primò quidē decernit, Verecundia non decere hominē in omni ætate, sed in juvenili, cui profectò decora & honesta est. Id verò dupliciter probat. *Primò*: Quoniam ijs omnibus, qui proclives sunt ad peccandum, Verecundia admodū conveniens est: cum eos deterreat à re turpi, & obscena perpetranda metus ipse dedecoris, seu infamiae. Atqui iuvenes ipsa ætatis conditione sunt admodum proclives ad peccandū, propter ardorem & æstum; non autē senes, quibus vires corporis, & perturbationes animi extenuatae sunt, & frigerunt. Ergo iuvenibus, potius quā senibus, est conveniens Verecundia. *Se-*

cundò id ipsum probat: Quia ijs maximè decens est Verecundia, quos ipsius causā laudare solemus. Atqui non senes, sed adolescentes eam ob causam laudare solemus, quasi eā animi corporisque commotione optimam indolem præ se ferant, & amorem honestatis haud obscuro signo demonstrant. Verecundia ergo maximè adolescentibus, & pluriquā senibus, decens ac decora est. Quod ipsum tradit Seneca in quadam Epistola dicens: *Bonum in adolescente signum est, cum illi ex alto rubor suffunditur. Magis in iuvenibus apparet, quibus & plus caloris est, & tenera frons.*

6 VNDE Et iuvenes, qui facile verecundantur, intuentiū animos in spē erigunt probitatis futuræ, etiam vbi Verecundia illa nō præcedit, sed subsequitur turpē factū, & est proprie *αἰσχρῶν*, sive pudor. Quare apud Terentiū senex quidā filiū suum videns ē meretricis domo prodeuntē, vt in eius vultu pudoris manifesta signa notavit, statim poenitentiæ & bonæ frugis de ipso spē concepit. Similiter & Xenophontē adolescentē pulcherrimus conspicatus Socrates ē prostibulo exeuntē, porrecto baculo consistere iussit, ab eoq; rogavit, vbi venalia essent, quibus ad vitā utebatur. Cum verò rationē eorū reddidisset Xenophon, institit rursus Socrates, & sciscitatus est ab eo, vbinā probi fierent homines. Eā interrogatione percussus adolescens, tacuit & erubuit. Socrates autē eo signo erectus in spem emendationis & futuræ probitatis, illum in discipulū adlegit, & Philosophū insignem in eo formavit. Quin & generatim hortabatur iuvenes (inquit Maximus ser. 41.) *vt hæc tria haberent in animo, Prudentiam: in lingua, Silentium: in vultu Verecundiam.* Et Seneca Epist. 25. eū adolescentibus loquens, *Nutriendus est pudor*, inquit: *qui quando in animo duraverit, aliquis erit bonæ spei locus.*

7 QVOD Autē senibus non sit consentanea Verecundia affectio, præter quā rationibus supra expensis pro adolescentibus probatū est, iterum confirmat à simili viri innocentis, qui nunquā antea peccavit. Is enim nullo pudore afficitur: quia cū nihil probrosum admisserit, nō habet vnde concipiat dedecoris alicuius timorē, in quo positus est pudor. Cū igitur senes ratione inbecillæ ætatis, & perturbationū languentiū, ac penē emortuarū, non habeant causam vt probrosum aliquid admittant, cōsequens est, vt neque patiantur commotionem pudoris. Quo ipso videtur Arist. impugnare Platonem, qui licet in *Cbarmide* adscripserit iuvenib; pudorē, veluti commotionē ipsis valde consentaneam; adhuc tamen *lib. 5. de Republica*, communem eam facit, etiam senibus, & effæctis viris.

8 OPPONIT Autem doctrinae huiusque tradita argumenta aliqua, quibus nonnulli eam impugnare forsitan possent, veluti *αἰσχρῶν* quoddam. Sed antequam ea obij-

ciamus præmittere oportet, duo esse turpitudinis genera. Alterum eorum quæ natura sua turpia & flagitiosa sunt: ut furtum, adulterium, & similia, quæ ab intrinseco deformitatem habent. Alterum est eorum, quæ non naturâ soâ, sed propter legem prohibentem, cui adversantur, aut propter opinionem, seu consuetudinem proborum hominum in contrarium, turpia existimantur: ut gestum inconditum, aut rusticum facere, cibum in via sumere, cantare in foro, aut insolita veste uti. Unde & contrarius quarundam nationum mos & opinio: dum in aliquibus turpia habebantur, quæ in alijs decora & honesta. Græci enim multa sibi licere arbitrabantur, quæ Romanis probrosa erant, & è converso.

9 DE Quo audire oportet Emiliū Probum in exordio sui Operis ita loquentem: Neque enim Cimoni fuit turpe, Atheniensium summo viro, sororem germanam habere in matrimonio. quippe cum cives eius eo vrentur instituto. At id quidem nostris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducetur adolescentulis, quamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmone tam nobilis est virtus, quæ non ad scenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota fuit in Græcia victorem Olympiæ citari. In scenam verò prodire, & populo esse spectaculo, nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini. Quæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atque ab honestate remota ponuntur. Contra: pleraque nostris moribus sunt decora, quæ apud illos turpia putantur. Quem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? Aut cuius non mater familiam primum locum tenet ædium, atque in celebritate versatur? quod multo fit aliter in Græcia, &c. Ex qua Emilij observatione, alijsque pluribus, planè deducitur, distingui debere duo illa genera rerum turpium, quarundam ex ipsa rei natura, quæ ubique est, nec immutari unquam potest: quarundam ex legum institutione, aut consuetudine, opinioneve varia diversarum nationum. Eo autem supposito,

10 PRIMA Obiectio est ad probandum, etiã optimo viro, & probatis moribus instructo ab ineunte ætate, posse esse pudorem, sive Verecundiam: cuius oppositum supra statutum fuit. Assumptio probatur. Verecundia enim non solum oritur ex ijs rebus quæ natura sua turpes sunt, sed etiã ex ijs quæ turpes habentur ex instituto, consuetudine, aut opinione hominũ. At viro optimo, & probatis moribus instructo ab ineunte ætate, contingere potest aliquid ex ijs, quæ turpia habentur ex instituto, consuetudine, aut opinione hominũ. Ergo & aliquid ipsi contingere potest, de quo habeat Verecundiam. Quo ipso argumento supponitur, optimũ virum, nihil admitturũ, quod natura sua turpe sit.

11 RESPONDET Arist. negãdo assumptionem minoris. Vir enim probus, sive Virtutũ moralium habitu instructus, non modo abstinabit ab ijs, quæ naturâ suã sunt turpia: sed ab ijs etiã, quæ instituto legis, consuetudine, aut opinione communi turpia censentur. Quisquis enim Virtutum moralium habitibus exornatus est, oportet ut & Prudentiæ habitu instructus sit, propter earum connexionem mutuã cum Prudentia: ut apparebit *lib. 6. c. 13*. Prudens autem vir, dispicit omnia ea, quæ circumstant in operando: ac proinde non solum attendit ne sint turpia secundum naturã, verum & ne instituto legis, consuetudine, aut opinione aliorum turpia, vel indecora sint, quæcumque operatur, & in apertũ profert. Quare factu suo & iudicio improbabat existimationem Cynicorũ, qui arbitrabantur, nihil curandũ esse de opinione hominum, faciendumque esse, quidquid natura sua non est turpe. ideoque licere sibi in angiporris esse, comedere, & cũ vxoribus coire, ac cætera eiusmodi. Contra autem Archytas sentiebat: qui etiam vbi necessitas cogeret ad aliquid in speciem turpe, potius in pariete describendum, quàm ore proferendum existimabat.

12 SECUNDA Obiectio. Potius ex eo quod aliquis sit probus, & Virtute præditus, inferitur instructũ esse debere Verecundia: quia si quidquam turpe admitteret, oporteret statim ipsum pudore suffundi. Ergo oportet ipsi inesse verecundiam.

HVIC Argumento similiter respondet Arist. negando assumptionem: idque duplici ratione. *Prima* est: Quoniam pudor, seu Verecundia, propriè non cadit, nisi in peccata, sive noxas voluntariè & liberè commissas: quibus solis proinde probũ & ignominia debetur. Atqui homini Virtute prædito, dum eã præditus est, nullatenus cõpetit labi in peccatũ, seu in noxas voluntariè & liberè commissas. Sic enim iam defereret Virtutẽ, seu nõ esset eã præditus, contra hypothèsim. Ergo homini Virtute prædito, dũ eã præditus est, nullatenus cõpetit pudor, sive Verecundia. *Secunda* ratio. Quidquid convenit homini Virtute prædito, quandiu eã præditus est, convenit ei simpliciter, & nõ ex suppositione aut cõditione tantũ: ut patet discurrendo per omnes ac singulas Virtutes, quæ invicẽ illigatæ sunt, & vbi vna est simpliciter, aliæ quoque insunt. Atqui pudor, seu Verecundia, non convenit simpliciter homini Virtute prædito; sed solum ex suppositione, aut cõditione, in quã peccet. Ergo pudor, seu Verecundia, non convenit homini Virtute prædito, quandiu eã præditus est. *Confirm.* Vbi cum Virtute hominis non cõponitur necessaria cõditio ad existentiam pudoris, neque etiã pudor ipse componitur. At peccatum est cõditio necessaria ad existentiam pudoris. Ergo quemadmodum peccatum non cõponitur cum Virtute, sic etiã nec ipse pudor.

13 TERTIA Obiectio. Homini Virtute prædito debet convenire quidquid est simpliciter bonum. Verecundia autem, sive pudor, est aliquid simpliciter bonum: siquidem opponitur inverecundia, seu impudentia, quæ simpliciter mala est: omne autem id, cuius oppositum est absolute malum, debet esse simpliciter bonum. Ergo homini Virtute prædito debet convenire Verecundia, sive pudor.

14 RESP. Aristoteles, Verecundiam non esse bonam simpliciter, sed solum ex hypothese peccati, seu turpitudinis admittæ. Neque obstat quod inverecundia, sive impudentia, ipsi opposita, sit mala simpliciter: quia licet vna alteri opponatur, non tamen immediate, sed mediate, & præsupposita ad utramque turpi actione, ut fundamento. Id autem quod per se loquendo præsupponit turpitudinem, non est bonum simpliciter: sed solum ex suppositione. Sic & incisio venæ, & sumptio potionis amaræ, non est bonum simpliciter homini, sed dumtaxat ex hypothese infirmitatis. Vnum tamen fateri opus est, inverecundiam simpliciter malam esse: quia non modo præsupponit turpitudinem, sed addit insuper approbationem illius, posthabita omni honestate. quo nihil licentius, aut effrænatus esse potest. Quare ij omnes, qui semel pudorem exuerunt, desperatæ ac deploratissimæ confidentiæ existimantur, neque vnquam ad meliorem frugem revocandi. Vnde illud Senecæ Tragicæ in Agam. accinentis:

Periere mores, ius, decus, pietas, fides;

Et qui redire nescit, cum perit, pudor.

Et Curtius lib. 6. inquit: *Illum ego perijisse dico, cui quidem perijt pudor.* Itaque impuden-

tia non solum est simpliciter mala, sed pessima. Pudor autem, sive Verecundia est bona, & laudabilis solum ex suppositione turpitudinis; eoque sensu dicitur ab Aristotele laudabilis commotio animi. quod etiam ferè alio loco pronunciat de Nemeo, quæ est tristitia quædam & dolor ex improborum felicitate susceptus, & similiter habet rationem laudabilis commotionis, non autem Virtutis, neque boni simpliciter: cum per se loquendo præsupponat actionem turpem improborum fructuum prosperitate.

15 CIRCA Tertiam partem comparat Verecundiam cum Continentia. Sicut enim hæc non est Virtus, sed affinis Virtuti, & laudabilis quædam commotio animi, seu affectio: ita & Verecundia. Dum autem Continentia ab Aristotele expungitur à classe Virtutum, dicitur *τις μίκτην, quid mistum.* Nimirum habet aliquid, quod ad Virtutem spectare videatur, quatenus continens se patitur trahi ab immodicis perurbationibus & cupiditatibus, ijsque cedit. Similiter igitur Verecundia est aliquid mistum: quoniam & turpitudinem reformidat, quod ad Virtutem videtur spectare; & præterea censetur inter animi perturbationes, quæ vitio affines sunt. Quare sicut Continentia ex Virtute & vitio mista est, ita etiam Verecundia videtur ex utroque composita. Nec plura de Continentia hoc loco disserit Aristoteles cum id lib. 7. præter. Quare librum quartum concludit, & ad quintum progredit, ut de Iustitiâ ex professo agat.

VIDE D. Thom. 2. 2. quæst. 144.

& 145. atque ipsius Interpretes.

(?)





LIBER QVINTVS

ETHICOR VM.

SVMMA LIBRI.



DISSERVIT Philosophus hucusque de ijs Virtuti-
 bus, quæ versantur in perturbationibus animi
 componendis, & hominem præparant ad Felici-
 tatem, tum solitariam, tum & politicam. Nunc
 autem procedit ad tractandum vberius de Iusti-
 tia, quæ actiones civilis vitæ moderatur in dan-
 do, & reddendo singulis quod oportet. Aliarum
 quippe Virtutum hucusque examinatorum officium situm est in com-
 ponendis animi affectionibus, & intestino illo insitarum perturbatio-
 num dissidio, ad pacem & mediocritatem reddendo. Iustitiæ autem
 est curare nequa in civitate iniquitas sit, aut iniuria, quæ publicam
 quietem perturbet. Cum verò hoc contingere possit plurimis modis,
 visum fuit Aristoteli opus esse longa dissertatione de ipsa Iustitia: ideo-
 que totum hunc librum in ea exponenda impendit, cum tamen de
 alijs longè brevius egerit. Plures ergo quæstiones, seu capita quæstio-
 nibus plena intexit, quibus disserit de ratione formali Iustitiæ, seu pri-
 ma ipsius definitione: de Iustitia legali, seu generali: de Iustitia pecu-
 liari: de comparatione vtriusque inter se: de Iure & Iustitia commutan-
 te: de iure & poena talionis: de differentia iuris paterni, politici, & sin-
 gularis: de multiplici modo agendi iustè & iniustè: de triplici ratione
 fraudis inferendæ: de voluntaria perpessione iniuriæ: de Iustitia indi-
 cum & litigatorum: de Epikia, seu bono & æquo, aut miti quadam
 legum interpretatione: de Iustitia hominis erga seipsum: de viro im-
 probò, tam faciente quàm subeunte iniuriam. Atque in quolibet eorum
 plura interserit observatione & disputatione digna.

CAPVT PRIMVM.

De Iustitia, & iniustitia, & modis iniusti.

ARISTOT. ΠΕΡΙ ΔΕ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ, &c.



E Iustitia iam & iniustitia consideremus oportet, circa quales actus versentur, & qualenam mediocritas sit ipsa iustitia, & inter quæ iustum ipsum medium est. Atque hæc consideratio eundem seruet modum doctrinæ, quo antea dicta considerauimus. Videmus itaque omnes talem habitum dicere iustitiam velle, quo homines apti sunt ad res iustas agendas, & quo iusta agunt, & volunt iusta. Eodem modo talem habitum & ipsam iniustitiam dicere, quo iniurias agunt homines, reique volunt iniustas. Quapropter & nobis hæc primum vt in figura subiiciantur. Non enim in scientijs, & potentijs, atque habitibus, res sese habet eodem modo. Eadem namque potentia, scientiaque contrariorum est: sed contrarius habitus non est contrariorum. Nempe à laetate laeta dumtaxat, & non contraria fiunt. Dicius enim quempiam ambulare sanè, cum n̄ perinde ambulat, atque sanus. Sæpe igitur contrarius habitus ex contrario cognoscitur: sæpe etiam habitus ex subiectis. Nam si bona corporis habitudo sit nota, & ipsa mala corporis habitudo sit manifesta. Et ex ijs, quæ bonam habitudinem efficiunt corporis, ipsa bona habitudo sit nota: & ex ipsa rursus ea, quæ faciunt ipsam. Si enim habitudo bona sit spissitas carnis, & malam habitudinem raritatem esse carnis, & id, quod efficit habitudinem bonam, efficere spissitatem in carne, necesse est. At verò plerumque sequitur, si alterum pluribus modis dicatur, & alterum pluribus dici: vt si iustum, & ipsam iniustum. Videtur autem tam iustitia, quam iniustitia, pluribus modis dici. Sed quia propinqua est ipsarum æquivocatio, latet, & non ita vt in ijs, quæ longè distant, est manifesta. Multum enim talia differunt forma. Patet enim, clauem æquivocè dici, & eam, quæ sub collo est animalium, & eam, qua ostia clauduntur. Sumatur igitur quot iniustus dicitur modis. Atque videtur iniustus esse, & qui à legibus exorbitat, & qui plus capit atque iniquus. Quare patet & iustum esse eum, qui legitimè facit, & eum, qui æquus est. Iustum ergo est, quod est legitimum, & quod est æquum. Iniustum verò, quod est contra leges. & quod est iniquum. Cùm autem iniustus, & pluris sit avidus, non erit ipse circa omnia bona, sed circa ea dumtaxat, in quibus consistit prospera fortuna, atque aduersa: quæ simpliciter quidem semper sunt bona, alicui verò non semper. Homines autem illa sibi optant, atque persequuntur: at non oportet: sed optare quidem ea, quæ sunt simpliciter bona, & sibi ipsis esse bona. Expetere autem ea, quæ sibi ipsis sunt bona, oportet. Iniustus autem non semper plus, sed nimis etiam expetit in ijs, quæ simpliciter mala. Sed quia videtur & inuis malum quodam modo bonum esse, & plus habendi cupiditas ipsius est boni: fit vt pluris ob id ipsum videatur avidus esse. Est autem iniquus (hoc enim continet, & est commune) & legum transgressor: hoc enim, legum, inquam, transgressio, id est iniquitas, omnem iniustitiam continet, & est ad iniustitiam omnem commune. Cùm autem legum transgressor sit iniustus, qui verò legitimè facit, iustus: constat, omnia legitima esse quodam modo iusta. Ea namque, quæ à facultate ferendarum legum sunt definita, legitima sunt, & horum vnumquodque iustum dicimus esse. Ipsæ autem leges de omnibus dicunt, coniectantes aut communem omnium vtilitatem, aut optimorum, aut principum, vel virtute, vel aliquo alio tali modo. Quare vno modo dicimus iusta ea, quæ felicitatem, eiusque partes societati civili efficiunt, & conservant. Præcipit autem lex & ea agere, quæ ad virum pertinent fortem: vt non deserere locum in acie, non fugere, non abicere arma. Et item ea, quæ sunt temperantis: vt non committere adulterium, non libidine uti. Et etiam ea, quæ sunt mansueti: vt non pulsare, non convicia dicere. Et in cæteris identidem virtutibus, atque vitijs, alia iubens, alia verans. Rectè quidem ea, quæ rectè posita est: deterius autem ea, quæ inconsiderate est exarata. Hæc igitur iniustitia, perfecta quidem est virtus: at non absolute, sed ad alium. Atque ob id ipsum iustitia præclarissima per sepe virtutum esse videtur. Et neque est Hesperus ita, neque Lucifer admirabilis. Et proverbio dicere consueuimus.

Iustitia in se virtutes continet omnes.

Atque perfecta maximè virtus est, quia perfecta virtutis est vltus. Idque est ex eo, quia non ad se solum, sed ad alium etiam is, qui ipsam habet, vt virtute potest. Complures enim in proprijs quidem vt virtute pollunt, sed in ijs, quæ sunt ad alium nequeunt. Et propterea

len-

sententia Biantis illa bene sese habet: Magistratus virum ostendet. Ad alium enim est, & in societate iam ipse magistratus consistit. Ob id autem ipsum & alienum bonum, ipsa iustitia sola ex omnibus virtutibus & habetur, & est, cum sit ad alium. Agit enim ea, quæ alij vel principi, vel Republicæ conferunt. Peissimus igitur est, qui ad se ipsum, & ad amicos vitur pravitate. Optimus autem, non qui ad se ipsum, sed qui ad alium vitur ipsa virtute: hoc enim est opus difficile. Hæc igitur iustitia non pars virtutis, sed tota est virtus. Similiter & iniustitia huic contraria non vitij pars, sed totum vitium est. Quid autem interest inter hæc iustitiam, & virtutem, ex ijs, quæ diximas, innotescit. Sunt enim idem: esse autem non est idem. Sed quo quidem est ad alium, est iustitia: quo vero talis est habitus simpliciter, virtus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

In quibus actionibus Iustitia, & iniustitia ipsi opposita, versentur: & quidnam utraque illarum sit, ac quotuplex. Quæ etiam propria ratio Iustitiæ legalis.



DE Iustitiâ & iniustitiâ tractaturus Aristoteles, tria sibi examinanda proponit. Primum, in quibus actionibus utraque versetur. Secundum, cuiusnam mediocritatis ipsa

Iustitia sit, & quodnam ius medium, sive iustum. Tertium denique, quænam sint extrema vitia, quibus Iustitia intercipitur. Quare totum caput in quatuor partes dividitur. In primâ indicatur, quid circa Iustitiam & iniustitiam considerare oporteat. In secundâ traditur utriusque definitio. In tertiâ utriusque divisio. In quartâ demum vestigatur propria ratio Iustitiæ legalis.

2 CIRCA Primam partem proponit sibi vestiganda tria nuper indicata: quia in ijs differt Iustitia a cæteris Virtutibus, quarum tractatio præcessit. Nimirum, Virtutes hætenus explicatæ superioribus libris, positæ sunt in sedandis perturbationibus, seu affectionibus animi circa opera interna: nam de externis solum agitur quatenus ab internis pendent. In præsentem autem ubi de Iustitiâ & iniustitiâ agitur, non tam attenditur interior hominis affectio, sive actio, quam opus externum. Deinde, cæteræ Virtutes morales excludunt medium rei, & in vnâ rationis mediocritate, à prudente viro definitâ, consistunt. Iustitia autem præ ijs medium rei attendit, & exinde operationes meretur. Demum aliæ Virtutes utrimque interceptæ sunt duobus vitij extremis: Iustitiâ autem sola est, quæ vnicum extremum habet sibi adversum: vt lib. 2. dictum est, & progressu Operis vberius apparebit. Cum igitur tria prædicta capita sint penes quæ diffidet Iustitia ab omni alia Virtute morali, merito Arist. de ijs tribus disputandum sibi proponit, vt exinde propria Iustitiæ ratio dignoscatur.

3 CIRCA Secundam partem procedit ad vestigandam Iustitiæ atque iniustitiæ

definitionem: & in medium producit illam, quæ popularis est, & vulgi sensibus accommodata, traditurque per hoc, vt sit affectio quædam, sive habitus, ad tria præstanda. Primum ad res iuste agendas quâ ratione, quicumque præditi sunt Iustitiæ habitu, dicuntur *πρακτικοὶ ἢ δικαιοὶ*, id est, idonei ad res iustas agendas. Secundò, ad ipsa opera externa exequenda. Non enim Iustitia solum tribuit animo propensionem, sed re ipsa perducit in opus ipsum, quod præcipue sibi curæ est, vt num. 2. indicavimus. Tertio denique præstat, vt iusta velimus. Quod licet videatur satis contentum in primo Iustitiæ munere, quo hominem reddit propensum ad res iustas agendas, adhuc nõ frustra additur: quoniam ea additione significatur, Iustitiam non utcumque voluntariam esse, sive voluntati subiectam in exercitio; sed ulterius residere in voluntate, cum tamen cæteræ Virtutes locum sibi vendicent in appetitu sentiente, cuius perturbationibus modum imponunt.

4 ITAQUE Tria illa complectitur vulgaris definitio Iustitiæ: neque eo contenta est vt hominem inclinet, seu in habitu propensum reddat ad res iustas agendas: quoniam populares homines non existimant iustum quemquam ex internâ propensione, nisi & præterea opera iusta in apertum proferat, seu exterius exequatur; idque non invitus, aut coactus, sed sponte suâ, atque electione liberâ. Quo planè indicant, ipsorum iudicio Virtutem hanc non tam esse potestatem, seu facultatem agendi iustè, quam iudicium & voluntatem iustè operandi. Cui existimationi quantum ad hoc patrocinium fert idem Arist. lib. 6. Topic. ubi rejicit illam definitionem Iustitiæ, quæ a nonnullis traditur per hoc, vt sit *δυναμις*, id est, potestas, seu facultas tribuendi vnicuique quod suum est. Rejcit, inquam: quoniam vir Iustitiâ præditus non solum est *δυναμις*, id est, facultatem, seu potestatem habens ad tribuendum

adum unicuique suum; sed etiam, & præcipue
 ὁμοίως μὲν, nimirum, eligens ac terio vo-
 lens tribuere unicuique quod suum est. Quod
 & antea tradiderat Plato in *Gorgia*: ubi præ-
 cipuam Iustitiæ vim, seu rationem formalem,
 in voluntate ponit. Iustum enim virum defi-
 nit eum, qui βέλτερον ἀγαθὸν τὰ δίκαια, *vult*
agere res iustas. Unde & Iuriscultri hauserunt
 illam suam Iustitiæ definitionem, nemi-
 ni non notam, quâ dicitur esse *constans & per-*
petua voluntas ius suum unicuique tribuendi:
 ut habetur *initio Instit.* Vbi nomine voluntatis
 non δύναμις, seu potentia ipsa, sed habitus sig-
 nificatur inhaerens voluntati; eamque immo-
 biliter inclinans ad opera iusta.

5 NEQVE Solùm tribuitur Iustitiæ
 ratio habitus voluntarij, præ cæteris Virtuti-
 bus moralibus ratione inhaerentiæ in volun-
 tate, ut num. 3. sub finem diximus: sed etiam
 quia, ut observat Plutarchus in *Catone*, Iustitia
 solùm acquiritur actibus voluntarijs, absque
 ullo naturæ subsidio: quoniam non est Virtus
 moderatrix perturbationum: atque adeo in
 nullâ illarum, neque in ipso temperamento
 subiecti, aut complexionem humorum, admittit
 subsidium aliquod, quo quis naturaliter pro-
 pensus sit quadamtenus ad opera Iustitiæ exer-
 cenda. Quare tota propensio ad actus huius
 Virtutis consistit in solo habitu, qui dumtaxat
 actibus voluntarijs paratur. Circa cæteras au-
 tem Virtutes, quæ perturbationibus modum
 imponunt, potest esse aliqua propensio à na-
 turâ: ut dicitur lib. 2. cap. 1. & infra lib. 6. cap.
 13. Pater igitur Iustitiæ præ alijs Virtutibus
 moralibus iure ac merito dici voluntariam.

6 QVEMADMODOVEM Autem ex
 popularium sensu definitionem Iustitiæ si-
 tam esse dixit in habitu, quo reddimur ad iustè
 agendum propensi, & vi cuius iustè agere vo-
 lumus, ac re ipsa iustè agimus: ita etiam ex op-
 posito, iniustitiam eidem Virtuti contrariam
 ex vulgari existimatione definit, ut sit habi-
 tus, quo reddimur ad iniustè agendum pro-
 pensus, & vi cuius iniustè agere volumus, atque
 iniustè agimus. Quippe contrariorum defini-
 tiones, sicut & naturæ, debent esse contrariæ.

7 QVAMVIS Verò tradita Iustitiæ
 atque iniustitiæ definitio sit popularis, & rudi
 figurâ adumbrata, Arist. tolerandam esse utrâ-
 que & idoneam censet: quoniam ex eo quod
 agamus & velimus agere iusta vel iniusta, satis
 natura utriusque habitus explicatur. Quod ut
 probet, præmittit duas Dialecticorum regulas.
 Prima est quod scientiæ & facultates sint con-
 trariorum; non tamē habitus, ut dicitur lib. 1.
 Topic. & 9. Metaph. Nimirum, ad eandem
 scientiam, sicut & potentiam, seu facultatem,
 contraria pertinent: ideoque eiusdem visus est
 attingere album & nigrum: eiusdemque scien-
 tiæ medendi est respicere corpus ægrum & sa-

num. Ceterum ad eundem habitum solùm spe-
 ctat alterum e duobus contrarijs: ut apparet
 in habitu corporeo sanitatis, à quo solùm pro-
 dicitur pollunt actiones sanæ, non autem infirmæ.
 Quare qui bonâ valetudine præditus est, vali-
 de ambulat, & nullatenus titubat sicut ager.
 Idem apparet in habitibus Virtutum mora-
 lium. Fortitudo enim solùm inclinat ad fortia
 opera; non ad inertia: Temperantia ad mode-
 rationem in voluptatibus corporis; non ad
 immoderantiam: & sic de alijs.

8 EX Eo verò principio, definitio-
 nes traditas tolerari posse, seu idoneas existere,
 pro captu popularium hominum, probat fere
 sic: Quia rectè definitur quilibet habitus per
 ordinem ad operationes sibi proprias. Atqui
 operationes iustæ sunt propriæ habitus Iusti-
 tiæ solius: sicut & iniustæ operationes soli
 competunt habitui iniustitiæ: siquidem nullus
 habitus est in ordine ad operationes contra-
 rias. Ergo rectè definiuntur habitus Iustitiæ
 & iniustitiæ per ordinem ad operationes ius-
 tas & iniustas. Quare ij habitus malè à qui-
 busdam dicuntur consistere in δύναμις, *facul-*
tate, seu potentia: quoniam hæc ad contraria
 est, quatenus differt ab habitu, qui certe est in
 alterum contrariorum tantum.

9 ALTERA Dialecticorum regula
 est, quæ præscribitur ad cognoscendum habi-
 tum dupliciter: vno modo, ex suo contrario;
 alio, ex ipsis rebus subiectis. Prioris exemplum
 adhibet in bonâ, sive athleticâ corporis habi-
 tudine, quàm ἐνεξία Græci dicunt. Eâ nanque
 intellectâ, statim cognoscitur mala & opposi-
 ta habitudo corporis, quæ καχεξία nominat-
 tur. Idemque est de Fortitudine, quâ cognitâ,
 illico dignoscitur ignavia ipsi contraria. Po-
 sterioris autem exemplum petit ab eadem bo-
 nâ aut malâ habitudine corporis: quarum
 prior exigit subiectum densum, carnemque so-
 lidam: quo ipso intelligitur, malam corporis
 habitudinem competere subiecto raro, & car-
 nem laxam habenti. Hinc autem colligitur,
 probam esse definitionem traditam Iustitiæ,
 quoniam traditur per exclusionem sui contra-
 rij, & per subiectum sibi proprium. Intellecto
 enim habitu versante circa opera iusta, statim
 contrarius iniustitiæ habitus intelligitur ex-
 clusus: & iustæ operationes, quæ sunt materia
 Iustitiæ subiecta, venire faciunt in cognitio-
 nem operationum iniustitiæ contrariorum. Re-
 ctè ergo definitur Iustitiæ habitus in ordine
 ad iustas operationes, sicut & habitus iniusti-
 tiæ per ordinem ad iniustas.

10 CIRCA Tertiam partem dividit
 utrumque habitum Iustitiæ & iniustitiæ: id-
 que etiam ex principio Dialectico, nuper in-
 dicato, quo dicitur, alterum e contrarijs cog-
 nitum ducere in cognitionem alterius contra-
 rij. Unde & inferitur, si alterum eorum multi-
 pli-

placiter dividatur, etiam alterum multiformiter dividendum esse. Cum igitur Iustitia & iniustitia sint habitus inter se contrarii, quot modis vna dividitur, etiam aliam dividi necesse est. Porro Iustitia multipliciter accipitur, sicut & iniustitia: verum varietas ipsa, seu multiplex conditio eorum, in qua utraque dividitur, difficilis cognitum est, propter affinitatem eorum inter se. Non enim se habent instar hominis & equi, quorum mutua diversitas ipso sensu dignoscitur, & in proparulo est: sed instar maris & feminæ, qui non ita facile discernuntur. Afferit quoque Arist. exemplum in nomine κλεις, *clavis*: quod, tam Græcè, quam Latine, æquivocum est: & modò significat instrumentum illud, quo fores clauduntur aperianturque: modò autem operculum, quo arteria in collo ac cervice animalium clauditur. Itaque accuratè distinguere oportet varias rationes, seu membra, in qua dividuntur Iustitia & iniustitia: quoniam eorum affinitas seu cognatio inter se tanta est, ut non nisi difficulter, & subtili consideratione discerni possint.

11 PORRO Iniustum multipliciter dividi, seu plures esse iniustitiæ species, probat: Quoniam vno modo est & dicitur iniustus ille, qui leges transgreditur: alio qui ex bonis communibus plus iusto appetit & obtinet, ut quidam avari homines: alio insuper qui minus de onere seu labore, quam par esset, participare vult. Primus ab Arist. dicitur *παρανομος*, *legis violator*. secundus *πλεονέκτης*, *pluris avidus*: tertius *ἀνίστος*, *inæqualis*, seu iniustus. Et sanè duo posteriores vix differre videntur, nam verè inæquales sunt, seu iniqui, tam ille qui plus commodi, quam qui minus incommodi habere vult, quam iustum sit. Itaque in hac divisione indicantur duo iniustitiæ species: altera iniustitiæ legalis, sive legibus adversantis: altera iniustitiæ inæqualis, tam circa commodum iusto maius, quam incommodum iusto minus. Cum verò, ut dictum iam est, vni quodque contrariorum totidem modis dividatur, ac suum oppositum, consequens est, ut sicut iniustitia bipartitò secatur in legalem & inæqualem, ita & Iustitia opposita secetur in duas alias species, seu rationes: nimirum, in legalem, & æqualem. Ac prima quidem erit propria illius, qui legum servantissimus est: secunda verò eius, qui vult tam de commodis, quam de incommodis æqualiter participare, iuxta rationis præscriptum.

12 RURSUS Ex duplici hominum iniustorum conditione iam assignatà descendit ad exponendum & considerandum amplius illum, qui *πλεονέκτης*, *pluris avidus* est, & cuius vitium *πλεονεξία*, id est, cupiditas habendi plus iusto, nominatur. Docet igitur, eiusmodi hominem non expetere plus de omnibus bonis, sed de ijs dumtaxat, in quibus prof-

pera vel adversa fortuna cernitur; quæque absolute quidem bona sunt, sed tamen alicui fortasse bona non sunt. Ideoque observat, plurimum aberrare eos, qui eiusmodi bona obsecrationibus & multiplici prece à Dijs efflagitant. Non enim ab ijs petendum esse monet, quæ utcumque bona sunt, sed illa tantum, quæ semper sunt bona, & omnibus. Qualia proponit Iuvenalis Sat. 10. ubi præscribit hominibus quid à Dijs petere, sive exorare oporteat, dum accinit:

*Orandum est ut sit mens sana in corpore sano.
Fortem posce animum, mortis terrore carētem,
Qui spatium vitæ extremum inter munera
ponat*

*Naturæ, qui ferre queat quoscumque labores.
Nesciat irasci, cupiat nihil, & potiores
Herculis ærumnas credat se vosque labores,
Et Venere, & cænis, & plumis Sardanapali.*

Quò etiam spectat illud monitum Socratis hortantis homines, nequid in singulari à Dijs optent, petantvè; sed generatim solum quæ verè bona & convenientia sunt. Homines enim ignorant, Dijs autem probè norunt, quænam cuique convenient & optima sint, eaque oranti dabunt. Idque tradit etiam idem Arist. initio libri septimi Metaph. ut vel exinde obiter constet (quidquid aliqui refragentur) Aristotelis iudicio Deum harum rerum inferiorum in singulari Providentiam habere: cum ipsius sapientissimæ menti, & distributioni committendum doceat, quidquid homines sibi exoptant, & ab ijs exorare debent.

13 ITAQUE Docet hoc loco, pleonexiam illam, id est, cupiditatem habendi plus iusto, non esse omnium, & quorumlibet bonorum: sed dumtaxat eorum, quæ dicuntur bona externa, sive fortunæ: Non enim hoc vitio laborat, qui plurimum appetens est bonorum animi: sed eorum nominatim, in quibus prospera fortuna cernitur. Eum verò iniustum esse docet: Quoniam quisquis bonorum fortunæ plus iusto appetit, est iniustus. At qui pleonexia laborat, appetit bonorum fortunæ plus iusto. Ergo quisquis pleonexia laborat, iniustus est. Nimirum, licet *pleonectes* nonnunquam à Græcis accipiatur in bonam partem pro eo qui superioris generis bona appetit, ijsque præ alijs instructus est, ut sapientiâ aut Virtutibus; frequenti tamen usu in deteriore partem accipitur de illo, qui bonorum fortunæ immoderatè appetens est, per iniquitatem, seu inæqualitatem.

14 ADDIT Verò, eiusmodi hominem non esse dumtaxat iniustum ex eo quod plus bonorum fortunæ appetat, quam par sit habere, sed etiam ex eo quod velit minus malorum, seu onerum subire, quam iustum sit. Cum enim Iustitia & recta ratio suadeat,

vt

ut homines æquè de bonis ac malis participent, ille de bonis expetit quod est magis, & de malis, quod est minus. Nimirum, participare minus de malis, aliquod ipsi bonum videtur. Vnde & hoc ipsum desiderium participandi minus de malis & oneribus, videtur nimia quædam appetentia bonorum, seu pleonexia: quoniam eo maius bonum apprehendit & appetit homo avidus, quo minus malorum, seu onerum subire exoptat. Quin & legum violator, de quo prior loco dictum fuit, etiam inæqualis seu iniustus dicitur ab Arist. Leges enim continent omnem Iustitiæ formam, ac proinde præscribunt æqualitatem in bonis & malis. Ergo qui eas contemnit, etiam violat æqualitatem in bonis & malis. Ergo inæqualis, sive iniustus est. Quare contemptores universa Iustitiæ officia perturbant, & communia Reipublicæ bona, sive præmia, sibi immoderanter appetunt; onera verò refugiunt.

15 CIRCA Quartam partem agit singillatim de Iustitiâ illâ, quæ legalis dicitur, & est tota Virtus, seu universa. Aggreditur verò explicationem ipsius à iusto legali, quod nobis est notius, & decernit, omnia legitima, seu legalia, aut legibus definita, esse iusta quoddammodo, quamvis non sint iusta simpliciter. Fieri enim potest ut quod leges præcipiunt in vnâ civitate, verent in aliâ: ac proinde in alterâ earum sit iustum, in alterâ autem iniustum, propter varietatem Rerum publicarum, & peculiarem vniuscuiusque conditionem. At si iustum legitimum, seu lege constitutum, esset iustum simpliciter, profectò ubique iustum esset, & nullibi iniustum. Ergo iustum legitimum non est simpliciter iustum, sed quoddammodo tantum. Nimirum, nõ tam iusta dicuntur opera, quam temperata, aut fortia, aut honesta in illâ materiâ, ad quam peculiariter spectant: quoniam leges præcipiunt opera Virtutum peculiarium, quæ proinde potius ab ijs, quam à Iustitiâ denominationem sortiuntur. Cum verò conferant plurimum ad societate civilem, quam Iustitia legalis per se spectat, consequens est ut generatim opera iusta dicantur.

16 CONFIRMAT Id ipsum ex fine legum, qui est utilitas communis, sive omnium, ut in Democratiâ, sive Optimatum, ut in Aristocratiâ, sive præcipuorum, ut in Regno, vbi vnus aliquis nobilitate, Virtute, aut sapientiâ antecellens cæteris dominatur. Nam etiam in hoc postremo genere Politicæ Rex non tam privatam sui ipsius, quam publicam utilitatem querere debet. Idemque est in cæteris Politicæ generibus: quæ siquid boni aut recti habent, curant utilitatem publicam & felicitatem civilem. Atqui utilitas publica, & civilis felicitas, paratur operibus omnium Virtutum. Ergo in omni genere Politicæ, leges præcipiunt opera omnium Virtutum. Ergo Iustitia legalis om-

nium Virtutum opera amplectitur, ideoque est Virtus universa, seu generatim ad omnia Virtutum obiecta se extendens.

17 HINC Apparet, quo sensu accipienda sit doctrina Iurisconsultorum in Institut. tit. de Iust & Iure assententium, tria esse præcepta Iuris: honestè vivere: alterum non lædere: suum vnicuique tribuere. Non enim id intelligendum est de Iustitiâ peculiari, & Iure singulari ac strictè dicto: quoniam manifestum est, Iustitiâ & Ius peculiare non præcipere hominibus ut honestè vivant: sed solum ut alterum non lædant, & suum vnicuique tribuant. Quippe honestè vivere est quid universale & generatim se extendens ad omnia Virtutum moralium opera legibus præcepta. Loquuntur ergo Iurisconsulti eo loco de Iustitiâ legali, quæ omnium Virtutum moralium honestatem comprehendit vere, dum illam præcipit, seu leges fert in materiâ omnium Virtutum, iubendo & prohibendo, ac præmia præscribendo ijs, qui leges observaverint; sicut & indicendo transgressoribus pœnam. In ijs enim duobus posita sunt officia & partes legum: ut sapienter observat Cicero lib. 1. de Legibus dicens: *Lex est ratio summa insita in natura, quæ iubet ea quæ faciendâ sunt, prohibet quæ contraria.* Et Philipp. 11. *Lex nihil aliud est, nisi recta, & à numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens quæ contraria.* Atque in 2. de Orat. *Legibus proposita sunt supplicia vit ijs, præmia virtutibus.* Ergo Iustitia legalis fert leges, tum præcipientes, tum & prohibentes, sub præmio aut pœnâ, in materiâ omnium Virtutum: idque rectè, sive secundum Prudentiam, nam lex, ut bona sit, non debet esse temerè aut inconsideratè imposita, sed prudenter. Vnde demum inferitur, quod supra indicabatur, virtum prædictum Iustitiâ legali, observantissimum esse legum in omni materiâ Virtutum, ideoque harum omnium splendidissimo comitatu prædictum esse debere.

18 EXPLANATO Iusto legali procedit ad exponendam ipsam Iustitiâ legalem, quæ circa illud versatur: eamque Virtutem perfectam appellat, non quidem absolutè, sed relatè: quoniam est *ἡ γὰρ εἰς τὸν ἄλλον*, ad alteram. Verum licet ex hoc capite videatur quoddammodo inferior alijs quibusdam Virtutibus, quæ profus absolutæ sunt; aliunde & simpliciter illa videtur ijs antecellere, quoniam spectat alienam & publicam utilitatem, ac præterea versatur in materiâ omnium Virtutum, ex eodem fine utilitatis publicæ. Quod sanè præclarissimum tenet Aristoteles, & dignum senario versu cuiusdam ignoti Poetæ alienentis, admirabiliorem esse Iustitiâ Hespero vbi Solem subsequitur, & Lucifero vbi ipsum Solem antecedit. Carmen est eiusmodi: *ἡ δὲ ἰσχυρὴ*

Οὐδ' ἔσπερον, ὅτ' ἐὼν ὄντω θαυμάσιος
Nec tam Hesperus, nec Lucifer mirandus est.

19 MULTIS Ethicorum usque adeo
 venerationi fuit Iustitia legalis, ut ipsi rāquam
 Numini aras erigere, & sacrificia offerre sub
 Astræ nomine, aut Themidis, non dubitave-
 rint. Ideo & Orpheus insignis Poeta ex Ly-
 ricorū choro, duplici hymno eam salutatur, ve-
 luti Deam. Cicero quoque lib. 3. Offic. eam
Virtutum omnium reginam vocat. Elleque Vir-
 tutem perfectam confirmat Arist. proverbio,
 seu versiculo alio Theonidis, cuius meminit
 Iamblicus apud Stobæum serm. 6. de Iustitiā,
 ubi eam appellat Virtutum omnium *συναγω-
 γήν, complexionem*. Versum verò Theognidis
 indicatum, ab Arist. ita vertit Adrianus Tur-
 nebus, pene ad litteram: *Iustitia in se virtutes
 complectitur omnes*. Quod etiam tradit Plato
 lib. 4. de Republica, ubi Iustitiam omnium Vir-
 tutum nexum comprehensionēque vocat. Con-
 sentit quoque Calcidius Platonius in *Timæo*,
 ubi eam appellat *animi concentum, & morum
 harmoniam*. Alcinoüs quoque similiter, *om-
 nium animæ partium consensionem & sympho-
 niam*: & Pythagoreus Polus, *reliquarum Virtu-
 tum mater, nutrixque*. Ac tandem eius of-
 ficia, & utilitates, quæ humano generi ex ipsā
 proveniunt, recēset Claudianus, dum accinit:

*tu prima hominem silvestribus antris
 Elicis, & sædo detergis sæcula vultu.
 Te propter colimus leges, animosque ferarum
 Exuimus, nitidis quisquis te sensibus hausit,
 Irruet intrepidus flammis, biberna secabit
 Equora, confertos hostes superabit in-
 crimis.*

20 RATIO Verò, quæ probat Arist.
 Iustitiam legalem esse Virtutem præstantissi-
 mam, sub hanc formulam proponi potest. Illa
 Virtus, quæ quis non solum vititur bene in or-
 dine ad se, verum & relatè ad alios, est cæte-
 ris melior & excellentior. Atqui legalis Iusti-
 tia est Virtus eius naturæ, ut quisquis illa præ-
 ditus invenitur, vitatur bene, non solum in or-
 dine ad se, verum & relatè ad alios. Ergo le-
 galis Iustitia est Virtus cæteris omnibus me-
 lior & excellentior. Minor propositio constat
 ex dictis circa officium Iustitiæ legalis, quæ
 consulit utilitati & felicitati civium omnium.
 Maior autem patet: Quia illa Virtus quæ red-
 dit subiectum melius & excellentius, ac præ-
 terea maiorem difficultatem superat; procul-
 dubiò melior & excellentior est. Virtus autem,
 quæ quis vititur bene, non solum in se, verum &
 in ordine ad alios, reddit subiectum melius &
 excellentius; ac præterea superat maiorem dif-
 ficultatem, quippe difficilius est homini bo-
 num esse sibi & alijs, quam in se dumtaxat. Id-
 que experimento palam dignoscitur in pluri-

mis, qui domui suæ administrandæ satis sunt,
 & tamen inepti sunt ad procurationem rerum
 publicarum. Ergo illa virtus, quæ quis vititur
 bene in se, & simul in ordine ad alios, est cæ-
 teris melior & excellentior.

21 CONFIRMAT Arist. rationem
 hanc proverbio illo Biantis celebri ac vulga-
 rissimo: *ἀρχὴ τὴν ἀνδρῶν δεῖξαι. Magistratus
 virum ostendet*. Nimirum, non antè quis osten-
 dit se virili animo præditum, quàm ubi in Ma-
 gistratu, seu administratione rerum publica-
 rum fuerit probatus. Quam ipsam sententiam
 confirmat Plutarchus in *vita Ciceronis adfi-
 nem*, & Sophocles in *Antigone*, ubi accinit, dif-
 ficilem esse cognitu animum sentumque illius,
 qui numquam obierit Magistratum. nimirum,
 ad quem ritè administrandum satis non est, ut
 quis eā Virtute polleat, quæ sufficiat ut sit pro-
 bus in se, nisi & habeat eam, quæ se gerat be-
 ne circa alios. Ergo verè difficilius paratu est
 Virtus illa, quæ quis & in se bonus est, & simul
 relatè ad alios: ac proinde illa erit cæteris
 Virtutibus excellentior. Cùm igitur Iustitia
 legalis sit eiusmodi, fateri opus est, eam cæteris
 Virtutibus præstantiorem esse.

22 ALIA Ratione insuper id ipsum
 probat ex loco à contrario, in hunc ferè mo-
 dum. Qui non solum malus est in se, verum &
 alijs perniciem affert, is pessimus homo est;
 quoniam & sibi & alijs nocet. Ergo è contra,
 qui non modò bonus est in se, verum & præ-
 terea alijs, is certè est vir optimus. Ergo &
 Virtus illa, quæ constituitur bonus in se, simul-
 que in ordine ad alios, est sanè optima & præ-
 stantissima. Cùm igitur Iustitia legalis sit Vir-
 tus eiusmodi, planè colligitur, eam omnium
 Virtutum optimam & præstantissimam esse.
 Porro legalem Iustitiam constituere hominem
 bonum in se, patet; cùm illum reddat forma-
 liter iustum. Quòd etiam reddat bonum in or-
 dine ad alios, iam sæpe ostensum est superius,
 & docet Cicero lib. 3. de Republ. dum ait: *Hæc
 iustitia dicitur esse virtus, quæ foras spectat,
 & projecta est tota*. Atque insuper: *est virtus,
 quæ præter cæteras se totam ad alienas utili-
 tates porrigit, atque explicat*.

23 COLLIGIT Arist. ex dictis, quod
 iam supra pronuntiaverat, Iustitiam legalem
 non esse aliquam Virtutis partem, sed totam
 Virtutem, sive univèrsam. Illa enim Virtus, quæ
 cæteris omnibus vititur, atque in ipsarum ope-
 rationibus versatur, non est aliqua Virtutis
 pars, sed tota Virtus, sive univèrsa. Atqui le-
 galis Iustitia cæteris omnibus Virtutibus vititur,
 atque in ipsarum materiâ versatur, ut supra
 demonstratum est. Ergo non est pars alicuius
 Virtutis, sed tota Virtus, sive univèrsa. Idque
 confirmat à contrario ex iniustitia legali, quæ
 non est pars vitij, sed totum vitium, sive univ-
 versum; cùm extendatur ad omnia vitia, sive
 ad

ad transgressiones legum in omni materia.
 24 DENIQUE Questionem sub-
 iudicat ex hucusque traditis ortam: Vtrum
 legalis Iustitia frustanea sit, nec ne? Videtur
 enim illam frustra esse, si est Virtus vniversa.
 Sic enim sufficient singule Virtutes, satisque
 erit hominem ijs omnibus instructum esse, in-
 dependenter à Iustitiâ legali. Respondet verò,
 ex dictis manifestum esse in quo differant Vir-
 tus, & Iustitia legalis. *ἔστι μὲν γὰρ ἡ ἀρετὴ τὸ
 εὖ εἶναι, τὸ αὐτὸ. Sunt enim idem. esse autem
 non est idem.* Sive, vt habet vetus trãslatio apud
 D. Thomam lect. 2. fine. *Est quidem enim eadem
 esse subiecto, ratione autem non idem.* Vbi S.
 Doctor ita loquitur ex mente Arist. *Manife-
 stum est in quo differant virtus & iustitia le-
 galis: quia secundum substantiam est eadem:
 sed secundum rationem non est idem. Scilicet,
 per comparationem ad alterum dicitur iustitia:
 in quantum autem est habitus operationis ta-
 lis boni, est simpliciter virtus.* Quod totum
 ferè habetur etiam in ipso textu Arist. Verùm
 addit D. Angelicus. *Hoc autem est intelligen-
 dum quantum ad ipsum actum iustitiæ & vir-
 tutis. Actus enim idem subiecto prouocitur à
 iustitia legali, & à virtute simpliciter dicta:
 puta, non mæchari: tamen secundum aliam &
 aliam rationem. Verùm quia vbi est specialis ra-
 tio obiecti, etiam in materia generali, oportet
 esse specialem habitum; inde est quòd ipsa iusti-
 tia legalis est determinatiua* (forte legendū,

determinato) *habens speciem ex hoc, quòd in-
 tendit ad bonum commune.*

25 ITAQVE Iustitia legalis non
 est Virtus frustanea, sed utilis & necessaria;
 quoniam est in ordine ad speciale obiectum,
 etiam in materia generali, in quâ positum est
 bonum commune. Sed ad speciale obiectum,
 etiam in materia generali, utilis & necessarius
 est peculiaris habitus Virtutis. Ergo legalis Iu-
 stitia est utilis & necessaria, tanquam peculia-
 ris habitus Virtutis. Itaque illa est quidem vni-
 versa Virtus, non simpliciter & absolute; sed
 relatè, seu in ordine ad alterum: quatenus ver-
 satur in materia omnium aliarum Virtutum
 in ordine ad bonum commune: & iidem actus
 aliarum Virtutum procedunt ab ijs in ordine
 ad obiectum speciale ipsarum. à Iustitiâ verò
 legali, ex fine communis boni. Vnde sequitur
 actus aliarum Virtutum esse vnum atque idem
 reipsa cum actibus Iustitiæ legali: solumque
 ab ijs differre *τὸ εἶναι, secundum esse*, siue se-
 cundum modum elidendi, aut *τὸ λόγῳ, ratio-
 nis*: vt hoc loco intelligendum Aristotelem
 pluribus contendit Giphanius, & satis ad men-
 tem D. Thomæ allegati, nisi quod ex huius sen-
 su, & ratione iam productâ, fateri opus sit, ha-
 bitum ipsum Iustitiæ legali non considera-
 tione solâ, sed realiter à cæteris Virtutum mo-
 raliū habitibus dissidere.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 5 §. quæ est de Iu-
 stitia, art. 1. 2. 3. 4. 5. & 6. & ipsius Interpretis;

CAPVT SECVNDVM.

Quid Iustitiæ particularis, & quotuplex.



VÆRIMVS autem eam iustitiam, quæ virtutis est
 pars, Est enim quædam, vt diximus. Et item iniusti-
 tiam eam, quæ pars vitij quædam est. Esse autè hanc
 iniustitiam, hoc indicat signum. Qui namque cæteris
 vitijs operatur, iniuriam quidem facit: at non plus
 capit: vt qui clypeum timiditate proiecit, aut qui conuicia ob iracun-
 diam dixit: aut qui non attulit ob illiberalitatem per pecunias opem.
 At cum quispiam sæpe plus capit, nullo tum eiusmodi vitio is opera-
 tur, nec etiam vniversis, aliqua autem pravitate. Vituperamus enim il-
 lum, atque ob iniustitiam. Est ergo alia quædam iniustitia, vt pars to-
 tius iniustitiæ quædam: & iniustum itidem quoddam, vt pars totius ini-
 iusti: quod quidem est præter legem. Prætereà, si quidam lucrandi cau-
 sa facit adulterium, atque pecunias accipit, quidam erogat, damnum-
 que

que patitur ob cupiditatem: hic quidem intemperans potius, quam pluri-
 ris avidus: ille autem iniustus, sed non intemperans esse videbitur. Pa-
 tet ergo, talem illum videri, quia lucratur. Insuper aliae quidem omnes
 iniuriae, ad aliquod semper vitium rediguntur: ut si commiserit quispiam
 adulterium, ad intemperantiam: si deseruerit in acie socium, ad timidi-
 tatem: si pulsaverit quempiam, ad iracundiam: sed si lucratus fuerit, ad
 nullam aliam pravitatem, quam ad iniustitiam ipsam, refertur. Quare
 perspicuum est, praeter totam, aliam esse quandam iniustitiam, ut partem
 univocam: quia definitio genere est in eodem: ambae namque id pos-
 sunt, ut sint ad alium. Verum haec quidem circa honorem versatur,
 vel pecunias, vel salutem, vel si quo vno nomine complecti haec univer-
 sa possumus: & circa voluptatem, quae fit à lucro. Illa verò circa om-
 nia ea, in quibus studiosus versatur. Iustitias igitur esse plures, & aliam
 quandam esse praeter ipsam totam virtutem, perspicuum iam evasit.
 Sed quanam sit, & qualis, sumamus deinceps oportet. Determinatum
 est itaque, iniustum quidem esse, quod est contra leges, & quod est ini-
 quum. Iustum autem quod est legitimum, & quod est aequum. Iniusti-
 tia igitur antea dicta est, à qua proficiscitur id iniustum, quod contra
 leges dicimus esse. At cum iniquum, & iniustum, quod contra leges
 est, non eadem sint, sed alterum sese habeat ad alterum, ut pars se ha-
 bet ad totum, (nam iniquum omne, iniustum quod contra leges; iniustum
 autem quod contra leges non omne, iniquum. plus namque omne,
 iniquum: iniquum autem non omne, plus) iniustum etiam, & iniustitia
 non eadem sunt, sed diversa ab illis: & haec sunt ut partes, illa ut tota.
 Haec enim iniustitia, totius est iniustitiae pars: & iustitia iustitiae simi-
 li modo. Quare de iustitia, quae quidem est pars, & de iniustitia simili-
 ter est dicendum: & de iusto etiam, & de iniusto. Ea igitur iustitia, quae
 perinde, atque tota virtus, est ordinata, & ea iniustitia, quae adversatur
 illi, quarum altera virtutis, altera vitij totius ad alium usus est, omitta-
 tur. Et iustum id, & iniustum, quod ad has attinet, patet quoniam sit mo-
 do definiendum. Etenim pleraque legitima ea ferè sunt, quae à tota vir-
 tute aguntur. Lex enim iubet uniuscuiusque virtutis vivere ratione, &
 vetat vitij cuiusvis vivere modo: necnon legitima, quae ad publicam
 pertinent disciplinam, ea sunt, quae virtutem totam efficere possunt. Sed
 de singulorum disciplina, qua quidem vir bonus est absolutè, utrum sit
 civilis, an ad aliam facultatem pertineat, determinabitur postea. Non
 est enim idem fortasse, virum esse bonum, & civem bonum. Iustitiae
 autem eius, quae est pars, & eius, quod ad ipsam attinet, iusti, una qui-
 dem species est ea, quae in distributione consistit, aut honoris, aut pe-
 cu-

cuniarum, aut cæterarum rerum, quæ inter eos dividi possunt, qui in eadem civili societate versantur. In his enim fit, ut quispiam & non æquum habeat ad alium, & etiam æquum. Alia autem ea, quæ in commercijs est hominum emendandis: cuius sunt duæ partes. Commercia nanque quædam sua sponte faciunt homines, quædam invitis ipsis efficiuntur. Et ea quidem, quæ sponte faciunt, talia sunt, venditio, emptio, mutatio, vadimonium, locatio, depositio, mercede conductio. Atque propterea sponte hæc fieri dicuntur, quòd principium ipsum sponte procedit, ac agitur. Ea verò, quæ invitis hominibus fiunt, aut clandestina sunt, ut furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, fervorum seductio, cædes cum dolo, falsum testimonium. Aut violenta, ut verberatio, vincula, mors, rapinæ, membrorum captio, convicium, contumelia.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

Esse speciem quandam Iustitiæ peculiaris, præter illam communem: cum eaque partim convenire, & partim differre. Dirimitur quæstio incidens, & statuitur divisio Iustitiæ peculiaris in commutantem, & distribuentem.



EXPLICATA Iustitiâ generali & legali superiori capite, dicitur modo Aristoteles de Iustitiâ peculiari, quod & quadruplex sit. Dividitur verò caput in quatuor partes. In primâ pronunciat, præter Iustitiam legalem & communem, esse aliam restrictiorem & peculiarem. In secunda assignat, tum convenientiam, tum & discrimen utriusque. In tertiâ indicat quæstionem quandam hinc ortam, cuiusque resolutionem in alium locum remittit. In quartâ demum, ipsam peculiarem Iustitiam bipartitò dividit in commutantem & distribuentem.

2 CIRCA Primam partem, ex communi sensu decernit, præter communem illam legalemque Iustitiam, de quâ antea dictum fuit, esse aliam peculiarem & propriam: idque ratione probat. Sed ut ratio ipsa, & plura ex dicendis aliùs percipiantur, notandum est ex dictis cap. præced. duplex esse genus iniustæ factorum, pleonecticum unum, paranomicum aliud. Pleonecticum denominatur à pleonexiâ, id est, cupiditate habendi plus iusto; quo vitio quisque laborat, Græcè dicitur pleonektes, sive plus iusto appetens bona fortunæ. Paranomicum deducitur à paranomiâ, quæ est legum violatio; & hoc vitio notatus dicitur Græcè paranomos, id est, transgressor legum. Hoc præmisso,

3 RATIO Arist. sub hanc formulam proponi potest. Eodem modo se habet Iustitia in suo genere, atque iniustitia ipsi cõtra-

ria in suo. Atqui iniustitia ita se habet in suo genere, ut præter illam communem iniustitiam, quæ dicitur paranomia, seu violatio legum, sit alia peculiaris & propria, atque omnino distincta. Ergo & Iustitia ita se habet in suo genere, ut præter illam communem Iustitiam, quæ dicitur legalis, sit alia peculiaris & propria. Maior patet ex dictis cap. præced. præsertim num. 9. & 10. ubi statutum fuit, unumquodque contrariorum optimè cognosci per alterum, & dividi instar alterius. Minorem; sive assumptionem syllogismi, probat Arist. tripliciter.

4 PRIMO: Quia quoties duo aliqua in suo genere ita se habent, ut unum ab altero separari possit, manifestum est ea inter se distingui. Atqui in genere iniustitiæ ita se habet communis illa iniustitia, quæ paranomia dicitur, seu violatio legum, ut separari possit à pleonexiâ, quæ est peculiaris iniustitia. Ergo in genere iniustitiæ, præter iniustitiam illam communem, seu paranomiam, oportet ab eâ distingui pleonexiam, quæ est peculiaris iniustitia. Maior cum consequentiâ patet. Minor suaderetur: Fieri enim potest, & sæpe accidit, ut quis solum peccet contra Iustitiam legalem multiplici violatione legum, quæ tantum est iniustitia communiter dicta, seu paranomia: & tamen non peccet ex pleonexiâ, seu ex cupiditate sumendi, & habendi plusquam iustum sit, quæ est peculiaris iniustitia. Accidere enim potest ut in bello præliaturus abijciat ex ignavia securum, aut alperè se gerat & morose inamicum, aut ipsi nolui subvenire in necessitate: quæ

quæ omnia vitiosa ab idubio sunt, & ad iniustitiam communiter dictam, seu legale spectant. Et tamen nihil eorum pertinet ad pleonexiam, cum in nullo eorum velit, aut accipiat de bonis alienis aut communibus pluiquam par sit. quod solum ad pleonexiam actinet. Ergo in genere iniustitiæ ita se habet communis illa iniustitia, quæ paranomia dicitur, seu violatio legum, ut separari possit à pleonexia, quæ est peculiaris iniustitia.

5 SECUNDO Probat eandem assumptionem. Omnes illæ vitiositates, quæ naturâ suâ ad diversos referuntur fines, proculdubio inter se differunt. At vitiositas iniustitiæ legalis, seu communiter dictæ, & vitiositas iniustitiæ illius, quæ pleonexia dicitur, & inclinat ad accipiendum habendumque plus iusto, ex naturâ sua referuntur ad diversos fines. Ergo vna & altera iniustitia proculdubio inter se differunt. Maior, in qua difficultas esse potest, constat. Quoniam habitus morales differunt inter se penes ordinem, quo referuntur natura sua ad diversos fines: & suadetur explicaturque in adulterio, quod potest dupliciter committi: primo ex sola libidine, sive desiderio voluptatis explenda: secundo ex solo intuitu lucri, seu questus faciendi. Priori eventu quis solum est libidinosus & adulter, non tamen avarus: quia solius libidinis intuitu peccavit, sive ex hoc voluptatis. Posteriori autem, potius est avarus, quam libidinosus & adulter: quoniam solo avaritiæ fine ductus fuit. Similiter autem se habent vitiositas iniustitiæ legalis, seu paranomiae, & vitiositas pleonexiæ. Prior enim ducitur eo fine, quem habet opus ipsum lege prohibitum, sive ad ignaviam, sive ad libidinem, sive ad aliud eiusmodi vitium spectet. Posterior autem solum spectat finem illum obtinendi, & habendi plus iusto ex bonis fortunæ, & minus ex malis: ut cap. præced. num. 13. & 14. dictum fuit. Ergo altera, & altera vitiositas habent fines diversos.

6 TERTIO. Quisquis contra aliquam Virtutem delinquit, etiam adversus Iustitiam legalem peccat, quoniam hæc extenditur ad omnia Virtutum opera: ceterum non ideo contra peculiarem Iustitiam peccat. Igitur longe alia est iniustitia legalis à peculiari iniustitia. Probatur antecedens: Si enim quis adulter, seu mœchus sit, aut aciem in bello dederat, aut sortium verberet, ijs casibus peccat quidem contra Iustitiam legalem, quæ prohibet eiusmodi opera, spectantia ad libidinem, ignaviam, & ita cundiam. At verò non ideo contra Iustitiam peculiarem peccat: qualiter in eam delinquit, is qui inique lucratus est aliquid, & per questum iniustum plus habet, quam par sit. Hæc enim præ alijs peculiaribus iniustitiæ vitio, se polluit, a quo immunes existunt. Aliud ergo vitium est iniustitiæ legalis, aliud iniustitiæ peculiaris. Vnus

de concluditur (quod potissimum curæ est Aristot. hoc loco) Iustitiam communiter dictam, seu legalem, differre à peculiari Iustitia.

7 CIRCA Secundam partem exponit utriusque Iustitiæ convenientiam & differentiam sub eodẽ Iustitiæ genere, seu nomine: nam utramque appellat synonymam. Afferit itaque in eo convenire, quod in utriusque definitione ingrediatur idem genus: nempe, quod utraque sit Virtus *ἄρως ἐτερον, ad alterum*: ac proinde quoddammodo relativa. Dissidere verò vnam ab alia docet, ex parte materia: quoniam Iustitia & iniustitia peculiaris versantur in peculiaribus & certis bonis, in quibus posita est societas humana: ut in honore, pecunia, & ijs, quæ ad salutem corporis spectant, quæ omnia vellet vno nomine comprehendere: sed videri fieri non posse propter magnam rerum varietatem. Dicuntur tamen bona fortunæ, sive ad lucrum & damnum spectantia, quoniam aliter & breviter vix explicari possunt. Ceterum legalis Iustitia vagatur per omnem materiam morum: cum nulla sit Virtus, nullaq; Virtutis operatio, cuius præcepta non tradat, & materiam ac finem nõ præscribat. Ex quibus iam apparet, genus utriusque Iustitiæ commune esse rationem Virtutis *ἀπὸ τοῦ ἑτεροῦ*: differentiam verò vnicuiusque illarum considerari per ordinem ad propriam vnicuiusque materiam, quæ Iustitiæ legali amplissima est: peculiari autem, certa & definita, ut iam diximus. Constat præterea, plures esse Iustitiæ species, & aliquam peculiarem, diversamque ab ea, quæ per omnem Virtutum moralium materiam vagatur.

8 HINC Progreditur ad vestigandam Iustitiæ qualitatẽ, seu qualis illa sit. Verum antequam id ediderat, præmittit, iniustum esse duplex: aliud paranomicum, seu in violatione legum consistens: aliud inæquale, seu pleoneticum, quod non est simplex & unimodi: nam quod dicitur inæquale, non est idem cum eo, quod dicitur plus. Alterum enim est veluti pars, alterum veluti quoddam totum. Quippe omne quod plus est, inæquale est: non tamen quidquid est inæquale, plus est: cum aliquod peculiare iniustum sit, inæquale, non quia plus habet, sed quia minus: ut apparet in eo, qui de malis, seu incommodis communibus minus participat, quam oportet: ut dictum est superiori capite num. 11. & 14. loquendo de pleonæcia. Itaque inæquale videtur esse aliquid commune utrique peculiari iniustitiæ: nimirum, tam illi, quæ magis usurpat de communibus bonis, quam ei, quæ minus subit de operibus, seu communibus malis. Quare, quemadmodum iniustitia inæqualis, seu pleonexia, non est idem atque iniustitia legalis, sed veluti pars illius, quæ versatur in peculiari materia: ita etiam id quod est plus, non est idem, atque inæquale, sed

sed veluti ipsius pars. His itaque prenotatis inquit, satis iam dictum esse de Iustitia legali, & iniustitia ipsi opposita. Coestat quippe, ijs comprehendendi omnium Virtutum ac vitiōrum usum in ordine ad alterum: similiter, & quomodo iustum atque iniustum earum definiendum sit. Omnia quippe legibus præcepta, aut prohibita in qualibet materia Virtutis, aut Vitijs, ad Iustitiam legalem, aut iniustitiam attinent.

9 CIRCA Tertiam partem excitat quæstionem quandam. Sed antequam illam proponat, præmittit ex hætenus traditis, pleraque eorum, quæ legibus præcipiuntur, & legitima iusta dicuntur, in operibus moralium Virtutum consistere. Nunc verò tradit eorundem legitimorum partitionem: quorum alterum continetur institutione & disciplinâ publicâ: alterum verò privatâ. Prioris generis continentur ea, quibus universè præcipitur recta vivendi ratio, & veratur quidquid ab honestate deviat, ut adulteria, homicidia, latrocinia, aliæque eiusmodi scelera noxia Reipublicæ. Posteriori generi adscribuntur ea, quæ singulis hominum ordinibus, ætatibus, officijs, ac statibus speciatim præcipiuntur. Spectat enim ad Prudentiam exactam Legumlatorum, non modò præcipere generatim civibus, quæ recta sunt, & prohibere, quæ turpia: sed etiam singulis hominum statibus, conditionibusque, illa præcepta imponere, quæ ad partes sive officium uniuscuiusque ritè obeundum spectant. Quod institutionis privatæ genus à Legumlatoribus præmissum fuisse congeritur Aristotel. infra lib. 10. circa finem, & lib. 7. atque 8. Politic. sicut & Plato sæpè in libris de legibus: ubi eum defectum supplere studuit. Quæ verò hoc loco tradit Aristoteles circa legum præcepta, sive legalia universæ Virtuti parandæ utilia, solum de publica institutione accipi vult, non autem de privata.

10 QVÆSTIO Igitur, quam proponit, est, utrū institutio & doctrina, quæ eruditur homo, ut ritè obeat munus suum, cuiusque bonum proprium assequatur, spectet ad Politicam, an potius ad aliam disciplinam. Verum hanc controversiam non dirimit nunc, sed remittit in alium locum: scilicet, vel in d. librum 10. cap. ult. ubi docet ad Politicam spectare etiam institutionem privatam, doloque quod quorundam filij educatione careant, instar Cyclopi: vel ad librum tertium Politicorum, ubi nonnihil de hoc ipso.

11 CIRCA Tertiam partem differit uberiùs de Iustitia peculiari, eamque dividit in duas species: quarum altera in distribuendo, altera in commutando posita est. Priorem ait verari in distributione rerum communium: sive ex sint bonæ, ut honores, pecunie, & Magistratus: sive malæ, ut labor, vigi-

lie, sumptus, vestigalia, aliæque incommodæ: quorum omnium æqualiter participes esse debent quotquot eadem civili societate censentur. Hoc verò ad Iustitiam distribuentem spectare probat ferè sic. Vbicumque intervenire potest æqualitas & inæqualitas unius singularis hominis comparati ad alterum, ibi oportet esse Iustitiam peculiarem, quæ definiat medium æqualitatis inter utrumque. At in distributione, tum bonorum, tum & malorum communium, intervenire potest æqualitas & inæqualitas unius singularis hominis comparati ad alterum. Ergo in distributione, tum bonorum, tum & malorum communium, oportet verari Iustitiam peculiarem, quæ inter utrumque definiat medium æqualitatis. Quæ de causa Chrysippus apud Gellium lib. 14. cap. 14. tribuit Iustitiæ huic oculos rectos, acres, & immotos, quos proinde in iudicando non flectat. Ideo & Heliodus illam virginem facit, quæ corrumptæ, violarique non patiat, ac propterea, vel Dijs ipsis admirationi sit. Carmina Heliodi Latine expressa, hæc sunt.

*Illa quidæ virgo est, superno Iove nata parente,
Nomme clara, uo, cœtuq; verenda Deorum.*

Et de hac potissimum Iustitia distribuentis accipitur definitio Iustitiæ à Consultis tradita per hoc, ut sit constans & perpetua voluntas ius suum ubique tribuendi. de quâ iam egimus cap. præced. num. 4. & 5.

12 ALTERA Iustitiæ species in commutando posita est, indeque vulgò commutativa dicitur. Occupatur enim in rerum commutationibus, quarum vti transfertur potestas, seu dominium rerum ab vno in alium: ut in emptione, venditione, mutuo, & alijs eiusmodi contractibus. Vnde palam est distinctio Iustitiæ distribuentis à commutante. Illa enim communia bona transfert à Republicâ, sub cuius ditione erant, ad certam personam: hæc verò peculiaribus bona ab vno singulari homine in alium transfert. Quemadmodum verò prior versatur in communibus bonis, quorum generali appellatione exprimentur honores, & pecunie, ac res quæ pecuniâ æstimator: ita & posteriorem hanc docet verari in eâ materiâ, quæ συναλλαγὰς dicitur id est, contractus cum aliquo. Nec morari libet circa etymon eius vocis: de quo legendi hoc loco Giphanius, & Gallus, ac Budæus in Pandectis. Sufficiat observare, sub eò nomine comprehendendi ab Aristotele omnia civilia negotia: ut testamenta, civilia pacta: item delicta, flagitia, aliæque plures, quamvis apud Consultos nomen contractus significationem habeat restrictiorem ad pacta & conventa, ex quibus obligatio oritur. Sic etiam συμβόλαιον, symbolaion Græco significat commercium, seu negotiationem: & tamen ab Aristotele in numero plurali συμβόλαια locuta sig-

significant contractus, condita, pacta, & conventiona quæque. Ex quibus patet, materiam Iustitiæ commutantis latissime vagari per totam ferè Iuris Civilis materiam, quæ à Consultis comprehenditur nomine personarum, rerum, & actionum. Ea namque omnia denotat *συλλάγμα*, sive *contractum*, ex mente Aristotelis.

13 OFFICIUM Itaque commutantis Iustitiæ positum esse ait in emendandis, corrigendisque commutationibus, contractibus, & civilibus actionibus, quarum interventu quidquam ab uno in alium transfertur. Cum enim sepe accidat ut in ijs per inæqualitatem peccetur, oportuit esse Virtutem aliquam per se institutam ad eam inæqualitatem tollendam, & redigendam ad æqualitatem. Verum in Iustitia commutante, ut id munus exequatur, partes sunt duæ: sicuti & bipartito dividuntur commutationes, contractus, & actiones civiles, quas corrigit: quoniam quædam sunt voluntariæ, quædam autem invitæ. Porro Aristotel. etiam id quod invitè fit, generali nomine *συλλάγμα*, *contractum* vocat quoniam in civili societate & communione omnium bonorum, quam malorum, seu pœnalitatum, inveniri posse existimat, & accidere, ut quis voluntariè, aut involuntariè agat, patiaturvè. Quippe, ut *infra cap. 9.* apparebit, in qualibet specie peculiaris Iustitiæ locum habet mutua percussio, sive contrapassum: ut inter percipientem, & percussum; furantem, & eum cui furtum fit; altero quidem voluntariè inferente iniuriam, altero autem patiente & involuntariè se habente.

13 VERVM Aristotel. ipse luculentius edisserit voluntarios atque involuntarios contractus, in quibus Iustitia commutans versatur. Docet enim, voluntarios contractus esse emptionem, venditionem, mutuum, fideiussionem, commodatum, depositum, locationem, & conductionem, aliosque eiusmodi: & eos omnes appellari voluntarios, quia eorum principium voluntarium est. Nimirum, ut *suprà lib. 3. cap. 2.* tradidit, quorum principium est situm in ipso agente, cum cognitione circa singula, in quibus est actio. Et ex hoc principio voluntario nascitur inter contrahentes obligatio, quam Iurisperiti *necessitatem* appellant. Dicunt enim voluntatis esse contrahere: contractibus verò stare, necessitatis. Ita habetur *l. si quid initio. Cod. de obligat. & act. on. l. in commodato, §. sicut, ff. commodati.* Involuntarios verò contractus eos appellat Aristotel. quorum principium in ipso agente non est, sive in ipso commutante, & contrahente. Eorumque duplex quasi genus constituit: ut quidam sint involuntarij propter ignorantiam: quidam autem propter vim. Exemplum priorum assignat in ijs, qui clandestini dicuntur: qualiter furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servi deceptio, cædes dolo commissa, & falsum testimonium. Fiunt enim ignorante eo, qui petitur. Exemplum posteriorum affert in ijs, quæ prorsus violenta sunt: qualiter verbera, vincula, mors, rapina, mutilatio, maledicentia, & contumelia.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 58 art. 7. 8. & 9. ubi agitur de Iustitia particulari, & illius Interpretes.

CAPUT TERTIUM.

De Iusto distributivo.



VM Autem iniustus sit iniquus, & iniustum iniquum, constat & aliquod medium esse iniqui: atque hoc est ipsum æquum. Quo enim in actu plus est, & minus, in eodem est etiam æquum. Si igitur iniustum est iniquum, iustum est æquum. Quod quidem & absque ratione patet omnibus. At cum æquum sit medium, iustum medium quoddam erit. Ipsum autem æquum in minimis est duobus. Necessesse est igitur, ipsum iustum & medium esse, & æquum, & ad aliquid, & quibusdam. Atque quo medium quidem est, hoc aliquorum est, quæ quidem plus sunt, & minus: quo autem æquum est, duobus est. At quo iustum est, quibusdam est. Ipsum ergo iustum, minimis quatuor consistat,

sistat, necesse est. Homines enim, quibus est iustum, duo sunt: & res, in quibus & ipsæ duæ sunt. Atque eadem est æquitas, quibus, atque in quibus. Nam ut sese habent ea, in quibus, sic sese habent, & illa. Si enim non sunt æqui, non æqua habebunt. Sed hinc pugna nascuntur, & inculpationes, atque querelæ, cum æqui non æqua, aut æqua non æqui habent, ac potiuntur. Id ita esse ex eo, quod pro dignitate fit, constat. Iustum enim, quod in distributionibus est, omnnes vno ore pro dignitate quadam oportere esse dicunt. Ipsam tamen dignitatem non eandem omnes inquirunt esse: sed populares quidem, libertatem: pauci verò potentes, opulentiam: nonnulli, nobilitatem: optimates verò, virtutem. Iustum ergo, rationum quandam comparisonem subit. Comparisonem nanque rationum subire, non absoluti numeri solum, sed numerabilis etiam omnino proprium est. Etenim comparatio rationum, æqualitas est rationum, & in quatuor minimis est: & seiunctam quidem in quatuor esse constat. An non continua in quatuor est? Vno nanque termino utitur, ut duobus: & bis illum sumit, hoc modo: Ut a sese habet ad b, sic b sese habet ad c.

xij.

vj.

iiij.

a.

b.

c.

Bis igitur dictum est ipsum b. Quare si b bis positum fuerit, quatuor erunt ea, quæ comparisonem subeunt rationum. Est autem & ipsum iustum in quatuor minimis: & ratio eadem est. Sunt enim seiuncta similiter, & quibus, & quæ. Erit ergo ut est a terminus ad b terminum, sic c terminus ad terminum d. Et mutato ergo ordine, ut a sese habet ad c, ita b sese habebit ad d. Quare & totum ad totum, quod quidem distributio ipsa coniungit. Et si ita compositum fuerit, iustè coniungit. Coniunctio igitur a termini cum c, & b cum d, iustum est id, quod ad distributionem accommodatur, & est medium eius, quod comparisonem rationum non subit. Quod enim subit ipsam, medium est. Iustum autem subit.

xij.

vj.

viiij.

iiij.

Achilles

Ajax

Munus

Achillis

Munus

Aiakis

a

b

c

d

xij.

viiij.

Achilles

Munus Achillis

a

c

vj.

iiij.

Ajax

Munus Aiakis

b

d

Ta-

Talem autem rationum comparationem Mathematici Geometriam vocant. In Geometria nanque fit, vt & totum ad totum perinde sese habeat, atque ad vtrumque sese habet vtrumque. Non est autem continua hæc comparatio rationum: non enim fit terminus vnus numero, cui, & quod. Iustum igitur hoc in comparatione rationum consistit. Iniustum autem est id, quod à comparatione rationum exorbitat. Fit igitur aliud plus, aliud minus. Quod quidem & in ipsis actionibus accidit. In bonis enim, qui iniuriam facit, plus habet: qui iniuriam patitur, minus. In malis autem contrà. Boni nanque rationem subit minus malum, ad maius malum. Minus enim malum magis, quàm maius, est expetibile. At quod expetitur, bonum est: quod magis, maius. Hæc est igitur vna species iusti.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Ius, siue iustam distribuentis Iustitia, in medio & æquali secundùm proportionem situm esse. Quanam sit eiusm. di. proportio.



CONSILIVM Aristotelis in hoc capite est ostendere, ius, siue iustum Iustitiæ distribuentis, esse medium & æquale. Dividitur autem in duas partes. In primâ decernit, id quod in Iustitia distribuyente iustum censetur & ius, esse quoddam medium secundùm proportionem. In secunda inquit, qualis proportio sit illa, iuxta quam metiri solemus medium Iustitiæ distribuentis.

2 CIRCA Primam partem pronuntiat, iustum distributum, siue ius distribuenti Iustitiæ respondens, esse medium & æquale. Id autem dupliciter probat. Primò ratione petita à naturâ contrariorum: nimirum, ex eo quod iniustum oppositum Iustitiæ distribuenti, sit inæquale. Ergo iustum ipsi conforme debet esse æquale, siue medium. Colligiturque ex partibus inæqualibus, quibus iustum intercipitur, eæ verò sunt, plus, & minus, quæ inveniuntur in quolibet iniusto. Vt enim cap. præced. dictum est, qui plus boni capit, & minus mali, is plane iniustus, & inæqualis censetur. Ergo ex opposito qui æqualiter de bonis, ac de malis participat, iustus & æqualis debet existimari. Ergo quemadmodum iniustum contrarium Iustitiæ distribuenti est inæquale, ita & ius, siue iustum eidem Iustitiæ conforme erit æquale. Quod dicitur *medium*: quia positum est inter plus & minus, veluti duo extrema, quibus Iustitia distribuens violatur.

3 SECVNDO Probat auctoritate, siue sensu omnium: qui vnanimiter arbitran-

tur, iustum esse id quod æquale est: iniustum verò quod inæquale: quamvis non omnibus ratio suppetat in id probandum. Eoque modo loquuntur frequenter Latini Au hoies, qui post Arist. scripserunt. Nam Cicero *lib. 1. Offic.* inquit, æquitatem esse maximè propriam Iustitiæ. Vbi æquitatis nomine, æqualitatem intelligit. Et in *Topicis* ius civile appellat æquitatem, id est, æqualitatem constitutam ijs, qui eiusdem civitatis sunt. Seneca etiam observat, æqualitatem esse primam partem æquitatis: ac si planius doceret, omnem æquitatis, seu Iustitiæ rationem, in æqualitate positam esse. Caterum monet Aristotel. id medium, siue iustum, in quo sita est vis Iustitiæ distribuentis, non esse vtrumque æquale, sed secundùm proportionum quandam similitudinem æquale. Rationemque reddit: tum quia hoc iustum, quatenus æquale est, debet esse inter duas minimum res, quæ æquales dicuntur: tum præterea, quia omne iustum est *ἰσὸς ἑαυτοῦ*, id est, *ad alterum*: atque adeo saltem inter duas personas versari debet. Ergo debet esse æquale secundùm quandam proportionum similitudinem, seu proportionalitatem, vt communiter dicitur, tum rei ad rem, tum & personæ ad personam. Vnde, & colligit, iustum eiusmodi esse debere in quatuor minimis, id est, in quatuor terminis, vt Philosophi, & Dialectici loquuntur. Quatenus enim est æquale respicit duos terminos, plus & minus: quatenus autem iustum, respicit saltem duos alios; nimirum, personam & personam. In *terminis*, inquam, vt vertit optime *ἑν ἑλαχίστοις* Noster Benedictus

Perionius, & approbat Giphanius, quamvis refragetur Lambinus.

4 STATVIT Itaque medium Iustitiae distribuentis debere esse medium secundum quandam proportionalitatem: idque duplici ratione probat. PRIMA ferè sic procedit. Omne illud medium, quod minimum, siue saltem exigit quatuor terminos, inter quos proportio, & comparatio est vnus cum altero, est medium secundum aliquam proportionalitatem. Atqui medium Iustitiae distribuentis est medium, quod minimum exigit quatuor terminos, inter quos proportio, & comparatio est vnus cum altero. Ergo medium Iustitiae distribuentis est medium proportionalitatis. Maior patet: Quia proportionalitas est similitudo, aut aequalitas duarum proportionum: vt ex rudimentis Mathematicae disciplinae notum est, & ex Dialecticis, tractatu de Analogia. Minor autem probatur & explicatur: Quoniam in medio, siue iusto distribuentis Iustitiae, sunt duo saltem homines, inter quos ius decernitur; & duae minimum res, inter quas invenitur aequalitas, ad Iustitiam spectans. Aequalitas autem haec debet esse tum personarum, quibus redditur ius; tum & rerum, in quibus iustum invenitur: ita vt quemadmodum persona se habet ad personam, ita res ad rem. Aliter enim personae ipsae non habebunt aequalia, indeque exurgent querimoniae, contentiones, & accusationes, vt Aristoteles, inquit: quasi in distributione violatum fuerit ius, eo quod aequales non recipiant aequalia ex divisione bonorum communium, aut inaequaliter dignis aequalia dentur stipendia. Ergo medium Iustitiae distribuentis est eiusmodi, vt minimum exigat quatuor terminos, inter quos proportio sit & comparatio vnus cum altero: vt pote personae ad personam, & rei ad rem.

5 OBSERVAT Giphanius, doctrinam hanc mutuam esse ex Platone *libr. 6. de Legibus*, vbi latè disserit de expositulationibus, & discordijs, ex inaequali bonorum communium distributione ortis. Idemque in *Phaedro* aequalitatem vocat amicitiae matrem: & per consequens inaequalitatem inimicitiae, ac rixarum generatricem. Ipse etiam Aristoteles infra *libr. 8.* vbi de Amicitia ex professo agit, aequalitatem iuris atque amicitiae originem appellat. Ideoque Plutarchus libello illo *περί φιλαδελφίας, de amore fraterno*, Solonem Atheniensium Legumlatorem graviter notat, quod praetermissa aequalitate Republicam turbis, & seditionibus impleverit, quas impedire muneris sui erat. Civitate enim interturbata, & in factiones divisa, nulla est Iustitiae ratio, & aequalitas nulla: sed quisquis potentior, aut callidior est, communium bonorum plus sibi usurpat, quam

perciperet si pax, & aequalitas inter cives servaretur. Vnde illud Aristophanis in *Equitibus*.

Ὅτι γὰρ οἱ τὰς ἐγγύλας, & id est:

Fecisti ut is, qui captat anguillas, facit;

Quieta cum sunt stagna, venatur nihil:

Sed caesum ubi omne hac, & illac subvertit,

Captura magna est. Tu quoque ubi turbaveris

Hanc civitatem, & inde plurimum capis.

6 ALTERAM Rationem desumit ex communi omnium iudicio decernentium, Iustitiae distributionem debere fieri iuxta cuiusque meritum dignitatemque: in quo differt à Iustitia commutante, quae non attendit ad dignitatem, sed ad aequalitatem. Ratio autem sub hac formulâ proponi potest. Tunc iustum, siue medium Iustitiae distribuentis censetur servari, cum vnique datur quod eius dignitati conforme, & debitum est: ita vt dignitate maiori praeditus, accipiat magis; qui autem minori, minus. At in hoc ipso est proportionalitas quaedam, siue proportionum aequalitas: iuxta quam sicut alter est dignus premio maiore, sic alter minore. Ergo tunc iustum, siue medium Iustitiae distribuentis censetur servari, cum attenditur proportionalitas, seu aequalitas proportionum. Quaevis vero omnes in eo convenient, vt distributio fieri debeat iuxta meritum & dignitatem cuiusque, non omnes ex eodem capite meritum, & dignitatem metiuntur, sed ex diversis, iuxta varietatem Politiae, siue Rerumpublicarum. Etenim in Democratia, vbi plebs obtinet principatum, dignitas solum attenditur penes libertatem: non autem secundum nobilitatem, sapientiam, aut probitatem morum: vsque adeo vt tantum honoris, & bonorum communium tribuatur opifici, quantum Themistocli, vt loquitur Isocrates ad *Nicoctem*, & graviter notat, sicut & Plutarchus libello superius indicato. Verum in Oligarchia, quae paucorum principatus est, non libertas, aut dignitas, sed sola nobilitas, aut opulentia est dignitatis mensura. Quippe ex ijs duobus habetur propria nota Oligarchiae, quam Cicerone apud Giphanium appellat factionem: Imperantes enim pauci, veluti factione, aut conspiratione quadam, se dividunt à ceteris, & ijs praferunt, quod idem Aristotel. damnat *lib. 4. Politic.* & Isocrates loco allegato. Denique in Aristocratia, vbi Optimates, seu Virtute conspicui ex populo delignantur, dignitas solum ex Virtute attenditur: ideoque genus id Politiae infra *lib. 8. cap. 10.* laudatur ab Aristot. & impensius ab eodem Isocrate in *Areopagitico*.

7 ITAQUE Vis rationis praedictae sic breviter perstringi potest. In omni Politia,

Sive ea Democritia sit, sive Oligarchia, sive Aristocrazia, distributio ex Iustitia fieri debet secundum dignitatem cuiuslibet, unde cumque dignitas sumatur. At in eo ipso est quedam proportionalitas, seu equalitas proportionum: nimirum, ut sicut se habet equaliter dignus ad equalis premium, ita & alter equalis ad premium equalis: & sicut minus dignus ad minus premium, ita & alter dignior ad premium maius. Ergo in omni Politia distributio ex Iustitia fieri debet secundum proportionalitatem, seu equalitatem proportionum. Cum vero iustum ipsum, quod spectat Iustitia distribuens, sit medium inter plus & minus, ut supra dictum est, demum evincitur, medium eiusmodi debere esse equalis secundum proportionalitatem.

8 CIRCA Secundam partem quaeritur, qualis sit proportio illa, iuxta quam iustum distribuentis Iustitiae metiendum est. Id ut edisserat Aristoteles, praemittit duo. Alterum est, proportionalitatem univarse acceptam, non solum reperiri in numero unitatum, qui simpliciter numerus dicitur, & monadicus appellatur; id est, solitarius, & constans ex unitatibus abstractis a materia; ut sunt, duo, sex, decem, &c. sed etiam in numero ipso concreto, seu rerum numeratarum; quales sunt, duae manus, quinque digiti, aut decem homines. Cuius ratio facilis assignatu est: quoniam proportionalitas univarse accepta nihil aliud est, quam equalitas proportionum, secundum quam, sicut hoc habet proportionem cum illo, ita illud cum alio. At equalitas proportionum eiusmodi aequae bene inveniri valet in numero unitatum & abstracto, ac in numero rerum & concreto. Ergo proportionalitas aequae in vno numero, atque in alio inveniri potest. Alterum ab Aristotele praemissum est, omnem proportionalitatem minimum exigere quatuor terminos, vel reipsa distinctos, vel secundum rationem saltem. Licet enim in pluribus terminis inveniri possit, ut quoties attenditur equalitas plurimarum proportionum; tamen infra numerum quaternarium terminorum nulla esse potest proportionalitas, ut iam num. 4. ostensum fuit.

9 QVOD iterum in hunc pene modum probat. Omnis proportionalitas, aut est continua, aut discreta. At sive continua, sive discreta sit, constat quatuor minimum terminis. Ergo omnis proportionalitas constat quatuor minimum terminis. Consequenter liquet a membris dividendis ad aequatis, & collectim sumptis ad divisum. Maior suadetur & explicatur ab Aristotele ipsa terminorum declaratione. Proportionalitas enim continua est equalitas duarum proportionum, in vno aliquo termino utriusque earum communi convenientium. Exemplum sit in hac pro-

portionalitate: *Sicut se habent octo ad quatuor, ita se habent quatuor ad duo.* Ambae enim proportionales copulantur in vno aliquo termino utriusque communi: hoc est, in numero quaternario, qui bis reperitur; semel in ordine ad octo, & iterum in ordine ad duo. Diciturque proportionalitas continua instar quantitatis continuae, quae medio termino, sive puncto communi partibus, copulatur. Proportionalitas vero discreta est equalitas duarum proportionum in vno aliquo termino communi non convenientium: ut in hoc exemplo: *Sicut se habent sex ad tria, ita decem ad quinque.* Non enim in ijs duabus proportionibus est terminus aliquis utriusque communis, ut in duabus praecedentibus.

9 SUPPOSITA Autem terminorum, sive vocum declaratione, facile probatur illa maior propositio syllogismi praedicti. Omnis proportionalitas, seu equalitas duarum proportionum, aut copulatur, aut non copulatur medio termino communi utriusque. Inter haec enim non potest assignari aliqua proportio neutra, cum ambo extrema proportionalitatum contradictorie opponantur. At proportionalitas, quae copulatur medio termino communi, est continua: quae autem non copulatur, est discreta. Omnis ergo proportionalitas, aut est continua, aut discreta. Iam minor illa eiusdem syllogismi facile suadetur utroque exemplo nuper proposito. In priore enim, quod est proportionalitatis continua, sunt quatuor termini, quamvis non omnes secundum rem distincti. Sunt enim numerus binarius, & octonarius, & quaternarius bis comparatus, seu ratione sola & comparatione duplici distinctus. In posteriore autem exemplo sunt quatuor termini, omnes distincti secundum rem: nimirum, numerus ternarius & senarius in vna proportione, atque in altera quaternarius & denarius. Ergo vera est illa minor propositio, in qua alluitur, omnem proportionalitatem, sive continuam, sive discretam, quatuor minimum terminis constare.

11 CVM Verò id quod iustum dicitur, sit medium, & medium secundum proportionalitatem, pergit Aristoteles ad exponendum qualis sit eiusmodi proportionalitas. Docet autem, illam esse equalitatem proportionum, non vero duarum quantitatum. Pro cuius penitiori noticia observare opus est, duplicem esse proportionalitatem: geometricam unam, arithmetice aliam. Prior attenditur penes equalitatem solam proportionum, quae inter quatuor terminos invenitur: ut veluti cum dicimus: *Sicut comparantur novem ad sex, ita sex comparantur ad quatuor.* In utroque enim est eadem proportio, nimirum, sesquialtera: quia quemadmodum in novem sunt sex & tria, sic in numero sex sunt quatuor

& duo. Quamvis autem in utroque sit similitudo & æqualitas proportionum; non tamen eadem quantitatis æqualitas: quia novem continent tria supra sex: cæterum sex non continent nisi duo supra quatuor. Arithmetica verò proportionalitas solum spectatur penes æqualitatem quantitatum: ut in hac comparatione: *Sicut octo se habent ad sex, ita sex ad quatuor.* Octo enim solum addunt duo supra sex, sicuti & sex addunt duo supra quatuor. In quo sanè servatur omnimoda æqualitas penes quantitatem excedentem: non tamen æqualitas aut similitudo proportionum: quoniam in priori comparationis parte est proportio sesquitercia; in posteriori verò proportio sesquialtera. Octo enim ad sex habent proportionem sesquiterciam: sex autem ad quatuor habent proportionem sesquialteram.

12 ARIST. Itaque docet, iustum, sive ius distribuentis Iustitiæ, esse medium æquale secundum proportionalitatem, seu æqualitatem proportionum; & non qualemcumque, sed geometricam; & hanc, discretam, seu non copulatam termino communi utriusque proportioni. Quod ipsius pronuntiatum est trimembre, & quò ad unamquamque partium seorsim probandù. Primam partem sic demonstrat. Vbi cumq; sunt quatuor termini, quorum duo eandem inter se proportionem servant, ac reliqui duo, ibi est æqualitas proportionum. Atqui in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ sunt quatuor termini, quorum duo eandem inter se proportionem servant, ac reliqui duo. Ergo in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, est æqualitas proportionum. Assumptio, sive minor, in qua sola potest esse dissidium, sic suadetur & explicatur. In iusto enim, sive iure distribuentis Iustitiæ, opus est ut unius personæ, cui aliquid distribuitur, sit eadem ad rem distributam proportio, ac est alterius personæ, ad rem etiam distributam. Eadem quippe proportione dantur personis res distributæ & divisa ex bonis communibus, quæ personæ ipsæ differunt inter se, *κατ' ἀξίαν, secundum dignitatem.* Quod hoc exemplo elucidat Græcus Aristotelis Interpres Eustratius. Sit Achilles meriti & dignitatis, ut duodecim: Ajax verò ut sex: quæ dicitur proportio dupla. Aliunde verò statuamus res duas inter utrumque distribuendas, quarum altera sit pretij ut octo, altera ut quatuor. Sanè sicut in hac hypothese se habet Achilles dignus ut duodecim ad Aiace dignum ut sex; ita se habet res pretij ut octo ad rem pretij ut quatuor. Sicut enim inter personas, ita & inter res proportio est dupla. Ergo perinde se habet in eadem proportionalitate Achilles ad rem pretij ut octo, atque Ajax ad rem ut quatuor. Est enim in unoquoque eorum ad rem, sive præmium, proportio sesquialtera; sicuti in priori comparatione personæ ad personam, & rei ad rem,

proportio fuit dupla. At in eadem hypothese sunt quatuor termini, quorum duo eandem inter se proportionem servant, ac reliqui duo. Ergo in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, sunt quatuor termini, quorum duo eandem inter se proportionem habent, ac reliqui duo.

13 EAM Verò proportionum æqualitatem esse geometricam, quæ est secunda præcedentis Asserti pars, sic probatur. Illa enim est æqualitas geometrica proportionum, in qua totum ex duabus partibus compositum ita comparatur ad aliud totum ex duabus item partibus coalescens, ac una pars ad aliam partem. Hoc enim esse proprium geometricæ proportionis, & ab arithmetica proportionem alienum, constabit ex capite sequenti. Atqui in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, totum ex duabus partibus compositum ita comparatur ad aliud totum, ex duabus item partibus coalescens, sicut una pars ad aliam partem. Ergo in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, est æqualitas geometrica proportionum. Maiorem probat Arist. auctoritate Mathematicorum: eamque latè expendit hoc loco Giphanius ex ipsorum doctrina, ac præsertim Euclides *definitione 12.* & 14. Minor autem constat ex præcedentibus: Quia in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, sunt quatuor termini: quorum quilibet duo constituunt unum aliquod totum, veluti partes ipsius. Nimirum, Achilles dignus ut duodecim, & res pretij ut octo, constituunt totum unum: & Ajax dignus ut sex, ac res pretij, ut quatuor, constituunt aliud totum, in ordine ad distributionem iustam. Ac quemadmodum in ea proportionum æqualitate se habet Achilles ad Aiace in excessu meriti & dignitatis; ita res pretij ut octo ad rem pretij ut quatuor. Cuiusque quælibet earum, tum rerum, tum & personarum, habeat rationem partis ad suum totum; consequens est ut in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, totum ex duabus partibus compositum ita ad aliud totum comparatur, sicut pars ad partem.

14 DENIQUE Eam proportionalitatem (quæ est pars tertia Asserti) non esse continuam, sed discretam, suadetur. Proportionalitas enim illa, cuius proportionum non est unus aliquis terminus communis, nullatenus continua est, sed potius disincta, seu discreta. At in iusto, seu iure distribuentis Iustitiæ, non est proportionum unus aliquis terminus communis. Sunt enim duæ personæ, & duæ res omnino distinctæ, quarum nulla replicatur ad alteram proportionem faciendam. Ergo proportionalitas in iusto, sive iure distribuentis Iustitiæ, non est continua, sed potius discreta.

15 COLLIGIT Ex dictis, id in Iustitiâ distribuyente esse iustum, quod prædictâ proportionalitate affectum est: id autem iustum, quod

quod eadem proportionalitate caret, eo quod plus habeat vel minus, quam proportionum æqualitas postulet. Nimirum, vir iustus æqualiter sumit ex bonis communibus, sive commodis, ac subit de oneribus; & proportionaliter ad utraque se habet. Iniustus autem sumit plus de bonis, sive commodis; & minus de malis, sive oneribus: ideoque proportionalitatem

non servat. Hoc verò facit, quia subire minus mali apprehenditur ab eo veluti quoddam bonum: ut supra cap. 1. latè dictum fuit.


VIDE D. Thom. 2. 2. q. 61. quæ est de partibus Iustitiæ, scilicet, commutativa & distributiva. ac præterea q. 63. quæ est de vitij oppositis Iustitiæ distributivæ, atque illius Interpretes.

CAPUT QVARTVM.

De Iusto commutativo.

RESTAT Id iustum, quod fit in emendandis commercijs, tam ijs, quæ sua sponte faciunt homines, quam ijs, quæ invitis ipsis efficiuntur. Hoc autem aliam habet speciem à priore. Iustum enim distributivum eorum, quæ cõmunia sunt, in dicta semper comparatione rationum consistit. Nam si è pecunijs publicis distributio fiat, eadem erit ratione, quam habent inter sese ea, quæ in Republicam sunt collata, & iniustum, quod huic opponitur, id est, quod à comparatione rationum exorbitat. Iustum autem, quod est in commercijs, est quidem æquum quoddam; & iniustum, iniquum. Sed non illa comparatione rationum, sed arithmetica. Nihil enim refert, si probus pravo detraxerit, an pravius probus: neque si adulterium probus, an pravius commiserit. Sed ad differentiam nocenti lex respicit tantum: & utitur ut æqualibus, si hic iniuriam facit, ille patitur: & si hic nocuit, ille est læsus. Quare iniustum hoc, cum sit iniquum, iudex æquare conatur. Nam cum hic quidem percussus est, aut occisus, ille verò percussit, aut occidit, passio, atque actio divisa est in partes non æquas, sed ad æqualitatem auferendo lucrū damni respectu nititur redigere iudex. Dicuntur enim hæc in talibus absolutè dicendo. Atque quanquam hæc nomina quibusdam accommodata non esse videntur, ut ei, qui percussit, lucrum: & ei, qui passus est, damnum: cum mensurata tamè fuerit passio, hoc damnum, illud lucrum vocatur. Quare æquum quidem inter plus, & minus medium est. Lucrum autem, atque damnum, plus sunt, & minus. Contrario modo, plus boni, & minus mali lucrum: contrariorum autem damnum, quorum medium est ipsum æquum, quod quidem dicimus esse iustum. Quare iustum emendativum, medium est inter damnum, & lucrum. Quapropter & cum controversiam habent, ad

iudicem ipsum confugiunt. Ire autem ad iudicem, est ire ad ipsum iustum. Index enim ut iustum est animarum suapte natura. Et quaerunt iudicem medium. Et vocant nonnulli mediatorem, ut ipsum iustum assecuturi, si medium iustum consequantur. Medium ergo quoddam est ipsum iustum: siquidem & iudex medium est. Index autem ad aequalitatem redigit. Et perinde, atque si linea in aequales duas partes divisa, id, quo maior pars dimidium excedit, abstulerit, minorique addiderit parti: cumque totum divisum fuerit duas in partes aequales, tum suum aiunt habere, cum aequum acceperint. Aequum autem medium est inter maius, & minus, in Arithmetica comparatione rationum. Nam si sint duo aequalia, & ablatam ab altero quantamvis partem addideris alteri, talibus duabus excedit partibus alterum. Si enim ablata fuisset, & non addita, vna sola parte excederet. Excedit ergo medium vna: & ipsum medium excedit id, à quo est ablatio facta, vna. Hoc ergo cognoscemus & quidnam addendum ab eo sit, qui plus habet, & quid addendum sit ei, qui minus habet. Id enim, quo medium excedit, addendum est ei, qui minus habet. Id autem auferendum à maximo est, quo exceditur medium. Sint aequales lineae tres, a b, c d, e f: atque ab a b, pars auferatur a g, & addatur ipsi lineae e f: sitque illa h e. Quare tota linea h e f excedit g b lineam parte h e, & parte e k. Excedit ergo mediam c d lineam h e parte.



Est autem hoc & in cæteris artibus. Etenim è medio tollerentur, nisi agens ageret, & quantum, & quale: & patiens pateretur hoc, & tantum, & tale. Nomina autem hæc (damnum inquam, & lucrum) ex ijs contractibus, quos sua sponte faciunt homines, tracta sunt. Qui enim emendo, vendendo, cæteraque agendo, quæ lege concessa sunt, plus habent quàm suum, ij lucrari: qui minus, quàm in principio, ij damnum pati dicuntur. Sed qui neque plus, neque minus habent, sed sua per se ipsa sunt facta, ij se sua inquiunt habere, & neque damnum pati, neque lucrari. Quare iustum medium est inter lucrum quoddam, & damnum (quæ fiunt in vitis hominibus) æquale, inquam, & prius, & posterius habere.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Quanam sit propria functio Iustitiæ commutantis, quatenus differt à distribvente: & qua ratione deprehendat possit medium in iustis commutationibus.



POSTQVAM Arist. differuit de Iustitia distribvente, procedit ad agendum de illâ, quæ in commutationibus posita est, atque in dirigendis & emendandis contractibus, pactis, & conventis, sive voluntarijs, sive invito susceptis. Hæc enim omnia sunt materia commutantis Iustitiæ. Summa autem doctrinæ in eo ferè est, ut huius Iustitiæ opus, sive iustum, appareat in commutationibus, quas Græci *συλλαλάματα* vocant, ut cap. 2. dictum fuit; ijsque ad æqualitatem arithmeticam exploratis. Dividitur caput in duas partes. In primâ quaerit, quodnam sit proprium opus & officium commutantis Iustitiæ: & in quo hæc differat à Iustitiâ distribvente. In secundâ vestigat, quâ ratione medium inveniat in hoc iusto, quod versatur in commutationibus dirigendis.

2 **CIRCA** Priorem partem comparat Iustitiam commutantem distribventi, ut postea de illâ absolute & in se consideratâ differat. Instituta enim utriusque comparatione, apparebit differentia propria, & peculiare notæ, quibus Iustitia commutans in se constituitur. Ac primam quidem & potissimam utriusque differentiam in eo positam ait, quod iustum, sive ius commutantis Iustitiæ æqualitatem omnino exigat ex arithmetica proportione: iustum verò distribventis Iustitiæ solum spectetur secundum æqualitatem ex proportione geometricâ. Secundam differentiam utriusque Iustitiæ in eo constituit, quamvis obscure, ut assolent, quod commutans in privatis seu peculiaribus hominum bonis posita sit; distribuens verò in communibus versetur.

3 **DEINDE** Priorem differentiam vberius exponit. Quod enim attinet ad iustum distribventis Iustitiæ, certum est illud ex geometricâ proportione attendi: quoniam facultatum publicarum & bonorum communium distributio, semper fieri debet eâ ratione, quâ habent intrinsece *τὰ εἰσενεχθέρτα*, id est, *collata*, sive *illata*. seu, ut planius explicat versio Argypoli, *quæ in Rempublicam sunt collata*. Nimirum, ea quæ à civibus conferuntur in publicum: ut quoties in calamitosis temporibus quidam confert de suo millia, quidam decem millia ad patriam sublevandam; ij bona quædam tribuunt in commune subsidium, quæ à collatâ pecuniâ, aut ope vniuscuiusque, *collata*, seu *illata* dicuntur. Tunc verò iustum distribventis Iustitiæ exigat, ut vnicuique redone-

tur obsequium illud in patriam ex bonis communibus honoris, alteriusve commodi, iuxta proportionem geometricam, & habitâ ratione maioris aut minoris obsequij. Quæ regula servari etiam debet quoties cives non pecuniam, sed militarem strenuitatem, solertiam, vigilias, studia, aut labores in utilitatem patriæ contulerunt. Hæc enim etiam *collata* dici possunt: ijsque pariter ex geometricâ proportione, & iuxta maius aut minus meritum, debetur honor & præmium ab ipsâ Republicâ.

4 **QVOD** Si verò ea proportio geometrica non servetur, statim exurgit iniustum contrarium iusto præcedenti, ortum ex perversâ bonorum communium distributione: quoniam nulla Iustitiæ habetur ratio, quoties honores & præmia non conferuntur iuxta vniuscuiusque meritum, & dignitatem: sed Tribunus v.g. æquatur gregario militi, ac milites ipsi, quamvis strenuitate inæquales, & bellicâ fortitudine dispares, ad æqualitatem arithmeticam redonantur. quod factum aliquando notant Tacitus & Suetonius *in vita Tiberij*. Itaque ut distribventis Iustitiæ æqualitas servetur, spectanda est vniuscuiusque dignitas, & habenda meriti ratio, ut qui plus obsequij in Rempublicam contulit, vberiore ab eâ remunerationem accipiat, secundum proportionem geometricam.

5 **IUSTITIÆ** Autem commutantis iustum, eique contrarium iniustum, non ex geometricâ proportione, sed ex arithmetica æquale aut inæquale deprehenditur: quoniam proportio arithmetica, quam respicit Iustitia commutans, non attenditur ex dignitate personarum, sed ex æqualitate quantitatis. Quare nihil referre monet Arist. an vir bonus malum fraudaverit, an malus bonum: an probus adulterium commiserit, an improbus. Ad solam enim damni quantitatem attendit lex secundum commutantem Iustitiam prolata, nec disparem hominum conditionem dignitatemve spectat: sed eos omnes ex arithmetica proportione facit pares. Non enim considerat proportionem æqualitatem inter res & personas, in quo sita est proportionalitas geometrica: sed solum quantitatis excessum, ad quem præter rem est dispar conditio personarum.

6 **ILLVSTRATUR** Res exemplo. In arithmetica proportione sex sunt medium inter octo & quatuor: quoniam sex tantum superantur ab octo, quantum superant numerum quaternarium: nimirum, penes duas varietates. Ceterum ex proportione geometricâ sex non sunt medium inter octo, duo, & quatuor;

tuor: quoniam non est eadem proportio inter sex & quatuor, ac inter octo & sex. Nimirum, sex proportionem sesquialterā habent ad quatuor: quoniam sex continent quatuor, & præterea dimidium quaternarij; nimirum, duo amplius: in quo consistit proportio sequialtera. Octo vero habent proportionem sesquiterciam ad sex: quoniam octo in se continent sex, & præterea tertiam partem senarij, nimirum, duo amplius: in quo sita est proportio sesquitercia. Quare sex non sunt medium geometricæ proportionis inter octo, duo, & quatuor: sed solum inter novem, duo, & quatuor: quia eadem comparatio & proportio, quæ est novem ad sex, eadem est sex ad quatuor, cum virobique sit proportio sesquialtera. Scilicet, in summa id discriminis est, quod medium geometricæ proportionis, eadem proportionem superat unum extremum, quæ superatur ab altero: non tamen eadem quantitate superat & superatur. Medium vero proportionis geometricæ tanto quantitatis excessu superatur ab uno extremo, quanto superat alterum.

7 ITAQUE Arist. pronunciat, arithmeticam æqualitatem & proportionem in Iustitiâ commutâte spectari, prout hæc differt à distributive: idque probat ferè sic. Vbicumque æqualitas non attenditur ex dignitate & merito personarum, sed solum ex quantitate lucri & damni; ibidem æqualitas solum spectatur secundum arithmeticam proportionem. Atqui in Iustitiâ commutante non attenditur æqualitas ex dignitate aut merito personarum, sed solum ex quantitate lucri & damni. Igitur in Iustitiâ commutante solum spectatur æqualitas ex arithmeticâ proportionem. Assumptio, sive minor propositio huius syllogismi, in quâ dissidium positum est, suadet, & declaratur ex eo, quod ubi ex commutante Iustitiâ fertur iudicium adulterij aut furti, non spectatur an adulter, aut fur sit vir probus, an improbus, Nec lex aut iudex ubi ex commutante Iustitiâ volunt compensare lucrum detrimento, ac detrimento lucro, ullam rationem habent proportionis personarum secundum dignitatem; sed solum quantitatem damni & lucri spectant, ut qui plus damni intulit, plus etiam detrimento suo compentet, cuiuscumque demum dignitatis sit. Nimirum, lex & iudex, cum solam æqualitatem compensationis spectent, non curant de inæquali personarum dignitate: quin potiùs eas aut æquales faciunt, aut supponunt. Vide obiectionem notatu dignam cap. seq. num. 4.

8 INSVPER Declarat idipsum exemplo duorum hominum. quorum vnus percutiat vel occidat; alter percutiatur aut occidatur. Vbi planè actio & perpercio sunt inæquales: quoniam percutiens aut occidens plus habet de bono, seu lucro, quoddammodo, quate-

nus suæ voluntati iraque satisfecit: percutus vero seu occisus plus habet de malo sive damno, quia valetudine corporis aut vitâ spoliatus fuit. Iudex igitur volens ex Iustitiâ commutante emendare inæqualitatem hanc, & redigere ad æqualitatem, subtrahit a lucro, & in damnum transfert quod a lucro abstulit: nimirum, aufert a percutiente aut occidente, & id reponit in lucrum, sive honorem, aut satisfactionem illius, qui percutus fuit, aut interceptus. Nempe, ut Iuriconsulti docent, & hoc loco observat Giphanius, licet hominum liberorum corpora nequeant pretio aliquo æstimari proprie, possunt tamen latiori æstimationis acceptione centeri: ut contingit in legibus Alemannicis, Longobardicis, ac Francicis: iuxta quas saepe corporis damna, ut auris, digiti, manus, pedis, aut profundi vulneris, pecuniâ sarcuntur, & eò maiori pretio, quo maiora nocumenta sunt.

9 QVIA Autem dubitatio esse posset circa nomina damni & lucri, quali in eiusmodi iniurijs locum habere nequeant; hanc difficultatem præoccupans, monet, ea nomina proprie solum accipi de possessionibus, & rebus possessis. Verum cum in personarum iniurijs accipi non possit certa aliqua mensura actionis & perpercionis, factum inde est, ut hæc nomina damni & lucri translatione quadam usurpata sint ad significandas iniurias personis factas. Itaque quoties in ijs corrigendis, seu in actione & perpercione redigendis ad mensuram, versatur Iustitiâ commutans; id quod plus esse invenitur, seu ex parte actionis iniuriosa, dicitur lucrum: quod autem ex parte perpercionis minus esse deprehenditur, appellatur detrimentum & damnum. Itaque acceptio propria non est, sed metaphorica, damni pro perpercione iniuriæ; & lucri pro actione iniuriam inferente.

10 EX Dictis duo colligit. Alterum est, iustum quod Iustitiâ commutans spectat, appellari posse medium inter damnum & lucrum. Alterum est, iudicem esse quiddam iustum, id est, medium, & æquale proportionem arithmeticâ. Prius corollarium, probat: Quia iustum commutantis Iustitiæ est quoddam medium & æquale inter plus & minus, ut dictum iam est. Atqui plus habet rationem lucri, & minus damni. Ergo iustum commutantis Iustitiæ est quoddam medium & æquale inter lucrum & damnum. Verum cum hæc non servant eundem plus minorisque modum in bonis & malis; monet Arist. aliter inveniri plus & minus in bonis, & minus de malis, spectat ad lucrum: habere autem plus de malis, & minus de bonis, pertinet ad damnum. Posterius corollarium sic evincit. Quoties litigant homines de damno & lucro, nec apparet iustum aut

medium in rebus; quo ad æqualitatem redigantur; confugiunt ad iudicem. Ergo quia homines sibi persuasum habent, iudicem esse iustum quoddam, sive medium animatum, quod à Iustitiâ commutante, quasi animâ, possideatur. Cui modo loquendi suffragium fert Cicero lib. 3. de Legibus: ubi iudicem appellat legem loquentem. Et in eius doctrinæ confirmationem addit Arist. iudices apud Græcos appellari *μεσσίαις*, nimirum, *mediatores*. Quâ etiam voce vitur lib. 4. Polit. & Eudemiorum similiter 4. Inde enim constat, iudicem communi hominum iudicio censerî quoddam iustum, seu medium, proportionem arithmeticam constituens inter lucrum & damnum.

11 CIRCA Secundam partem docet, quâ ratione iustum, seu medium commutantis Iustitiæ inveniatur. Ac primò quidem pronuntiat, inveniri posse in commutationibus, tum rerum eiusdem rationis, tum & diversæ. Deinde indicat originem nominum damni & lucri, ex quibus ducimur ad medium inveniendum. Verùm ut id percipiatur, recolendum est memoriâ quod nuper tradidit de iudice, ad quem litigantes confugere solent, veluti ad medium quoddam: cum ille sit qui mediocritatem æqualitatemque arithmeticam constituit inter plus & minus, sive inter lucrum & damnum. Iudex enim est minister illius iuris, sive iusti, quod in commutationibus servatur inter privatos, quoniam est persona privata, ut idem Arist. in Politicis docet: sicut Magistratus res communes distribuit, quoniam persona publica est. His verò præsuppositis,

12 EXEMPLO Declarat quomodo iudex plus & minus, seu lucrum & damnum, ad æqualitatem, sive ad medium redigat. At enim, perinde id fieri, ac si lineam in partes inæquales divisam redigeret ad æqualitatem, sive ad medium. Nimirum, id aliter præstare non posset, quàm auferendo à maiori parte lineæ id, in quo mediocritatem eius exuperat; & adiungendo illud minori parti. Sic enim partes quæ antea inæquales erant, manebunt æquales, & unaquæque illarum erit dimidium totius lineæ: cuius medium est veluti regula quædam ad eam æqualitatem constituendam ex arithmetica proportione. Ita ergo iudex litigantes de lucro & damno ad mediû reducit, & æqualitatem inter eos statuit, dum exuperantiam lucri ab altero aufert, & in eum qui damnum patiebatur transfert: ut proinde unusquisque eorum tantundem habeat lucri, quantum damni, & e contra. Sic enim iusta & æqualis compensatio fit ex proportione arithmetica, & servatur medium commutantis Iustitiæ, ambobus litigantibus redactis ad æqualitatem.

13 CVR Verò iustum commutantis Iustitiæ declaraverit exemplo lineæ bifariam divisæ, eam rationem reddat, quod Græcè ius,

sive iustum, ducit etymon nominis à bipartitâ divisione. Dicitur enim *δικαιον*, iustum, quia est *δίχα*, bifariam; ac si quis diceret *δικαιον*, iustum, quasi bifariam divisum; aut quasi iudicem, qui *δικαστὴς* dicitur, nominaret *δικαστὸν*, veluti bifariam dividentem. Nimirum, solum dissident penes mutationem χ , in κ , quæ admodum levis est: & iudex debet dividere rem, de quâ agitur, veluti lineam in partes æquales, auferendo ab unâ quod est plus, & transferendo in alterum quod minus habet: atque utrumque hoc modo ad medium & æqualitatem redigendo.

14 DEINDE Vberius exponit modum excogitandi & assequendi medium. Totâ verò doctrinâ, quæ implexa admodum est comparatione litterarum & linearum, sic summam & breviter perstringi posse videtur. Sint duæ lineæ æquales, quarum quælibet duas habeat mensuras, v. g. duos palmos. Medietas, sive palmus auferatur ab unâ, & ponatur in alterâ. Certè tunc lineæ, cui additus est palmus, superabit alteram per medium divitiam, duabus partibus: quoniam in lineâ divisâ non erit, nisi unus palmus longitudinis: in ea verò quæ addita est, tres palmi erunt. Ergo hæc illâ duabus partibus excedit. Si autem palmus ab unâ lineâ abscisus non ponatur in alterâ, hæc solum excedet illam alterâ sui parte, id est, unico palmo. Itaque id, cui palmus est additus, unâ sui parte medium superabit; & medium similiter unâ parte excedet illud, à quo detractum est. Medium itaque superatur ab eo quod est auctum, & superat illud quod immingitum est. Proindeque ut lineæ ad æqualitatem seu medium redigantur, tantundem reddendum est alteri earum, quantum alteri additum est.

15 EXPLICAT Id comparatione factâ trium linearum equalium: in quarum primâ initio ac fine sui scribatur A. in secunda B. in tertiâ G. hoc fere modo.

A ————— A
B ————— B
G ————— G

Rursus lineæ intermedia BB, divisâ non sit: lineæ tamen prima AA, dividatur per medium in puncto E: & denique lineæ ultima GG, sectetur per medium similiter in puncto Z. hoc modo:

A ————— E ————— A
B ————— B
G ————— Z ————— G

His positis, auferatur à lineâ AA una pars, quæ est AE, & addatur lineæ GG: voceturque hoc additum GD. Certè tunc tota lineæ, quæ iam erit GZ & D superabit duabus partibus eam quæ est, A A. nimirum, unâ quæ est GD. altera verò quæ est GZ. At lineæ quæ est BB una solum parte superabit GD. Scilicet, illud quod

quod est maximum, superat medium vna parte, & duabus minimum, iuxta proportionem arithmetica. Proptereaque ut ea omnia in æqualitatem redigantur, à totâ lineâ GZD. auferendum est GD, & restituendum lineæ AA, ex quâ prius detractum fuerat. Sic enim remanebunt tres lineæ æquales, ut à principio, exactæ ad secundam seu intermediam lineam BB, tanquam ad regulam, & medium invariabilem, normamque æqualitatis. Iudex igitur se habere debet iuxta huius lineæ: quia quemadmodum hæc præscribit normam, quâ reddatur alteri prædictarum linearum quod ab alterâ ablatum est, ut ambæ ad medium & æqualitatem redigantur: ita iudex metitur res controversas, & ab alterâ parte, id est, ab altero litigantium, aufert id quod exuperantiam habet, illudque transfert in alterum, cui ablatum fuerat, ut demum inter vtrumque ponatur medium, siue æqualitas ex proportione arithmetica.

16 CONFIRMAT Arist. id ipsum exemplis cæterarum artium. Hastenus quidem disseruit de medio & æqualitate, quæ constituitur à Iustitia commutante inter res eiusdem generis, siue rationis: ut inter pecunias & pecunias, fundum & fundum, mancipia & mancipia, equos & equos. In ijs enim omnibus facile est auferre ab vno litigantium quantum ipsi additum est, & restituere ei, à quo iniuste ablatum fuerat. Nunc vero, dum vitur exemplis aliarum artium, eandem æqualitatem ex proportione arithmetica seruari debere docet in rebus diversarum rationum. Quod in hunc pene modum demonstrat. Si medium ex arithmetica proportione non seruetur in rebus diversæ rationis, & variarum artium, ipsæ artes peribunt & de medio tollentur. quod planè absurdum est. Assumptum probatur. Artes enim inæquales sunt, sicut & earum opera diversa, quorum vnum est alio præstantius. Ergo nisi inter res, siue opera variarum artium, & diversæ rationis, seruetur medium, fiatque adæquatio, peribunt artes ipsæ. Præstantior enim artifex nolet opus suum excellentius commutare cum opere artis inferioris: atque adeo neuter poterit persistere in exercitio artis suæ, sed rerum necessitatum penuriâ compelleretur ad eam deferendam. Ergo ne hoc sequatur, oportet ut medium, siue æqualitas, ex arithmetica proportione constituatur, etiam circa opera, siue artefacta diversa & inæqualia.

17 HOC Autem fieri docet, si agens, id est, artifex qui fecit opus, quo alius eget, agat quantum & quale suscipit patiens, id est, indigens eius opere. Scilicet, apud Arist. agens dicitur artifex operis, quo eget alius; hic autem patiens. Additque, in operum permutatione fieri posse, ut idem sit agens & patiens sub aliâ & aliâ inspectione: quemadmodum patet in

fabro & furore. Faber enim domum efficit, quâ non eget ille, sed furor: ideoque ad hunc comparatur ut agens ad patiens. Rursus & identidem furor efficit calceum, quo ipse non eget, sed faber: ideoque hic vicissim comparatur ad illum, ut patiens ad agens. Inter artifices ergo diversos docet Arist. intercedere tantum & tale, quantum & quale: quia cum ab ijs diversa opera & inæqualia fiant, oportet ut in commutationibus ea redigantur ad æqualitatem quandam: ac proinde opus illud, quod excellentius est, compensetur pluribus operibus inferioris rationis, quæ sufficienter illud adæqueunt. Sic enim intercedet tantum & tale, quantum & quale inter vtrumque artificem, suppleto altero illorum ex numero rerum, siue operum inferioris notæ, id in quo exceditur ab altero, ratione operis præstantioris.

18 DENIQUE Regreditur ad exponendum, quod iam supra docuerat, plus & minus, quibus intercipitur iustum, appellari lucrum & damnum. Atque, hæc nomina ortum ducere ab ijs actionibus voluntarijs, quibus homines inter se contrahunt: quales sunt emptiones & venditiones, aliaque commutationes usu & lege permittæ. Quippe in ijs dicebatur lucrum facere, qui post initum contractum plus quam antea habebat: & ille damnum subire, qui postea habebat minus. Verum postea ea nomina translata sunt similitudine quadam ad significandum commercia illa, quæ involuntariè seu invito fiunt, & legibus prohibentur. In hoc enim commerciorum genere, etiam dicitur lucrum facere qui damnum infert: damnum vero subire is, qui vel ignoranter, vel invito contraxit. Quare etiam in ijs commercijs Iustitia commutans, ipsiusque minister iudex, æqualitatem constituit; dum ab eo, qui damnum intulit, tantum aufert, quanti æstimatur damnum; & ei qui damnum subijt tantum reddit, quantum ab eo ablatum est. Sic enim æqualitas constituitur inter vtrumque, & ambo manent æquales, sicut ante commercium illud involuntarium. Ex quibus omnibus patet, iustum, siue ius commutantis Iustitiæ, esse medium, siue æqualitatem ex proportione arithmetica inter lucrum & damnum.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 61. quæ est de partibus Iustitiæ, & ipsius Interpretes.



CAPVT QVINTVM.

De repassione, nummo, & indigentia.

VIDETVR Nonnullis & ipsa repassio simpliciter esse iustum, vt Pythagorici censuerunt: qui quidem absolutè definiētes iustum, repassioem esse dicebant. Verūm repassio nec ad distributivum iustum, nec ad emendativum accommodatur. Quāquā eam ipsam, & Rhadamanti ipsius iustum asserunt esse.

Si quæ fecerit, hæc etiam patietur & ipse,

Iudicium fuerit perrectum, atque exitus æquus.

Per sæpe enim discrepat. Nam si quis magistratum gerens percussit quempiam, non decet eum repercuti. Et si quispiam eum, qui magistratum gerit, percussit, is non solum repercutiendus est, verūm etiam supplicio afficiendus. Præterea multum inter se differunt, id, quod sponte, & id, quod invitus quispiam fecit. Sed in societatibus cōmerciorum, tale iustum (repassio, inquam) per comparationem rationum, & non per æqualitatem continet civitatem. Civitas enim tum conservatur, cū retributio fit, vt comparatio flagitat rationum. Nam homines aut reddere malum quærunt, quod ni faciant, servitus esse videtur: aut retribuī sibi bonum, quod nisi fiat, actus dandi, beneficiumque non fit: at civitates his conservantur. Quam ob rem & Gratiarum templum in civitate media condunt, vt retributio sit: hoc enim gratiæ proprium est. Nam is, qui suscepit, subministret vicissim ei, qui munus contulit, & ipse rursus incipiat conferre oportet. Cōiunctio autem, quæ per diametrum est, facit eam retributionem, quæ per comparationem rationum efficitur. Hoc modo: Sit *Æ*dificator quidem *a*, Sutor autem *b*, Domus in *c*, & calceus collocetur in *d*. *Æ*dificatorem igitur à sutore accipere opus illius, & ipsum illi suum dare oportet. Si igitur primum sit id iustum, quod comparatione rationum est æquum, deinde repassio fuerit, erit quod dicitur: si minus, non erit æquum, neque constabit societas. Nihil enim prohibet vnius opus alterius opere præstabilius esse. Hæc igitur, ad æqualitatem redigantur oportet. Est autem hoc & in cæteris artibus. Etenim è medio tollerentur, nisi agens ageret, & quantum, & quale: & patiens pateretur hoc, & tantum, & tale. Non enim duobus ex medicis societas,

tas,

tas, sed ex medico, atque agricola: & ex diversis omnino, ac inæqualibus: verum hi redigantur ad æqualitatem oportet. Quapropter ea universa, quorum est permutatio, inter se comparabilia quodam modo esse oportet. Pro quo nummus in usum hominum venit, & fit quodam modo medium: metitur enim cuncta: quare & nimium, atque parum: quotnam calcei domui, vel victui sunt æquales. Oportet igitur quod est ædificator ad sutorum, tot pro domo, vel alimento calceos esse. Quod si hoc non fuerit, non erit permutatio, neque societas. Hoc autem non erit, si non æqua quodam modo fuerit. Oportet ergo aliquo uno mensurari cuncta, sicut & antea diximus. Hoc autem est re vera quidem indigentia ipsa, quæ omnia continet. Nam si non indigeant, aut non similiter, non erit permutatio, aut non eadem erit. Nummus autem ex instituto factus est, ut pro indigentia sit. Et propterea nomen hoc habet, quod non natura constat, sed lege. Et in nobis est situm ipsum mutare, atque inutilem facere. Erit igitur tunc repalsio, cum redacta fuerint ad æqualitatem, ut quod est ad sutorum agricola, id sit opus sutoris ad agricolæ opus. Oportet atem in figuram comparationis rationem ducere, cum permutare voluerint. Sin minus, alterum extremum plus in se habebit, & minus. Sed cum habet sua, sic æquales, & socij sunt: quia hæc æqualitas in ipsis fieri potest. Atque sit agricola quidem a, & alimentum c, sutor autem b, & opus ipsius, quod in æqualitatem iam est redactum, d. Quod si hoc pacto non esset repalsio, non esset sanè societas.

Agricola **Sutor**

a **b**

c **d**

Alimentum **Calcei**

Ipsam autem indigentiam continere, ut quiddam unum, hoc sanè declarat. Cum enim aut ambo sese non indigent mutuo, aut aliter, non fit permutatio. Sicut fit, cum eius quispiam indiget, quod habet ipse: ut vini, pro quo dat ille triticum exportandum. Oportet igitur hæc redigi ad æqualitatem. Quod si nunc non indigeat, nummus, quasi vas, intercedit pro permutatione futura, si ipsa indigerit fortè. Liceat enim oportet hunc alferenti accipere. Patitur igitur idem & ipse. Non enim semper æquale potest: attamen magis ipse persistere solet. Idcirco definitæ sint pretio res omnibus oportet. Sic enim erit permutatio semper: quæ si erit, societas erit. Nummus igitur, ut mensura, res ipsas metiendo, redigit ad æqualitatem. Etenim neque societas fuerit sine permutatione, neque permutatio sine æqualitate, neque æqualitas sine com-

mun-

mani mensura. Atque re quidem vera fieri nequit, ut ea, quæ ad eò differunt, convenient communi mensura: attamen indigentia ratione satisfieri potest. Vnum quid igitur esse oportet, atque hoc ex suppositione: quapropter nummus vocatur. Hic enim facit ut omnia mensura convenient: mensurantur enim omnia nummo. Sit domus quidem a, vnciæ autem decem b, & lectica collocetur in c. Atque a quidem dimidium sit ipsius b, si pretium domus quinque vnciæ sint, aut æquale, c autem id est lectica, sit pars decima ipsius b. Patet igitur quot lecticæ domui sunt æquales, sunt enim quinque.

Domus.	Vnciæ decem.	Lectica.
a	b	c
v.		j.

Hoc autem modo permutatio erat antea quàm esset nummus. Nihil enim interest, siue lecticæ quinque, siue pretium quinque lecticarum detur pro domo. Dictum est igitur quidnam sit iustum, atque iniustum. His autem determinatis, constat iuris actionem medium inter hæc esse, agere, inquam, ac pati iniuriam. Alterum enim est plus habere, alterum minus. Iustitia autem non eodem modo, quo priores virtutes, mediocritas est: sed quia medij est, hoc est æqui, iniustitia verò extremorum. Et iustitia quidem est, qua iustus dicitur activus electione iusti, atque distributivus, & sibi ipsi ad alium, ac alij ad alium: non hoc ut commodi quidem plus sibi tribuat, & proximo minus, incommodi autem contra: sed æqui, quod ex comparatione rationum exoritur, & alij simili modo ad alium: iniustitia autem contra, iniusti. Hoc autem est excessus, & defectus commodi, vel incommodi, contra comparationem rationum. Quapropter iniustitia exuperatio est, & defectus, quia est exuperationis, & defectus: in se quidem exuperationis eius, quod est simpliciter commodum, & defectus eius, quod est incommodum. In alijs autem in toto quidem similiter, eius profectò, quòd à comparatione rationum exorbitat, ut contigerit. Iniuria autem minor quidem est iniuriam pati, maior autem iniuriam facere. De iustitia igitur, ac iniustitia, quanam sit vtriusque natura, sit dictum hoc modo. Similiter & de iusto universaliter, atque iniusto.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QUINTI.

Opinio Pythagoreorum constituentium ius, seu iustum, in talione absque ullo discrimine, refertur & refellitur. Quo sensu possit esse vera. Quomodo in permutationibus fiat contrapassum, statuat utque aequalitas ex nummo & indigentia. Quid tandem sit iustitia, quidque iniustitia ipsi adversa.



POTISSIMVS Scopus huius capituli est impugnatio opinionis Pythagoreorum circa ius, & aequalitatem in Iustitiâ servandam: dividiturque in quatuor partes. Prima in referenda ac refellenda existimatione illorum tota est. Secunda ostendit quo sensu possit illa esse vera, debeatque in repensione attendi. Tertia quomodo in permutationibus contrapassio fiat ex nummo & indigentia. Quarta edisserit demum quid sit Iustitia, quidque iniustitia.

2 **CIRCA** Primam partem, Pythagorei constituebant simpliciter ius in talione, seu contrapassione, sive in eo quod est par pari referre, nulla distinctione facta: idque putabant esse ius Rhadamanti Regis, cui aptabatur illud carmen Æschyli, etiam Pythagorei:

Εἰτε πάθῃς τὰ κ' ἔργεῖς, δίκην ἰδίᾳ γένοιο.
Quique pati si retuleris par, ius erit æquum.

Sive, ut Lambinus vertit: *Si quis quod fecit patitur, ius erit æquum.* Verum eam opinionem improbat Arist. hoc ferè discursu: Id quod non aptatur, nec iusto distributivo, nec correctivo, sed discordat ab utroque; nequit esse iustum simpliciter. At contrapassio est eiusmodi. Ergo in contrapassione nequit esse iustum simpliciter. Maior patet ex traditis hoc ipso libro, quibus iam statuta fuit duplex Iustitiæ species, unius distributiæ, & alterius correctivæ: unde & constat, iustum aliud esse distributivum, aliud correctivum. Ergo quod non aptatur nec iusto distributivo, nec correctivo, nequit esse iustum simpliciter. Minor autem præcipua suadetur quod ad priorem partem de iusto distributivo: quia fieri non potest sæpe, ut illud servetur in contrapassione: v. g. si quis patriam servaverit, quid contra patietur, seu recipiet à Republicâ? nunquid pari gratia donabitur? At palam est, non iustam remunerationem esse. Quo ad posteriorem partem de iusto correctivo probatur eadem minor. Si quis enim privatus percussit Magistratum, non punietur condignè aequali percussione, sed opus erit maiori pœna ad iustum servandum. E contra etiam, si Magistratus, percutiat hominem privatum, puniendus quidem erit: at non percussione, sed alia pœna inferiori. Quod & illustrari potest ex textu in *1. ait Prator, §. atrocem ff. de iniurijs*. Patet igitur, eam aequalitatem contrapassionis, nec iusto distributivo, nec correctivo simpliciter convenire, sed potius ab eo discordare.

3 **SECUNDO** In eam opinionem in-

vehitur: Quia nimium interest, verum quispiam agat sponte, an invitus, ad aequalitatem in contrapassione servandam. Lege enim non ligant, non damnant invitum, sed sponte operantem. Hoc autem totum corrueret posita contrapassione simpliciter, ut à Pythagoreis statuitur. Qualitercumque enim quis auferret alienam rem, aut membrum v. g. alterius abscinderet, etiam invitus, & citra libertatem ullam, ut si esset furiosus, aut malo genio actus absque culpa, aut violente impulsus ab alio; deberet omnino contrapati, seu simile & æqualem pœnam subire. Cum ergo hoc absurdum plane sit, etiam illud, ex quo sequitur. Quare Pythagorei errarunt exponendo iustum simpliciter, & absque distinctione vlla, per contrapassione, seu talionem. Verum autem est, hanc habere locum in aliquo iusto; scilicet, in parte aliqua iustitiæ commutativæ, & præsertim eâ, quæ versatur circa commercia voluntaria vitæ humanæ, ut postea apparebit.

4 **VERVM** Occurrit scrupulus circa consequentiâ doctrinæ: siquidem Philosophus *cap. præced.* statuit, iudicem in iusto correctivo attendere iniurias; non verò conditionem personarum, ideoque illud consistere in arithmetica proportionalitate iniuriæ ad pœnâ. Huic verò doctrinæ videtur opponi quod tradit de Magistratu percutiente, & non propterea repercutiendo; similiter & de percutiente Magistratum, & tamen maiori pœna digno: siquidem in his duobus iam non servatur arithmetica proportionalitas iniuriæ ad pœnam, sed potius attenditur dignitas conditioque personarum: RESP. nihil inconsequentiae esse in doctrinâ Arist. Priori enim illo loco egit de iusto correctivo secundum eam quæ communiter accidit; non autem semper, & absque distinctione vlla. Communiter autem loquendo, iustum correctivum exigit, ut arithmetica proportio plenè servetur inter iniuriâ & pœnam: quia iustum correctivum prout extenditur ad casus frequentes non attendit dignitatem qualitatemque inæqualem personarum, sed solum qualitatem iniuriæ, & pœnam arithmetice ipsi proportionatam. In præsentî autem sermo est de iusto ipso correctivo prout attendit virtutem, & habitudinem iniuriæ ad pœnam, & offensi ad offendentem, iuxta inæqualem virtutemque dignitatem. Insuper & eò loci agebatur de iniuria personæ privatæ ad privatam: hic verò de iniuria personæ publicæ, cuius dignitas in Magistratu resplendet. Pythagorei autem contrapassione ubique constituebant, & nulla distinctione facta.

CIR-

5 CIRCA Secundam partem statuit, iustum illud Pythagoricorum, scilicet, contrapalsionem, verificari quoddammodo in aliqua parte Iustitiæ correctivæ, seu commutativæ, versante, nimirum, circa commercia hominû. Ratio est: Quia id, quod in commutando secundum similitudinem rationis, & non secundum æqualitatem arithmeticam, continet conservatq; civitatem, est iustum correctivum commerciorû. At contrapalsio est eiusmodi. Ergo in ea salvatur iustum correctivum commerciorum. Probatut assumptum: Quia licet contrapalsio non sit iustum simpliciter & generatim loquendo, ut volebant Pythagorici; neque importet omnimodiam æqualitatem, ut oculû pro oculo, manum pro manu; importat tamen retributionem, sive satisfactionem secundum ordinem rationis: ut si quis intulerit malum, subeat etiam malum a lege taxatum; si bonû, accipiat bonû gratiamve proportionatam. Quod quidem civitates in robore, & amplitudine sua conservat: ideoque in ijs Gratiarum templum esse solet, ut exet remuneratio. Id vero templum non in locis infrequentibus urbium erat, sed in propæulo, seu in ipso foro: ut olim Sparta fuit, testante Paulania in *Laconiis*: & alterû Orthomenijs in Bœotia: ac tertium in Olympijs fuisse, refert idem Author varijs locis. Contrapalsio igitur, non accepta secundum æqualitatem, sed secundum proportionem rationis, spectat ad iustum correctivum.

6 QVARE In Iustitia commutativa debet quidem servari æqualitas rei ad rem, non tamen actionis ad passionem, ut si mihi exhibuisti actionem tuam, debeam tibi exhibere actionem meam; sed aliquid proportionatum. Fieri enim potest, ut actio optive vnius artificis sit quid æstimabilius actione, vel opere alterius: ideoque vna non compenseat aliam, sed vel excedat, vel superetur. Si namque faber vendat futuri vnam domum, si vtor non faciet satis reddendo vnum calceum, qui minoris longè pretij est: sed debet solvere tot calceis, quot sufficiant ad æquandum pretium vnius domus. Ideoque ut exponat Aristoteles iustum contrapalsionis inter duos artifices prædictos, adducit quatuor elementa, A. B. C. D. scilicet, A. sit faber: B. futor: C. domus: D. calceus. Ponantur ea in figura quadrati, ut primo statuatur *A. faber*, & ex opposito per rectam lineam *B. futor*. Deinde sub *A. fabro* per rectam lineam ponatur opus eius *B. domus*: & sub *B. futore* ponatur idem per lineam rectam opus ipsius *B. calceus*. Deinde faciamus duas diametros, vnam ab A. ad D. alteram à B. ad C. In hac coniunctione per diametrum apparebit contrapalsio, & æqualitas secundum proportionem rationis.

7 QVOD Ut clariùs percipiatur, ponamus insuper quod faber sit artifex duplo præstantior, quam futor, similiterq; opus illius,

quã istius. Profecto fiet coniunctio per diametrum hoc modo. Sicuti se habet calceus ad futorem, ita domus ad calceum. Atqui faber ad futorem habet rationem duplam. Ergo etiam domus ad calceum. Oportebit igitur calceos ad æquandum domo secundum similitudinem rationis, ut tot calcei sumantur, quot sufficiant æquali compensationi; & siquidẽ supponantur duo sufficere, totidẽ reddantur. Sic enim fiet iusta compensationis, & contrapalsio, in qua vterq; agit & patitur, seu dat & recipit æquivalens.

8 CIRCA Tertiam partem ostendit quomodo in permutationibus dicta formula observari possit. Ac primò quidem exponit ea omnia, quorû est permutatio, talia esse debere, ut inter se comparari possint. Non enim linea, & lapis permulari possunt, & hoc ideo quia comparari nequeunt. Comparatio enim inter extrema eiusdem generis veritur, qualia non sunt lapis & linea. Sunt verò aliquæ res, quæ permulantur, etsi sint diversorum generum: quia propter indigentiam humanam, & ex hominû instituto, fuit facta inter ea commutatio secundum communem mensuram. Hæc autem attenditur penes numerum, sive pecuniam, quæ rebus mensuram & taxam imponit, & quasi mediû inter eas statuit ad proportionem faciendam, quoties vna est maioris pretij, & altera minoris. Vnde & nummus meretur, quot calcei sufficiant ad æquandam domum: quia mensurando seorsim, tum domum, tum & calceum, ita replicatur in calceis, ut vnius domus valoreni adæquet.

9 IN Quâ doctrinâ nonnulla observanda sunt ex mente Philolophi. *Primum*, ea quæ permulantur, quoddammodo comparari inter se. Quoddammodo, inquam: quia propriè ea solùm dicuntur comparari, quæ eiusdem generis, vel etiam speciei sunt. Illa verò, quæ permulantur, sunt diversæ rationis: ideoque non naturam suam compatantur, seu propriè, sed quoddammodo solùm per communem mensuram, quæ est nummus, ac deinde permulantur. *Secundum* est, nummum esse quoddammodo mediû, sicuti iudex dicitur mediû inter duos, quorû alter habet plus, alter minus, quatenus aufert aliquid vni & addit alteri. Quod igitur præstat animatus iudex ad æqualitatem faciendam, id etiã nummus inanimis. Est & aliud vtriusque discrimen. Res enim quæ deferuntur ad iudicem, erant antea æquæ, & post iniuriam redditæ sunt iniquæ, seu inæquales: iudex autem eas adæquat reducendo illas ad æqualitatem quantum res patitur. Nummus verò aliter se habet: quia accipitur, ut communis quædam mensura æstimationis rerum permulantarum. *Tertium*, adæquatione opus esse in quibuslibet artibus, & commercijs, ut tantundem, & tale vnus patiatur, quantum & quale alius agit. Hæc verò adæquatio

non sit inter agentia omnino similia, ut inter duos medicos, aut agricolas; sed inter dissimilia, ut medicum & agricolam, quorum æqualitas nummo compendenda est. Oportet igitur, ut nummo omnia mensurentur: idque ex usu humano, seu potius lege, quia *νομισμα*, *nummus*, *ἀπο τῆς νόμης*, à lege nomen accepit, seu ab instituto hominum, quorum est illi valorē tribuere, vel auferre. Par igitur pari redditur quoties medio nummo æquatæ res fuerint, & opus futoris, agricolæ, ad opus fabri, aut medici proportionatum, seu æquale redditum. *Quartum* est, indigentiam quasi continere in se omnes eiusmodi permutationes, esseque illarum veluti principium: Quia id, quo vno, & quasi solo, permutationes fieri possunt, & continet ea hominū commercia, & res humanas. At indigentia est eiusmodi. Ergo indigentia continet ea hominū commercia, & res humanas. Maior constat: Quia permutatio est frequentissima inter homines, cū vix vnus inveniatur, qui nō egeat rebus alterius: & ex hoc fine permutandi, siue subsidiū accipiendi, & ferendi, extruuntur populi, confurguntque vrbes, & regna. Id igitur, quo vno, & quasi solo, permutationes fieri possunt, continet ea hominum commercia, & res humanas. Iam minor illa præcipua facile suadetur: Quia sola ferè indigentia videtur esse origo permutationū: nam qui non indiget re alterius, non permutat rem suam cum illa. Et certè si vterque indigeat ope, aut re alterius, fiet permutatio: si alter tantū, etiam fiet permutatio; verū interveniente nummo, qui supplet vicē indigentia futuræ progressu temporis. Quod si neuter indigeat, nulla permutatio fiet. Ergo indigentia est id, quo vno, & quasi solo, permutationes fieri possunt.

IO VERVM Obiecit sibi Philosophus hanc dubitationem. Dictum est modò, indigentiam non semper esse, ideoque oportere ut nummus interveniat, ad faciendas permutationes. Atqui eadem ratio est de nummo, qui non semper fuit, immo nec est; scilicet, quoties ex arbitrio hominū amittit valorē, ac si non esset. Ergo & oportebit aliquid aliud substituere pro nummo ad faciendas permutationes. Ideoque nec indigentia, nec etiam nummus vices illius gerens, erit origo omnium permutationū. RESP. nummum quidem variationē subire; cæterum magis persistere quò ad pretium, quàm cæteras res humanas. Quod ita accipiendū videtur, ut nummus quidē in actu exercito, scilicet, hæc vel illa moneta, varietur quò ad pretium, aut illud amittat ex toto: cæterum in actu signato semper maneat. Quamvis enim sæpe accidat, ut moneta huius vel illius materia, siue ferrea, siue cuprea, siue ærea, tali pondere & figura constantis, quæ antea valebat vniuscū nummū v.g. postea ex arbitrio hominū valeat, ut dimidius nummus, aut nihil; adhuc tamen nummi valor

in actu signato, siue in abstracto permanet: & secundum hunc valorē substituit nummus pro indigentia futura, vbi tantum alter duorum subit indigentia de presenti ad percutiendum. Quare semper indigentia est origo qualiumcumque permutationū. Et sanè sicut valor nummi mutatur, ita etiam valor rerū permutandarum. Romæ, teste Plinio, tempore belli secundi Punici denarius valebat assibus sedecim: cum tamen antea solum decē valeret. In alijs nationibus, & præsertim in Hispania, notissima est varietas penes valorē pecuniæ. Res etiam, quæ pretio æstimantur, quotidie variantur, prout magis aut minus abundant, vel necessariae sunt. Idque generatim verum est, ac fuit semper pro diversitate locorum & temporū: ut observat Caius I. C. in l. 3. ff. de eo quod certo loco. Vbi inquit: Scimus quam varia sint pretia rerū per singulas civitates, regionisque: maxime vini, olei, frumenti, &c. Pecuniarum quoque licet videatur vna & eadem potestas ubique esse, alijs tamen locis alia est.

II CONFIRMAT Eandem doctrinam: Quoniam aliqua sunt res, quæ secundum naturā suam nequeunt subire communem mensuram in permutatione: ideoque oportet ut mensurentur ex arbitrio hominum alia communis mensura, orta ex indigentia. Eiusmodi autem mensura est nummus substituens pro indigentia. Nummus agitur ex arbitrio hominum communis mensura permutationum est. Quod hoc pacto exponitur. Sint vnciæ decem, & domus sit permutanda cum lecticā: ac domus quidem supponatur valere quinque vncias, lectica verò vnā. In hac hypothese domus valet dimidiam partem decem vnciarum, lectica autem decimam illarum partem, ut est evidens. Ergo oportet quinquies sumere, seu replicare lecticam, ut æqualeat vnicæ domui: ideoque tandem vtriusque valor mensurabitur nummo. Et hoc quidem ab eo tempore, quo nummus fuit, & est in usu atque æstimatione hominum. Nam ante inventionem nummi sola indigentia erat origo permutationis rerum, & mensura ipsius, & pretium mutabatur iuxta variationem indigentia. Permutabantur enim quinque lecticæ v.g. pro vna domo: quia mēsurabatur sumptus & labor necessarius in extruenda domo cum labore & sumptu in faciendis quinque lecticis: ideoque existimabatur vnicæ domus æqualiter permutata pro lecticis quinque. Quare Tacitus scribit, Germanos inferiores, quibus pecuniæ usus erat nullus, permutatione sola usus fuisse. Postquam verò usus nummi inventus est, omnes permutationes nummo taxantur, ut communis mensura; non quidem naturali, cum non inest ipsis rebus, nec sit aliquid ipsis intrinsecum, ut quantitas continua, vel discreta rebus mensurandis intrinseca; sed arbitraria, & extrinseca, ac mediante inter res permutandas. Qui-

Quibus demum fit, ut permutationes ad contrarium, seu æquale, & iustum redigantur.

12 CIRCA Quartam partem, supposito ex præcedentibus, iustum esse medium, quatuor exponenda assumit. Primum est, qualiter operatio Iustitiæ sit medium. Secundum, qualiter habitus ipse Iustitiæ sit mediocritas, sive medium. Tertium, qualis habitus sit Iustitia. Quartum, qualis habitus sit iniustitia opposita. Primum sic ferè probat. Plus habere est facere iniuriam, & minus habere est iniuriam pati. Quisquis enim plus sibi tribuit, quam alteri, iniuriam facit, & alter ab eo iniuriam patitur. Atqui operatio iustitiæ est medium inter plus habere & minus, cum ponat æqualitatem extremorum. Ergo operatio iustitiæ est mediū inter facere & pati iniuriam. Secundū ita exponit. Iustitia ipsa non est medium sicut aliæ Virtutes, nam ceteræ habent rationem medij inter duos habitus oppositos vitiij. Iustitia autem non habet duos habitus vitiij oppositos, sed unicum, qui est iniustitia. Quare non est Virtus media inter duo extrema habituum oppositorum, sed Virtus ipsius medij, scilicet, iusti, quod est inter plus & minus, tanquam inter duo extrema.

13 SI Autem causam scilicet, cur in Iustitia præ ceteris virtutibus ita accidat, ut ijs consistentibus in medio duplicis vitiij extreme oppositi, illa solum consistat in medio inter plus & minus, solumque habeat unū vitium contrarium; *Responsa.* rationem esse quia aliarum Virtutum extrema non unicâ operatione, sed diversis, adquiruntur. V.g. audacia & timiditas non incurritur eodem actu, sed duplici: ideoque ex duplici operatione contraria generantur duo vitiosi habitus, declinantes à medio Fortitudinis, & extreme oppositi inter se: idemque est de prodigalitate & avaritia, ac ceteris vitijs extremis, se habentibus per modum excessus & defectus. Ceterum unica operatione delinquitur in duplici Iustitiæ extremo, quod est plus & minus, committiturque iniustitia. Nam eo ipso quod quis auferat rem alienam, habet plus, & alter minus, atque adeo utrumque Iustitiæ extremum incurritur, unicâ operatione. Cum igitur vitia realiter, & extreme opposita non incurrantur, seu adquirantur, nisi actibus realiter & extreme oppositis, & quorum alter respiciat extremum ab alterius extremo distinctum; consequens est, ut non sint duo vitia extreme opposita Iustitiæ, cuius extrema duo indivisibili eodemque actu incurrantur.

14 TERTIVM Verò, scilicet, qualis habitus sit Iustitia, explicat tradendo ipsius definitionem, seu potius descriptionem, ut sit, *qua iustus dicitur promptus ad rem iustam agendam ex electione, & ad distribuendum, & sibi cum altero, & alteri cum alio.* Adiditque, id non ita accipiendum, ut rei viliis, vel expe-

tendæ, plus sibi, & minus vicino sit, damnosæ autem e contra: sed potius ut æqua utriusque ratio habeatur penes commodum, & incommodum, atque etiam inter alios. Que definitio, seu descriptio, licet videatur soli Iustitiæ distributiæ convenire, ut principali Iustitiæ speciei, adhuc tamen simpliciter etiam Iustitiæ correctivæ convenit, seu commutativæ: quoniã & secundum hanc iustus redditur promptus ad rem iustam ex electione agendam; atque ad distribuendum, & sibi cum alio, & alteri cum alio, commodum & incommodum; nimirum, redigendo ad æqualitatem personas, quarum altera iniuriam perpessa est, altera irrogavit. Nam & hoc, quamvis minus strictè, intelligitur per *to distributivos*, seu distributionem, ut ad quamcumque Iustitiæ actionem aptari possit.

15 QVARTVM Denique exponit per hoc, ut iniustitia opposito modo se habeat ad Iustitiam, sitque proinde, *qua iniustus dicitur promptus ad rem iniustam agendam ex electione*: scilicet, ad distribuendum, reddendumvè iniuste defectum aut excessum commodi, vel incommodi, & sibi cum alijs, & alteri cum alio. Quare iniustitia, & est excessus & defectus penes plus, & minus, ut utrumque habeat indivisibiliter, quamvis relatè ad aliud & aliud extremum. Est quidem excessus respectu illius, qui plus iusto habet; defectus verò, relatè ad illum qui minus; quævis re ipsa idem vitiij habitus sit. Quod appositè explicatur iuxta ea quæ docuimus *tem. 1. Philof. phisæ Novæ antiquæ, disput. 19. sect. 3.* cum ipso Aristotele, eandem entitatem esse actionem & passionem: ita tamen, ut motus prout oritur ab agente sit actio, & prout receptus in passio sit passio. Sic igitur iniustitia unicam operationem exhibet, scilicet, iniuriam; quæ tamen diversas rationes seu connotata respicit: nam prout ab agente, dicitur actio iniuriola & excessus; prout in patiente verò, passio & defectus. Patet igitur ex dictis quid sit Iustitia, quidque iniustitia.

VIDE D. Thomam 2. 2. quest. 59. de Iustitia, art. 10. & quest. 60.

art. 2. 3. & 4. atque illius

Interpretes.

(?)



CAPVT SEXTVM.

De iniuria, iusto civili, herili, & æconomico.

VM Verò fieri possit, vt iniuriam quispiam faciat, & & nondum sit ipse iniustus: qualesnam iniurias quispiam faciens vnaquaque iniustitia iam est iniustus, fur, inquam, vel adulter, vel latro? An hoc modo nihil intererit? Etenim fieri potest vt quispiam coeat cum muliere sciens cum qua coit, sed non ob electionis principium, sed ob affectum. Atque iniuriam quidem agit, sed iniustus non est: veluti neque fur: furatus est tamen: neque adulter, qui adulterium tamen fecit: & eodem de cæteris modo. Quomodo igitur sese habet ad ipsum iustum repassio, dictum est antea. Oportet autem non latere, iustum, quod nunc quæritur, id esse, quòd est simpliciter iustum, ipsum, inquam, iustum civile. Hoc autem est inter socios vitæ: vt sit sufficientia liberorum, atque æqualium, aut in comparatione rationum consistens, aut in numero. Quare in quibus hoc non est, inter eos civile iustum non est, sed quoddam iustum, & per similitudinem quandam. In ijs enim est iustum, quibus inter se ponitur lex. Lex autem ijs poni solet in quibus est iniustitia. Iudicium enim diiudicatio est iusti, atque iniusti. In quibus verò est iniustitia, in ijs est etiam iniuriam facere. Sed non in omnibus est iniustitia, in quibus est iniuriam facere. Hoc autem est plus quidem ex simpliciter bonis, minus autem ex simpliciter malis sibi tribuere. Idcirco non sinimus hominem dominari, sed rationem: quia sibi ipsi id facit, & fit tyrannus. Magistratus autem custos est iusti: quòd si iusti, & æqui. Atque quia nihil sibi ipsi plus tribuendum esse censet, si est iustus (ex simpliciter enim bono plus sibi non tribuit, nisi comparatione rationum fit ad ipsum accommodatum) ideo alij, non sibi laborat. At ob id ipsum, alienum bonum inquirunt iustitiam esse, sicut & antea diximus. Merces ergo quædam tribuenda est ipsi, honos, inquam, & præmium: sed quibus hæc non sufficiunt, ij fiunt tyranni. Herile autem, paternumque iustum, non idem, sed his est simile. Non est enim iniustitia ad sua simpliciter. Id autem quod possidetur, & filius, quandiu sit parvus, & non separatus, vt pars ipsius est patris. Se verò nemo vult lædere: quapropter non est ad ipsum iniustitia. Neque ergo iustum, neque iniustum civile. Est enim lege, atque

in

in his est, in quibus lex esse potest. Qui quidem ij sunt, quibus inest æqualitas imperandi, atque parendi. Ideirco magis ad vxorem iustum esse videtur, quàm ad filios, & ea, quæ possidentur. Hoc enim est rei familiaris iustum: verùm & hoc aliud est à civili.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

An omnis qui iniuste agit, iniustus censei debeat. Quid sit iustum politicum, & in quibus sit. Quid etiam iustum herile, paternum, & coniugale.



POSTQVAM Arist. divisit Iustitiam in distribuentem, & commutantem, & docuit alteram versari in eo iusto quod distributivum appellatur; alteram in illo, quod commutativum, seu correctivum; nunc iustum ipsum denovo, ac multipliciter partitur, sicut & iniustum ipsi oppositum. Docetque in summa, tam eum qui vere appellatur iustus, quàm qui iniustus, denominari sic à fine in quolibet Iustitia, aut Iniustitia genere, conformi, aut contrario iuri, sive alteri, quod per analogiam dicitur ius. Caput verò dividitur in tres partes. In primâ inquirat, dicendumne sit iniustus quicumque iniuste agit. In secunda vestigat, quid sit politicum iustum, quibus etiam conveniat, necne. In tertiâ docet, iustum herile, paternum, & coniugale, non simpliciter iusta esse, sed per similitudinem, aut comparisonem quandam.

2 **CIRCA** Primam partem sic ferè inquirat: Quia accidere potest, ut quis iniustum quidem faciat, nec tamen iniustus sit; dubitatur ex quibusnam appellandus sit iniustus quis in quolibet iniustitiae genere; veluti in furto, adulterio, latrocinio, aliisque eiusmodi. An forte distinguendum est inter illum qui eiusmodi opera agit ex habitu, & eum qui subita perturbatione commotus? an potius non distinguendum, sed uterque dicendus erit simpliciter iniustus? Hæc est quaestio ab initio capituli proposita. Cui respondere videtur Aristot. non esse dicendum iniustum simpliciter illum, qui iniuriam non facit ex consilio electioneque. Neque enim eâ probrosâ appellatione dignus est qui furatur, adulterium committit, aut latrocinium, impotenti animi perturbatione commotus: sed solus ille qui ex habitu, ac proinde ex electione id operatur. Quare nec iniustus omnino dicendus, qui alienæ vxori se adiungit, sciens alienam esse, dum id ex animi consilio & electione non facit, sed vehementi commotione pertractus.

3 **NIMIRVM**, Penè omnes qui subita & impotenti perturbatione acti semel aut iterum ea opera iniusta committunt, excusare se solent ab iniustitia ex eo capite, quod non ex habitu, aut electione peccaverint, sed ex ali-

quâ passione rapiente. In omni enim iniustitiae genere multum e re est distinguere inter actionem iniustam, quæ altero, aut altero ex prædictis modo fit. Vnde illud Chereæ apud Terentium: *Vnum scito, contumelia me non fecisse causa, sed amoris.* Quare merito inquiratur hoc loco, quænam requisita sint, ut qui iniustum aliquid facit, appellandus sit iniustus simpliciter. Ex huius verò difficultatis resolutione apparebit, quænam circumstantiæ exigantur, ut qui aliquid iustum facit, iustus etiam nominetur & sit. Eadè quippe est utriusque ratio: & hoc loci potissimum de iniusto agitur, ut exinde iustum ipsi contrarium innotescat. Quia verò de iusto, quod potest multipliciter divideretur, ambigere posset aliquis, an consistat in mutua illa perpersione, quæ talio dicitur, excusat se ab eâ controversia dirimenda: quoniam satis de talione disputavit superiori capite, indeque resolutio huius dubij peti potest.

4 **CIRCA** Secundam partem aperire sensum quaestionis paulo ante excitatæ, & moner illam procedere de eo iusto, quod iustum simpliciter est, & civile, seu politicum appellatur. Vbi monet Giphanius, atque ex eo alij, Politici vocabulum latius patere apud Græcos, quam Civile apud Latinos, quamvis communi loquendi vii pro vno eodemque habeantur. Idque planè observat Cicero quodam loco apud ipsum, ubi ait ad Politici nomen Latine reddendum vix se invenire idoneum aliquod vocabulum. Cum enim ex Græcis referret, esse in homine quiddam politicum, *populare*, inquit, aut *civile* Latine dicimus. Politicum itaque apud Græcos significat id, quod commune est civibus, seu potius hominibus societate quadam inter se devinctis. Civile autè Latini dicunt quod suæ cuiusque civitatis proprium est: ut vendere, emere, & alia eiusmodi. Nihil Græcis in plurali neutro politica vtitata sunt: Latinis verò civilia non licet dicere.

5 **CÆTERVM** Quamvis Politici vocabulum tam late pateat apud Græcos, Aristot. in præsentia, nomine iusti politici intelligit illud quod non hominibus utcumque, sed in civitate degentibus cõgruit, & a Latinis civile dicitur. Vbi enim proponit explanationem illius, peritiam ab ijs, quibus proprie competit,

docet, politicum iustum esse id, quod competit sodalibus in convictu, & inter eos cernitur, contineturque quadam vitæ communione, in eam finem instituta, ut omnibus ijs sit copia bonorum, seipsa contenta, sibi que sufficiens, quæ ab ipso & cæteris Græcorum *αὐτάρκεια* dicitur. Id verò iustum monet non esse inter quoscumque homines, sed liberos, & æquales. Alioqui enim non erit ius politicum, sed herile, ut dominorum erga servos; vel inæquale hominum, quorum alter alteri subijcitur, vel iuxta naturæ ordinem, vel recepta consuetudine; ut filius patri, vxor marito: quorum ius primum, paternum dicitur; secundum coniugale. Igitur ut ius civile distinctum ab herili, paterno, & coniugali, subsistat, oportet liberos esse & æquales eos omnes, inter quos illud servatur.

6 VERVM Cùm æqualitas duplex sit; altera proportionis, quæ κατ' ἀξίαν secundum dignitatem spectatur, & in Aristocratiâ, ac Regno cernitur; altera numeri, quæ in Democratiâ, seu populari dominatu servatur; subiungit Arist. æqualitatem exactam ad ius civile debere esse κατ' ἀνάλογίαν, &c. id est, secundum proportionem, aut secundum numerum. tanquam sensus sit, politicum ius non solum inveniri in Democratiâ, vbi omnes æquales sunt proportionem arithmetica, & æquæ liberi, ac publicæ administrationis participes: sed etiam in Aristocratiâ, seu optimatum dominatu. Quamvis enim in ea numerus rectorum sit minor, ideoque inæqualitas aliqua inveniat, quò ad numerum; est tamen æqualitas iuxta proportionem dignitatis, ex qua cives metiri solent pæmia, & honores publicos, ac Magistratus.

7 CVM Igitur ius civile non congruat aliorum dominio, aut potestati subiectis, & inæqualibus, ut servis & filijs familiæ relatè ad dominum & patrem; oportet ut ipsi alio iure coniungantur, quod dicitur ius herile, & paternum; & quamvis similitudinem aliquam habeat cum iure civili, absolutè diversum & longè aliud ab illo est. Quod sic probatur. Ijs tantum, quibus directè imponitur lex, competit ius civile propriè dictum. At nec servis, nec filijs directè imponitur lex. Ergo nec ijs competit ius civile propriè dictum. Maior patet: quia leges politicæ ortum ducunt ex iure civili propriè dicto: atque adeò ijs tantum imponuntur directè, inter quos idem ius invenitur. Minor autem suadetur dupliciter. *Primo*: Quia ijs tantum directè imponitur lex, qui sui omnino iuris sunt ad eam servandam; ideoque non subiacent potestati alterius, à quo cohiberi possint. At nec servi, nec filij, sunt iuris sui omnino; cum subiaceant potestati domini & patris, à quibus cohiberi possunt. Ergo nec servis, nec filijs directè imponitur lex. *Secundo*

suadetur eadem minor propositio à contrario. Ijs tantum imponitur directè lex, inter quos potest esse iustum, & iniustum. Vindicta enim, quæ lege proponitur, ad vltiscendam iniustitiam tendit. Atqui inter servum & dominum, filium & parentem, nec Iustitia, nec iniustitia propriè esse potest: cum nec servus, nec filius sui iuris sit. Ergo nec servis nec filijs directè imponitur lex. Quare ius civile ijs solum competit per comparisonem, aut similitudinem quandam: atque adeò oportet in ijs assignare aliud ius, quo servant societatem inter se. quale est, herile circa servos, paternum circa filios, & coniugale relatè ad vxores, quæ omnes sunt naturales communionem vitæ, ut loquitur Arist. lib. 1. Politic.

8 SI Autem inquiras, quodnam sit iniustum illud, quod inveniri solum potest inter homines liberos & æquales, ac legibus corrigitur, seu vindicatur; Respondet, nõ semper iniustum procedere à vitio, sive habitu iniustitiæ: cum plurimi ex sola perturbationum vehementia iniuste agant, seu iniustum operentur, qui tamen iniustitiæ habitu scdati non sunt. Nimirum, licet vbi habitus iniustitiæ est, etiam iniusta opera sint; tamen vice versa non est opus, ut vbi invenitur actio iniusta, ibi etiã vitium, seu habitus iniustitiæ adsit. Quibus plane approbat solutionem illam quæstioni à principio datam. Addit deinde, id iniustum, quod iure civili, legibusque corrigitur, in eo positum esse, ut quis plus accipiat de ijs, quæ dicuntur simpliciter & absolute bona, ut divitiæ & honores: minus autem de ijs, quæ simpliciter & absolute mala censentur, ut labores, incommoda, & onera publica, quorum oportet participem esse, qui bonorum participes est.

9 EX Doctrina huicque tradita colligit tria. PRIMVM est, in recto civitatis & Reipublicæ statu non fini, ut homines pro arbitrio dominantur, sed iuxta legem ac rationem. Quo ipso videtur indicare, æqualitatem illam, quam ius civile factam rectam servare studet, etiam ad Principes & Magistratus extendi. Licet enim ob imperium, quo cæteris præcellunt, appareant inæquales; iure tamen civili, & legibus tenentur. Non enim civibus ita stricto nexu coniunguntur, ac filij parentibus, servi dominis, & vxor viro, quibus diximus supra non congruere ius civile, quod æqualitatem exigit, ac proinde distinctionem adæquatam, & separationem personarum. Principes itaque & Magistratus longè minorem cū civibus coniunctionem habeant: ideoque ijs congruere videtur ius civile, seu commune civium.

10 VNDE Consequenter infert, non licere Principi, aut Magistratui, plus sibi accipere de bonis, & minus de malis. Non enim

licet ijs deserere & violare Iustitiam, cui servanda in eo munere deputati sunt. At si plus sibi de bonis acciperent, & minus de malis, desererent planè & violarent Iustitiam: quæ eiusmodi inæquali acceptione violatur. Ergo ijs non licet plus sibi de bonis accipere, & minus de malis. Quippe id proprium est Tyrannorum. Quare Iurisconsulti Principem faciunt ministrum & custodem iuris, l. nam & ipsum ius, ff. de Iust. & iure: & tritum est effatum illud Antonini & Severi Imperatorum: *Licet legibus solatissimus, tamen legibus vivimus.* Plato quoque lib. 4. de Legibus, vult Principem, seu Magistratum legibus subesse, & servire, nec plus accipere, ijs verbis: *Vbi lex dominatur, Magistratus subest, vel subservit legibus, ibi sanè est Respublica.* Quo circa pulcherrima est illa Claudiani sententia, seu monitum versibus expressum in Panegyrico de quarto Honorij Consulatu:

*Primus iussu: sibi. Tunc observantior equi
Fit populus, nec ferre vetat, cum viderit ipsum*

*Auctorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad exemplum: nec sic instigare sensus
Humanos edicta valent, quam vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.*

II SECVNDVM Ex illatis est, Principem & Magistratum non violare Iustitiam aut æqualitatem ex eo quòd aliquantò plus accipiat de bonis, & minus de malis, quàm ceteri homines. Quin potius ita exigit æqualitas proportionis, quæ moderatur distributiones in vita civili. Princeps enim amplioribus commodis, & minoribus incommodis dignus est, quoniam in commune bonum vigilat & excubias pro civitate agit. Quæ sanè restrictio, seu explicatio est doctrinæ paulò antè traditæ, quæ dixit, non licere Principi aut Magistratui accipere plus de bonis, & minus de malis. Intelligendum enim ita est, ut non liceat ultra illam mensuram, quæ congruit excubanti in commune Reipublicæ bonum, ac propterea plurima & gravissima onera aliorum sustinenti: ac proinde digno, ut ampliora sibi bona ex communibus applicentur, iuxta proportionem geometricam, & non ultra. Alioqui enim iniustitia erit, & tyrannus.

12 IN Quod illustrandum celebria sunt aliquorum Principum, & Sapientum effata. Eiusmodi illud Tiberij: *Boni pastoris esse tendere pecus, non de glubere.* Nimirum, ut accipiat Princeps id quod par est, & dignitatem suam deceat: non autem ultra illud, instar illorum Tyrannorum, quos *ἄνομοι* Græci appellant, quoniam populo abradunt quantum possunt, & in ficum suum convertunt. Alexander quoque Magnus, cum ei displice-

rent exactiones, præsertim eorum, qui à subditis extorquebant ampliores vestigalium redditus, quàm par esset, aiebat: *κρησσον μισῶ τὴν ἑξ' ἑἰσῶν κτέμνοντα τὰ λάχνα.* *Oliværem odium radicibus herbas convellentem.* Nimirum, si exactores quasi arbores cum radicibus evellunt, dum miseris subditis totam substantiam auferunt, in opulentiam Principis, & fisci augmentum. Consonant etiam voces illæ Artaxerxis Logimani, dicere soliti: *Addere, quàm auferre, magis est regum.* Ptolemæus quoque Lagi filius aiebat: *Ditare, quàm divitem esse, convenientius est Principi.* Et Plinius Iunior in Panegyrico illo admirando ac disertissimo ad Traianum: *Quæ tota gloria est, inquit, sæpe vincitur fisco: cuius nunquam mala causa est, nisi sub bono Principe.* Nec minor M. Antoninæ Cæsaris laus, de quo Iulius Capitolinus inquit: *Fisco in causis compendij nunquam iudicans favit.*

13 SED Nec prætermittendæ sunt aureæ Aurelij Calsiodori sententiæ circa eam generositatem animi, quæ Principes abstinere debent à gravandis subditis multo vestigalium onere, & fisco augendo. Lib. I. Variarum epist. 22. scribens nomine Theodoricæ Regis ad Marcellum Advocatum fisci, ait: Non quoties sum peres, sed quemadmodum vincas, inquit, mus. Non quæras de potestate nostra, sed de iure victoria: quando laudabilius à parte fisci perditur, cum iustitia non habetur. Nam si dominus vincat, oppressiois invidia est: æquus verò creditur, si supplicem superat contingat. Ac præterea eodem libro: Fit interdum mala causa fisci, ut bonus Princeps esse videatur. Karò enim utrumque sub admiratione perfectum est, ut & ficus cresceret, & privata vilitas nulla damna perferret. Denique lib. 4. Epist. 37. Clementia fiscalium tributorum iustissimo sunt pensanda iudicio: quia servientium imminutio est huius illationis accessio, quantumque pars illa proficit, tantum se hæc à firmitate subducit, &c.

14 TERTIVM Illatorum est, remunerationem longè maiorem & ampliorem, quæ debetur Principi & Magistratui, ex geometricâ proportionem, in nullo alio sitam esse, quàm in honore, decore, & gloriâ, quæ ijs exhibetur à subditis, prout mensura rectæ rationis exigit. Quòd si verò ijs ea remuneratio angusta videatur, & adhuc ampliorem cultum, aut opulentiam sibi impendi velint, iniustitia consurget, & dominatus erit tyrannicus. Quæ in re intolerabilis fuit elatio quorundam Principum, tum in sacris, tum in prophanis litteris, qui non contenti honore sibi exhibito, summam & divinam adorationem affectarunt, & ab insipiente populo, vel adhuc superstites, vel saltem post fata, *Dij habitari sunt.* De quibus plu-

plura dedimus tom. 1. Theologiae Florul. Lud. VII. & nonnulla indicabimus cap. seq. n. 4.

15 CIRCA Tertiam partem comparatus civile herili, paterno, & conjugali: ac de hoc triplici iure primo docet, non debere dici iustum simpliciter, idque in hunc modum probat. Nulli homini simpliciter iustum aut iniustum esse potest circa id, quod suum ipsius est. Iustum quippe & iniustum simpliciter debet esse *erga se regem, ad alterum*, sive ad personam prorsus aliam, & reiectam. At ius herile, paternum, & conjugale, est circa id quod suum ipsius domini, patris, & viri est: scilicet, circa servum, qui est possessio domini circa filium, qui est veluti portio patris, quandiu sub eius potestate est; aut circa uxorem, quae est veluti pars viri. Ergo ius herile, paternum, & conjugale, nulli homini simpliciter iustum, aut iniustum est. Alioquin esset propria hominis iustitia aut iniustitia erga seipsum, aut, quod pene idem est, erga id quod est aliquid sui. Cui doctrinae consonant Iurisperiti, dum passim aiunt, patrem filiumque pro una & eadem persona reputari: ut habetur leg. 1. Cod. de impub. & alijs substit. l. cum scimus §. ult. de agric. & cens. Et Iustinianus lib. 3. Institut. tit. de inutilibus stipulat. docet, vocem filij esse quasi vocem patris: ibidemque inutiles dicuntur stipulationes hominis in eum qui iuri ipsius subiectus est, quoniam sibi acquirit, cum non sit omnino alter, in quem ius transferat. Consonat hoc dictis supra num. 7.

16 ADDIT Insuper, id qualecumque iustum, quod herile, paternum, & conjugale dicitur, non esse, nec dici ius civile. Quod sic probat: Ius civile est quod continetur lege, & ijs tantum congruit, quibus lex veluti nata, seu natura sua videtur condita. At hi soli sunt, quibus aequaliter competit capacitas ad imperandum aut obtemperandum. Ergo ius civile contentum lege ijs tantum congruit, quibus aequaliter competit capacitas ad imperandum, aut obtemperandum. At ij non sunt, inter quos versatur ius herile, paternum, & conjugale: quoniam inaequales sunt; & alij solum imperant, ut dominus, pater, & vir; alij solum obtemperant, ut servus, filius, & uxor. Ergo ius herile, paternum, & conjugale, quod inter eos cernitur, non est ius civile.

17 DEINDE Comparat tria haec iura inter se, & pronunciat, ius conjugale magis habere rationem iuris & iusti, quam ius herile, & paternum. Quod sic probat. Vbi est maior aequalitas, ibi magis invenitur ratio iuris & iusti. Atqui in iure conjugali est maior aequalitas, quam in iure herili & paterno. Ergo ius conjugale magis ius & iustum est, quam ius herile & paternum. Maior pater: Quia ubi est maior accessus & similitudo ad ius civile, quod est praecipue & simpliciter ius ac iustum, ibidem quoque invenitur magis ratio iuris & iusti.

Tanto enim magis perfecte habetur ratio alicuius generis, quanto magis acceditur ad primum & praecipuum in eo genere. At quanto maior est in iure aequalitas, est maior accessus & similitudo ad ius civile, quod perfectam aequalitatem importat. Ergo ubi est maior aequalitas, ibidem quoque magis invenitur ratio iuris & iusti. Iam minor illa primi & praecipui syllogismi suadet: Quia ubi minus alter alteri subicitur, eo maior virtusque aequalitas est. Atqui in iure conjugali est minor subiectio alterius coniugis ad alterum, quam in iure herili & paterno. Quippe longe magis subicitur filius parenti, & servus domino, quam uxor viro, qui in uxorem solum habet ius aeconomicum, & domus suae praest, veluti Princeps civitatis. Ergo in iure conjugali est maior aequalitas, quam in iure herili & paterno.

18 VERVM Licet nullum ex ijs tribus iuribus sit ius civile proprie aut simpliciter, ut supra ostensum fuit; adhuc vult Arist. in quolibet eorum esse umbram aliquam, aut similitudinem iuris civilis. Aliquam enim analogiam cum eo habet ius illud, quod est inter dominum ac servum: quorum alter alimentum & iustam clementiam, alter obsequium alteri debet. Similiter & ius paternum; in quo parentes filijs debent educationem, alimenta, & defensionem: filij autem parentibus observantiam & pietatem. Et propter violationem huius qualicumque iuris poena aliquando lege imposita fuit. Athenis enim sancitum fuit, ut si quis parentum filios non satis educaret, seu honesta aliqua arte instrueret; ne ab ipsis quidem filijs aleretur ex debito in necessitate aliqua & penuria rerum sibi superveniente. Vide infra lib. 10. cap. 9. a num. 13. Denique & aliquam iuris civilis similitudinem habet, ac maiorem duobus praecedentibus, ius conjugale, in quo maritus debet operam dare augende rei familiari, servando honori domus & familiae, ineundisque contractibus: uxor autem educare pueros, ancillas continere in officio, quotidiana pensa ijs distribuere, & curare atque expolire res domesticas. De quo vide etiam lib. 8. cap. 12. num. 16. & seqq.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 57. art. 4.

item q. 59. per totam, atque illius Interpretes.



CAPVT SEPTIMVM.

De Iusto naturali, & legitimo.

CIVILIS Autem iusti aliud est naturale, aliud legitimum. Et naturale quidem est, quod ubique vim habet eandem, & non quia videtur, vel non videtur Legitimum autem, quod à principio quidem nihil refert, sic an aliter habeat: cum verò positum fuerit, refert. Quale est, mina captivos redimi, vel capram dijs, sed non duas oves mactare: & etiam ea, quæ de singulis lege iubentur, vt sacra Brasidæ facere, & quæ publicis decretis instituntur. Videntur autem quibusdam omnia talia esse: propterea quòd omne, quod natura constat, immobile est, & vim eandem habet ubique: sicut ignis hic, & apud Persas vrit: iusta autem moveri vident. Verum hoc non ita sese habet, sed aliquo modo. Atque apud deos quidem nihil vllò modo forsitan est, quod ita sese habet. Apud nos autem est quidem aliquid, etiam natura constans, mutabile, verum non omne. Attamen aliud est natura, aliud non natura. Patet autem, quidnam eorum, quæ possunt, & aliter se habere natura, & quid non, sed lege, ac instituto, siambo mutari similiter possunt. Et ad cætera eadem accommodabitur definitio. Dextra nanque manus, validior est læva, natura: & tamen fieri potest, vt omnes evadant apti ad utendum manu sinistra perinde ac dextra. Iusta autem ea, quæ ex instituto sunt, & ob utilitatem, similia sunt mensuris. Non enim omnibus in locis æquales sunt vini, triticique mensuræ: sed vbi quidem emunt, maiores sunt: vbi autem vendunt, minores. Simili modo & ea, quæ non naturalia sunt, sed humana iusta, non eadem sunt ubique. Nam neque Respublicæ: sed vna tantum ubique secundum naturam est ipsa optima. Vnumquodque autem iustum, & legitimum, vt universale sese habet ad singula. Etenim ea, quæ aguntur, sunt multa. Vnumquodque autem illorum est vnum: est enim universale. Interest autem inter iniuriam, & iniustum, & inter ius, & iustum. Iniustum enim est natura, vel instituto. Id autem ipsum, cum actum fuerit, iniuria est: antea verò, quam sit actum, nullo modo est iniuria, sed iniustum: pari modo & ius. Vocatur autem magis iuris actio ipsum commune: ius autem, iniuriæ emendatio. Quæ verò & quot species vniuscuiusque ipsorum sint, & circa quæ versantur, considerandum est postea.

SVMMA.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Iusti politici, seu civilis partitio in naturale & legale, atque utriusque comparatio cum singularibus.



DICTVM Est capite præcedenti de iure civili comparato cum alijs tribus generibus iuris minùs proprij. Nunc verò ipsum civile ius in partes suas distribuitur. Caput duabus partibus constat: in quarum priore iustum politicum secatur bipartitò in legale & naturale: posteriore, iustum politicum comparatur cum singularibus.

2 **CIRCA** Priorem partem dividit Arist. ius civile, seu politicum, in naturale, & legitimum, seu legale, quod & positivum dici solet, quia ponitur seu constituitur ab hominibus, & lege decernitur. Ac primo quidem ius naturale quoddam sit, ostendit, tum à priori & per causam, tum à posteriori & ex effectu. Ex causâ: quia ius naturale ex propriâ ratione, seu quidditate suâ, vim habet: non autem ex eo quòd ab hoc vel illo decernatur, iustumve existimetur. Habet enim ius naturale veritatem & rectitudinem sibi insitam: atque adeò non pendet vel ab arbitrio, vel ab opinione hominum, ut iustum sit. In quo nimium dissidet à iure legitimo, cuius est opinio, & sententia hominum: ut docet idem Arist. lib. 1. Elench. cap. ult. circa finem, ubi ait, legem esse νόμος, quo nomine ibidem non accipit dignitatem, splendorem, maiestatem, gloriamve, ut sæpe alias; sed opinionem, sive sententiam, qualiter & apud Platonem in *Minos* accipitur νόμος ὡς νόμος, id est, opinio civitatis. Ac Tullius lib. 2. de Invent. inquit: *Natura quidem ius est, quod non opinio genuit, sed ianata quadam vis asserat: ut religionem, pietatem, vindicationem, veritatem.*

3 Ex effectu quoque, sive à posteriori, ostendit Arist. quoddam sit naturale ius: nimirum, quòd ubique vim habeat, nec certo alligetur loco. Non enim aliud Athenis, & aliud Romæ, sed utrobique idem, ut eleganter Cicero docet apud Lactantium lib. 6. cap. 8. Sub eademque loci notâ comprehendi potest diurnitas temporis, seu perpetuitas. Nullis enim ætatibus, aut sæculis alligatur rectitudo & veritas naturalis iuris, sed æterna atque invariabilis est. Quâ de re legendus Sophocles in *Oedipo Tyranno*, & Iustinianus §. 1. Instit. de iure nat. gent. & civili. ubi ita loquitur: *Sed naturalia quidem iura, quæ apud omnes gentes pervæque observantur, divina quadam providentia constituta; semper firma atque immutabilia permanent.* In quo etiam ius naturale plurimum differt à legali: quod nec ubique vim obtinet, sed in unâ aut alterâ civitate, provinciâ,

aut Regno: nec perpetuum & semper constans est, sed pro varietate & opportunitate temporum, sicut & locorum, variatur. De quo infra cap. 10.

4 **VERVM** Præter eas notas, quibus utrumque ius invicem discernitur, generatim assignat Arist. propriam rationem iusti legitimi, ut sit illud, quod solâ lege constituitur, neque ante conditam legem habeat ullam vim interitive, utrum hoc aut illo modo res agatur: post le vero statutam plurimum e regem sit, an agatur hoc, vel illo modo. Nimirum, ante conditam legem præcipientem, nec actio habebat rationem iusti legitimi, nec omisio rationem iniusti: lege autem statutâ, actio illi conformis dicitur iusta, & iniusta omisio. Quod triplici exemplo illustrat. **PRIMUM** est Lacedæmoniorum, apud quos in bello Peloponnesiaco contra Athenienses lege sancitum erat, ut captivi unâ tantum minâ, sive librâ, id est, centum denarijs, redimerentur: cum tamen ante eam legem liceret maiori etiam pretio captivos redimere, prout hostibus libuisset. Monet tamen Giphanius, id paulò aliter referri ab Herodoto in *Erato*, & Thucydide lib. 5. asserentibus, lege Lacedæmoniorum constitutas fuisse duas minas ad quemlibet captivum redimendum. **SECUNDVM** exemplum est Afrorum, sive Thebæorum in Ægypto: apud quos lege cautum erat, ut Iovi capra immolaretur, non autem oves duæ sicut antea. Iovi, inquam, ut conjiciunt Muretus lib. 8. Var. lect. & Lambinus, hoc loco: colligiturque ex mente Arist. infra lib. 8. cap. 10. ubi nominatim fit mentio Iovis. Consentitque narrationi Herodotus paulò antè allegatus, in *Euterpe*: ubi testatur, Afros hunc honorem Iovi habuisse, ut rem divinam facerent, non ovibus, sed caprâ. **TERTIUM** exemplum asserit, non in lege communi, sed in decreto quodam singulari Amphipolitarum præcipientium, ut sacra fierent, & divini honores haberentur Brasidæ Lacedæmonio, Imperatori fortissimo, iam mortuo in bello Peloponnesiaco, ubi fortiter, iuste, & temperanter in gradu pene heroico aut divino se gesserat, & Amphipolitas ipsos ab omni hostium irruptione defenderat: ut Thucydides loco indicato scribit. Ideoque Plato in *Symposio* Brasidam ipsum Achilli comparat, ob animi fortitudinem, & corporis robur. Pausanias quoque in *Laconicis* testatur, ipsi concessam fuisse honorarium sepulchrum. Similes quoque honores Arato Sicyonio, tum viventi, & defuncto habitos, refert Plutarchus in *eius vita*. Huic generi legum circa singularia adiungit Arist.

ea, quæ Græci dicunt *ἄσπιγαρα*, nos autem, aut cum Cicerone *licita*, aut cum alijs *plebiscita* appellare possumus: quoniam sunt privatae leges, quas *plebs*, *plebeio Magistratu interrogante*, veluti *Tribuno*, *constituebat*: ut habetur in Instit. loco supra allegato, §. constat, & traditur l. 2. ff. de orig. iuris, viderique potest apud Gellium lib. 10. cap. 2. & lib. 15. cap. 27.

5 DEINDE Obijcit sibi existimationem aliquorum, quibus nihil erat iustum, nisi lege sancitum esset. Non enim arbitrabatur iustum id, quod mutari non potest, sed ubique obtinet inconcussam vim. At quidquid naturale est, seu insitum à naturâ, mutari non potest, sed ubique obtinet inconcussam vim: ut ignis, qui ubilibet vrit, neque id amittere unquam potest, quoniam ea ipsius natura est. Ergo neque iustum esse potest id quod naturale est, sive insitum à naturâ. Nullum igitur est ius, sive iustum naturale: sed quidquid iustum est, lege sanciri debet, & mutabile esse, pro varietate locorum ac temporum. Sic furta & sculentorum apud Spartanos ingenua habebantur, quæ tamen apud ceteros turpia censentur. Sic apud Athenienses capitali pœnâ dignum fuit non adherere alteri factionum, in quas populus dividebatur, idque ex lege Solonis: apud alias vero nationes, nominatimque inter Romanos, laudi id imputabatur. Itaque aliqui opinati sunt, iustum illud solum esse quod mutabile est, & variabili lege caveretur, atque ab opinione hominum penderet. Quæ existimatio tribuitur Archelao Socratis magistro, Aristippo, Callini Sophistæ, & Epicureis omnibus: ut constat ex Laertio, Platone in *Gorgia* & *Minore*, ac lib. 1. & 10. de *Legibus*.

6 HVIC Obiectioni, sive quæstioni (quam discutiunt Alexander Aphrodis. lib. 2. de *Animâ*, & Simplicius in *præfatione Physicæ acroasæ*, atque olim Cicero exagitative traditur apud Lactantium lib. 5.) occurrit Aristoteles, concedendo aliquam eius partem, & negando alteram. Cum enim in eâ opinione asseritur, naturalia esse immutabilia, si id de omnibus simpliciter accipiat, falsum est: si de aliquibus, verum. Nimirum, natura Mentium, sive Intelligentiarum celestium, & ætherium terrenæ concretionis, quas hoc loco Arist. ut & sæpe alias, cæterorum more Gentilium, Deos vocat, nulli mutationi temporum est subiecta: ideoque si de ijs intelligatur, quod natura insitum est, immutabile existere; vera existimari debet opinio illa. Cæterum universè accepta, falsitatis convincitur: cum ea quæ apud nos naturalia sunt, mutationibus obnoxia sint, aut per se, aut per accidens. Quippe naturale homini est ut duas habeat manus, quarum dextera fortior sit, sinistra debilior: id tamen non ita firmum ratumque est, ut aliquando non contingat oppositum: qualiter accidit, cum quis

nascitur cum vnicâ manu, aut exercitio diuturno sinistra maiorem fortitudinem in eâ comparavit, quàm in dextrâ habeat; aut denique æqualem in utraq; qualem habent qui dicuntur ambidextri.

7 ITAQVE Plurima in hisce rebus materiæ concretis sunt naturalia, quæ tamen aliquando deficiunt, aut mutantur. Quare nihil mirum si aliqua sint etiam in operabilibus recta & iusta, quæ tamen interdum mutationi obnoxia sint. Exemplo manifesto est redditio depositi, naturaliter quidem recta & iusta; quæ tamen interdum variationem exigit: ut si furiosus repetat eum, quem apud te deposuit, nec debes, nec iure potes depositum reddere ipsi quandiu furiosus est. Falso ergo dicitur in eâ opinione, omnia naturalia esse immutabilia: cum pateat, & in physicis, & in operabilibus, quædam illorum mutationem admittere. Ergo quævis id quod iustum est, aliquando mutetur, malè exinde colligitur, non esse id iustum naturale. Quippe tam eâ parte quâ iustum, quam eâ, quâ naturale est, mutari saltem per accidens potest. Nulla igitur ratione sufficienti excluditur iustum naturale.

8 DEINDE Excitat aliam quæstionem, ex præcedentis solutione ortam, in hunc modum. Si non solum ea quæ iuri legitimo seu positivo conformia sunt, sed etiam quæ iusto naturali cœsentur, mutari possunt, ut paulò antè dictum est, quæ erit nota ad discernendum utraque iusta; seu quomodo distinguem⁹ iustum legitimum à naturali? Huic autem dubitationi occurrit Arist. exemplo dextera, quæ naturâ suâ fortior est, quâ levia, licet oppositum evenire interdum aut sæpius per accidens possit. Sic etiâ, quæ naturâ suâ, & ante omnem sanctionem, sive legem ab hominibus impositam, iusta sunt, ideoque apud omnes, aut fere omnes Gentes servantur, iusta naturalia sunt; licet apud aliquos fortasse, & ex accidenti, non servantur. Quæ autem solâ hominum lege præcipiuntur, idque non ubilibet, sed in vna aut alia civitate, aut provinciâ; vel non in perpetuum durât, sed ad tempus dumtaxat; ea iusta legitima habentur. Quod declarat exemplo in mensuris esculentorum & poculentorum, quæ variè sunt apud alios atque alios populos, & ab emptore quidem maiores quærentur; à venditore minores. Illam demum Rempublicam melius constitutam pronunciat, quæ magis secundum ius naturale ordinata est.

9 CIRCA Posteriorem capitis partem comparat iustum civile, seu politicum, cum singularibus. Ut autem id facilius intelligatur, notandum est, Aristotelem, dum loquitur de Iustitiâ, & de iusto, sæpe uti vocabulis magis inter se similitudinem habentibus. Eiusmodi sunt, iustum, & iuste factum: Iustitia, & iusta actio: iniustum, & iniuste factum: iniusti-

sticia, & iniusta actio: iustum, & ius. Nunc verò ut clarius appareat quid vnumquodque eorum significet, accedit ad ipsam iuris civilis appellationem, & asserit, iustum civile accipi ut aliquid commune & generale: ut Deum colendum esse: Legatos, sive Oratores Principum & civitatum tutos esse oportere: depositum reddendum esse: aliaque ijs similia. Eiusmodi autem iuribus, veluti communibus, singularia quaedam subijciuntur, ut species generi. V. g. depositum esse reddendum, est vnum ex ijs generibus iurium, sub quo continetur multiplex redditio depositi, & circa varias personas, veluti species aut forma multiplex: idemque est de alijs. Quare duo illa genera, seu membra, in quæ initio capitis fuit divisum ius civile; nimirum, iustum naturale, & iustum legitimum; quamvis peculiaria videantur, verè communia sunt, quæ sub se continent plures species, sive formas operum secundum Iustitiam factorum. Operationes enim ex Iustitia profectæ continentur primùm sub illâ amplissimâ & communissimâ ratione iusti civilis, prout abstrahit à naturali & legitimo: deinde aliæ illarum sub iusto naturali, aliæ sub legitimo, tanquam diversis generibus: & deinde quælibet earum sub peculiari ac restrictiori quodam genere intra ambitum iusti naturalis, aut legitimi.

10 HINC Proceedit ad assignandam differentiam ex vno capite inter iniustum, & iniuste factum, sive iniustitiam; atque ex altero inter iustum & iuste factum. Iustum enim & iniustum significat aliquid in genere, & quasi in abstracto iustum aut iniustum, pro priori ad exercitium ipsius, sive ante operationem in re positam. Cæterum iuste factum & iniuste fa-

ctum, significat illam ipsam rationem communem sub his aut illis circumstantis positam in exercitio. Iustum enim v. g. quasi univèrsè & in abstracto est, depositum reddere: iuste factum verò, cum reipsâ depositum hic & nunc redditur. Similiter iniustum est generatum & in abstracto negare depositum: iniuste verò factum, negare illud hic & nunc exigenti. Idque non modò locum habet in iusto naturali, sed etiam in legitimo. Præterea, cum ratio communis & univèrsè accepta præcedat singularem, sive contractam; prius est aliquid iustum aut iniustum esse, quam sit iuste aut iniuste factum: quia ratio iusti & iniusti est communis & generica; ratio autem iuste facti, aut iniuste facti, singularis est, & peculiaris. Denique ipsum iuste factum, dici solet iustitia: sicut & iniuste factum, iniustitia.

11 ADDIT Autem, rectè à nobis iustum dici, quidquid reipsâ, seu in exercitio iuste fit, sive factum est: & observat, quandoque usurpari ad significandam correctionem iniuriæ: ut quando dicimus, iudicem reddidisse aut fecisse iustum, vbi emendavit aliquod maleficium. Plerumque tamen iuste factum solum dicitur opus iustum in re positum, sive ad distribuentem, sive ad commutantem Iustitiam spectet. Omniaque iuste facta, ad quamcumque ex ijs Iustitiæ speciebus pertineant, *δικαιον γὰρ ἡμᾶρα* nominat. Cæterum iusta illa, quæ fiunt à iudice, aut Magistratu, alienam iniuriam vindicante, & faciente passo, sive offenso, *δικαιώματα*, id est, *restitutiones* vocat, veluti correctiones iniuriarum.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 57. per totam, & illius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM.

De triplici nocumento, quod alijs irrogatur.



VVM Autem iusta sint, & iniusta ea, quæ diximus, iniuriam quidem quispiam facit, & ius agit, cum ea sua sponte agit: sed cum invitus, non iniuriam facit, neque ius agit. Agit enim ea, quibus accidit, ut sint iusta, aut iniusta. Iniuria autem, atque iuris actio tunc est, cum à sponte agente fit: tunc enim vituperatur, & simul tunc iniuria est. Quare erit quid iniustum quidem, sed nondum iniuria, si non à sponte agente fit factum. Equidem id à sponte agente fieri dico, (quemadmodum & prius est dictum) quod quis-

quispiam in se situm sciens agit, & non ignorans, neque quem, nec quo, neque gratia cuius: ut quem pulsatur, & quo, & gratia cuius: & unumquodque illorum neque per accidens, neque vi: ut si quispiam vi movens manum ipsius alium pulset. Sponte enim ipse tum sua non pulsatur, quippe cum non sit in se situm. Fieri etiam potest, ut qui pulsatur sit pater: ipse autem sciat quidem illum hominem esse, vel aliquem eorum, qui adsunt, ignorare autem esse patrem. Idem dicendum est & de eo, gratia cuius agitur, & circa totum etiam actum. Quod igitur ignoratur, aut non ignoratur quidem, non est autem in ipso situm, sed vi fit, id omne agitur ab invito. Et eorum enim, quæ nobis natura competunt, complura scientes agimus, atque patimur, quorum nihil aut nostra sponte, aut invito fit nobis: ut senescere, aut mori. Est autem in iniustus, ac iustus similiter id, quod per accidens dicimus. Nam si quispiam depositum invito, & ob timorem reddiderit, non est dicendum hunc iustum, aut ius agere, nisi per accidens. Similiter est dicendum, & cum iniuriam facere, atque iniusta per accidens agere, qui cogitur, atque invito non reddit depositum. Eorum autem, quæ sponte agimus, alia cum electione agimus, alia sine electione. Ea cum electione agimus, quæ antecessit deliberatio. Ea sine electione, quæ non antecessit deliberatio. Cum igitur læsio sit in societatibus triplex, tunc sunt cum ignorantia peccata, cum quispiam egerit, aut circa quem, aut quod, aut quo, aut gratia cuius agere non putavit. Nam aut non percutere, aut non hoc, aut non hunc, aut non gratia huiusce putavit: sed accidit id, cuius gratia non putavit, ceu ut non ut vulneraret, sed ut pungeret, aut non quem, aut non modo hoc. Atque cum extra rationem fit læsio, infortunium est: cum non extra rationem, sine tamen vitio, peccatum. Etenim peccat quidem quispiam, cum in ipso est principium causæ: adversa verò fortuna vititur, cum est foris. Cum autem sciens quidem, sed non deliberatione præmissa quispiam lædit, iniuria est. Cuius generis ea sunt universa, quæ per iram efficiuntur, aliasque animi perturbationes, quæcumque necessario vel natura hominibus accidunt. Hæc enim iniuriæ sunt. Atque ij, qui ob hæc nocent ac peccant, iniuriam quidem faciunt, tamen nondum ob hæc ipsa sunt iniusti vel pravi. non enim nocent ob pravitatē. Sed cum nocet quis electione, iniustus est, atque pravus. Quapropter perrectè ea, quæ proficiuntur ab ira, non diiudicantur ex providentia fieri. Non enim is incipit, qui facit ira, sed is, qui provocavit ad iram. Prætereà non fit in talibus controversia si factum sit, necne, sed si iure sit factum. Ira namque ob apparentem oriri iniustitiam solet. Non enim de facto perinde, atque in-

com-

commercijs contendunt, vbi necesse est alterum improbum esse, si non di faciat oblivione: sed de re convenientes, iure, an iniuria sit factum, disceptant.

Qui autem fecit insidias, non ignorat. Quare alter putat iniuriam pati, alter non putat. Quod si electione nocuerit, iniuriam facit. Atque his iam iniurijs est iniustus, qui iniuriam facit, cum comparationem rationum, aut æqualitatē transgreditur. Pari modo iustus etiam est, cum ius agit electione. Ius autem agit, si solum sua sponte agit. Eorum autem, quæ ab invitis fiunt, alia sunt venia digna, alia non itē. Nam ea, quæ non solum ignorantes, sed ob ignorationem etiam faciunt, ignoscenda sunt. Sed ea, quæ faciunt non ob ignorationem, sed ignorantes quidem, ob affectum non naturalem, neque humanum, non sunt venia digna.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Non esse vnum & idem iuste aut iniuste agere, ac ex Iustitia, vel iniustitia: utramque etiam esse posse absque eo ut quis iustus aut iniustus dici debet. Quando & quomodo iuste aut iniuste factum cum iustitia aut iniustitia a gentis coniungatur.



EGIT Arist. supra cap. 6. de factis iustis & iniustis, quorum causâ quis iustus aut iniustus denominatur. Nunc idem ipsum vberius peruestigat, accuratâ factorum divisione in ea,

quæ sponte, aut invito fiunt; dque eo consilio potissimum, ut dignoscatur, quinam sint iuste aut iniuste agentes. Dividitur caput in quatuor partes. In primâ docet, interdum aliquid fieri iuste aut iniuste absque Iustitiâ, vel iniustitiâ. In secundâ pronuntiat, fieri posse ut Iustitia aut iniustitia sit, & tamen is qui agit, iustus iniustusve dici non possit. In tertiâ quærit, quo tempore iuste factum, aut iniuste, cum Iustitiâ iniustitiave agentis coniungatur. In quartâ denique controversiæ decisionem ex voluntario vel invito petendam monet.

2 CIRCA Primam partem ait, quæ iusta & iniusta sunt, dignosci posse ex ijs quæ iam constituta superioribus sunt, circa proportionem, contrapassionem, seu talionem, ius herile, paternum, & coniugale, ac politicum seu civile, divisum in naturale & legitimum. Similiter & ex dictis cap. præced. n. 10. apparet, quid discriminis sit inter iustum & iniustum, ac iuste factum & iniuste factum. Nunc igitur non iam de iusto & iniusto, sed de iuste aut iniuste factis disserit, ut exinde appareat, quid dicendum sit de iuste facientibus aut iniuste.

3 PRONUNTIAT Igitur de iuste facientibus aut iniuste, tunc eos iuste aut iniuste

facere, appellarique debere iustos aut iniustos, quando sponte ac voluntarie faciunt id, quod iustum iniustumve est: non verò quando invito seu involuntarie id faciunt. quippe in hoc posteriori eventu, summum dici poliunt per accidens iuste aut iniuste agere, eticque ex accidenti iusti aut iniusti, atque omnino improprie: quoniam accidit, seu eventu contingit, ut id quod faciunt, iustum aut iniustum sit. Ratio verò, quâ totum id probatur, breviter indicata, hæc est: quod ad denominationē iusti aut iniusti hominis, & iuste aut iniuste facti, simpliciter loquendo, non tam attendi debeat factum ipsum quasi materialiter sumptum, quam facientis voluntas, & libertas in operando. Ergo vbi hæc non adest, sed necessitas, aut violentia, quamvis factum ipsum materialiter & in re consideratum appareat iustum aut iniustum; non propterea dicitur iuste aut iniuste simpliciter factum, neque ideo operans appellabitur iustus aut iniustus, proprie loquendo.

4 REM Illustrat, tum exemplo, tum & commemoratione doctrinæ traditæ lib. 3. cap. 1. Exemplo, inquam, parricidij, quod per se iniustum dicitur & est: verum si ab ignorante, aut furioso perpetratur, non est iniustum simpliciter, sed per accidens solum, & quò ad factum dumtaxat. Idque constare ait ex dictis loco nuper indicato, vbi decretum fuit, id quod proprie & simpliciter iustum iniustumve est, debere esse voluntarium, non autem involuntarium, seu invitum. Observanda, nimirum, ea doctrina est: quoniam ex distinctione

voluntarij ab involuntario oritur, ut factum denominari debeat iustum simpliciter aut iniustum. Indeque iurisperiti dirimunt plura controversi solita de casu, de fortuitis incendijs, aut ruina, de inundationibus fluminum, de culpa negligentiae, de metu, aut vi, de factis ex impetu irae, aut ebrietatis, & de pluribus alijs, quae disputantur *l. contractus, ff. de Reg. iuris, l. quod Nerva, ff. de depositi, l. aut, ff. de penis, l. si aut certo ff. commodati.*

5 Igitur Doctrinam initio tertij libri traditam redigens in memoriam, mouet, id dici voluntarium, quod quis habens in sua potestate & sciens, ac prudens fecerit, neque quidquam eorum ignorans, quae factum circumstant. Nimirum, ea est voluntarij definitio ibidem tradita per hoc, ut sit a principio intrinseco, cum cognitione circa singula, in quibus est actio. Eas vero operis, circumstantias tunc dicitur quis cognoscere, cum aliquis v.g. pulsans aut interimens alium, non ignorat, quem percutiat, neque quo instrumento, aut modo, aut qua de causa, aut quo fine, siue cuius rei gratia. Ex nanque sunt praecipuae humanarum actionum circumstantiae ibidem fusijs explicatae. Itaque duo omnino exiguntur, ut quis voluntarie simpliciter agat: alterum, ut agenda vel non agenda rei, quam agit, potestatem intra se positam habeat: alterum, ut actionem ipsam, omnesque eius circumstantias perspectas habeat. Alioquin enim actio voluntaria non erit, sed a casu, aut vi facta. Quippe quae fortuito eveniunt, aut vi extrinsecus illata a nobis fiunt, voluntaria non sunt: quoniam priora non sunt praevisa, posteriora autem non procedunt ex principio quod nobis insit. Et utrumque exigitur ad rationem voluntarij: ut, nimirum, actio & circumstantiae sint praevisae, atque operans intra se habeat principium actionis.

6 EXEMPLO Id elucidat: si quis v.g. manu alterius per vim comprehensa verberet alium; ille, cuius propria est manus, non percutiet voluntarie, quoniam percussio sub illius potestate non fuit. Neque obstat quod is sciret quid ageretur, nec ignoraret qualiter actionis: quoniam ultra eam scientiam, siue notitiam, exigitur ut actio sit in potestate agentis, & non per vim facta a principio extra ipsum posito. De quo amplius infra. Nec sufficit ad voluntarium perfectum quod actio sit in potestate operantis, & cognoscatur quod ad aliquas circumstantias, si tamen alia supersit, quae ignoretur ab illo. nam quantum ad illam erit involuntaria actio. Cuius exemplum affert in eo, qui sciens prudens, ac prohibito interficit hominem, quem tamen esse patrem suum ignorat. Is enim proprie non dicitur parricidij reus, sed homicidij, quoniam non patrem, sed hominem novit. Et hoc quidem accipiendum vult de illa igno-

ratione, cui homo voluntariam causam non dedit, siue quae antecedens omnino, & involuntaria est: quoniam illa sola parit involuntarium. Quae vero ignorantia sequitur ex culpa hominis, non excusat, neque involuntariam reddit actionem, aut circumstantiam: quoniam eiusmodi ignorantia in ipso homine sita est, ut modo loquitur Arist. & tradiderat fusijs loco indicato.

17 ADDIT, Nec sufficere ad rationem voluntarij, aut iniuste facti, quod quis non rit actionem & omnes illius circumstantias, nisi praeterea actio ipsa sit in potestate libera operantis. Quod paulo ante indicaverat, in eo qui manu per vim comprehensa alium percutit, sciens se percutere, & quem percutiat. Actio enim illa non est voluntaria, quamvis omnino cognita, & perspecta sit: quia non procedit a principio intrinseco & electione ipsius percutientis, sed ab extrinseco principio inferente vim. Idque praeterea a simili probat: quia multa agimus patimurque, scientes nos ea agere, aut pati, quae tamen nobis voluntaria, aut involuntaria non sunt. Senescimus enim & morimur, id probe perspectum habentes; nec tamen propterea voluntarie senescimus, morimurque, nisi summum per accidens: quatenus, nimirum, possemus aut mortem nobis prohibito consciscere, & violentas afferre manus; aut differre senium & mortem remorari per competentem abstinentiam & sobrietatem vitae.

8 HOC Igitur modo docet accidere in actionibus iustis & iniustis. Sicut enim in naturalibus, quamvis cognoscantur, potest inveniri aliquid quod per se voluntarium non sit, sed solum per accidens: sic etiam in actionibus iustis, & iniustis, quantum est parte materiae secundum se considerata, quamvis cognoscantur, possunt aliqua inveniri, quae voluntariae non sint, ac propterea, nec iuste aut iniuste factae, nisi solum per accidens. Si enim quis reddat depositum, aut pignus domino, sciens se id agere, sed tamen per vim, & non ex electione; actio eiusmodi non erit voluntaria simpliciter, ideoque nec absolute iusta, nisi tantum per accidens; & ex parte solius operis. Similiterque si depositum ipsum aut pignus non reddat, compulsus vi & metu ad id non reddendum; actio simpliciter voluntaria aut iusta non erit, nisi ex accidenti tantum.

9 CIRCA Secundam partem docet fieri posse, ut iustitia vel iniustitia adsit; & tamen is qui agit, iustus, iniustusve dici nequeat. Quare Arist. exponendum assuit, quoniam actio ita iusta, aut iniusta sit, ut vere cum iustitia iniustitiae coniungatur, & per consequens iustum aut iniustum constituat hominem operantem. Id ve edisserat, initium sumit ex partitione rerum quae voluntarie siue sponte fiunt, ut quaedam earum fiant ex praeelectione, siue proarresi; quaedam sine praeelectione. Priora sunt, circa quae consilium & deliberatio praecessit; posteriora autem

circa quæ non præcessit. Quæ duo alijs voci-
bus explicari solent, vt quædam consultò,
quædam inconsultò fiant. Cuius rei exemplum
luculentum est in Milone, de quo Tullius fa-
setur, occidisse quidem Clodium; sed incon-
sultò, & sine deliberatione antegressa; nec tam
ex fine occidendi, quam seipsum tuendi. Quo
casu Milo Clodium spontè quidem & volun-
tariè occidit: verùm inconsultò, quoniam de
eo antè non deliberaverat. Licet enim in qua-
libet earum actionum, quæ voluntariè fiunt, de-
beat esse deliberatio aliqua comitans; non ta-
men in omni actione voluntariâ est delibera-
tio antecedens, iuxta quâ solam consultò age-
re, seu ex præelectione dicimur.

10 EA Divisione statuta, assignat opus
illud iniustum, quod absque iniustitia operan-
tis fieri potest. Assignat verò illud à posteriori,
& ex effectu, sive ex damno, quod eo iniusto
opere inferitur. Scilicet, nulla actio iniusta est,
quæ alijs nocumentum, sive damnum non affe-
rat, sive noxam, sive fraudem. Sic enim ab alijs
atque alijs Interpretibus Latinè exprimitur,
quæ apud Arist. βλάβη dicitur. Triplex igitur
damnum, sive genus noxæ, aut fraudis, esse do-
cet, quod in humano convictu alij alijs infer-
re actione sua solent. Primum damnū est, quod
involuntariè inferitur, quia inscienter: secun-
dum, quod voluntariè quidem inferitur, verùm
non ex præelectione, seu deliberatione ante-
gressa: tertiū denique, quod non solum volun-
tariè, sed ex præelectione ac deliberatione. Primo
modo accidit, cum is qui infert damnum, nec
scit, nec intelligit quid faciat, nec adversus
quem, neque quo instrumento, modo, aut fine.
vt si ignoret patrem suum esse quem percutit:
aut si acuto ferro percutiat, quod existimabat
rotundum: vel si ex fine solum pungendi ali-
quid fecit, cum vulneravit, aut occidit. Secun-
dum & tertium genus inferendi damnum, fa-
tis ex se patet, & præcedentibus explicata
sunt.

11 DEINDE Alteram assignat distin-
ctionem eorum quæ invito fiunt. Quædam
enim eorum ait fieri παραλόγως, id est, præter
rationem, aut consilium: & de ijs docet, non
esse peccata: sed infortunia, aut læsiones, vel
damna fortuita; vt si quis è tecto cadens, oppri-
mat prætereuntem. Quædam autem non præter
rationem fiunt: & hæc tunc peccata sunt,
cū principium & potestas agendi in nobis si-
ta est. Verùm si non præcellerit consilium &
deliberatio circa illa, quamvis peccata sint,
quia voluntariè committuntur, & vitari ali-
quomodo poterant; adhuc tamen non habent
rationem improbitatis, vel sceleris. Ex quo
demum colligitur, neminem iniustum absolu-
tè aut simpliciter dici vel esse, ratione actionis
illius, qua damnum inferit, aut præter intentio-
nem & à casu: aut sine præcedenti consilio &

deliberatione, quamvis non agat præter ratio-
nem. Sola itaque actio illa reddit hominem
iniustum, sive iniuste facientem simplici-
ter, quæ præcedenti consilio, & delibera-
tione damnum alteri, seu iniuriam affert.

12 CIRCA Tertiam partem quæ-
rit, quo tempore iuste factum aut iniuste, cum
Iustitiâ, aut iniustitia operantis coniunga-
tur. Dicitur autem nuper est, quandoque in-
iustitiam esse operationis absque scelere, aut
improbitate, ac proinde insufficientem, vt
hominem constituat iniustum; quandoque au-
tem simul cum illa, ratione præelectionis; idco-
que sufficere, vt iniustum reddat. Nunc verò
probat, posse fieri aliquod opus iniustum, quod
absque improbitate sit, nec eò iniquitatis ac-
cedat, vt hominem iniustum denominet. Pro-
bat autem ferè sic. Quisquis ex ira & pertur-
batione impotenti nocet alteri, agit quidem
iniuste & voluntariè. Nimirum, operationes ex
vehementi perturbatione ortæ non impediunt
vt actio iniusta, & voluntaria sit: vt lib. 2. tra-
ditum fuit. At qui ex ira ex perturbatione im-
potenti nocet alteri, non propterea est sim-
pliciter iniustus. Ergo non quisquis iniuste,
& voluntariè agit, est simpliciter iniustus. Ma-
ior cum consequentia patet. Minorem, sive as-
sumptionem, probat. Nemo operans, abs-
que consilio & præelectione, est simpliciter
iniustus. At quisquis ex ira & impotenti per-
turbatione nocet alteri, operatur absque con-
silio & præelectione. Ergo non est simpliciter
iniustus.

13 CONFIRMATVR Idipsum à sig-
no, sive à posteriori. Vbi enim quis ex ira, aut
perturbatione vehementi, aliquem læsit, non
continuo damnatur à iudice tanquam inius-
tus: quia licet circa factum nulla sit discep-
tatio; adhuc circa ipsum ius, sive modum aut
causam actionis, discutitur. At nulla est eiul-
modi discussio circa ius, sed continuo dam-
naretur, vt iniustus, qui aliquem ex ira, aut
alia perturbatione læsit, si id sufficeret, vt el-
set iniustus. Ergo lædere aliquem ex ira, aut
alia perturbatione, non sufficit vt aliquis co-
tinuo iniustus dicatur. Ergo præterea exigitur,
vt id nocumentum ex consilio & præelectio-
ne inferatur. Cui doctrinæ suffragium passim
ferunt Oratores, & Iurisconsulti: apud quos
aliæ quæstiones sunt circa factum, aliæ circa
ius: vt videre est apud Ciceronem pluribus
locis, præsertim. Orat. pro Milone, Roscio,
& Cæcina. Verùm si quis opus iniustum fa-
ciat ex animi consilio deliberationeque, mo-
net Arist. nihil deesse quominus propriè & sim-
pliciter agat iniuste: quoniam suo iudicio, ac
electione violat æqualitatem Iustitiæ commu-
tantis, & proportionem distribuentis: in quo
nequit non esse iniustitia.

14 CIRCA Quartam partem resol-
vit

vit denique controversiam ex præiacta distinctione voluntarij ab involuntario. Docet igitur, non omnia quæ invito fiunt (accepta ratione invito valde communiter, & prout extenditur etiam ad ea, quæ ex perturbatione fiunt) culpâ vacare, aut ignoscenda esse. Quæ enim ex ignorantia antecedenti, id est, non voluntariâ, fiunt, ignoscenda sunt, quoniâ in ijs negligentia antecedens impedit rationem volun-

tarij. Quæ autem inscienter quidem fiunt, non tamen ignorantia antecedenti, sed consequenti, atque adeo voluntariâ quoddammodo, non sunt ignoscenda. Quod latè & luculenter tradidit loco indicato *ex lib. 3. c. 1. vbi* plura de hoc.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 59. & illius Interpretes.

CAPVT NONVM.

De pati iniuriam.

AMBIGET Autem quispiam si determinatum sit satis, de faciendo, patiendoque iniuriam. Atque si ita sit, vt Euripides inquit, absurdè dicens:

Quæris parentem quomodo occidi meam?

Sermo est brevis, non exitus longos habet.

Volens volentem, vel volentem, non volens.

Vtrum enim re vera sua sponte quispiam iniuriam patiatur, an nemo, sed omnes invito, quemadmodum & omnes, qui iniuriam agunt, sua faciunt sponte? Et vtrum omnes hoc modo, an quidam sponte, quidam invito? Similiter & cùm patiuntur homines ius: nam omnes, cùm ius agunt, sua faciunt sponte. Quare consentaneum est rationi, si militer opponi eos, qui iniuriam, & qui ius patiuntur, vt aut sponte patiantur, aut invito. At absurdum videbitur, si omnes etiam ius pati sua sponte dixerimus. Nonnulli nanque non sua sponte ius patiuntur. Enimvero de hoc quoque quispiam dubitaverit, si omnis, qui passus est iniustum, iniuriam patiatur. An vt in agendo, sic & in patiendore sese habet. Etenim fit vt ad vtrumque peraccidens, ipsa iusta accommodentur: & eodem modo iniusta. Non enim est idem iniusta agere, & iniurias agere, neque iniusta pati, & iniurias pati. Similiter & in agendo, patiendoque ius. Fieri enim non potest, vt patiatur quispiam iniuriam, nisi quis iniuriam faciat: aut ius patiatur, nisi ius quispiam agat. Quòd si simpliciter iniuriam facere, sit sua sponte quempiam lædere: & ipsum, sponte, inquam, lædere, sit lædere scientem, & quem, & quo, atque quo modo: incontinens autem ipse,

sibi ſua noceat ſponte, ipſe nimirum iniuriam patitur ſua ſponte: fierique poteſt vt ſibi ipſi iniuriam faciat. Atque hoc etiam ipſum, vnum quid eſt eorum, quæ dubitantur: ſi fieri, inquam, poſſit, vt ſibi ipſi quiſpiam iniuriam faciat. Prætereà fit, vt ſua ſponte quiſpiam ob incontinentiam ab alio ſponte nocente lædatur. Quare fit, vt ſua ſponte aliquis iniuriam patiatur. An definitio dicta non rectè ſeſe habet: ſed huic, lædere, inquam, ſcientem, & quem, & quo, atque quo modo, hoc eſt addendum, præter illius voluntatem? Læditur igitur aliquis ſua ſponte, patiturque iniuſta. Sed iniuriam ſua ſponte patitur nemo: nemo nanque vult. Neque incontinens ipſe, ſed præter voluntatem agit. Neque enim vllus id vult, quod non exiſtimat eſſe bonum. Incontinens autem id agit, quod non putat eſſe agendum. Qui vero dat ſua, quemadmodum arma Diomedis Glaucus dedit, vt dicit Homerus, Iliad. 3.

Proque novem centum, pro ferro tradidit aurum; is iniuriam non patitur. Dare nanque eſt collocatum in ipſo. Sed vt iniuriam patiatur non eſt in poteſtate ipſius ſitum, ſed is ſit, qui iniuriam agat, oportet. Patet igitur ſua ſponte neminem iniuriam pati. Inſuper ex ijs, quæ propoſuimus, hæc duo reſtant deinceps dicenda, vter iniuriam faciat, iſne, qui plus præter dignitatem tribuit, an is, qui illud habet? Et ſi fieri poſſit, vt ſibi ipſi quiſpiam iniuriam faciat? Etenim ſi ſic illud, quod prius eſt dictum, & qui diſtribuit, non qui plus habet, iniuriam faciat, ſi quiſpiam plus alij, quam ſibi tribuat ſciens, ſponteque, quod quidem moderati homines faciunt (bonus enim, & æquus minora ſibi tribuere ſolet) is profectò ſibi ipſi iniuriam facit. An neque hoc ſimplex eſt? Ex alio nanque bono plus forte conſequitur: vt gloriam, aut abſolutè honeſtū. Solvitur prætereà & per definitionem agendi iniuriam. nihil enim ipſe præter ſuam patitur voluntatem. Quare non iniuriam patitur ob id ipſum, ſed ſi minus capit, læditur tantum.

Patet autem & diſtribuentem iniuriam agere, ſed non eum ſemper, qui plus habet. Non enim is iniuriam facit, cui ineſt iniuſtum, ſed is, cui poteſtas ineſt id faciendi ſponte. Hæc autem eſt vnde eſt principium actus: quod quidem in ipſo eſt diſtribuyente, non in accipiente. Prætereà, cum facere multis dicatur modis, & modo quodam expertia animæ, & manus, & ſervus occidat hero iubente: iniuriam quidem non agit, iniuſta autem facit. Inſuper ſi iudicavit ignorans, non iniuriam facit legitimo iuſto, nec eſt iniuſtum iudicium. Eſt tamen aliquo modo iniuſtum. Aliud enim eſt legitimum iuſtum, aliud primum, & naturale. Sin verò cognoscens iudicavit iniuſtè, plus

habet, & ipſe vel gratiam, vel vindictam. Perinde igitur & is, qui ob hæc iudicavit iniuſtè, plus habet, atque ſi quiſpiam acceperit iniuriæ partem. Nam in illis, qui fundum perverso iudicio tribuit, non fundum cepit, ſed argentum. Atqui putant homines in ſe ipſis eſſe ſitum, iniurias facere. Quapropter & iniuſtum eſſe facile arbitrantur. hoc autem non ita ſeſe habet. Coire nanque cum vxore vicini, & pulſare proximum, dareque argentum manu, facile eſt, & collocatur in ipſis. Sed hæc agere ſic ſe habentes, neque facile eſt, neque in ipſis eſt ſitum. Simili modo cognoſcere iuſta atque iniuſta nullam ſapientiam eſſe putant, propterea quòd non eſt difficile ea, de quibus leges dictant, intelligere. At non hæc ſunt ipſa iuſta, niſi per accidens. Sed tunc ſunt iuſta, cùm quodam aguntur modo, & quodam distribuuntur modo. Id autem difficilius eſt, quàm ea, quæ ſanitatē efficiunt, ſcire. Et ibi nanque mel, vinum, veratrum, aduſtionem, incisionemve ſcire per facile ſanè eſt. Sed quonam modo ad ſanitatē efficiendam, & cui, & quando ſint tribuenda, tanta eſt difficultas ſcire, quanta eſt medicum eſſe. Ob id autem ipſum, & iuſti non minus eſſe putant iniuriam facere, qui a vir iuſtus non minus, ſed etiam magis horum ſingula facere poteſt: vitare, inquam, vxorem cuiuſpiam, & pulſare aliquem, & vir fortis in acie proijcere clypeum, tergiſque verſis fugam arripere. At timidè agere, & iniuriam facere, non eſt hæc facere niſi per accidens, ſed ſic ſe habentem hæc facere. Quemadmodum & mederi, atque curare, non eſt incidere, vel non incidere, aut medicamenta dare, aut non dare, ſed hoc modo ſeſe habentem hæc agere. Iuſta autem in ijs ſunt, qui participes ſunt eorum, quæ ſunt ſimpliciter bona. Habent autem & exuperationem in his, & defectum. Nam quibuſdam non eſt ipſorum exuperatio, vt dijs fortaffe: quibuſdam verò nulla pars eſt utilis, incurabilibus, inquam, malis, ſed omnia nocent: quibuſdam autem vſque ad aliquem terminum. atque hoc eſt humanum.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Rationes utrimque dubitandi, vt cum quis volens iniuriam pati poſſit, necne. Porro diſtribuentem aliter, quàm exigant merita perſonarum, ſemper iniuſtum agere: recipientem verò interdum iniuſtè ſe gerere, quamvis non ſemper.



PROCEDIT Ariſt. ad veſtigandum præcipuè an aliquis volens iniuſtum pati poſſit, ſeu ſponte ſua afficiatur aliquo iniuriæ genere. Dividitur autem caput in duas partes. In prima proponuntur utrimque rationes in id affirmandum, aut negandum. In ſecunda exci-

tatur quaſtio, vter iniuſtus ſit, qui plus alteri diſtribuit, an qui recipit. Deinde & reſelluntur varix aliorum opiniones.

2 CIRCA Priorem partem hæc ferè ratio proponitur, vt quis ſponte iniuſtum pati poſſit. Quæcunque enim relative opponuntur, eiſdem generis ſunt, ſive eodem modo ſe habent. Atqui iniuriam facere, & iniuriam pati,

Græcè ἀδικεῖν & ἀδικεῖσθαι, relativè opponū-
tur: cū alterum fit & dicatur in ordine ad
alterum. Igitur iniuriam facere, & iniuriam
pati, eiusdem generis sunt, & simili modo se
habent. Constat autem ex dictis supra, nemi-
nem iniuriam facere alteri, nisi spontè sua, &
ex electione deliberata. Ergo & nemo iniuriā
patitur, nisi sponte, atque ex voluntaria ele-
ctione. Alioquin actio & passio in iniuria non
essent intra idem genus voluntarij, nec simili
modo se haberent.

3 ALIUNDE Autem irrationabile
videtur, illum qui patitur iniuriam, spōtè pati:
neque aliquid magis alienum à veritate, quam
illud cuiusdam apud Euripidem aientis, ad ex-
cusandum matricidium a te perpetratum:

Meam parentem occidi ego (sermo brevis)

Lubens lubentem, vel volentem non lubens.

Ut Adrianus Turnebus vertit, duplici senario,
ac brevius, quā Argyropilus. Quid enim ineptius,
aut absurdius dictu, quam matrem à filio
interfici volentem, nec ullam in eo iniuriam
pati? Quid etiam magis alienum à veritate,
quam quod quicumque ab alio vulneratur, fla-
gellatur, expilatur, aut contumelia afficitur,
spontè id patitur, & citra iniuriam ullam?
Videtur itaque esse utrimque ratio, ut quis pos-
sit, aut non possit iniuriam spontè pati. Quæ
sanè controversia celebris apud Iuriscultu-
tos est: quibus sæpe quæstionis esse solet, an quis
spontè iniuria afficiatur: ut si quis volens ve-
neat, & alterius servituti tradatur, l. 1. §. usque
ad v. ff. de iniurijs: aut si aliquis velit sibi futu-
ri aliquid, l. inter omnes, §. 1. de furtis: vel si
volens fœmina patitur raptū, l. 1. in fine Cod.
de raptu virginum. Eodemque spectat quod
Theologi nostri discutunt, utrum gloriosi
Martyres, quo quot flagella, convicia, & acer-
bissimos cruciatus libenti & alteri animo sub-
ierunt, verè iniuriā à tortoribus passi sint. Du-
bitatur itaque, an quis possit aut nō possit spō-
tè, seu volens, iniustum vel iniuriam pati.

4 AC Primo quidem quæstionis est,
an quicumque patitur iniustum materialiter, ac
per accidens, dici possit iniuriam pati for-
maliter ac per se. Si enim hæc duo sunt di-
versa, posset responderi rationi nuper propo-
sitæ, cum qui nolens cæditur, aut expilatur,
vel contumelia afficitur, non pati iniustum
formaliter ac per se, sed materialiter & per
accidens tantum. Huic autem dubitationi res-
pondet Aristotel. distinguendo inter iniustum,
& iniuriam: ac proinde inter pati iniustum, &
iniuriam pati. Quemadmodum enim quis agit
invitus, & per accidens, id quod iniustum est,
quin faciat iniuriam; sic etiam qui patitur in-
vitus, potest per accidens iniustum pati, quin
iniuriam patiat. Nimirum, nomine ac re
iniuriæ solum accipitur iniustum per se, ac
formaliter: & quemadmodum potest hoc non

intervenire ex parte agentis, qui invito & per
accidens agit: ita etiam potest non interveni-
re ex parte passi, ut proinde solum patiat ini-
ustum materialiter & per accidens. Cum hoc
tamen optime cohæret, ut quisquis patitur ini-
ustum formaliter, seu iniuriam, non spontè id
patiat, sed invito.

5 HINC Pergit ad præcipuam quæ-
stionem: an, scilicet, quodlibet iniustum pati,
involuntarium sit. Verum antequam contro-
versiam dirimat, definit quid sit proprie iniu-
stum agere. Id verò videbitur, nihil aliud esse,
quam lædere spontè ac scienter. Cū enim
iniustum agere simpliciter, sit aliquid proprie
voluntarium; debet proficisci à principio in-
trinseco agentis, cum cognitione singulorum,
in quibus est actio: ut supra lib. 3. cap. 1. tra-
ditum est: ideoque ubi quis, aut nesciens, aut
invitus, infert aliquid nocenti, non dicitur
per se ac simpliciter iniustum agere.

6 HOC Præmissio, respondet præci-
pue dubitationi, & inferi ex præiacta descrip-
tione iniusti, non omne iniustum pati, esse in-
voluntarium. Aliertum probat ferè sic. Quis-
quis ex incontinentia, aut intemperantia lædit
seipsum scienter & voluntarie, suoque corpo-
ri nocementum infert; is sanè sciens ac volens
agit iniustum in seipsum. Atqui iniustum age-
re, & iniustum pati, cohærent inseparabiliter.
Ergo qui ex incontinentia, aut intemperan-
tia lædit suum corpus scienter & volunta-
rie, agit iniustum in seipsum. Ergo aliquod
iniustum pati non est involuntarium, sed sim-
pliciter voluntarium. Rursus. Fieri potest, &
quandoque accidit, ut non solum a seipso, sed
ab alio, quis iniustum voluntarie patiat: ut
accidit ijs, qui meretricio amore ducti spon-
te sua, ac scienter patiuntur à meretrice ia-
cturam salutis, aut bonorum fortunæ. Er-
go non omne iniustum pati est involunta-
rium.

7 PROPTER Hoc argumentum ad-
dit, ut quis iniustum patiat, non sufficere ut
patiat id, quod est iniustum; sed præterea
exigi, ut sit præter voluntatem ipsius patientis,
seu læsi. Itaque iniustum agere, non solum est
lædere alium spontè ac scienter, sed κατὰ τὴν
ἐκείνου βούλησιν. præter eius, qui læditur, vo-
luntatem. Quare & iniustum pati (quod est
ipsius correlativum) non consistit in patien-
do id, quod iniustum est, dumtaxat, sed ul-
terius exigit, ut sit contra, aut præter pa-
tientis voluntatem. Hinc occurritur diffi-
cultati nuper propositæ in incontinente, &
intemperato, qui videtur sciens, & volens seip-
sum lædere, aut à meretrice lædi. Responde-
tur enim, neminem esse qui perfectâ omnino
voluntate velit seipsum lædere, aut lædi
ab alio, sive iniustum pati. Qui enim ex intem-
perantia lædit corpus suum, vult profectò sibi
ab

aliquid bonum, ſaltem apparens, quamvis impetu perturbationis trahatur ad malum. Nemo enim vult, niſi quod cogitat bonum eſſe. Incontinentis quoque, quamvis liberior ſit ab impetu perturbationis, quam intemperatus (vt infra lib. 7. apparebit) ideoque ſciat malum eſſe inferre ſibi nocuum, tamen dum rapitur impotenti cupiditate, turbationem mentis patitur, & cogitat tunc quaſi bonum, quod paulo antè iudicabat malum. Quare nunquam inferitur, aut intemperatum, aut incontinentem, pati omnino voluntariè iniuſtum illud, ſive malum. quippe quod in ijs circumſtantijs veluti bonum ab ipſo cogitatur.

8 QVI Autem à meretrice læditur ſciens & volens in bonis corporis, aut fortunæ, non patitur iniuſtum præter ſui voluntatem: quoniam ſcienti, & volenti non fit iniuria. Quod exponit Ariſtot. exemplo Glauci apud Homerum *Iliad.* 6. ſpontè dantis Diomedæ arma ſua aurea, ac precioſiſſima, ab eoque recipientis arma ærea, & longè minoris pretij. Perinde enim eſt, ac ſiquis pro ære, aut alio ſimili metallo, daret aurum æqualis ponderis. quo caſu non pateretur iniuriam, ſi id faceret prudens, ac volens. Igitur vt quis iniuriam patiat, non ſufficit iniuſtum eſſe id, quod in ipſum agitur, niſi ulterius ſit præter ipſius voluntatem. Nemo ergo iniuſtum ſimpliciter iudicio, ac voluntate patitur.

9 CIRCA Secundam partem excitat aliam quaſtionem: an, ſcilicet, iniuriam facere cenſendus ſit ille, qui in diſtributione plus tribuit, quam par ſit; an qui plus recipit. Subindeque aliam movet quaſtionem, an ſibi ipſi poſſit quis iniuriam facere. Accedendo ad priorem quaſtionem, proponitur ratio dubitandi, vt is qui diſtribuit præter meritum, nullam iniuriam faciat. Si enim qui dignior eſt, alteri diſtribuat, ſeu det, ſciens ac volens, pluſquam ſibi, non facit iniuriam alteri: cum non tribuat ipſi plus, præter ipſius voluntatem. quod exigitur ad iniuriam inferendam, vt paulo antè dictum eſt. Aliunde vero nec ſibi ipſi iniuriam inferit: cum nemo videatur poſſe ſibi iniuriam facere. Alioqui iniurioſi ſibi ipſis cenſendi eſſent homines probi & modeſti, qui plerumque alijs, quamvis minùs dignis, potiora tribuunt, quam accipiunt ſibi. Ergo qui diſtribuit bona alteri ſupra ipſius meritum, nullam iniuriam facit. Huic tamen obiectioni reſpondet, nihil contra veritatem in ea concludi. Quippe diſtribuens minùs digno plus divitiarum, aut bonorum fortunæ, accipit ſibi bona ſublimioris conditionis & dignitatis: quoniam inde maiorem honorem & gloriam conſequitur, tanquam aſpernator bonorum temporalium,

& rectus virtutis æſtimator ac cultor. Quare nullam ſibi iniuriam irrogat. Sed nec etiam alteri: cum non tribuat ipſi plus, præter eius voluntatem.


10 ALIVNDE Verò addit, diſtribuentem alteri, pluſquam ipſius meritum poſtulet, iniuſtum agere, quamvis non ſemper ille, qui plus recipit, iniuſtus ſit. Id autè tripliciter probat. *Primò.* Non agit iniuſtum is, qui iniuſtum patitur, ſive recipit ab alio; ſed ille tantum qui volens agit, eſtque principium effectivum actionis iniuſtæ. At qui volens agit, eſtque principium actionis iniuſtæ, non eſt qui recipit plus, ſed qui diſtribuit. Non ergo agit iniuſtum qui recipit plus, ſed qui diſtribuit. *Secundò.* Nulla actio iniuſta lædendi tribuitur instrumento, inanimi, ſeu organo, quo fit: vt gladio, lapidi, aut ſagittæ; ſed ſolum cauſæ principii, ſeu animatæ, in qua reſidet principium effectivum actionis. At in diſtributione iniuſta, qui recipit plus, ſe habet quoddammodo vt instrumentum inanime (niſi forte ſuaſione, aut conſilio ſuo quidquã id actionem iniuſtam contulerit) qui autem diſtribuit, eſt cauſa princeps, ſeu animatum principium actionis iniuſtæ. Non ergo qui recipit plus, ſed qui diſtribuit, iniuriam facit. *Tertiò.* Diſtribuens plus poteſt tripliciter agere: invito, ſpontè, & ex electione. Agit invito dum ignorat ius legitimum aut naturale, ideoque malè iudicatur, & pravè operatur in diſtribuendo. Quòd ſi ignorantia ſit naturalis circa ius legitimum, quamvis non iniuſte agat ſimpliciter, quia non voluntariè; tamen id quod agit, iniuſtum eſt. Si autem ſit circa ius naturale, nullo modo excuſat; cum eiſmodi ignorantia ſit voluntaria: ſcilicet alio loco iam dictum eſt, vnumquemque debere ſcire ea, quæ iuris naturalis ſunt. Si autem ſpontè, aut ex electione, plus tribuat, quam iuſtum ſit; planè ſciens & prudens iniuſtum agit. Omnis ergo, qui plus diſtribuit, ſemper iniuſtum agit.

11 HINC Progreditur ad reſellendum tres hominum opiniones, eo tempore celebres. *Prima* erat exiſtantiũ, eſſe faciliſſimũ iniuſte agere: quoniã in noſtra libera poteſtate ſitum eſt adulteriũ, furtum, & alia eiſmodi. Hoc vero dictum reſutat: quoniam licet facile ſit, atque in promptu facere res eiſmodi iniuſtas; non tamen facere illas ex habitu, ſive ex appetitũ, & cum delectatione: quoniam eiſmodi habitus pravus non ſubito acquiritur, ſed tempore, & iterato uſu pravorum actuum. *Secundã* opinio erat aſſerentium, facile eſſe cognoscere, ac ſubinde operari, quidquid iuſtum eſt; ſimiliterque cognoscere iniuſtum, & ab eo recedere. Hanc vero exiſtimationem reſellit. Quia licet facile ſit intelligere verba legis præcipientis iuſtum, & iniuſtum prohibentis; non tamen eſt facile intelligere quo-

modo ; & ſub quibus circumſtantijs lex præcipiat iuſtum, & qualiter illud mandandum ſit executioni. Illuſtrat rem exemplo petito à Medicina: in qua facile quidē eſt cognoſcere vim hellebōri, caurēri, ac ſciſſionis venæ: cæterum ijs viri quemadmodum & quando oportet ad ſalutem agro reſtituendam, tam difficile eſt, ac medicū eſſe eſt difficile. *Tertia* opinio allerebat, virum iuſtum tam facile, ac iniuſtum, poſſe iniuſte operari; cum non minùs perſpectam habeat naturam iniuſti. Hanc autem cogitationē impugnat: Quoniā iniuſtū agere formaliter ac per ſe, non eſt operari utcumque actionem iniuſtā, vt adulteri, furti, homicidij, ſed operari illam ex antegreſſa deliberatione, & cum delectatione parſa ex vitioſo habitu: ſicuti mederi infirmo formaliter ac per ſe non eſt applicare utcumque remedium infirmitati opportunū, ſed applicare illud ex habitu Medicinæ iam adquiſito. Atqui vir iuſtus non eſt præditus habitu iniuſte operandi, ſicut homo iniuſtus. Ergo non poteſt æquè facile operari iniuſtū per ſe ac formaliter, ac homo iniuſtus.

12 DENIQUE Exponit quibus proprie iuſtum inſit: docetque, eſſe eos, quibus poſſunt convenire, quæ bona communiter exiſti-

mantur, vt divitiæ, & bona quælibet extrinſecus accidentia: quia licet ſint longè minora, quàm virtutes & alia bona animi; adhuc tamè bona ſunt viro iuſto, quoniam ijs moderate, ac iuſte vitur, quàmquàm aliàs in ſeipſis exuperantiam ac defectum habere poſſint, ideoque non ſint bona per ſe inſtar bonorū animi, quæ ſemper ac per ſe medium obtinent. Nimirum, cum bona animi nec diſtribuantur alijs, nec eripi per iniuriam ab alio poſſint, inſtar bonorum externorum; merito dicitur iuſtum proprie inſe homini, quatenus capax eſt externorū bonorum, quæ poſſit alijs diſtribuere, & quorū iacturam pati poſſit ab alio. Addit vero, Deus non eſſe iuris & iuſti participes: quoniam ita omnibus bonis abundant abſque vllō exceſſu, aut defectu, vt ijs abuti non poſſint, ſed ſemper utantur ſapienter. Cui rationi poteſt alia adiungi ex *lib. 10. cap. 8.* quod actiones rerum contrahendarū Dijs indignæ ſint. Addit demum, nec iuſtum habere locū poſſe in ijs hominibus, qui omnibus fortunæ bonis abutuntur: ſed in ijs dumtaxat, qui aut ſemper bene, aut quandoque bene, quandoque malè ijs bonis utuntur, quales plerumque & communiter eſſe conſtat hominēs quoslibet.



CAPVT DECIMVM.

De æquitate, & bonitate, æquo, & bono.



DEINCEPS Dicendum eſt de æquitate, & bonitate, atque æquo, & bono, quoniam modo ſeſe habet, æquitas quidē, & bonitas ad iuſtitiam; æquum autem, & bonum ad iuſtum. Nam conſiderantibus neque ſimpliciter idem, neque genere diverſum eſſe videtur. Atque interdum laudamus æquum & bonum, virumque talem. Quare ad alia laudantes transferimus pro bono, ipſum æquius declarantes melius eſſe. Interdum rationem ſequentibus abſurdum videtur, ſi æquum, & bonū (ſi ſit quid præter iuſtum) laudabile ſit. Nam aut iuſtum non eſt ſtudioſum, aut æquum, & bonum, ſi illud ſit à iuſto: aut idem ſunt ſi vtrunque eſt ſtudioſum. Hæc igitur dubitatio ob ea ferè, quæ dicta ſunt, naſcitur de ipſo æquo & bono. Rectè autē aliquo modo ſeſe habent omnia, & nihil prorsus ipſis adverſatur. Nam æquum, & bonum iuſtum eſt, & eſt aliquo iuſto melius, & non vt aliquod aliud genus, melius eſt ipſo iuſto. Idem eſt ergo iuſtum, atque æquum, & bonum. Et vtrunque quidem eſt ſtudioſum: præſtabilius autem eſt ipſum æquum, & bonum. Fit autem hæc dubitatio, quia æquum, & bonum iuſtum quidē eſt,

est, non autem lege, sed emendatio legitimi iusti. Causa autem est, quia lex quidem omnis vniversalis est. Fieri autem non potest, vt de quibusdam vniversaliter rectè dicatur. In quibus igitur vniversaliter quidem dicere necesse est, fieri autem non potest vt rectè dicatur; in ijs lex id accipit quod fit plerunque, non ignorans peccatum. Et est nihilominus recta. Peccatum enim non est in lege, nec in legislatore, sed in ipsa rei natura. Continuo nanque rerum earum, quæ sub actionem cadunt, materia talis est. Cum igitur lex quidem vniversaliter loquitur, in his autem præter vniversale quippiam accidit, tum rectè sese habet, vt ea parte, qua legislator omisit, atque peccavit absolutè locutus, emendetur defectus. Quod & ipse legislator si adesset, hoc modo dixisset: & si scivisset, iubentem legem tulisset. Quapropter iustum quidem est, & præstabilius aliquo iusto, non tamen simpliciter iusto, sed eo quod peccat, propterea quòd simpliciter dictum est. Atque hæc est natura ipsius æqui & boni, emendatio legis ea ex parte, qua deficit ob vniversale. Hæc enim est causa, & vt non omnia sint lege: quia de quibusdam impossibile est ponere legem. Quare decreto est opus. Indefinitæ nanque rei indefinita & regula est: sicut & ædificationis Lesbiæ plumbea norma. Ad lapidis enim figuram mutatur, & non manet. Et decretum ad res ipsas simili modo. Patet igitur quid est æquum & bonum, & esse iustum, & quo iusto præstabilius. Ex quo etiam patet & quisnam sit homo bonus & æquus: est enim is, qui talia eligit, & agit, & qui non exactè iustum in deteriorem exequitur partem, sed immittit, tametsi legem adiutricem ad illud habet. Et habitus hic æquitas, & bonitas dicitur. quæ quidem iustitia quædam est, & non alius quisquam habitus.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Vtrum æquum & bonum sit idem, ac iustum. Epijkiã quid, & quale illius officium. Porro eam esse correctricem legum humanarum conformiter ad ius naturale.



N Hoc capite exponitur quomodo æquum & bonum se habeat ad iustum, de quo hæcenus in superiorib⁹ sermo fuit. Dividitur autem illud in tres partes. In prima proponuntur rationes dubitandi an bonum & æquum sit idem quod iustum. In secunda solvit eas, & exponit quid sit æquum ac bonum. In tertia exponit qualiter illud accipiendum sit, & quomodo vir æquus ac bonus se gerat.

2 CIRCA Primam partem, duplicem dubitandi rationem proponit, vt æquum

& bonum non sit idem, ac iustum. Prior est huiusmodi. Illud quod magis laudari solet, quam iustum, videtur aliud à iusto: quia quod idem omnino est cum aliquo, eandem cum illo laudem, aut vituperium, sortitur. At æquum & bonum magis laudari solet, quam iustum, vt experimento patet. Ergo est aliud à iusto. Posterior autem hæc ferè est. Quoties accipimus aliquid pro bono, & significans idem cum bono, videmur sumere aliud à iusto. Ergo quia bonum & æquum non est idem, ac iustum, sed aliquid diversum. Et hæc quidem pro parte negante. Pro affirmante verò sic arguit. Si æquum

& bonum non esset idem cum iusto, alterum eorum non esset studiosum & dignum laude. At consequens absurdum est, cum certum sit, tam iustum, quam æquum & bonum, esse studiosum & laude dignum. Ergo æquum & bonum est idem, ac iustum.

3 CIRCA Secundam partem statuit, æquum, bonum, ac iustum, recte, & coherenter se habere: solvitque rationes præiactas dubitandi. Nam quamvis æquum & bonum sit correctivum cuiusdam iusti, ac proinde melius, quam illud, non propterea est alienius generis, sed eiusdem. Sic sub eodem genere, & non diverso, animalis collocatur homo atque equus: eum tamen homo præstantior sit. Quare æquum & bonum est iustum quoddam; non quidem emanans à lege, sed ab emendatione legis. Ideoque non est iustum legitimum, sed potius correctivum iusti legitimi, ac propterea melius, quam illud. Omne enim emendativum & correctivum est melius illo, quod emendatur seu corrigitur. At æquum & bonum est emendativum, seu correctivum iusti legitimi. Ergo est melius, quam ipsum. Maior cum consequentia patet. Minor iuadetur & illustratur. Iustum enim legitimum, sive lex, universaliter fertur, & nequit prævenire omnes casus, quibus accidere solet in singulari, ut propter conditionem rerum mutabilium, non obliget, aut reddatur iniusta eius observatio. Quare in ijs casibus opus est emendatione & supplemento, quo ita accipiatur, ut non obliget, nec intelligatur comprehendere ex mente legislatoris talem casum. Eiusmodi verò interpretatio fit ex bono & æquo. Ergo bonum & æquum est emendativum iusti legitimi, sive legis universalis in singulari casu.

4 PRO Cuius penitiori notitia observandum est, leges primo generatim ferri. Præterea de ijs, quæ plerumque accidunt. Denique, earum semper esse quidem *ἄλλεϊματα*, sive reliqua; proptereaque illas aliqua ex parte claudicare, & non prorsus perfectas existere. Porro leges generatim ferri, & non in singulares personas, docet Iuriscultus in leg. iura, ff. de Legibus: idque antea tradiderat Plato in *Politico*, & Aristoteles lib. 3. *Polit. cap. 7. fine*, & lib. 2. *Rhetor. vbi de bono & æquo*, ut in præsentia, disserit: atque initio distinguit Legislatorem à iudice, quod hic iudicium ferat *κατὰ μέρους*, secundum partem, vel de rebus singularis: ille autem *καθ' ὅλην* universè, sive secundum totum. Quare Demosthenes in *Aristogitonē* legem appellat *κοινὴν συνθήκην τῶν πόλεως*, communem Republicæ (pensionem, seu partem): sicuti & Papinianus commune præceptum, l. 1. ff. de Legibus. Et ratio eius doctrinæ est: quoniam, ut sapienter monet Cicero, Legulatores debent curare totum Republicæ corpus, tum præcipiendo, tum & prohibendo; at-

que adeo omnia eius corporis membra, id est, omnes cives, eisdem legibus instruere, atque in officio continere. Cum vero factorum rerumque humanarum, quotquot lege præcipi aut prohiberi possunt, tanta sit varietas, ut omnia illa scripto aut verbo comprehendi nequeant, aut prævideri a Legislatore mortali (facta enim ob varietatem etiam prudentissimos interdum fallunt, ut Iuriscultus docent *Titulo de iuris & facti ignorantia*) consequens est, ut lex solum generatim feratur, & non circa singularia.

5 FERUNTUR Etiam scripto leges circa ea, quæ plerumque accidunt: non autem quæ raro. Hinc nulla à Solone constituta adversus parricidas pœna: utpotè quos minimè arbitraretur futuros. Plato etiam in *Politico* id observat bene circa Gymnasiorum præfectos, qui, cum nequeant præscribere quod cuilibet singularim expediat, ea solum præscribunt, quæ frequenter & ut plurimum convenientia existimant. Quod idem apud Iuriscultos videre est l. 3. 4. 5. 6. item l. 10. 11. 12. & 13. ff. de Legibus. Ideoque inquit Theophrastus, leges spectare quæ *ἐπι τὸ πλείστον*, ut plurimum, accidunt: ut traditur l. antiqui, ff. si pars hæreditatis peratur.

6 DENIQUE Inde oritur, esse semper quædam legum *ἄλλεϊματα*, ut loquitur Arist. lib. 1. *Rhetor. id est, reliqua*: illa, scilicet, quæ scripto legis comprehensa non fuere, nec potuerit ab homine singillatim prævideri, quoniam innumera sunt, & pro temporum ac locorum differentia varietatem subire possunt. Unde & necesse est claudicare leges humanas, non sua aut Legislatoris culpa, sed vitio ipso & mutabilitate rerum sive actionum humanarum. Hac doctrina præmissa, ratio superius tradita,

7 CONFIRMATVR. Illud iustum, quod quandoque deficit, nec semper est utile observatu, interdum eget emendatione ex bono & æquo. At iustum legitimum, seu præscriptum lege universalis, quandoque deficit, nec semper est utile observatu. Ergo interdum eget emendatione ex bono & æquo. Maior est certa: Quia iustum universale, seu commune, de quo loquimur, debet esse ob commune bonum societatis civilis, & ob utilitatem eorum, qui simul degunt. Ergo si quandoque deficiat, & inutile reddatur, indiget emendatione, quæ certè fiat ex bono & æquo. Minor autem iuadetur: Quia iustum legitimum non omnibus casibus providet in singulari, quoniam profertur universaliter res agendas; quæ cum sint mutabiles, & expositæ variationi, possunt quandoque legem ipsam inutilem reddere. Veluti si lex pœnam capitis statuatur peregrinis ascendenti- bus muros urbis; potuit in hoc esse iustum legitimum. At si venerint hostes ad urbem ex-

pugnandam, & peregrinus ascendat murum; urbemque tueatur; corrigenda est lex, ne intelligatur loqui in illo singulari casu. Quamvis enim lex lata, seu iustum legitimum, non fuerit malum; adhuc tamen diminutum censetur, nec sufficienter providisse, quid in eo casu, aliove simili, faciendum esset. Quare tunc iustum legitimum corrigitur à iusto naturali, quod appellamus bonum & æquum. Ideoque in eo eventu non damnatur peregrinus, sed potius intelligitur, legislatorem ipsum, si adesset, probaturum peregrini ascensum in muros urbis, veluti utilem bono reipublicæ: reprobaturum autem observationem legis ad litteram, veluti inutilem ac nocivam communitati. Ergo iustum legitimum, seu præscriptum lege universali, quandoque deficit, nec semper est utile observatum.

8 CONFIRM. Et illustratur secundo. Solius enim primæ causæ est proprium, quod prorsus immutabilis sit. Creaturæ autem omnes aliquomodo mutabiles sunt, & eò magis, quò plus à primæ causæ perfectione distant; præsertim accedente libero arbitrio in bonum & malum, ac terrenâ conditione, quâ omnes homines, veluti aqua, labimur. Inter ea verò, quæ variationem subeunt, maximè variabiles sunt operationes humanæ, quorum plurimæ vno tempore utiles & honestæ sunt, alio verò redduntur inutiles turpesque, pro diversâ rerum opportunitate, circumstantiisque, quas nec homo legislator universim comprehendere potuit, nec lex ipsa paucis verbis prolata (ut ferri leges solent) complecti. Ergo tunc oportet ut lex universalis, sive iustum legitimum, ex bono & æquo corrigatur, sive (quod peius est) à iusto naturali, utpote conformi naturæ rerum ex se mutabili, & variabili. Quare eleganter & sapienter Cicero inquit: Incidunt sæpe tempora cum ea, quæ maximè videntur digna iusto homine, eoque quem virum bonum dicimus, commutantur, fiuntque contraria: ut non reddere depositum, etiam nec furioso facere promissum, quæque pertinent ad veritatem & ad fidem non servare, sit iustum. Referrî enim decet ad ea, quæ posui in primo, fundamenta iustitiæ. Primum, ne cui noceatur: secundum, ut communi utilitati serviatur. Hastenus ille. Nec tamen propterea lex universalis definit esse iusta: quia, ut rectè inquit Arist. in præsentî, *ἀμάρτημα ἂν ἐν τῷ νόμῳ, ἂν ἐν τῷ νόμῳ βέλτερον. ἀλλ' ἐν τῇ φύσει τῶν πραγμάτων ἐστίν. peccatum non in lege, neque in legislatore, sed in rei ipsius natura est: utpote mutabilis, & alterationi obnoxia.*

9 VERVM Notandum, longè aliud esse mutare legem, & ipsam corrigere. Primum accidit, quoties experimento, aliave rationeprehenditur, legem non esse bonam; seu uti-

lem civitati, ideoque abrogatur ab ipso legislatore, seu non admittitur, aut recipitur à communitate, aut rejicitur, veluti noxia, & inutilis; atque adeo nullam vim obligandi habens. Quare eiusmodi mutatio non spectat ad bonum & æquum, de quo in præsentî loquimur; sed ad ipsum legislatorem. Secundum autem contingit, quando non tollitur lex, sed emendatur, ne debeat intelligi universaliter, ut sonat, & nulla distinctione factâ; sed patiatur exceptionem in hoc vel illo singulari casu, in quo non fuit mens legislatoris, aut non præsumitur fuisse, ut obligaret lex absque exceptione vlla: quia si vellet obligare tunc, opponeretur sibi ipsi, quærendo inutilem observantiam legis, habentis pro fine communem utilitatem.

10 CIRCA Tertiam partem describit ipsum bonum & æquum, quod est emendatio, sive supplementum legis universalis in aliquo casu particulari: & docet Philosophus ad id opus esse indefinitâ quâdam regulâ, quâ Lesbiam appellant. In Lesbo enim lapides sunt admodum duri, ita ut difficillimè incidi possint, & aptari ad determinatam figuram, seriève certam & perpendicularem pro ædificijs extruendis, tanquam ad communem mensuram. Ideoque utebantur regulâ plumbeâ, quæ posita supra lapides facillè flecteretur iuxta illorum inæqualitatem; indeque & regula Lesbica in proverbium abiit. Sic igitur in humanis legibus actibusque contingit. Cum enim actus humani, & varij illorum eventus inæquales valde sint ratione circumstantiarum, non possunt omnes regulari per iustum legitimum, seu legem humanam universaliter loquentem, tanquam per communem mensuram. Quare opus est, ut quoties recta ratio id dicat, adhibeatur regula quâdam indeterminata æqui & boni, quæ adapteatur in singulari eiusmodi casibus occurrentibus, ut tot fiant eius regulæ flexiones, quot casus occurrerint. Unde & in illa consistit iustum naturale, quod residet in mente boni & æqui viri, cuius est iudicium in ijs proferre. Ideoque æquitas & bonitas sic merito definiri poterit, seu describi, *iustitia quedam, sive habitus in animo ex electione emendativus eorum, in quibus discernunt leges, quia universaliter late.* Vir autem constans eiusmodi habitu, æquus & bonus dicitur, atque est, ac nullatenus *ἀνισόδικος*, scilicet *summi iuris homo*, ut loquitur Arist. sive, quod peius inde est, exactè iudicium exequens in deteriorem partem. Hoc enim vitio vertitur: quoniam summum ius, summam iniuriam esse, axioma receptum est, à Cicerone, & alijs antiquorum observatum. Æquus autem & bonus vir, non summo iuri adheret, nec durâ ac rigidâ interpretatione standum legibus iudicat; sed illas quasi lenit & emollic, ne durissimum onus im-

ponant, ubi recta ratio excusat ab illarum executione.

11 IPSVM Quoque æquum & bonum plerumque a Jurisconsultis dicitur benigna iuris interpretatio. Quatuor enim sunt, quæ æquo bonoque maxime affinis videntur: nimirum, bona fides, clementia seu humanitas, ius naturale, & eunomolyne. Porro de bona fide Triphonius Jurisconsultus l. bona fides, ff. de positi, & Connanus, *Æquitas, inquit, nihil est aliud, quam legum ipsarum fides. Contradictum autem bona fides, quaedam est dictorum fictorumque nostrorum æquitas*. Clementia autem siue humanitas, non modo affinis est æquitati, utrum & interdum pro vno eodemque cum ea habetur, quasi æquitas nihil aliud sit, quam quaedam clementia. Re tamen verâ differunt: quoniam æquitas est comes & ministra legis, veluti eam subsequens, ipsique consentanea; clementia autem est inimica legi, tanquam impediens eius usum: ut observat Giphanius ex Connano lib. 1. Iuris Civilis cap. 1. Ideoque Augustus Imperator dicitur suos hostes iuste occidisse: Iulius verò in gratiam accepisse, non quidem ex æquo & bono, sed ex clementia, veluti contrariâ legi. De iure autem naturali quantam cum æquo & bono cognationem habeat, patet ex Paulo l. C. l. vi. ff. de Iust. & Iure, illis verbis: *Ius pluribus modis dicitur: vno modo quidem, quod semper æquum bonum est, dicitur, ut est ius naturale*. Consentit Cicero in Topicis, dum ait: *Æquitas est quod ratio naturalis desiderat*. Nimirum, utriusque iuris origo eadem & causa est naturalis ratio: licet id discriminis sit inter utrumque, quod ius naturale per se, atque absolute loquendo, nunquam intelligatur æquum & bonum, nisi comparatè. Ius enim naturale, etiamsi nulla lex esset, inquit Imperator, semper fuit. Æquitas verò esse non potest, nisi adsit lex quæ corrigatur ex bono & æquo. Ius quoque Prætorium maxime affine est æquitati: imò & Romæ, ut observat

idem Giphanius, nullum aliud bonum & æquum fuit, quam ius Prætorium. Denique eunomolyne, qualiter æquo & bono affinis sit, ipse Arist. docet lib. 2. Magn. Moral. c. 2. & infra lib. 6. cap. 11. initio, ubi de Gnome, siue Sententia.

12 PRO Quo observa, quantum ad rem presentem attinet, resolutionem ad prima principia fieri in habitibus practicis, sicut & in specularibus. Porro in his quolibet scientia habet terminos suos præfixos, quos non transgreditur, & insistit principiis, quæ non probantur ab artifice eiusdem scientiæ, sed ab alio artifice scientiæ superioris. Sic itaque fit in practicis, & præsertim in Iustitiâ ipsa, de qua præcedit disceptatio. Iustitia enim legalis, siue circa decreta positiva a legislatore lata, præsupponit principia communia iuris naturalis, spectantia ad intellectum primorum principiorum operabilium: qualia sunt illa: *Bonum est sequendum, & Malum est fugiendum, & Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, & similia. In ijs enim fundantur leges positivæ, eaque præsupponunt, veluti spectantia ad lumen superius rationis naturalis; ijsque præsuppositis sanciant aliquid universaliter circa hoc vel illud genus actionum rerumve humanarum, quæ propter mutabilitatem & vicissitudinem suam, quandoque ita variantur, ut adimpletio seu executio legis positivæ in vno aut alio casu singulari non sit conformis iusto naturali, seu principiis illis universalibus, quæ lumine naturæ innotescunt; sed potius repugnans. Quare tunc vir æquus & bonus quasi subit officium legislatoris, & veluti nomine ipsius supplet defectum legis humanæ, illamque in casu singulari componit cum iusto naturali, seu reducit ad prima principia iuris naturæ, ne ijs villo pacto adverteatur. Itaque vir bonus & æquus est quasi iustum naturale animatum, emendans siue supplens defectum iuris positivi.

VIDE D. Thomam. 2. 2. q. 110. quæ est de Epikia, & illius Interpretes.

CAPVT VNDECIMVM.

De facere iniuriam.

PATET Autem ex ijs, quæ diximus, si fieri possit ut sibi ipsi quispiam iniuriam faciat necne. Iusta enim quedam ex omni virtute à lege sunt ordinata. ut lex non iubet seipsum quenquam occidere: quæ verò non iubet, vetat. Prætereà cum quispiam contra legem lædit non lacessitus, tum is iniuriam sponte facit. Sponte autem is iniuriam

ria n facit, qui scit & eum, cui facit, & modum, quo facit. At qui se ipsum ob iram occidit, sponte id, quod lex non permittit, contra legem efficit rectam: iniuriam ergo facit. Sed cui nam, quæso, an civitati, non sibi ipsi? nam sua patitur sponte: nemo verò sponte iniuriam patitur. Quapropter & civitas mulctat: & instituta est ignominia quædam adversus eum, qui sibi mortem conscivit, ut civitati iniuriam faciente m. Præterea, fieri non potest, ut sibi ipsi quispiam iniuriam faciat ea ratione, qua iniustus est, qui solum iniuriam facit, & non omnino est vitiosus. Hic enim differt ab illo. Homo nanque iniustus est modo quodam, sic pravus, ut ipse timidus, non ut totam habens pravitatem: quare ne hac iniustitia sibi ipsi quispiam iniuriam facit. Nam idem simul ablatum ab aliquo, ac eidem additum esset. quod fieri nequit. Sed semper inter plures iustum atque iniustum esse necesse est. Præterea qui iniuriam facit, sponte agit, & electione, & prior. Qui nanque læsus idem vicissim facit, iniuriam facere non videtur: ipse autem simul eadem patitur, sibi que facit. Præterea, sua sponte quispiam iniuriam pateretur. Insuper sine singulis iniurijs, iniuriam facit nemo. At nemo adulterium sua cum vxore committit: nemo parietem confodit suum: nemo res suas furatur. Omnino autem hoc, sibi, inquam, iniuriam facere, solvitur definitione iniuriam patiendi. Sua nanque sponte patitur iniuriam nemo.

At verò constat, utrumque pravum esse, facere, inquam, iniuriam, atque pati. Alterum enim est, plus, alterum minus habere medio. Quod quidem perinde sese habet, atque in medicina quidem, quod ad sanitatem: in exercendi autem arte, quod ad habitudinem corporis bonam conducit. Peius tamen est, iniuriam facere. Hoc enim cum vitio est, atque vituperatur. Et vitio vel perfecto & simpliciter, vel propè. Non enim omne, quod sponte fit, cum iniustitia est: sed pati iniuriam, sine vitio, & iniustitia est. Pati igitur iniuriam per se quidem minus est malum, per accidens autem nihil prohibet maius esse malum. At non curæ est arti. Sed dolorem lateris maiorem morbum, quam pedis offensionem esse dicit. Quamquam fieri potest nonnunquam contra per accidens, si evenerit ut quispiam offenso pede caperetur ab hoste, & trucidaretur. Atqui per translationem, atque similitudinem est iustum non sibi ad seipsum, sed suorum quibusdam. Non omne autem iustum, sed herile, vel rei familiaris. His enim rationibus distat ea pars animæ, quæ rationem habet, ab ea parte, quæ est rationis expers. Ad quas inspicientibus, ad se ipsum iniustitia esse videtur: propterea quod in his est pati aliquid contra suas appetitiones. Ut igitur est quid iustum magistratum gerenti, & quibus ipse præest, sic & his etiã esse videtur. Sed de iustitia quidem, cæterisque morum virtutibus, hoc sit modo determinatum.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

An possit aliquis sibi ipsi iniuriam irrogare: an etiam vis seu facultas una eiusdem hominis possit committere iniuriam adversus alteram. Ut cum peius facere iniuriam, an pati. Vbi de ijs, qui sibi mortem consejunt.



DISSERIT Arist. hoc loco de quadam Iustitia impropria, & longè alia ab ea, de qua in superioribus sermo fuit. Dividitur caput in tres partes. In prima statuitur, neminem posse esse iniustum propriè & simpliciter erga seipsum. In secunda alierit, malum esse iniustum facere, & iniustum pati; & illud prius per se loquendo deterius esse: fieri tamen posse ex accidenti, ut pati iniustum peius sit. In tertia denique docet, iustitiam & iniustitiam metaphoricam, seu impropriam esse posse inter partes hominis: nullam tamen totius hominis erga seipsum.

2 **CIRCA** Primam partem præmittit, satis perspicuum esse ex dictis, vtrum quis possit sibi iniuriam irrogare, seu iniuste agere contra seipsum. Sæpe enim traditum est, Iustitiam, & iniustitiam oppositam, esse *ωγός τι, ad alterum*: proindq̄ neminem erga se iustum aut iniustum esse posse.

3 **HVIC** Tamen doctrinæ videntur obstare duæ difficultates. **PRIMA** est. Omne id quod nulla lege præcipitur, est iniustum: siquidem quidquid iustum est, per aliquam legem dirigitur & ordinatur. At quod quis percutiat, vulneret, vel occidat seipsum, nulla lege præcipitur. Ergo quod quis occidat seipsum, est aliquid iniustum. Cum igitur manifestum sit quandoque inveniri, qui seipsum percutiat, vulneret, vel occidat, consequens est ut ille faciat iniustum erga seipsum. **SECUNDA** autem difficultas ferè est affinis præcedenti. Quisquis nullo modo provocat, nec *ἀντιβλάπτων*, sive vicissim nocens, infert alteri damnū sciens ac prudens, verè iniustus est erga alterum: quoniam ex consilio seu deliberatione antegressa, & citra ignorationem ullam, transgreditur legem, quæ prohibet inferre nocumentum alteri. Ergo pariter quisquis sciens ac prudens percutit, vulnerat, aut occidit seipsum, verè est iniustus erga se: cum etiam hic ex antegressa deliberatione, & absque ignorantia excusante, violet legem id prohibentem. Potest ergo aliquis iniuriam facere sibi ipsi.

4 **VERVM** Non obstante utrâque dubitandi ratione præiactâ, statuit Aristoteles bimembrem Assertionem. nimirum, occidentem seipsum nullam facere sibi iniuriam, sive, quod perinde est, nullatenus sibi iniustum esse: cæterum iniuriam facere Reipublicæ, seu civitati.

5 **PRIOREM** Asserti huius partem

probat: Quia, ut dictum est cap. 9. huius libri, & per se constare videtur apud omnes, illud propriè nobis iniustum est, quod præter voluntatem patimur: nam sciens & volenti non fit iniuria. Cum igitur quisquis sciens ac prudens occidit seipsum, non id patitur præter voluntatem suam, sed potius spontaneo ac libero suæ voluntatis consensu; evincitur planè illum non esse iniustum adversum se, sive nullam propriè facere sibi iniuriam.

6 **POSTERIOREM** Partem demonstrat à signo. Videmus enim, Principibus ac Reipublicæ bene ordinatæ, moris esse, ut ignominiam aliquâ afficiant eos, qui sibi exitiales manus inferunt: ideoque illos insepultos relinquire, aut alio genere infamiae notare. Quo ipso ultionis genere ostenditur, eos in civitatem peccasse. quippe cui absque autoritate publica & legitima civem abstulerunt. Ergo qui occidunt seipsos, peccant contra Iustitiam legalem, seu iniuriam faciunt Reipublicæ. Nimirum, ut habetur l. liber homo ad l. Aquiliam, nemo membrorum suorum dominus est: omnesque sumus aliquid Reipublicæ. Quare qui seipsum interficit aut mutilat, quasi furri in Rempublicam reus est. Porro pœna apud Ethnicos, statuta, tum Græcorum, tum Latinorum, interficienti seipsum, levior erat, quam per eorum. Arist. hoc loco illam reducit ad aliquod infamiae genus. *Æschynes Orat. in Gt. Siphontem* ait: *Siquis seipsum necaverit, manus qua hoc per egit, abscinditur, & à corpore separata sepelitur.* Apud Romanos quoque solâ infamiam incurrunt milites, & nobiles, qui sibi manus exitiales afferunt, etiam morte non secuta: ut patet ex l. si quis aliquid §. finali, ff. de pœnis, & ex lege omne delictum, §. qui se, ff. de re militari. Verùm apud Hebræos graviores pœnæ erant constitutæ: sicuti & apud Christianos in Concilio Bracharensi l. can. 34. & alijs locis, vbi suffragijs vivorum, & sepultura Ecclesiastica privantur.

7 **RVRSVS** Ostendit, occidentem seipsum nullatenus peccare contra Iustitiam peculiarem (de qua supra cap. 2. huius libri disputatum est) & ut id probeat, præmittit, delinquentem in materia Iustitiæ peculiaris, non propterea esse violatorem omnium Virtutum, sed alicuius certi vitij reum: nimirum, timiditatis, ex qua videtur agere, quisquis a deo pusillo animo est, ut ærumnas huius vitæ tolerare nequeat, ideoque filum vitæ sibi ascindit. Neque enim ideo censetur avarus, arrogans, aut libidinosus: cum multi ab ijs vitij, immunes mor-

mortem sibi consciscant. Hoc autem statuto, disputat ferè sic. Quisquis contra peculiarem Iustitiam peccat, plus aliquid habet, quam iustum sit: quemadmodum & qui secundum iniustitiam peculiarem patitur iniustum, habet minus, quam sit iustum. Atqui nemo potest simul habere plus & minus, quam iustum sit: cù hæc duo pugnantia sint, & ἀσύγχα, ut Græci loquuntur. Ergo nemo potest peccare contra peculiarem Iustitiam, seu pati iniustum secundum peculiarem iniustitiam, erga seipsum.

8 CONFIRMAT Eandem doctrinam. Si enim quis sciens ac volens faceret sibi iniuriam, idem quoque sciens ac volens pateretur iniuriam à seipso. Atqui iam superioribus ostensum est, neminem scientem ac volentem pati iniuriam. Nemo igitur sciens ac volens potest sibi iniuriam facere. *Rursus.* Cùm prius sit iniuriam facere, quam pati, si quis faceret sibi iniuriam, & subinde pateretur, esset utique prior ac posterior seipso, quod planè absurdum est. *Denique,* inductione facta in singulis peculiaris iniustitiæ formis evincitur, neminem esse posse iniuriam sibi ipsi. Nemo enim potest adulterium committere cum coniuge sua: cùm adulterium dumtaxat positum sit in violatione alieni thori. Nemo etiam furti aut latrocinij reus est quòd rem suam accipiat, aut parietem suam effodiat, sed alienum tantum, ac sic de cæteris. Non ergo potest quis erga seipsum esse reus peculiaris iniustitiæ, sed tantum erga alterum.

9 CIRCA Secundam partem diver-rit ad exponendum plenius duo illa, iniuriam facere, & iniuriam pati, & inquit, utrum eorum peius sit. In hac verò questione præmittitur necessariò, verumque id malum esse: cùm eorum tantum, quæ mala sunt, possit vnum esse altero peius. Porro ea duo mala esse, suadetur facile. Nam habere plus aut minus, quam Iustitiæ medium exigat, malum est: cùm omnis recessus à mediocritate sit vituperabilis. Idque speciatim in distributionibus & commutationibus, quæ ad Iustitiam spectant, cernitur: quoniam habent se instar Medicinæ & Gymnasticæ: in quibus medicamentum & exercitatio sunt aliquid malum, quoties à mediocritate recedunt. At quisquis facit iniuriam, habet plus; quisquis verò iniuriam patitur, habet minus, quam Iustitiæ medium exigat. Ergo facere iniuriam, & iniuriam pati, malum est.

10 HINC Pergit ad instituendam comparationem vtriusque, & asserit, peius quid esse iniuriam facere, quam pati. Idque probat: Quia omne id, quod est per se vituperabile, & annexum vitio, peius est illo, quod per se nec vituperabile est, nec vitio annexum. Atqui iniuriam facere est quid per se vituperabile, & vitio annexum; iniuriam verò pati, nec per se vituperabile, nec vitio annexum est. Ergo peius

est iniuriam facere, quam pati. Minor propositio, in quâ dissidium esse posset, videtur manifesta: Quia iniuriam facere, est agere iniustum ex consilio & electione, ut dictum est cap. 9. quod sanè non modò dignum est vituperio, sed opus vitij absoluti & perfecti, quale non est quod ex ira, aut alia simili perturbatione fit: sed tantum quod ex deliberatione antegressu, & electione. Iniuriam verò pati, potius commiseratione, quam vituperio, dignum censetur.

11 ADDIT Autem, fieri interdum, & κατὰ συμβεβηκός, secundum accidens, posse, ut iniuriam pati sit deterius, quam iniuriam facere, ut si, v.g. ex percussione iniuriæ provocatur quis ad inferendum maiores iniurias, quam patitur. Exempla obvia sunt. Patitur maritus coniugis probrâ: indeque ansam sumit ad interimendum familiam innocentem. Princeps quandoque iniuriam patitur in ea temporis occasione, ut dignitas ipsius subeat contemptum omnium, aut vilipendium. Verum id monet Aristoteles, ex eventu esse, sive accidente, cuius nulla arti ratio est, sed eius dumtaxat, quod per se loquendo fieri solet. Medicina enim, instituta comparatione inter dolorem capitis, & ictum pedis, pronuntiat prius malum esse deterius. Fieri tamen ex accidenti potest, offensionem pedis esse peiorem: si quis v.g. ex dolore lateris convalescat, ex offensione autem pedis incurrat in manus hostium, & servitutem patitur. Ita ferè accidisse legitur Gneo Pompeio, Magni illius Pompeij filio: qui victus à Cæsare, cùm fugeret, talum intorsit, proindeque impedito cursu, ab hostibus captus est, & interfectus. Est & aliud exemplum historicum in percussione, seu ictu capitis, qui longè deterius est per se loquendo, quam morsus digiti. Et tamen aliquando accidit, ut quis ex morsu digiti moreretur, ex ictu autem capitis ad summam fortunam conscenderet. Baldus enim ille celebris Iuriscōsultus, & præceptor Benedicti XI. Papæ, ex levi morsu cuiusdam catuli in digito obiit. Contra verò Petrus Rogerius Benedictinus, alias Clemens VI. Pontifex Maximus, cùm in minoribus esset, ingenti vulnere capitis accepto à latronibus, tam admirandam sibi comparavi memorie facilitatem, tenacitatemque, ut quidquid vel semel legisset, nunquam oblivisci posset, ut testatur Spondanus in eius historia. Inde verò ad tantam eruditionem ac doctrinam pervenit, ut primùm Archiepiscopus Rhotomagensis, posteaque totius Ecclesiæ Præsul, electus fuerit. Vbi certe per accidens peior longè fuit morsus digiti in Baldo, quam vulnus capitis in Rogerio. Ita ergo iniuriam pati, potest ex accidenti esse deterius, quam iniuriam facere.

12 CIRCA Tertiam partem con-

cc-

cedit, iustitiam metaphoricam, seu improprie dictam, proindeque & iniuriam metaphoricam inter partes seu facultates hominis diversas. In quo videtur refellere opinionem Platonis in Gorgia, & lib. 4. de Republ. sine, ubi videtur statuere Iustitiam proprie dictam hominis erga se, & vnius partis sive facultatis erga aliam. Constituit enim duo Iustitiæ genera, alterum externum, seu circa alios, de quo nemo dubitat proprie habere rationem Iustitiæ: alterum intimum tribus animæ partibus: nimirum, rationi, iræ, & libidini: in quibus intercedere putat Iustitiam, quam accentum & concentum vocat, quoties ratio dominatur, & duæ aliæ facultates obtemperant, ipsique primatum deferunt, velut superiori.

13 VERVM Iustitiam hanc solum per catachresim aut metaphoram sic appellari, probat Arist. quia ius illud inter animæ partes, vt inferiores superiori obtemperet, ad tumum est instar iuris illius, quod est inter dominum, & servum, virum, & uxorem, patrem, & filium: inter quos inferior deferre debet, seu parere superiori. At huiusmodi ius non est strictè dictum, sed latè & improprie. Non enim est ius illud, quod alteri reddit, quæ sua ipsius

sunt; nimirum, alteri homini, seu nullatenus coniuncto: sed tantum est ius, quo inferior sibi coniuncto superiori defert, atque obtemperat. Ergo nec ius inter animæ partes, vt inferiores obtemperant superiori, est strictè dictum, sed latè & improprie. Immo & adhuc magis improprie ius est, quam inter personas memoratas, tum superiores, tum inferiores: cum illæ sint diversa supposita, & naturâ numericè distincta consent, quamvis politicè vna eademque persona contendantur quò ad plures considerationes. Cæterum facultates animæ, ad eandem naturalem personam pertinent: ideoque longius recedunt à strictâ Iustitiâ, quæ necessario est ad alterum.

14 DENIQUE Hominis erga seipsum nullam Iustitiam esse posse, ne metaphoricam quidem, patet: quoniam illa distinctionem aliquam exigit, saltem facultatum diversarum. Cum igitur homo nullam omnino distinctionem à seipso habeat, nullam quoque Iustitiam erga se habere potest, etiam improprie.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 59. art. 3. ad 2. & q. 64. art. 5. & q. 124. art. 2. ad 1. & 3. p. q. 47. art. 6. ad 3. quatenus ijs locis docet, nemini licere interimere seipsum.

FINIS PARTIS PRIORIS.

INDEX RERVM ET VERBORVM NOTABILIVM, HABETUR in fine Posterioris Partis.

SALMANTICÆ:
APVD LVCAM PEREZ,
 ANNO M. D. LXXV.



PHILOSOPHIA
MORALIS
AB ARISTOTELE TRADITA
AUGUSTINO
A G V I R R E
PHILOSOPHIAE
MORALIS
PARS POSTERIOR:

PHILOSOPHIAE
MORALIS
PARTS POSTERIOR
AGVIRRE
APUD LUCAM PEREZ
ANNO MDCCLXX

PHILOSOPHIA
MORALIS

AB ARISTOTELE TRADITA
DECEM LIBRIS ETHICORVM AD NICOMACHVM:

A IOANNE ARGYROPILO BYZANTINO
LATINE REDDITA:

NVNC PERPETVO COMMENTARIO, LITTERALI ET
SCHOLASTICO, PLENISIME ILLUSTRATA:

AUCTORE

R. P. Fr. IOSEPHO SAENZ DE AGVIRRE,
BENEDICTINÆ CONGREGATIONIS HISPANIARVM GE-
NERALI MAGISTRO, REGII AC SVPERIORIS S. INQUISITIONIS SENATVS CEN-
SORE, ET A SECRETIORIBVS CONSILII IPSIVS, IN SALMANTICENSI ACA-
DEMIA PROFESSORE THEOLOGICÆ LAUREATO, PHILOSOPHICÆ CATHEDRÆ
ANTECESSORE EMERITO, INSIGNIS COLLEGII D. VINCENTIO SACRI
SEPTEM IAM ANNIS PRIMARIO STUDIORVM REGEN-
TE, OLIM ABBATE COLLEGII D. ANDRÆ
DE ESPINAREDA.

OPVS ETHICVM,
PHILOSOPHIS, VTRIVSQUE IVRIS CANDIDATIS,
THEOLOGIS, ET ERVDITIS QVIBVSLIBET, AC VERÆ
HONESTATIS AMATORIBVS, IVCVNDVM
ET PERVTILE FVTVRVM.

QVASI PRAECVRSORIVM AD DISPV TATIONES
ETHICAS EIVSDEM AVCTORIS SEORSIM
ALIO VOLV MINE EDENDAS.

PARS ALTERA
CONTINENS QVINQVE POSTERIORES LIBROS
ETHICORVM.

Catholica Maieſtatis Privilegio, & Superiorum permiſſu.

SALMANTICÆ:

Apud LVCAM PEREZ. Anno M. DC. LXXV.

PHILOSOPHIA
MORALIS

AB ARISTOTELE TRADITA
DECIM LIBRIS ETHICORUM AD NICOMACHAM.

IN IOHANNES ARGYROPOLO BRZANNTINO
LATINE REDDITUM

IN HOC TERETIO COMMENTARIO, LITTERALI ET
PHILOSOPHICO PERFRINGENTUR LIBRI IIII.

AVCTORES

R. P. M. IOSEPHO SAEVY DE AQUIRE
PRAEFATIONE CONSULTATIONIS HISTORICAE DE
PHILOSOPHIA MORALI ET ETHICIS IN HOC
SUIUS A SECTIS HUIUS CONSULTATIONIS IN
DUM PROPOSUIT LIBRI IIII. IN HOC
A SECTIS DE ETHICIS LIBRI IIII. IN HOC
SENTENTIAM ET TITULUM ETHICORUM LIBRI
PER OLM. HOC COLLEGIUM IN HOC
DE ETHICIS LIBRI IIII.

OPUS ETHICVM

ETHICORVM VBI PRIMUM HUIUS CANDIDATI
THEOLOGICAE ET PHILOSOPHIAE LIBRI AD VBI
HONESTATE ET VERITATE HONESTATE
ET VERITATE VERITATE

QUIA TRADITIONEM AD DISTINCTIONES
ETHICORVM LIBRI IIII. IN HOC
ALIO VOLUMINE LIBRI IIII.

PARS ALTERA

CONTINENS QVINGVE POSTERIORES LIBROS
ETHICORVM

PHILOSOPHIA MORALI ET ETHICIS
CATHOLICA ALEXANDRI PAPHLAGIAE
PHILOSOPHIA MORALI ET ETHICIS

SALMANTICA

APUD IVCAM PARENTE. Anno M. DC. LXXV.



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI
D.D. PEIRONVNEZ DE GVZMAN,
MARCHIONI DE MONTE ALEGRE, COMITI VILLÆ-
VMBROSÆ ET CASTRI-NOVI, CALATRAVENSIS OR-
DINIS EQVITI COMMENDATARIO, SVPREMI CASTEL-
LÆ SENATVS PRÆSIDI, AC PRIMO IVSTITIÆ
ADMINISTRO, HISPANIARVM GVBER-
NATORI, A CONSILIIIS
STATVS, &c.



TERVM Venio ad *TE*, nec sine munere
vt mos olim erat aduentibus Persarum Re-
ges. Et certè illud non exiguum est, si argu-
mentum Operis spectes. Regium apparebit,
& propè divinum. Neque enim sublimiorè
PHILOSOPHIAM, quàm *ETHICAM*
didicerunt, aut vnquam professi sunt lectissi-
mi quique Cæsares, Reges, & Principes
magni nominis. Altera hæc illius Pars est, quam non sisto & offero
amplissimæ dignitati Tuæ, aut auctoritati, in Hispania summi æ. Vel si
molem Imperij humeris Tuis impositã excuteres, libenter hoc quid-
quid est obsequij præstarem. Sat mihi esset, egregiæ animæ Tuæ, ac
menti vsque ad miraculum sublimi, ob oculos potuisse pulcherrimum
considerationis humanæ argumentum. Habes in eo, *PRINCEPS*
EXCELLENTISSIME, chrystallinum ac fidele speculum, vbi
contempleris Virtutes Heroe ac Principe dignas. Habes vbi præcep-
ta ac monita legas, vtilia sanè & honestissima, ad summã rerum ge-
rendam, cui indefessè excubas. Exempla passim occurrent in lectissi-
mis Viris, ijs præsertim, quibus Rerum publicarum administratio
commissa fuit. Quin & ad privatam vitam cum laude instituendam,

vix pagina vlla est, quæ animum non informet. Virtutum præcellentissimarum, præsertim Prudentiæ, iustitiæ, & Temperantiæ, totidem ferè regulæ, quot capita, sunt. Felicitas privata & publica, quæ in Parte Priore huius Operis quasi in typo delineata fuit, iam in hac Posteriori vberius exponitur, ac paratur. Nomothetica, seu disciplina legum ferendarum, quæ maximè Tui muneris est, ad extremum describitur lineamentis quibusdam. Invenies, credo, regulis traditum, quod usu ipso, & functione eximiarum Virtutum quotidie exequeris. Quocumquè pervenerint scripta hæc, imaginem Tuam secum deferent. Quascumque Christiani Orbis plagas peragraverint, pariter exemplo Tuo, ac documentis suis, mortalium animos erudient.

ET Certè postquam Priorem Ethicæ Partem inscripsi Excellentissimæ Comiti ac Sponsæ Tuæ, minimè licuit Posteriores hanc Tui Nominis epigrapha non decorare. Monemur enim divinis oraculis non separare quæ Deus coniunxit. Quid autem magis illigatum *TIBI*? Neque vxorio tantùm nomine, seu coniugij legibus, licèt arctissimis. Est insuper nexus à Regio vtriusque sanguine. Est & alius longè arctior ab animorum vna indole, & capacissimarum mentium præstantia. Dixi iam alibi, nec pœnitet, potuisse rerum summam dividi, vt quemadmodum viris præes, sic & ipsa fœminis antestaret. Neque enim minori elogio digna est mens illa de cœlo tacta. Vnicuique itaque Vestrùm ex asse vtramque Operis Partem inscribo. Nolo dividere quod cœlesti Naturæ genio, & eximiarum vtriusque animi dotum, potiùs vnitatem, quàm similitudinem exhibet. Vale, *PRINCEPS EXCELLENTISSIME*, in commune Hispaniarum bonum, & posteritatis documentum. Salmanticæ Propri die Kal. Sextilis, anno Reparatæ Salutis *CIJ. IJC. LXXV.*

EXCELLENTIÆ T. addictissimus cliens,

Magister Fr. Iosephus Saenz de Aguirre.

ILLVS

ILLVSTRISSIMIS, NOBI-

LISSIMIS, ET LITTERATISSIMIS DD. CONSILIARIIS
REGII AC SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS.



VM Nature arcana, specularer Posteriori Physiologiæ Volumine, vnumquemque ferè Vestrum singulari Epistola allocutus sum, ILLVSTRISSIMI DD. Et certè tunc tractabam ea, quæ magis conferrent in oblectamentum animi, quam in solidam vtilitatem honestatemque morum. Nunc iam vbi de vita instituenda in humano convictu dissero, & totius Politicæ fundamenta iacio, oportuit me VOBIS vtilia offerre post iucunda. Philosophiam itaque Morum, seu ETHICAM, ab Aristotele comprehensam aureis illis ad Nicomachum libris, perpetuo Commentario, qua Litterali, quæ Scholastico, explanatam, Vestro simul conspectui atque examini sisto. Potuissent quidem plurimi præstantes Viri in Hispania præoccupare hunc laborem nostrum, & Commentarios edere longè illustriores. Sed tamen nemo id hucusque præstitisse invenitur, quavis in omni aliarum disciplinarum genere tot passim eximios Scriptores Regio nostra dederit, quotidieque proferat. Quare ne Extræ Nationes in nobis desiderarent hanc doctrinæ partem, visum fuit in ea aliquid laboris & industriæ collocare. Vtinam succedant plures alij, qui eandem promoveant, atque indies clariorem reddant. Quanta autem sit illius dignitas, & præstantia, quantumque emolumentum ex eius intento studio sperare possint Philosophi, Theologi, Iuris Candidati, & eruditi quilibet, præterquam quod ex ipsa Operis epigrapha apparet, constabit plenè ex Introductione ad præcipuum Opus, quam præmissimus initio Partis Prioris. Nunc id solùm observasse sufficiat (quod alibi me dixisse memini) potissima Theologiæ Moralis, Iurisprudentiæ, & Politicæ, principia atque effata, innumeris & vastissimis voluminibus sparsa, hisce libris contineri, accurateque explanari. Itaque quidquid ferè circa Virtutes & vitia, atque actus humanos & liberos, eorumque probitatem aut improbitatem, laudem aut vituperium, præmium aut pœnam, fusè traditur à Theologis & Iurisperitis, id certè è purissimis Ethicæ fontibus derivatum est. Quare totam ferè doctrinam hisce libris comprehensam Angelicus Doctõr D. THOMAS in Primam Secundæ, & Secundam Secundæ suæ Theologicæ Summæ transtulit, atque in ordinem ac methodum redegit. Nimirum S. Doctõr perinde quoddammodo se gessit in tradenda Philosophia Morali, ac Theologia. Hanc enim didicit quidè à SS. Patribus, & præsertim à Magno illo AVGVSTINO, quo nihil profundius, subtilius, aut nervosius, ad quoslibet errores debellandos, & veritates fidei confirmandas. Verùm cum tota illa sparsa esset apud Patres, absque vllõ certo ordine (vt ipse inquit in Prologo Primæ Partis, & omnibus notum est) ac pluribus postea sæculis in aliquale Compendium redacta esset à Magistro Sententiarum circa annum CHRISTI M. C. L. totam illam D. THOMAS præcipuè in ordinem ac methodum Scholis accommodatam redegit: indeque cœpit appellari Theologia Scholastica, quæ antea ferè ex integro Dogmatica erat, seu intenta Dogmatibus Fidei stabiliendis. Quare nomine Theologorum Scholasticorum nemo intelligit Veteres illos Patres, quamvis sacræ doctrinæ Procures, & clarissima Ecclesiæ lumina, sed eos tantum qui à tempore Magistri Sententiarum scripserunt in usum Scholarum; præsertim circa ea, quæ sine præiudicio Fidei in vtramque partem disputari solent ac possunt. Horum enim disputationum exigua pars olim Patribus curæ fuit, quod gravioribus controversijs intenti essent adversus Iudæos, Gentiles, & Hæreticos. Eodem itaque ferè modo Angelicus Doctõr Philosophiam Ethicam in ordinem ac methodum disserendi redegit: nisi quod eam illigavit sacræ Theologiæ, miscuitque, prout oportere visum fuit ad tradendam doctrinam divinitus revelatam. Nos autem in præsentem nudam Ethicam tractamus, vt ex toto ferè facilis & plana sit, etiam ijs, qui Theologiam nullatenus didicerunt. Vbi autem opus est cautione aliqua, nequis impingat in vnum aliumve Gentilium errorem hisce libris contentum, levi manu illum declinamus, quantum satis fit in usum Catholici Lectoris. Hunc itaque qualemcumque laborem nostrum æqui bonique consulite, dum aliquantisper laborem intermittimus, vt Disputationes Ethico-politicas, alio iusto volumine comprehensas, in lucem proferamus. Valete, ILLVSTRISSIMI DD. Hispani cœli clarissima sidera, & magnum huius sæculi decus: atque hunc clientem vestrum fovete & honorare pergite.

IN-


INDEX SUMMARIUS
LIBRORVM ET CAPITVM
HVIUS POSTERIORIS PARTIS.

LIBER SEXTVS
ETHICORVM.

CAP. I. De reſtatione, duplici Virtute & partibus anima. Pag. 1.

¶ Oportere plurimum ſcire quid ſit reſtatio, & quibus præſidijs paretur. Aniam intelligentem conſtare duplici facultate: altera ad conſiderandum veritates neceſſarias & immobiles, altera ad deliberandum circa contingentia. An diſtinctio earum facultatum ſit vera & realis. 3

CAP. II. De Principijs agendi. 7

¶ Mentem & appetitum dumtaxat eſſe principium humanorum actuum. Intelligẽtia ſpeculativa & practica qualiter comparentur, & ſuas functiones obeant. Diſiſio poſterioris in activam & operariam. Electio quomodo pendeat à mente & appetitu, & quarumnam rerum ſit. An ſemel à Deo facta poſſint infecta reddi. 8

CAP. III. Habituum intellectualium enumeratio. Quod ſcientia obiectum, & quæ proprietates. 13

¶ Virtutum intellectualium habitus eſſe quinque: Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiã, & Intellectum. Eam porro diſiſionem eſſe exactam. Scientia proprie dicta ex quibusnam cauſis procedat, in qua materia verſetur, & quænam ſit propria illius ratio. 13

CAP. IV. De Arte. 17

¶ Quædam rerum contingentium cadere ſub effectiõnem, quædam ſub actionẽ. Has ſpectari à Prudentia, illas ab Arte, quæ eſt habitus efficiendi opus recta cum ratione. Eius propria functio, quænam ſit, & qualiter comparetur cum Fortuna, atque habitu inertie ſibi contrario. 18

CAP. V. De Prudentia. 22

¶ Prudentie propriam rationem dignoſci ex actionibus viri prudentis, cuius of-

ficia deſcribuntur. Qualiter Prudentia differat ab Arte, itemque ab opinione: & quomodo connectatur cum alijs Virtutibus, præſertim cum Temperantia. 23

CAP. VI. De Intellectu. 29

¶ Intellectum principiorum eſſe habitum quendam Virtutis intellectualis, ſuperadditum intelligentie, eiusque ſtudio & induſtria adquiſitum, ac diſtinctum planè à Scientia, Sapientia, Arte, & Prudentia. Illuſtratur ſententia Ariſtotelis contra aliquos Interpretum, & ab obiectionibus vindicatur. 29

CAP. VII. De Sapientia. 35

¶ Quid ſit Sapientia, tum generatim & late accepta, tum ſpeciatiim & anguſtius. Quæ ratione ſit intellectus & ſcientia honorabiliſſimorum, ac veluti caput habens. Quibus nominibus differat à Prudentia & Politica. Eam in materia longè alia verſari. 36

CAP. VIII. De partibus Prudentie. 44

¶ Quid convenientie & diſcriminis ſit inter Politicam & Prudentiam. Vtriuſque diſiſio in Oeconomicam, Nomotheticam, & Adminiſtratoriam. Confutatio eorum qui exiſtimant Politicã eſſe à Prudentia alienam. Poſterioſem hanc eſſe paratu difficilem, & cur, itemque diverſam à Scientia & Intellectu principiorum. 54

CAP. IX. De Bona Conſultatione. 50

¶ Bona Conſultatio, ſeu Eubulia, quid non ſit, quid etiam ſit. quas conditiones exigat. Qualiter deſinienda & diſiſienda. 52

CAP. X. De Sagacitate. 55

¶ Synexis, ſeu Sagacitas, quid non ſit: quid etiam ſit: quodnam contrarium habeat: & qua ratione comparanda ſit cum Prudentia. 55

CAP. XI. De Sententia. 57

¶ Gnome, ſive Sententia, quid: & qualiter comparetur cum Synexi, ac Prudentia. Intellectum, ſive intelligentiam rerum agen-

LIBRORVM ET CAPITVM.

agendarum, habere rationem principij ac finis. 58

CAP. XII. De utilitate Sapientia, atque Prudentia. 61

¶ Propositis iatio rationibus dubitandi, statuitur, Sapientiam, & Prudentiam plurimum momenti adferre parandæ Felicitati. Prudentiam strictissimo vinculo illicatam esse Virtutibus moralibus: proindeque, sine illa neminem esse posse felicem. 63

CAP. XIII. De nativa Virtute, Virtutum, ac Prudentia connexione. 66

¶ Virtutem moralem nullam omnino exitere absque Prudentia: nec perfectam sine alijs. Sapientiam tamen adhuc præstabiliorem esse, quam Prudentiam. 67

LIBER SEPTIMVS ETHICORVM.

CAP. I. De Heroica Virtute, Continentia, & earum oppositis. 73

¶ Vitium esse contrarium Virtuti, Continentiæ incontinentiæ, Heroicæ Virtuti feritatem, seu immanitatem. Differitur de Continentiæ, & Constantiæ, atque vtriusque extremis. Vbi plura selecta de Virtute Heroica, atque immanitate ipsi contraria. 74

CAP. II. De Contiente, & incontinente. 78

¶ An incontinens sciat esse malum id, quod agit: an etiam prudens esse possit. Differatur contiens a temperato, & incontinens ab intemperato. Similiter, an prior ille sit idem, ac qui persistit in ratione; posterior autem, qui in ea non persistit. Vter prior, intemperatus, an incontinens. An Continentia, & Incontinentia extendatur ad eandem materiam morum. 80

CAP. III. Quomodo pacto continentes agunt. 83

¶ Continentiam, & incontinentiam non in omni materia morum versari, sed in voluptatibus corporis, perinde ac Temperantiam, & intemperantiam. Incontinentem agere quoddammodo scientem, & quoddammodo nescientem. Quomodo eius ignorantia depellenda sit. Quid tandem existimandam de opinione Socratis circa hoc. 85

CAP. IV. Circa que continens & incontinens versatur. 90

¶ Continentiæ, & Incontinentiæ materia quænam sit. Quis dicatur incontinens simpliciter, aut ex parte solum. Comparatio Continentiæ cum Temperantia, & Incontinentiæ cum Intemperantia. Nonnulla de vitio feritatis: eiusque occasione tripartito dividuntur res, quæ voluptatem ingenerant, 91

CAP. V. Quod circa delectabilia præternaturam non sit incontinentia, & eius duæ sint species. 95

¶ Quasdam delectationum esse iuxta naturam: quas præter, aut contra. Porro in ijs posterioribus non vetari incontinentiam, sed feritatem: cuius execranda malitia expenditur multipliciter. 96

CAP. VI. De incontinentia iræ, voluptatis differentijs, & vitio humano. 101

¶ Incontinentiam iræ non usque adeo detestabilem esse, ac illam, quæ in cupiditate & libidine versatur. Eam verò deteriore esse feritate, quamvis hæc horribilior sit. 102

CAP. VII. De continente, & incontinente, constante, & molli. 106

¶ Comparatio habitus Continentiæ cum Constantia, & Tolerantia: item incontinentiæ cum inconstantia & molitudine, quò ad probitatem, improbitatemque. Incontinentiæ humanæ divisio in duplicem speciem. 108

CAP. VIII. Discrimen incontinentis ab intemperato. 112

¶ Intemperatum multò deteriore esse incontinente. Quo differant & conveniant inter se intemperantia, & incontinentia. 113

CAP. IX. De continens & pertinacis convenientia, ac differentia. 116

¶ Quibus inter se conveniant, ac differant continens, & pertinax. Qualiter oporteat deferere opinionem semel susceptam. Continentiam porro, quamvis propriè virtus non sit, ipsi affinem esse, & studere mediocritati. 117

CAP. X. Quod Prudentia, & incontinentia simul in eodem non sint. 120

¶ An possit quis simul prudens esse, & incontinens? Nullum incontinentem ex consilio incontinenter agere; ideoque sanari posse eo defectu laborantem, præsertim ubi peccat precipitanter, seu ex abrupto. 121

CAP. XI. De Voluptate. 124

¶ Philosophi Moralis esse differere de Voluptate. Opiniones Veterum illam probantium, aut improbantium, & earum fundamenta. 125

CAP. XII. Improbatio rationum de Voluptate. 127

¶ Opinionum capite præcedenti recensitarum circa Voluptatis bonitatem aut malitiam, confutatio, & solutio argumentorum, quibus illæ nitentur. 128

CAP. XIII. De Voluptatum speciebus. 131

¶ Voluptatem esse aliquod bonum: aliquam item Voluptatem esse comitem summi boni. Confutatio Speusippi oppositum 131

rum afferentis. Neminem esse posse felicem sine praesidio bonorum corporis, & fortunae: nec tamen ideo Felicitatem esse unum atque idem cum prosperitate. 132

CAP. XIV. De corporeis Voluptatibus. 135

¶ An omnes corporis voluptates sint male: & cur, aut quo sensu sint ceteris expetibiliore. Cur ea ipsa, quae modo voluptatem afferunt, postea fastidium, aut etiam dolorem ingenerent. Deo summam voluptatem esse, eamque cuiuslibet mutationis expertem. 137

LIBER OCTAVVS
ETHICORVM.

CAP. I. De Amicitia.

¶ Philosopho Morali consentaneum esse, ut de Amicitia disserat. Opinio constituentium illam in similitudine refertur, & in alium locum dirimenda remittitur. 143

CAP. II. De Amabili.

¶ φιλονεικόν, seu amabile, solum id esse, quod est bonum: nimirum, aut honestum, aut iucundum, aut utile. Amicitiam vero sitam esse in benevolentia, non qualibet, sed mutua, & minime obscura. 147

CAP. III. De speciebus Amicitiae.

¶ Amicitiae triplex genus esse: duplex nimirum, spurium: quorum alterum iucunditate, alterum utilitate ducatur: & tertium denique simpliciter atque absolute bonum seu το αγαθόν, ductum solius honestatis intuitu. 151

CAP. IV. Quod studiosa amicitia proprie dicatur Amicitia: alia vero per accidens. 157

¶ Comparantur tria genera Amicitiae inter se, penes id in quo conveniunt, & in quo differunt. Amicitiae nomen simpliciter supponere pro sola illa, quae honestate intuetur. Vix denique coniungi duas illas, quarum altera nititur utilitate, & altera iucunditate. 158

CAP. V. Qui dicendi amici, & qui ad Amicitiam apti. 158

¶ Amicitiae iucundae idoneos non esse nisi qui convictum habent: illam vero non tam in actu, quam in habitu sitam esse. 159

CAP. VI. In qua Amicitia possint plures esse amici. 162

¶ Amicitiae iucundae aptos non esse senes, acerboque in humano convictu. Si illa sit perfecta, inter multos haberi non posse; secus si adulterina, aut notha. Viros ceteris praereminentes, solius utilitatis voluptativè intuitu inferiorum amicitiam deligere: verum & in hac tucata esse aliquam aequalitatem. 163

CAP. VII. De Amicitia in excellentia. 166

¶ Quomodo inferior cum superiori aliquod genus Amicitiae inire possit, & qualiter illa stabilienda sit. Quae proportio Amicitiae ad Iustitiam. Amicitiae lex an obliget ad exoptandum amico maxima bona. 167

CAP. VIII. Quod Amicitia magis consistat in amari, quam amare. 170

¶ Vtrum praestantius, amari, an honorari: quae etiam comparatio inter amare & amari. Quibus potissimum adiumentis stabiliantur amicitiae. Etiam inter contraria Amicitiam quoddammodo habere locum. 171

CAP. IX. De civili Amicitia. 173

¶ Amicitiam omnem in societate sitam esse: ideoque pariter extendi, ac Iustitiam. Huius varietatem ex diverso modo communicationis petendam. Omnem quoque societatem, seu communionem, revocari ad communicationem civilem. 175

CAP. X. De speciebus Republicae. 177

¶ Politica, seu Reipublicae triplex probabile genus esse, totidem Amicitiae speciebus respondens: Regnum, Aristocratiam, & Timocratiam, quibus opponuntur Tyrannis, Oligarchia, & Democratia. Quomodo tria illa appareant in communicatione oeconomica. 179

CAP. XI. De Amicitia regia, paterna, & oeconomica, & fraterna. 182

¶ Ex triplici Politicae genere laudabili oriri triplex genus Amicitiae probabile: ex triplici vituperabili triplex reprehensibile. Vbi de Amicitia regia, aristocratica, populari, paterna, fraterna, & conjugali. 183

CAP. XII. De Amicitia sodalitia, & filiali. 187

¶ Amicitiae plurimas species oriri ex varia, & multiplici communicatione. Agitur praesertim de iis, quae inter consanguineos, ac virum & uxorem, & de illarum proprietatibus. Amicitia, seu amor, an sit maior patris ad filium, quam è converso: an matris, quam patris: an fratrum quam consanguineorum. Vbi plura & utilia monita pacatae ac felici vitae inter sodales, & conjunctos ineunda. 188

CAP. XIII. De duplici iusto, & de compensanda Amicitia. 194

¶ Quomodo vitandae sint querelae in quolibet Amicitiae genere: & in quonam eorum sint iustae. Porro illas praesertim locum habere in ea Amicitia fucata, quae utilitate ducitur. Regulae ad faciendam compensationem. 195

LIBRORVM ET CAPITVM.

- CAP. XIV. *De querelis Amicitia in excellentia, & de abdicatione.* 199
 ¶ Expostulationes, seu querelas etiam oriri ex Amicitia excellentiæ, seu inter inæquales. Radix earum, ac motus, quo præcaveri possint. Digressio de abdicatione filij, an liceat patri, & è contra. 200

LIBER NONVS ETHICORVM.

- CAP. I. *Quæ conservant Amicitiam.* 203
 ¶ Quibus potissimum præsidij stabiliat Amicitia dissimilium, seu inæqualium: & vnde oriatur multiplex illorum querela. Remedium in compensatione situm esse, eaque a iudice idoneo præscripta. Quomodo illa sit facienda. 205
 CAP. II. *Quòd singulis pro dignitate sunt beneficia rependenda.* 208
 ¶ Iterum de compensatione debita pro beneficijs acceptis. An filius debeat parenti in omnibus obedire. An maiori studio oporteat retribuere benefactori, quam largiri amico. Quæ tandem quibus exhiberi possint, aut debeant. 209
 CAP. III. *Quando servanda Amicitia.* 213
 ¶ Amicitiam, quæ utilitate, aut voluptate ducitur, cessante eo sine, dirimi. Similiter & illam quæ honestate nititur, vbi Virtus uelcritur. Proficientem in honestate non posse diu manere in Amicitia cum eo, qui parum aut nihil proficit. Eam tamè quamvis dirempta fuerit non omni prorsus oblivione sepeliendam. 214
 CAP. IV. *Quæ opera Amicitia, & quòd non sint pravorum.* 216
 ¶ Amicitia officia, seu opera quænam sint, & qualiter à viro probò exhibeantur. Quomodo ille sibi bona velit, etiam data hypothesi quòd esset fieretvè alius à se ipso. Qualiter è contra se habeat improbus & quam alienus sit ab Amicitia, benevolentia, ac concordia, erga seipsum. 218
 CAP. V. *De Benevolentia.* 223
 ¶ Benevolentiam per se loquendo nõ esse Amicitiam, nec amationem: esse tamen principium illius, duci que primùm ex oculorum aspectu, & subinde ex delectatione. Amicitiam porrò ex Benevolentia ortam, non quamlibet esse, sed honestam, cuique Virtus pro tellera est. 224
 CAP. VI. *De Concordia.* 228
 ¶ Concordia quid sit. Eam differre quoddammodo à consensu in eadem opinione. In qua materia versetur, & qualem cognationem habeat cum amicitia civili. Quorù præsertim hominù sit propria. 229

- CAP. VII. *De Beneficentia.* 232
 ¶ Eos, qui beneficia ab alijs acceperunt, longè minus amare, quàm ab ijs amentur. Cautæ huius communis expostulationis à quibusdam assignatæ, reijciuntur: & germana ac multiplex ratio redditur. 233
 CAP. VIII. *De amatore sui.* 237
 ¶ An possit aut debeat quis seipsum diligere præ alijs omnibus. Ratio dubitandi auersus omnem sui amorem, quasi turpis sit. Resolutio, aliquem sui amorem, seu philantiam, vituperabilem esse: aliquem item laudabilem: in idque maximè conferre ad crimen inter virum probum, atque improbum.
 CAP. IX. *De amicis felix, & quibus indiget.* 245
 ¶ Vir felix an egeat amicis. Rationes dubitandi in vtramque partem. Resolutio, virum probum esse non posse perfectè felicem absque amicis veris, idest, secundum honestatem sibi devinctis. Alteri eiusdem multiplex ratio moralis, etiam in rerum natura fundata. 247
 CAP. X. *De numero amicorum.* 251
 ¶ Quis numerus amicorum conveniēs sit, tam in eo Amicitia genere, quòd utilitate, quàm quòd iucunditate, aut etiam honestate ducitur. Resolutio potremum hoc certo, eoque exiguo, amicorum numero coerceri in alijs verò esse longè maiorem latitudinem. 252
 CAP. XI. *In qua fortuna sint habendi amici.* 258
 ¶ An egeamus amicis potius tempore prosperitatis, quam calamitatis. Statuitur, viroque tempore amicis opus esse: & præscribitur modus, quo se gerere quisque debeat in vtraque fortuna. 259
 CAP. XII. *De præcipuo munere amico tum & bonorum, & malorum.* 262
 ¶ Nihil optabilius aut iucundius esse amicorum convictu, si probi sint. Si autem improbi sint, convictum illorum detestabilem ac pessimum esse. 263

LIBER DECIMVS ETHICORVM.

- CAP. I. *De Voluptate.* 265
 ¶ Dissertationem de Voluptate propriam esse Philotophi Moralisticæ: quæ multiplici ratione. Reprehensio illorum Philotophorum, qui omnem Voluptatem asserabant esse malam, & tamen nullam non sequebantur. Vbi nonnulla circa veritatem doctrinae à Philosophis observanda. 266

CAP.

CAP. II. *Opinio Eudoxi de voluptate.* 267
 ¶ Eudoxi opinio, & multiplex ratio pro voluptate, quasi in ea sit posita Felicitas hominis. Aliorum quoque opinio contraria, & illius argumenta. Ostenditur, ea parum aut nihil roboris habere contra Eudoxum. 268

CAP. III. *Dicentium Voluptatem non esse bonum, confutatio, & si non omnis expe-
 tibilis sit.* 270
 ¶ Platoniorum varia argumenta ad-
 verius Eudoxi opinionem, nihil demum
 evincere. Aliorum rationes solum probare,
 non omnem voluptatem esse bonam, ac
 per se expetibilem. Itaque, distinguendum
 esse inter varias species voluptatum. 272

CAP. IV. *Quid non sit voluptas, & quo-
 modo operationem perficiat.* 275
 ¶ Voluptas qualiter habeat esse: an
 momento indivisibili, an potius tempore
 successivo. In quonam consistat & qualiter
 perficiat operationem. Quandiu illa duret:
 & cur continua non sit. Quid causa, ut ab
 omnibus appetatur. 277

CAP. V. *Quod voluptates inter se specie
 differant.* 280
 ¶ Voluptates specie differre: tum ex
 diversitate actionum, unde oriuntur: tum
 ex probitate, aut improbitate: tum etiam
 quod alia alijs puriores sint: tum denique
 ex varia animantium natura ad diversas
 voluptates proclivi, 284

CAP. VI. *De Felicitate.* 287
 ¶ Felicitatem non esse sitam in habi-
 tu, sed in actione, eaque per se expetibili:
 quae proinde non sit actio ludi, sed Virtutis
 perfectae. Quod multiplici ratione pro-
 bat. 289

CAP. VII. *De Felicitate contemplativa.* 293
 ¶ Felicitatem sitam esse in operatio-
 ne Virtutis optimae secundum optimam
 facultatem. Hanc vero esse intelligentiam:
 ideoque demum Felicitatem perfectam
 consistere in veritatis contemplatione; ut-
 pote quae actione praestantior sit. 295

CAP. VIII. *De Felicitate activa, & pra-
 cipuo munere operationis.* 300
 ¶ Virtutem moralem ac Prudentiam
 in bonis humanis versari ac competere ho-
 mini, quatenus animo & corpore constat.
 Porro Felicitatem contemplatricem esse
 praestantior, quam actuosam. Vir felix
 qualiter se gerat in rebus externis. 303

CAP. IX. *Peroratio Operis.* 311
 ¶ Non satis esse homini addiscere
 Philosophiam Ethicam, nisi & probus fieri
 studeat: nec probum futurum absque bona
 consuetudine. eam vero parari institutione
 legum optimarum. Evitandum praeterea
 esse ut quis idoneus fiat condendis legibus:
 & quomodo id obtineri possit. Denique
 traahitur institutio quaedam ad libros Poli-
 ticorum. 314

¶ *Index Alfabeticus Rerum, & Verbo-
 rum memorabilium.* 322



LIBER SEXTVS

ETHICORVM

ARISTOTELIS.

SVMMMA LIBRI.



RÆMISSIT Arist. lib. 1. huius operis cap. ult. in animo esse duplicem vim rationis participem: quarum altera propriè, atque in seipsa, rationem obtinet: altera verò minùs propriè, & quatenus rationi obtemperat. Prior illa dicitur mens, cui insidet ratio: posterior dicitur appetitus, qui licèt ratione careat, natus est obedire rationi, eiusque ductum sequi. Ea verò partitione præmissa, divisit pariter Virtutes: vt quædam resideant in mente, seu ea parte animi, quæ rationem insitam habet: quædam autem in appetitu. Illas appellavit intellectuales: has morales. Porrò de moralibus differuit lib. 3. 4. & 5. Nunc de intellectualibus disputare aggreditur: nimirum, Intellectu, Scientia, Sapientia, Arte, ac Prudentia: similiterque de actibus proprijs ipsarum, & partibus integran-
 tibus. De quibus omnibus tractaturus olim Serenissimus CAROLVS Vianæ Princeps, Regnorumque Aragoniæ & Navarræ (si vita perdurasset) hæres futurus, sic aiebat in Epistola quadam ad omnes viros doctos Hispaniæ, quam apud me habeo in vetustissimo volumine Operum ipsius: *Por distinguir las otras virtudes e costumbres buenas, procederemos à la virtud de Prudencia, e otras virtudes, que à la parte intellectual pertenescen: como son la solercia, la agudeza, la astucia, el arte, la sciencia, la sabiduria, la perquisicion, la opinion, el consejo, e sententia. Las quales virtudes rigen e guian todos los actos humanos, e informan, e dan noticia de la verdat.* Hæc ille clarissimus Princeps, mitiore parente, maiori felicitate, & diuturniore vita dignus, ac suæ spes altera Gentis.

CAPVT PRIMVM.

De recta ratione, duplici Virtute, & partibus anima.

Arist. Eπὶ τῶν ἀρετῶν, ἀρετὴν ὁμοτέρεον, &c.



VM Autem antea dictum sit, medium expetendum esse, non id, quod nimium est, atque parum, & medium perinde sese habeat, atque recta ratio dicitur: hoc ipsum deinceps dividamus oportet. In omnibus enim dictis habitibus, quemadmodum & in cæteris, est quoddam signum, ad quod is inspiciens, qui rationem habet, intendit, atque remittit. Estque quidam terminus mediocritatum, quas inter exuperationem defectumque dicimus esse, ita sese habentes ut recta ratio statuit. Atque sermo talis est quidem verus, non tamen dilucidus. Nam & in quavis opera, atque cura, circa quam versatur scientia, verum est dicere, neque nimium, neque parum esse elaborandum, vel quiescendum, sed mediocriter, & ut ratio recta præscribit. At qui hoc tantum habet, nihil plus scierit: ut si quispiam dixerit, ea esse corpori afferenda, quæ medicina, & ut is, qui hanc habet scientiam, iubet. Quapropter & circa habitus animi non modo verè hoc dictum esse oportet, sed etiam determinatum, quænam sit ipsa ratio recta, & quæ eius sit definitio. Virtutes itaque animæ superioribus in locis divisimus, & alias moris, alias mentis diximus esse. Atque de moris quidem virtutibus iam transegimus. De reliquis verò dicamus oportet, prius hisce de anima declaratis. Duas igitur esse animæ partes antea diximus: eam, quæ rationis est particeps, & eam, quæ eiusdem est expers. Nunc autem identidem pars ea, quæ rationem habet, est dividenda. Atque sit suppositum, duas esse partes, quæ sunt participes rationis: unam, qua contemplamur ea, quorum principia, ut aliter sese habeant, minimè fieri potest: alteram, qua perspicimus ea, quæ aliter sese habere possunt. Eæ namque animæ partes diversæ sunt genere, quæ aptæ ad res eas cognoscendas, quæ genere differunt. Siquidem ipsis inest rerum cognitio similitudine quadam, atque accommodatione. Atque harum altera, vis sciendi: altera, vis subducendi rationem vocetur. Consultare namque, rationemque subducere, eadem possunt. Nemo autem de ijs rebus consultat, quæ aliter sese habere non possunt. Quare vis subducendi rationem, una pars eius partis est

201

animæ, quæ rationis est particeps. Sumendum est igitur quænam utriusque sit optimus habitus. Hic enim utriusque est virtus, virtus autem est ad proprium opus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Oportere plurimum scire, quid sit recta ratio, & quibus præsijs paretur. Animam intelligentem constare duplici facultate: altera ad considerandum veritates necessarias & immobiles; altera ad deliberandum circa contingentia. An distinctio earum facultatum sit vera ac realis.



PROPOSITA Ex dictis postremo capite libri primi partitione animæ in duplicem vim, seu facultatem, alteram cognoscentem, alteram appetentem, & explicatis iam Virtutibus,

quæ ad hanc posteriorem partem spectant; progreditur Aristoteles ad exponendum Virtutes illas, seu habitus, qui in priori nobiliori que parte resident. Dividitur autem caput in duas partes. Priore illarum monet, ex ijs, quæ antea dicta sunt, poste intelligi quid sit recta ratio. adhuc tamen opus esse quædam alia superaddere. Posteriore autem decernit, duplicem esse intelligentem animæ vim: quarum altera intenta est considerandis rebus necessarijs, altera contingentibus, & mutationi obnoxijis.

2 CIRCA Priorem partem revocat in memoriam, quod sæpe ex professo tradidit eodem secundo libro, virtutem moralem esse sitam in medio inter exuperantiam, & defectum: ipsum verò medium esse id, quod recta ratio, seu arbitrium prudentis viri præscribit. Superest autem explicare quid sit ipsa recta ratio, & quibus præsijs instruenda, ut recta evadat, & idonea præscribendæ mediocritati Virtutum. Nimirum, in omnibus Virtutibus moralibus, & quibuslibet alijs habitibus, est aliquis scopus, ad quem respiciens vir ratione præditus, opus suum intendit & auget, aut ex opposito minuit & remittit, ut obtineat debitam mediocritatem, inter parum & nimium. Nec sufficit generatim tradidisse, eiusmodi medium à recta ratione præscribi, nisi accuratius perveſtigetur ipsa recta ratio, seu modus invenendi mediū. Quod exponit exemplo artiū Gymnasticæ & Medicinæ. Non enim sat est nôſſe generatim in Gymnastica, exercitationem debere esse mediocrem inter nimiam & exiguam, ut opportuna sit: neque in Medicina scire, esse utendum præsijs ordinatis ab arte medendi. Licet enim utrumque verum sit, non satis confert ad idoneam exercitationem, & bonam valetudinem corporis. Enitendum itaque est, ut sciatur distinctè ipsa exercitationis mensura, & remedia illa in singulari,

quibus ægrotus redeat in pristinam sanitatem. Quare etiam in Virtutum moralium negotio, accuratissimè indagandum est, quid sit recta ratio, & quibus adjuventis paretur, ut debitam mediocritatem præscribat inter exuperantiam & defectum.

3 HOC Autem præstabitur instituta disputatione de habitibus intellectualibus, ac præcipuè de Prudentia, qua potissimum mens instruitur, ut in omnibus Virtutibus medium attingat, & progressum faciat. Unde & licebit doctrinam hoc loco traditam sic præstringere, seu ad severam argumentandi formulam coaptare. Quemadmodum se habet ars ad opera exercendi corpus in gymnasio, & curandi infirmum, ita etiam recta ratio ad opera Virtutum moralium. Atqui exercitatio corporis in gymnasio, & curatio infirmi, non fiunt rectè, si solum generatim sciatur, eas faciendas esse ad præscriptum artis; sed opus est ut in singulari ac distinctè sciatur quomodo & quando corpus sit exercendum, quæ etiam medicamenta & qualiter applicanda. Ergo pariter ut opera Virtutum moralium rectè fiant, non satis est scire, ea debere fieri iuxta recta rationem, nisi præterea, & in singulari sciat, quid sit, & qualiter parari debeat recta ratio.

4 CIRCA Secundam partem, resumit etiam ex doctrina superioribus tradita divisionem partium animæ, quarum una ratione prædita est, altera rationis est expertis in seipsa: ac pariter modo dividit vim animæ intelligentem in partes duas, quarum una res necessarias & immobiles, altera contingentes, & fluxas considerat. Neque in eo probando nunc insistit: sed demonstratum supponit ex libris de Anima, ubi propriam sedem habet. Ad priorem partem spectant ea, quæ Physiologia & Metaphysica considerat: ut essentia, & proprietates rerum cum ijs necessariis illigatæ: item & quæ Astronomia certis & exploratis canonibus insistens speculatur: ut ortus & occasus stellarum: eorundem accessus & recessus: revolutio temporum, & annorum: dierum ac noctium vicissitudo: Lunæ ac Solis defectiones, aliaque eiusmodi.

Poste:

Posteriori parti accensentur ea, quæ nullam sui stabilem causam habent, sed varietatē subeunt pro temporum, locorum, & circumstantiarum diversitate: ut pax, aut seditio Reipublicæ: militum victoria, aut clades: felicitas aut infelicitas regni: aliaque eiusmodi, quæ in alterutram partem evenire solent, aut pollunt. Cum igitur talis & tanta sit differentia earum rerum, quæ sub intelligentiam animæ cadunt, nihil mirum, quod in ea opus sit distinguere geminam vim, seu facultates duas, quarum altera intenta sit considerationi rerum immobilium & necessariorum, altera mobilium & contingentium.

5 EAM Verò distinctionem virium, seu facultatum, in eadem animæ entia, exponit instar distinctionis illius, quæ est inter dulcedinem & candorē eiusdem lactis. Addit Eustratius exempla ex Geometria & Grammatica: quoniam in Geometria sunt duæ veluti partes, quarum altera considerat figuras planas, altera solidas: similiter & Grammaticæ distinctæ functiones sunt, recte legere, & scribere, corrigere, & interpretari. Verum adhuc proximius exemplum adest ipsi animæ ex doctrina eiusdē Arist. in libris de Anima, & lib. 1. Magn. Moral. ubi tradit, non eandem facultatem deservire animæ ad percipienda quælibet sensibilia. Alia, nimirum, est vis, seu potentia, qua percipit colores, alia qua sonos, odores, saporos, &c. Ratio verò est: Quia ad cognoscendum ea, quæ omnino inter se differunt secundum rationem genericam, oportet non omnino eandem à natura esse institutam facultatem, sed diversam, saltem aliquomodo. Vis enim, seu facultas animæ, intelligēdo, fit quoddammodo omnia illa, quæ intelligit. Vnde illud estatum Empedoclis apud Aristot. Terra terram aspicimus, aquam aqua, cælo cælum, ignem igne. Nimirum, intellectus & sensus per imagines, seu idola obiectorū, fit vnum & idem quoddammodo cum ipsiis obiectis: ideoq; quoties obiecta omnino differunt, oportet esse in potentia aliam atq; aliā vim: ut secundum vnā fiat vnum cum vno obiecto, & secundum aliam cum alio prorsus diverso. Cum igitur obiecta necessaria omnino differant à contingentibus, opus est ut in anima sit duplex quoddammodo vis, seu facultas, quarum altera insinat considerationi rerum necessariorum, altera contingentium.

6 STATUTA Autem distinctione facultatum animæ, seu duplici genere virium, primum illorū appellat Philosophus *επιστημονικόν*, id est, ad scientiam natum: sive, ut Argyropilus vertit, vim sciendi: alterum verò *λογιστικόν*, id est, aptum ad ratiocinandū, seu, ut idem Argyropilus interpretatur, vim subducendi rationem. Ratio prioris appellationis est: quoniam prima illa facultas est theoretica, seu contemplatrix rerum immobilium, de quibus proprie est

scientia: ideoq; dicitur vis sciendi. Ratio appellationis posterioris est, quoniam secunda facultas versatur circa mutabilia & contingencia, de quibus ratiocinatio esse potest, id est, consultatio, ut ad præteritū attinet. Ideoque statim addit Philosophus: *τὸ γὰρ βουλευεῖσθαι καὶ λογισεῖσθαι ταυτὸν*. Consultare namque & ratiocinari, idem est: Quare secunda illa animæ facultas merito dicitur, vis ratiocinandi, seu subducendi rationem. Scilicet, consultatio non est de rebus immutabilibus, sive quæ aliter se habere non possunt: ut hoc loco monet Aristotel. & supra tradidit lib. 3. cap. 3. agens de consultatione, dum dixit: *De æternis autem nemo consultat: ut de mundo, vel de diametri, laterisque incommensurabilitate*. Solùm igitur consultatio est de ijs, quæ aliter se habere possunt, & in nostra sunt potestate. Quippe circa ea ratiocinamur, & deliberamus, an agenda sint, & quomodo. Circa ea verò, quæ æterna aut immobilia sunt, non est consultatio, aut deliberatio, sed scientia, eaq; theoretica, seu contemplatrix.

7 DENIQUE Post divisam ac denominatam utramque animæ facultatem, proponit inquirendum, quilibet utriusque optimus habitus sit. Decernit verò statim, optimū utriusque habitum esse virtutē. Quod ferè sic probat. Cuiuslibet facultatis optimus & perfectus status, sive habitus, est ille, à quo opus proficiscitur optimum. Atqui virtus est id, à quo opus proficiscitur optimum: ut supra lib. 2. traditum est. Ergo utriusque facultatis optimus & perfectus status, sive habitus, est virtus. Itaque quælibet earum facultatum tunc obtinet perfectum statum, cum prædita est habitu sibi proprio: contemplatrix habitu virtutis theoreticæ: deliberatrix habitu virtutis ratiocinantis, seu consultatricis circa agenda & mutabilia. Quo ipso se accingit ad differendum de utraque ea virtute, sive habitu.

8 VERVM Distinctio iam tradita facultatum animæ, non usque adeo aperta est, ut non patiatur difficultatem aliquam, primum à Div. Thoma insinuatam, deinde auctam à Buridano, Giraldo Odonis, aliisque: Quoniam videtur Aristotel. constituere in anima duplicem potentiam rationalem diversam, alteram ad speculandum veritates necessarias, alteram ad deliberandum, seu ratiocinandum circa actiones ac res contingentes. Hoc autem apparet falsum ex multiplici capite. Primò: Quia eadem atque indivisa potentia rationalis perceptiva extenditur ad omne verum tanquam ad obiectum adæquatum: ut omnes Philosophi docent cum ipso Aristotele. Ergo & extenditur ad omne id, quod contingit sub ratione communi veri. At tam res contingentes operabile, quam necessariz, continentur sub communi ratione veri. Ergo non diversa, sed eadem potentia perceptiva intellectus,

extenditur ad veritates contingentes operabiles simul & necessarias. *Secundo*. Omne id quod intellectus agens potest agere, recipi potest in eadem atque indivisa facultate intellectus passibilis. Atqui intellectus agens potest agere idola, seu species representantes, tum obiecta necessaria, tum & contingencia. Ergo & omnia ea idola, seu species representantes, tum obiecta necessaria, tum & contingencia, recipi possunt in eadem atque indivisa facultate intellectus passibilis. Quare nulla necessitas est distinguendi in illo duplicem potentiam, ut altera consideret res necessarias, altera contingentes. *Tertio*. Non enim magis differunt veritates necessariae & contingentes sub ratione communi veri, quam differant forma lapidis & forma hominis sub ratione communi formae substantialis. At huiusmodi differentia minimè obstante, eadem potentia passiva materiae extenditur ad recipiendum formam lapidis & formam hominis. Ergo & eadem potentia perceptiva intellectus extendi potest ad considerandum veritates necessarias & contingentes.

9 HVIC Difficultati occurrunt aliqui alienantes, contingencia posse dupliciter accipi. Primo universe, & secundum suam rationem formalem: secundo in singulari: ac priori quidem ratione esse necessaria, considerarique ab unica potentia perceptiva intellectus, quae contemplatur quilibet res aeternas, atque immobiles: posteriori autem ratione percipi vi cuiusdam sensus interni, nimirum, cogitativa, quae apta est discurrere circa singularia. Hac igitur ratione aiunt, Aristotelem constituere in anima duplicem potentiam distinctam, quarum altera sit intellectiva omnium, etiam contingentium, in communi acceptorum; alia sensitiva & cogitativa singularium, ac proprie contingentium.

10 VERVM Solutio haec licet ex parte contineat veram doctrinam, quatenus docet de contingentibus & mutabilibus universe consideratis posse dari scientiam (quod nos satis explicuimus in *Physica disput.* 1.) est omnino extra rem, & contra mentem Aristotelis, qui in hoc capite disertè ait se velle agere de facultatibus τῆς διανοίας, intelligentiae, nimirum, de facultatibus proprijs animae rationalis, secundum quod intelligens est. Nulla autem potentia sensitiva, ac proinde nec cogitativa, est facultas animae rationalis, secundum quod intelligens est, sed tantum prout est principium sentiendi. Ergo nulla facultas sensitiva, ac proinde nec cogitativa, est facultas aliqua earum, de quibus Aristoteles hoc loco dixerit.

11 ALIO Modo respondet Gualterus Burleus, & cum eo recenter Tarquin. Galvinius, Aristotelem non distinguere in ani-

ma rationali duas potentias ad considerandum veritates necessarias & contingentes: sed tantum diversos animae intelligentis habitus: quorum aliqui, ut sapientia & scientia, considerent res necessarias: alij vero, ut ars & prudentia, considerent res contingentes, & variationi obnoxias. Itaque in anima intelligente non esse duplicem potentiam perceptivam, sed tantum diversos habitus, qui hoc loci significantur nomine τῶν ἀρετῶν, id est, virtutum, seu facultatum.

12 SED Hæc etiam expositio violenta apparet: Quoniam Aristoteles disertè loquitur de parte animae intelligente, seu rationali per essentiam: prout antegreditur omnem informationem habituum supervenientium: asseritque tunc utramque τῆν ἀρετῶν, facultatem animae esse in statu optimo, cum informatur habitu Virtutis sibi respondentis. Ergo distinctio facultatum animae intelligentis, tradita ab Aristotele hoc loci, non est secundum habitus, sed pro priori ad omnem habitum superadditum. *Vltimus*. Si distinctio facultatum animae intelligentis esset accipienda hoc loco secundum habitus intellectuales, cum hi generatim sint quinque, facultates animae intelligentis non essent duæ tantum, sed quinque. Cum igitur Aristoteles duas tantum animae intelligentis facultates distinguat, non accipit earum distinctionem secundum habitus intellectuales.

13 DENIQUE Alij volunt, Aristotelem dumtaxat locutum de ijs, quæ à natura fiunt: ut si necessaria sint, spectent ad alteram partem animae, quæ est contemplatrix: si autem contingencia, pertineant ad alteram, quæ est ratiocinatrix. Sed ij tamen toto cælo errant: Quia facultas ratiocinatrix, de qua Philosophus, est eadem, ac deliberatrix, seu consultatrix, ut ipse expressè monet. Atqui facultas deliberans, seu consultans, non est circa ea, quæ fiunt à natura, sive necessario, sive contingenter: sed tantum circa ea, quæ fiunt à nobis ex electione, & sita sunt in nostra libera potestate: ut demonstratum est allegato loco *lib.* 3. *cap.* 3. Ergo facultas ratiocinatrix, de qua loquitur hoc loco Philosophus, non est circa ea, quæ fiunt à natura necessario, aut contingenter, sed de ijs tantum quæ fiunt à nobis ex electione, suntque in nostra libera potestate. *Præterea*. Nec doctrina eorum Auctorum, quamvis vera esset, faceret satis difficultati propositæ adversus distinctionem vtriusque facultatis in anima intelligente, ut vel leviter consideranti apparebit.

14 QVARE Placet solutio Acciaiolij hoc ipso loco auctoris, partem animi ratiocinalem dividi ab Aristotele in duas facultates, non quidem re, sed ratione tantum diversas. Verum quoniam prædictus Auctor nullam

huius interpretationis rationē reddat, oportet illam diligentius perquirere. Videbitur autem sufficienter assignari, observando, Philosophū hoc loci distinguere in anima potentiam intelligentem, sive intellectum, penes speculativum, & practicum. Nam intellectus speculativus is proprie est, qui considerat veritates immobiles & necessarias: practicus verò, qui deliberat, seu consultat circa res agendas, quæ contingentes & variabiles sunt, atque in ipsa agentis libera potestate. Intellectus autem speculativus & practicus nō sunt duæ potentia, sed vna & eadem: ut ex professo docet D. Thomas 1. p. q. 79. vbi art. 9. statuit, rationem superiorem & inferiorē non esse diversas potentias: similiter & art. 11, intellectum practicum non esse potentiam distinctam ab intellectu speculativo. Quod probat ibidem, tum ex Arist. 3. de Anima text. 49. asserente, intellectum speculativum sola extensione fieri practicum: tum & ratione: quia id quod accidentaliter se habet ad rationē obiecti inspecti à potentia, nullatenus diversificat potentiam: exemplumq; affert in obiecto visus, nimirum, coloratio, cui accidit, quod sit homo aut equus: ideoq; omne coloratum pertinet ad eandem potentiam visus. Accidit autē obiecto apprehenso per intellectū, ut ordinetur, vel non ordinetur ad opus. Ergo quod obiectum apprehensum ab intellectu ordinetur, aut non ordinetur ad opus, non sufficit ad diversificandum duas potentias in intellectu. Quare eadem potentia, idem intellectus, est simul speculativus, & practicus: speculativus prout solum ordinatur ad cognitionem veritatum, seu contemplationem rerum immobilium: practicus verò prout ordinat cognitionem ad opus.

15 EX Quo inferitur, diversitatem potentiarū animæ intelligentis hoc loco traditā ab Aristotele, non esse realem, sed rationis, seu denominationis tantum diversæ ex varietate obiecti inadæquati eiusdem potentia intelligentis: quæ primò ac per se est contemplatrix veritatum immobilium æternarumq; & subinde ac consequenter considerat actiones contingentes variabilesq; ac de ijs deliberat. Quo sensu intelligenda sunt quæ supra diximus n. 5. ad probandum distinctionem duplicis facultatis in anima intelligente. Nō enim evincunt distinctionem realem, sed rationis dumtaxat. Neque obstat exemplum ibidem adductum in potentijs sensitivis, quæ realiter diversæ sunt propter diversitatem obiectorum. Id enim solum est accipiendum, ut probetur etiam in intellectu aequalis virtutū, seu facultatū distinctio, prout considerat, vel res necessarias, vel contingentes: nō autem ut distinctio realis pariter in intellectu arguatur. Nam ut ibidem D. Thom. art. 11. nuper allegato, solutione ad tertium, & art. 7. ac quest. 67. art. 3. eiusdem primæ partis docet, multæ differentia sufficiūt

ad diversificandū realiter potentias sensitivas, quæ tamen nullo modo sufficiunt ad realem diversitatem potentiarum spiritualium: quoniam cū hæ careant omni materia, nullatenus coarctantur, seu restringuntur ad aliquod determinatum genus entium: sed vagantur per omne verum ac bonum: intellectus per omne verum, & voluntas per omne bonum. In potentijs autem sensitivis, cū materiales sint, est opposita ratio: ideoque iuxta maiorem aut minorem materialitatem restringuntur magis, aut minus. EX QVIBVS omnibus facile occurret difficultati propositæ num. 8. & singulis eius instantijs, quoniam ex ijs aperte confirmatur noster dicendi modus.

16 DICES Adversus interpretationem nostram. Iuxta sensum Aristotelis ac D. Thom. distinctio intellectus in agentem & passibilem est realis: ut ex utroque communi Magistro docuimus tom. 2. Phil. Nov-antiqua, disput. 83. sect. 5. Aristoteles enim lib. 3. de Anima cap. 5. inquit: *Necesse est & in anima differentias has in esse. Est enim & quidam intellectus, qui omnia fiat; & quidam talis, ut omnia agat.* Quare D. Thom. ibidem lect. 10. tanquam ex ipsius mente, statuit distinctionem realem utriusque facultatis in intellectu; idemque repetit 1. part. allegata quest. 79. art. 7. vbi negata distinctione reali memoriæ ab intellectu passibili, adhuc docet, intellectum passibilem esse diversam potentiam ab intellectu agente. Cū igitur Arist. in præsentī doceat, aliā virtutem, seu facultatem esse, qua intellectus considerat necessarias veritates, aliam qua deliberat circa res seu actiones contingentes; dicendum est ex ipsius mente, distinctionem utriusq; facultatis esse realem.

17 CÆTERVM Haud difficulter occurrere possumus huic obiectioni, concessio antecedente, negando consequentiam, propter apertum utriusque discrimen. Quod enim intellectus agens distinguatur reipta à passibili, ideo est, quoniam principium agendi in quolibet genere debet distingui realiter à principio passivo eiusdem generis. Intellectus autē agens est principium agendi species, seu formas intelligibiles obiectorum: & intellectus passibilis est principium passivum, seu receptivum earundem specierū. Oportet igitur ut intellectus agens sit facultas, seu vis realiter distincta ab intellectu passibili. Hæc autem ratio nullum habet locū in intellectu speculativo & practico, sive quod perinde est, in facultate animæ contemplatiæ rerum immobilium, & deliberatrice circa actiones contingentes: quoniam utraq; consideratione est principium activū. Quare sufficit distinctio rationis, seu denominationis diversæ, ex diversitate obiectorum inadæquatorū eiusdē potentiæ intelligentis. Et sane quemadmodū D. Tho. allegata q. 79. art. 7. fine

fine corporis docet, memoriam & intellectum passibilem non esse potentias realiter distinctas, sed ratione, aut denominatione solum, quoniam ad eandem potentiam realem spectat recipere species sive formas obiectorum, & conservare illas; ita etiam mirum non est, eandem potentiam intelligentem considerare

res necessarias, & deliberare circa contingentes: quoniam eiusdem potentiae cognoscentis est contemplari veritatem, subindeque extendi ad dirigendum operationes, quando & quomodo fieri oportet.

VIDE D. Thomam 1. p. q. 79. art. 9. 10. & 11. atque ipsius Interpretes.

CAPVT PRIMVM.

De Principijs agendi.



RIA Autem sunt in anima, quæ habentur agendi, veritatisque principia: sensus, intellectus, appetitus. Atque sensus, nullius est principium actus. quod quidem ex eo patet, quia belluæ sensus quidē habent, actionis autem sunt expertes.

Est autem id in appetitu persecutio, atque fuga, quod est affirmatio, negatioque in mente. Quare cum moris quidem virtus, habitus sit electivus, electio verò appetitus deliberativus, ob hæc ipsa & rationem veram, & appetitū rectum esse oportet, si electio sit studiosa, atque eadem, illam quidem dicere, hunc autem persequi. Hæc igitur mens, atque veritas activa est. Mentis autem eius (quæ contemplandi, non agendi, neque faciendi principium est) bonum, ac malum, verum est, atque falsum. Hæc enim mentis est omnis, opus: sed activæ mentis veritas est consentanea appetitui recto. Electio igitur actus principium est, vnde motus, sed non id, gratia cuius. Appetitus autem, eaque ratio, quæ alicuius est gratia, electionis principium est. Idcirco neque sine intellectu menteque, neque sine habitu moris est ipsa electio. Sine nanque mente, atque more, non est actio bona, nec item contraria. Mens autem ipsa nihil movet, sed ea, quæ alicuius est gratia, & activa. Hæc enim & effectrici menti præest. Nam omnis, qui facit, gratia huius facit, & non est simpliciter finis, sed ad aliquid: & alicuius id, quod efficitur, sed non id, quod agitur. Ipsa nanque bona actio, finis est, & huius est appetitus. Quapropter electio, vel intellectus est appetitivus, vel appetitus intellectivus: & tale principium est homo. Nulla autem res facta, est eligibilis. Nemo enim eligit Ilium expugnasse: neque enim de eo quispiam consultat, quod factum est, sed de futuro, ac contingente. factum autem non contingit non factum esse. Quapropter rectè. Agatho dixit:

Hoc etiam ipse Deus, soloque carere videtur,
 In se etum ut faciat, quod factum est, atque per actum.
 Opus igitur utriusque partis intellectivæ, veritas est. Quare quibus
 habitibus maximè pars utraq; verum dicit, ij sunt ambarum virtutes.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

Mentem & appetitum duntaxat esse principia humanorum actuum. Intelligentia speculativa & practica, qualiter comparètur, & suas functiones obeant. Divisio posterioris in activam, & operariam. Electio quomodo pendeat à mente, & appetitu, & quarumnam rerum sit. An semel facta possint à Deo infecta reddi.



POSTQVAM Anima intelligēs
 divisa fuit in duplicem facultatem
 receptivam Virtutū intellectualium,
 quarum altera sit theoria, seu contempla-
 trix; altera practica, seu actuo-
 sa; nunc differit de principijs humanarū actio-
 num. Dividitur autem caput in quatuor partes.
 In prima enumerantur principia humanarum
 actionum, & exponitur quomodo eadem
 actiones inter se conveniant. In secunda
 explicatur quomodo se habeant intelligentia
 speculativa & practica circa ea, quæ con-
 siderant. In tertia edisseritur, qualiter se gerat
 utraque intellectus facultas in agendo. In quarta
 demum utrique facultati adscribitur propria
 Virtus, & proprium opus.

2 CIRCA Primam partem statuit;
 triplex videri principium agendi, ac perci-
 piendæ veritatis: nimirum, sensum, appetitum,
 & intellectum. Neque obest quod præcedenti
 capite tantum meminere duarum facultatum.
 Ibi enim solum disserere de viribus animæ in-
 telligentis, ut intelligentis, quæ sunt tantum duæ,
 altera theoria, & altera actiosa: nunc verò
 agit de principijs omnium actionum huma-
 narum, ut postea deveniat ad exponendum in spe-
 cie habitus intellectuales: principia autem om-
 nium actionum humanarum videntur esse tria
 enumerata. Neque enim præterea addenda fuit
 potentia vegetatrix, quam Philosophi nutriti-
 vam dicunt: nam hæc etiam communis est plā-
 tis, & nullo modo principium actus humani,
 cum non ducatur cognitione aliqua, nec in-
 tellectuali, nec sensitiva. Agit itaque hoc loci
 de tribus principijs humanarum operationū.
 Nomine intellectus accipitur, non modo spe-
 culativus, sed etiam practicus. Nomine appeti-
 tus intelligitur, non solum voluntas, quæ est
 potentia propria rationalis animi; sed etiam
 appetitus sensitivus ipsi coniunctus in homi-
 ne, & alioqui communis irrationalibus brutis:
 nam quemadmodum voluntas sequitur ductum
 intellectus, ita etiam appetitus sensitivus duci-
 tur cognitione sensuum. Nomine demum sen-

sus accipit potentiam sentientem, seu cognos-
 centem dependentem ab organo corporeo.

3 NEQVE Tamen propterea quis
 existimet, ex mente Aristotelis tria prædicta
 esse principia humanarum actionū. Non enim
 ait esse, sed videri; quasi velitando solum, & ra-
 tionem dubitandi proponendo in ijs omni-
 bus, de quibus aliqua suspicio esse poterat.
 Quare mox subdit, sensum non esse principium
 alicuius actionis, nimirum, humanæ. Licet enim
 sensus in homine sit principium cognoscendi, &
 inveniendi veritatem, quoniam nihil est in in-
 tellectu, quin prius fuerit in sensu; tamen nullo
 modo est principium actionis humanæ, quam
 Græci praxim, Latini factum dicunt. Nō enim
 actio sumitur hoc loci ratione illa ampla ge-
 neralique, qua apud Physicos & Metaphysicos
 significat egressum termini ab agente, aut exer-
 citium causæ activæ cuiuslibet; cum hac ratio-
 ne etiam brutis, imò & inanimatis rebus con-
 veniat agere: sed nominatim accipitur pro illa
 actione, quæ decernitur ex libero voluntatis
 arbitrio, ipsique subiacet. Cum igitur opera-
 tio sensus natura sua non subiaceat libero vo-
 luntatis arbitrio, & in brutis etiam animanti-
 bus inveniatur; consequens est, ut non veniat
 intelligenda nomine praxeos, sive actionis, de
 qua hoc loci sermo est: ideoque sensus merito
 expungatur à numero principiorum agendi.
 Quæ doctrina hoc syllogismo perstringi po-
 test. Id quod duntaxat est principium opera-
 tionis eius, quæ communis est brutis, computari
 non debet inter principia actionum huma-
 narum. Atqui sensus duntaxat est principium
 operationis eius, quæ communis est brutis. Er-
 go sensus computari non debet inter princi-
 pia actionum humanarum. Nimirum, bruta po-
 tius aguntur naturæ instinctu, quam agunt, cum
 nullum dominium agendi habeant, qualiter
 agentia libera.

4 DEINDE, Excluso sensu à numero
 principiorum agendi, recenset mentem & appe-
 titum. Ea etenim quæ re ipsa concurrunt ordi-
 ne quodam ad actiones humanas, ut alterum
 imperet, alterum obtemperet, verè sunt prin-
 cipia

cipia illarum. Atqui mens & appetitus reipsa concurrunt ordine quoddam ad actiones humanas, ut mens imperet, & appetitus obtemperet. Igitur mens & appetitus verè sunt principia actionum humanarum. Maior propositio videtur manifesta: quia cuiuslibet actionis principium est id, quod verè concurret ad eam efficiendam. Minor autem suadetur ab Arist. ferè sic: Nam in omnibus actionibus humanis appetitus sequitur ductum mentis, sive intellectus, affirmantis aut negantis. Si enim intellectus affirmet aliquid esse bonum; appetitus prosequitur, seu amat illud. Si autem neget intellectus, id esse bonum; voluntas illud fugit, aut odio habet. Ergo mens & appetitus reipsa concurrunt ad omnes actiones humanas ordine quodam, ut mens imperet, & appetitus obtemperet.

5 VNDE Infert, nullam esse posse Virtutem moralem perfectam, nisi intellectus sit verus, & appetitus rectus. Rationemque insinuat: quoniam Virtus est habitus quidam *εὐνοητικός*, aptus ad eligendum, sive, ut communiter in Scholis dicitur, *electivus*: quemadmodum supra, lib. 2. statutum est. Electio autem nihil aliud est, quam appetitus decernens id quod antegressa intellectus deliberatio, seu cōsiliū probavit. Quare appetitus, sive electio, nequit habere rectitudinem, nisi præcellerit recta ratio deliberans, sive intellectus verus. Virtus itaque moralis in eo sita est, ut appetitus eligat rectè id, quod vero iudicio, deliberationeque præviā, ab intellectu consulitur faciendum. Et in hoc consistit sympathia seu cōcordia utriusque potentia, ut quod altera præscribit, amplectatur altera. Hoc autem statuto, iam per se apparet, ipseque Arist. monet, hanc esse facultatem rationis in agendo positam, de qua generatim disseruit capite præcedente. Nimirum, non est intelligentia theoretica, quæ contemplationi rerum immobilium & æternarum intenta est, sed practica, cuius est deliberare de rebus humanis, & agendis contingenter.

6 CIRCA Secundam partem exponitur quomodo intelligentia theoretica & practica se habeant in propria vniuscuiusque materia. Priorem hoc loco appellat *διανοία*, id est cogitationem, seu vim cogitandi, quam & alijs locis *νῦν*, mentem. Dianoiā enim, seu dianiā, quamvis plerumque accipitur, & proprius, pro facultate animi, quæ intenta est considerationi rerum singularium & contingentium; adhuc tamen nonnumquam accipitur pro intelligentia contemplante res æternas & necessarias: ideoque Aristoteles in præsentē appellat illam dianoiā theoreticā: posteriorem verò practicā: tamquam *διανοία* nomen utrique commune sit. quā ratione etiam *νῦν*, sive mens, quandoque accipitur pro intellectu

speculativo, quandoque etiam pro practico, sive actuoso.

7 ITAQUE Exponit qualiter utraque intelligentia se habeat, & discernit vnam ab altera iuxta differentiā materiæ in qua versantur. Intelligentia enim theoretica sita est in contemplando verum ac falsum, sive, ut inquit Arist. *τὸ εἶναι καὶ μὴ εἶναι*, bonum & malum: quoniam, nimirum, potentia intelligenti ac speculatrici comparatur instar boni proprii veritas, & instar mali falsitas. Nil enim aliud querit, nisi ut attingat puram puramque veritatem, absque vlllo ordine ad appetitum, vel actionem humanam: quippe cui solūm curæ est, verum à falso internoscere. Intelligentia autem practica, quamvis etiam attingat verum, eius perceptionem dirigit ad actionem: nec veritatem nudam considerat, sed coniunctam cum appetitione. Scilicet, ut paulo antè præmissit, tunc appetitio est recta, cum exequitur id, quod intellectus verè, sive secundum rectam rationem iudicat esse faciendum.

8 VBI Acciaiolus meritò observat, quemadmodum intellectus dividitur in speculativum, activum, & factivum, triplici consideratione; ita etiam triplex verum & falsum, seu bonum & malum ipsi competere. In intellectu enim speculativo potest esse habitus verus scientiæ, qui ipsi bonus est: similiter & habitus falsus erroris speculativi, qui est ipsi malus. Similiter & intellectui activo inest verus habitus prudentiæ, & quidem bonus: aut ex opposito habitus falsus imprudentiæ, qui est malus. Denique in intellectu factivo potest esse vera ars, veluti bonum illius: aut e contra habitus errandi circa artefacta, qui est quoddam illius malum. Est autem discrimen inter verum intellectus speculativi, activi, & factivi: quod primum illud consideratur propter se, & absque vlllo commercio, aut ordine ad actionem: verum autem intellectus activi attenditur propter actionem, sicut & factivi ob externam operationem.

9 CIRCA Tertiam partem exponit qualiter duplex illa animæ intelligentis facultas, speculativa, nimirum, & practica, suas functiones obeant, seu actiones exercent. Ac primo quidem docet, electionem esse principium actionis & operis procedentis ab intelligentia practica. principium, inquam, non per modum finis, sive causæ finalis, sed efficientis. ipsius verò electionis principium causamque esse appetitum & rationem, habentem sibi propositum aliquem finem, qui non sit contemplatio, sed actio. Nimirum, ut hoc loco exponit D. Thomas, & communiter Scholastici, electio nihil aliud est, quam appetitio mediorum, seu præsidiorum, quæ conferunt in adeptionem finis. Quare ratio proponens finem, & appetitus in eundem contendens, sunt principium electionis.

tionis. Vnde inferitur, eandem rationem practicam, & appetitum, esse causam efficientem humanorum, actuum. Quod probatur: Quia electio est principium efficiens humanorum actuum: cum ij tantum sint, qui ex electione fiunt. Atqui ratio practica, & appetitus, sunt causa & principium efficiens electionis. Ergo & sunt causa ac principium efficiens humanorum actuum. Inferitur deinde, nullam esse electionem, scilicet, perfectam, & omnibus numeris absolutam, nisi precedente intelligentia, & habitu informantem appetitum. Aut enim effectus electionis est proba hominis actio, aut improba. Atqui nulla actio hominis perfecte proba aut improba esse potest sine intelligentia praecunte, & habitu morali appetitum informantem. Ergo & nulla electio perfecta esse potest sine intelligentia praecunte, & habitu moris informantem appetitum.

10 SVBDIT Autem statim difficilia quaedam verba: *Mens autem ipsa nihil movet: sed ea quae est alicuius gratia, & activa.* Difficilia, inquam, & quae varie ab Interpretibus explicantur. Placet verò cum Gallutio sequi Eustratium, nobilem, & antiquum Interpretem, licet nullius pretij apud Obertum Gifanium, nescio quae de causa. Itaque est sensus Philosophi iterum constituere discrimen inter intelligentiam practicam & speculativam, quod haec nihil moveat, cum non sit principium appetitionis, vel alicuius actionis humanae, sed solius contemplationis, in qua una quiescit: prior autem illa moveat appetitum ad operationem, cum non consideret veritatem propter se ipsam, sed propter operationem, veluti propter finem. Nimirum, cum activa sit, habet pro fine humanam actionem.

11 HINC Ansam desumit, ut eandem intelligentiam practicam, sive actricem, bipartito dividat in activam, & factivam, seu operatricem: quarum hoc est discrimen, quod prior finem suum habeat in sola actione positum: at verò posterior in opere aliquo exterius permanens. Vnde inferitur, priorem illarum praestabiliorem, seu nobiliorem esse: utpote cuius finis est actio elicita ab ipso agente, ipsumque perficiens: cum tamen posterior finem habeat extra ipsum agens in aliquo externo opere, seu artefacto. Scilicet, vnaquaeque facultas eo praestantior est, quo proximior sibi habet finem: ideoque & vis intellectus speculativa superat activam, quoniam in cognitione veri intimam sibi, & absque ullo diverticulo ad diversam potentiam, omnino quiescit: cum tamen activa vis intellectus, seu practica, quaerit actionem appetitus, tamquam finem. Quare quemadmodum eam ob causam sapientia & scientia sunt habitus excellentiores, quam prudentia; ita haec praestantior est arte: quoniam sapientiae & scientiae finis est, contem-

platio pura, prudentiae actio, & artis opus externum. Non enim ars, subindeque nec intelligentia operatrix, seu factiva, contenta est cognitione veri, neque etiam actione, nisi & praeterea aliquid exterius operetur.

12 ITAQUE Tres praedictae facultates intelligentis potentiae plurimum inter se dissident. Speculativa enim solum quaerit contemplationem veri, absque ordine ullo ad actionem, vel ad opus. Activa considerat quidem verum, sed propter actionem moralem, in qua mens activa terminum, sive finem sibi praefixum habet. Neque obest quod ipsa actio moralis referatur ad felicitatem hominis: quia cum haec sit perfectio immanens in ipso homine, quamvis actio moralis in eam ordinetur, non propterea existimatur referri ad aliquid omnino extra se positum. Activa itaque facultatis scopus & finis, est actio moralis perfecta. Tendit enim eo, ut ira, cupiditas, timor, invidia, tristitia, voluptas, aliaque eiusmodi perturbationes, in mediocritate se contineant, inter exuperantiam & defectum: eoque fine obtento quiescit, quoniam exinde habetur felicitas humana & civilis, quae in actione perfecta secundum Virtutem moralem sita est. Denique facultas intelligentiae operaria, seu factiva, quemadmodum medio habitu artis molitur aliquod opus externum & artificiosum, ita & in eo suum finem ac scopum habet, neque ultra progreditur.

12 ADDIT Deinde: *Quapropter electio, vel intellectus est appetitivus, vel appetitus intellectivus: & tale principium est homo.* Quibus verbis inferit ex doctrina praedicta, electionem esse, aut intellectum appetitivum, aut appetitum intellectivum. Vbi nomine intellectus & appetitus, non potentia intelligens & appetens, sed intellectio & appetitio, quae sunt operationes utriusque, accipiendae sunt: cum manifestum sit, electionem non esse potentiam, sed operationem. Itaque sensus est, electionem esse aut intellectioem appetentem, aut appetitionem intelligentem. Rationemque subindicat verbis sequentibus: *& tale principium est homo.* quoniam, nimirum, homo constans intellectu & voluntate est principium quod intra seipsum, sive immanenter, agit intellectioem appetitionemque, & proinde electionem. Vnde & formula haec fere subduci potest Omnis actus immanens hominis prout constantis simul mente & voluntate, aut est intellectio appetens, aut appetitio intelligens. Atqui electio est actus immanens hominis, prout constantis mente & voluntate. Ergo electio aut est intellectio appetens, aut appetitio intelligens. Maior propositio est perspicua: quoniam homo, quatenus constans simul mente & voluntate, intelligit & appetit. Minor autem suadetur: Quoniam aut electio est ope-
ra-

ratio intellectus adiunctam habens appetitionem, aut est appetitio associata deliberatione operatio voluntatis seu antegrella seu associata deliberatione intellectus. Quodcumque autem eorum sit, planè constat, debere esse actum immanentem hominis, quatenus mente ac voluntate præditi. Itaque homo secundum mentem & appetitum est principium efficiens electionis.

14 SI Autem aliquis quærat, an aliquid aliud principium electionis sit in homine, præter intellectum & voluntatem; Responderet ijs ipsis verbis paulo antè explicatis: & *tale principium est homo*. Nimirum, mens & voluntas sunt electionis principium *quo*: homo autem utraq; facultate præditus est principium *quod* eligit, sive agit. Hæc, nimirum, differentia est inter potentiam & suppositum, ut operatio procedat à potentia, tanquam ratione agendi; à supposito autem, tanquam ab agente simpliciter. Cum enim alijs locis doceat idè Philosophus, actiones esse suppositorum, & naturam esse principium motus eius in quo est; consequenter, imò & urgentiori ratione, hoc loco asserit electionem non ita à mente & appetitu procedere, ut homo non sit verum electionis principium *quod*, quippe cui omnis earum facultatum operatio adscribitur, veluti primo principio, è cuius essentia omnes potentie operatrices naturaliter fluunt, veluti prædidiariæ facultates ad operandum.

15 ADDIT Præterea, electionem non esse de ijs, quæ iam præterita & facta supponuntur, sed de ijs tantum quæ futura & faciendâ à nobis sunt. Formula probationis sit: Nulla consultatio fit de præteritis, & iam factis, sed tantum de futuris; & non de quibuslibet futuris, sed de ijs, quæ à nobis ipsis fieri possunt contingenter: ut lib. 3. cap. 3. statutum est. Atqui electio est effectus consultationis, eiusque ductum sequitur; ut ibidem quoque, & cap. 2. præcedenti, dictum fuit. Ergo electio non est de præteritis, & iam factis, sed tantum de futuris; & quidem ijs, quæ à nobis ipsis fieri contingenter possunt. Exemplumque statim adhibet dum inquit: *Nemo enim eligit Ilium expugnasse*: siquidem excidium Troiæ longè antea præcessit: & nemo consultat de re iam facta, sed de futurâ, & à se faciendâ. Idque adhuc probare pergit ab absurdo. Si enim quis consultare, seu deliberare posset de re iam factâ, & præteritâ, sequeretur, infectum seu non factum reddi posse id, quod semel iam factum & præteritum est. Hoc autem communi omnium sensu absurdum & ἀδύνατον censetur. Quare laudat in eum finem versus Agathonis, sui olim sodalis, & condiscipuli in aula Platonis: qui, vel ipsi Deo, cuius potestas & dominium nullo termino coercetur, dixit impossibile esse, ut quæ semel facta sunt, infecta reddat. Versus

Græci Agathonis in ipso textu sunt:

Μὴ γὰρ αὐτὸ καὶ θεὸς ὀλεῖσθαι,
ἀγένητα πρὶν ἢ ὑπεργαγμένα.

Quos Argyropilus, non servato eodem metri genere, Latine, & satis eleganter reddidit duplici hexametro, ut habes in littera. Nos, servatâ lege senarij iambici, ita vertimus.

*Res namque sola hæc subiacet nunquã Deo,
Quæ facta sunt, infecta posse reddere.*

Cui sententiæ consonat illa alia Plinij apud Petrum Victorium hoc loco aientis de Deo, nullum habere in præterita ius, præterquam oblivionis. Similiter & sententia Pindari in hymno 2. Olympiorum, ubi accinit, temporum omnium parenti, sive Saturno, id quoque negatum, ut possit facere non præterita ea, quæ semel præterita sunt.

16 HVIC Doctrinæ opponet aliquis esse contrariam Patribus, quorum aliqui docent, Deum posse facere, ut quæ facta iam sunt, non fuerint facta. Id potissimum tradere videtur S. P. N. Petrus Damianus, Cardinalis doctissimus Opusc. 36. cap. 13. ubi ita loquitur: Quantum ad æternitatem suam, quid potuit Deus, hoc etiam & potest, quia præsens eius in præteritum nunquam vertitur: eius hodie non in cras, vel in aliquod temporis vicissitudine permutatur. sed sicut ipse semper est, quod est; ita quidquid illi adest, semper adest. Quapropter sicut ritè possumus dicere, potuit Deus ut Roma, antequam facta fuisset, facta non fuerit; ita nihilominus possumus & congruè dicere, potest Deus, ut Roma, etiam postquam facta est, facta non fuerit. Potuit secundum nos: potest secundum se. Illud enim posse, quod habebat Deus, antequam Roma fieret, immutabile semper apud æternitatem Dei, & intransibile perseverat. Et ut de quacumque re possumus dicere, quia potuit eam Deus: valeamus etiam nihilominus dicere, quia potest eam Deus; quia posse eius, quod sibi utique coæternum est, fixum semper atque immobile est. Potuisse enim Dei apud nos est tantummodo: apud ipsum autem, non potuisse, sed immotum, constans, atque immutabile posse, semper est. QVODCVMQVE ENIM POTUIT DEVS, INDVBITANter ET POTEST. apud quem, nimirum, sicut non est esse & fuisse, sed sempiternum esse: ita consequenter non est potuisse & posse, sed immobile semper & perpetuum posse. Hæc Damianus: iuxta cuius doctrinam, rationemque urgentissimam, ex immutabilitate divinæ potentie & æternitatis desumptam, videtur Deum posse facere, ut quæ iam facta sunt, facta non sint. Ergo immeritò Aristoteles laudat probatque versus Agathonis, oppositum accinentis.

17 RESP. Agathonis effectum non ad-

adversari doctrinâ Patrum, ne Damiani quidem, præiacto testimonio tradita: nec communi Theologorum sensui, cui nihil magis conforme est, quam existimare, Deum facere non posse, ut quod præteritum iam est, non fuerit præteritum; aut quod iam factum est, infectum sit. Intelligendus enim est Damianus de potestate Dei per se ac simpliciter considerata, quæ æterna omnino est, nulloque respectu ad differentias temporum intelligitur posse equaliter omnia. Cum hoc tamen coheret, quod habito respectu ad differentias temporum, non possit facere nunc, seu de præsentibus, ut quod tempore præterito factum iam est, & supponitur; factum omnino non sit. Nimirum, hic sensus est, qui *compositus* dicitur, & iuxta quem indecens Deo non est, ut aliquid facere non possit; idque non modo circa præterita, sed circa præsentibus etiâ res, tum necessarias, tum & contingentes. Quod idem ipse Damianus disertè tradit capite quinto eiusdem Opusculi in hæc verba: Quidquid nunc est, quandiu est, non esse impossibile est. Et insuper: Quod ergo dicitur de præteritis, hoc consequitur nihilominus de rebus præsentibus, & futuris: nimirum, ut sicut omne quod fuit, fuisse necesse est; ita & omne quod est, quandiu est, necesse sit esse, & omne quod futurum est, necesse sit futurum esse. Atque ideo quantum ad ordinem diiudicandi, quidquid fuit, impossibile sit non fuisse; & quidquid est, impossibile sit non esse; & quidquid futurum est, impossibile sit futurum non esse. Hactenus ille. Cum igitur indecens non sit Deo ut facere non possit illud quod est impossibile (quod passim Patribus & Theologis in ore est) consequens sit, ut ex Damiani sententia, Deus absque indecentiâ vlla nequeat facere, ut id quod iam præteritum est, non sit præteritum: siquidem expressè docet, id esse impossibile.

18 QVIN Potius si ita non esset, considerata potestate Dei cum respectu ad differentias temporis, indecentia in Deo argueretur: quoniam faceret, id quod antea verum fuit, non fuisse verum, sed falsum. In quod probandum est illustre Augustini testimonium libro vigesimo sexto contra Faustum cap. quinto: ubi ita loquitur: Quisquis ita dicit; Si omnipotens est Deus, faciat ut quæ facta sunt, facta non fuerint; non videt hoc se dicere; Si omnipotens est Deus, faciat ut ea, quæ vera sunt, eo ipso, quo vera sunt, falsa sint. Potest enim facere ut aliquid non sit, quod erat: tunc autem facit ut non sit, quando id esse invenit, de quo fiat: velut cum aliquem, qui cœpit esse nascendo, facit non esse moriendo. hoc enim factum invenit, de quo fieret. Quis autem dicat, ut id, quod iam non est, faciat non esse? Quidquid enim præteritum est,

iam non est. Quod si & de ipso fieri aliquid potest, adhuc est de quo fiat. Et si est, quomodo præteritum est? Non ergo est quod verè dicimus fuisse: sed ideo verum est illud fuisse, quia in nostra sententia verum est; non in ea re, quæ iam non est. Sententia quippe, quæ dicimus aliquid fuisse, ideo vera est, quia illud, de quo dicimus, iam non est. **HANC SENTENTIAM DEVS FALSAM FACERE NON POTEST, QVIA NON EST CONTRARIVS VERITATI.** Quid subtilius, aut opportunius. Id ipsum fere legere est apud S. P. N. Anselmum lib. 2. Cur Deus homo capite 17. Hugonem Etherianum lib. 1. contra Græcos cap. 15. & Cyrillum lib. contra Anthropomorphitas cap. 13. Vbi movens quæstionem ipsam, in qua Damianus ubi supra versabatur, Cur, scilicet, Deus eam, quæ stuprum passa est, nunquam facere possit ne stuprum passa sit; respondet, ideo esse, *ὅτι ὁ θεὸς θεὸς δύναται ἀλλ' ὁ θεὸς τοιοῦται*, &c. *Quoniam non potest mendacium veritatem facere. Neque verò imbecillitatis istud vitium est, sed nature probatio nihil pati sustinentis, quod ipsam dedecet. Alienum autem est penitus à Deo mendacium. porro mendacium est, efficere, ut quæ stuprum passa sit, nunquam sit passa.*

19 MITTO Plura alia in id confirmandum, ostendendumque, non immeritò ab Aristotele laudari probarique versus Agathonis, negantis posse Deum infecta reddere, quæ semel facta sunt. quippe in quo, intellecto ut par est, nihil absurdi apparet, vel alienum à veritate, aut doctrinâ Patrum.

20 CIRCA Quartam partem decernit, munus, seu functionem propriam utriusque intelligentiæ, nimirum, speculativæ & practicæ, esse investigationem inventionemque veritatis: eo tamen discrimine, ut prior perquirat verum necessarium & invariabile, in eiusque contemplatione quiescat: posterior autem quærat verum contingens, ac varietati obnoxium, & nullatenus in eius cognitione sedem figat, sed transeat ad actionem. Unde & consequenter infertur, intelligentiam illam practicam, quæ operaria est secundum artem, & vulgò factiva dicitur, etiam perquirere veritatem: non tamen ut in contemplatione sistat, imò neque in actione, sed tantum in opere externo, quod potissimum quærit. Nimirum, omnes eiusmodi intelligentiæ quærunt verum sibi proportionatum, & in eo, ut fine, quiescunt, suamque perfectionem sortiuntur.

21 INFERT Exinde, omnes eos habitus, quibus intelligentia speculativa, activa, & operaria, perquirunt verum sibi proportionatum, esse Virtutes, earundem facultatum perceptrices. Quo ipso gradum facit ad discernendum de Virtutibus intellectuualibus: de Intel-

lectu quidem, Scientia, & Sapientia, tanquam de habitibus facultatis speculativa: de Prudentia, veluti propria facultatis intelligentis actusque: ac denique de Arte,

tanquam perficiente vim intellectus operariam.

VIDE D. Thom. 1. q. 79. art. 9. 10. & 11. atque illius Interpretes.

CAPVT TERTIVM.

Habituum intellectualium enumeratio. Quod scientia obiectum, qua proprietates?



E Ipsis igitur rursus dicamus oportet, altiùs initio sumpto. Sint itaque ea, quibus verum anima dicit affirmando, aut negando, numero quinque. Hæc autem sunt, ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus. Fieri enim potest, ut falsum existimatione, opinioneque dicat. Scientia igitur quidnam sit, hinc perspicuum est, si exactè dicere oportet, & non similitudines sequi. Omnes enim putamus id, quod scimus, aliter sese habere non posse. Quæ verò possunt aliter se habere, post contemplationem latent si sint, an non sint. Ipsum ergo scibile necessariò est: ergo est æternum. Quæ enim necessariò simpliciter sunt, æterna sunt omnia. At æterna, ingenita, & incorruptibilia sunt. Præterea, omnis scientia doceri, & scibile disci posse videtur. At ex antea notis (ut in resolutivis etiam diximus) fit omnis doctrina. Nam alia per inductionem, alia per ratiocinationem efficitur. Atque inductio quidem principium est ipsius universalis. Ratiocinatio autem est ex universalibus. Sunt enim principia, ex quibus ipsa ratiocinatio constat, quorum non est ratiocinatio: ergo inductio. Scientia ergo demonstrativus est habitus: & cætera, quæ in resolutivis determinavimus. Tum enim quispiam scit, cum aliquo modo credit, & sunt ipsi principia nota. Si enim non sint magis, quàm conclusio, nota, per accidens habebit scientiam. De scientia igitur sit hoc modo determinatum.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Virtutum intellectualium habitus esse quinque: Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam, & Prudentiam. Eam porò divisionem esse exactam. Scientia propriè dicta ex quibusdam causis procedat, in qua materia versetur, & quanam sit propria illius ratio.



VM Aristoteles sine capitis præcedentis indicasset, Virtutes animæ intelligentis esse quosdam habitus, quibus facultates eius, speculativa, activa, &

operaria, attingunt verum sibi subiectum, seu propositum; nunc eisdem habitus recenset quinque numero: nimirum, Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam, & Intellectum. Dividitur caput in duplicem partem. Priore illarum,

rum, enumerat prædictos actus, & assignat functionem, in qua omnes ij conveniunt. Posteriore autem, decernit in singulari quid sit scientia, quænam illius materia, & proprietates.

2 CIRCA Priorem partem, orditur altiùs disputationem superioribus inchoatam, pronuntiatque, esse quinque habitus (nimirum, nuper enumeratos) quibus anima affirmando vel negando, verum enuntiat. Id enim supponit esse de ratione Virtutis intellectualis. Quare statim ab eo genere excludit *ὑπόληψιν καὶ δόξαν, existimationem & opinionem*. quæ duo, prout in presenti accipiuntur, synonyma sunt, quanquam alioqui, & apud eundem Aristotelem nominatim lib. 3. de Anima, *ὑπόληψις*, seu existimatio, accipiat ut genus quoddam commune opinioni, & quinque Virtutibus intellectualibus: cum omnes illæ sint principium alicuius existimationis, sive iudicij: quamvis aliter & aliter. At enim: *Sunt autem ipsius existimationis hæc differentie: scientia, opinio, prudentia, &c.*

3 PORRO Existimationem, acceptam pro opinione, excludit ab albo Virtutum intellectualium, hoc fere discursu, quamvis solum leviter indicato in ipsa littera. Omne id, quo anima intelligens falli potest, non est Virtus ipsius. Atqui opinione anima intelligens falli potest. Opinio igitur non est Virtus ipsius. Maior propositio supponitur ex dictis sine capitis præcedentis, ubi traditum iam est, Virtutes intellectuales esse perfectiones animæ intelligentis. Id autem, quo anima falli potest, non est illius perfectio, sed potius imperfectio. Minor autem non solum traditur à Philosopho hoc loci dicente; *Fieri potest ut falsum existimatione opinioneque dicatur: sed etiam per seipsam constat: cum de ratione opinionis sit assensus in alteram contradictionis partem cum formidine de opposito. quo ipso satis ostenditur, opinionem esse posse falsam.*

4 VNDE Ex adverso subducitur ratio probans, quinque habitus enumeratos, esse Virtutes intellectuales. Omnes enim habitus perficientes animam, sive affirmet aliquid, sive neget, sunt Virtutes intelligentis animæ. Atqui Ars, Scientia, Prudentia, Sapientia, & Intellectus, sunt habitus perficientes animam, sive affirmet, sive neget. Ergo omnes quinque sunt Virtutes intelligentis animæ. Maior patet ex communi ratione Virtutis, quæ nemo malè vititur, sed potius perficitur, quotiescumque secundum illam operatur. Minor autem suadetur ratione insinuatâ ab ipso Arist. Quia omnis habitus, secundum quem anima semper verum dicit, sive affirmet, sive neget, proculdubio perficit animam: cum dicere verum sit quædam illius perfectio. Atqui secundum Artem, Scientiam, Prudentiam, Sapientiam, & Intellectum,

anima semper verum dicit, sive affirmet, sive neget. Differunt enim ab opinione, quoniam præ illa nunquam dicunt falsum. Ergo prædicti habitus sunt perficientes animam.

5 SED Occurrit statim scrupulus: Quia non videtur vera assumptio Philosophi, afferentis, & non probantis, animam semper dicere verum ijs quinque habitibus intellectualibus. Certum enim est, & experimento constat, quandoque Prudentiam humanam falli, similiter & Artem deficere: atque adeo non semper dicere verum. Sed tamen hæc difficultas facile solvitur asserendo, animam medijs habitibus Artis & Prudentiæ semper dicere verum, sive affirmet, sive neget, quantum est ex capite ipsorum habituum, qui spectatâ naturâ suâ, semper inclinant ad verum; Ars quidem ad verum operabile; Prudentia autem ad verum agibile, seu eligibile. Quod si verò aliquando non dicant id quod re ipsa verum est, solum est per accidens, & ex lubrica atque inconstanti conditione materiæ, in qua versantur. In quo sanè differunt à Scientia, Sapientia, & Intellectu, versantibus in materia necessaria & immobili: ac proinde impotentibus dicere falsum; tam ex parte suâ, quam materiæ subiectæ. Differunt etiam ab opinione, quæ adhuc ratione sui, & in qualibet materiâ, sive necessaria, sive contingenti, errare potest: cum etiam circa essentias & proprietates rerum, sint utrimque opiniones, de quarum ratione est ut includant formidinem falsi.

6 VT Autem præoccupentur difficultates aliquæ adversus divisionem Virtutis intellectualis in quinque habitus prædictos, quasi exacta non sit, seu non comprehendat omnes species sub eo genere contentas; adnotare oportet, Aristotelem hoc loci noluisse recensere omnes habitus utcumque perficientes intellectum hominis; sed eos tantum, qui illum perficiunt tanquam veræ Virtutes; id est, naturâ suâ, semper, atque in qualibet materiâ. Hoc autem solum competit quinque habitibus recensitis: quoniam ex se, & semper, atque in qualibet materiâ, perficiunt intellectum: vix potè firmissimi & constantissimi ad dicendum verum, præ alijs habitibus intellectualibus. Quare divisio Virtutis intellectualis in eos quinque habitus est adæquata.

7 QVOD Ipsum ad mentem Aristoteles docet D. Thomas 1. 2. q. 57. art. & probat hoc fere discursu. Totidem solum vniuscuiusque facultatis Virtutes sunt, quot eam perficiunt simpliciter, veluti bonum ipsius proprium. Atqui facultatem intelligendi perficiunt simpliciter soli quinque habitus iam enumerati, tanquam proprium ipsius bonum. Ergo soli quinque habitus iam enumerati sunt Virtutes facultatis intelligendi: ideoque divisio tradita adæquata est. Maior eum consequen-

quæntiâ quo ad utramque partem est perspicua. Minor autem suadetur. Atque primò quidem, quòd ij quinque habitus perficiant simpliciter facultatem intelligendi, veluti bonum ipsius proprium, patet: quoniam omnes ij constituunt illam certò cognoscentem, & absque fallacia vlla. quod sane bonum ingens est, & perfectio magna intellectus. Quod autem ij quinque habitus soli id præstent, probatur & explicatur: Quoniam verum cognoscibile certò ab intellectu, & absque fallacia vlla, aut est generale, aut singulare. Porro verum generale, aut est cognoscibile per se & absque vllò præsidio interiecto, seu, quod perinde est, ex solâ apprehensione vocum; & sic cognoscitur solo habitu primorum principiorum, qui dicitur *Intellectus*. Aut cognoscibile est solùm medio aliquo interiecto præsidio ratiocinationis: & hoc rursus distinguere oportet. Vel enim cognoscitur per supremas causas, primaque principia: & sic pertinet ad solam Sapientiam. Vel per inferiores & peculiare causas: quo sensu spectat ad solam Scientiam. Nullus autem alius modus est cognoscendi certò, & absque fallaciâ vllâ, verum generale, præter tres prædictos. Si autem verum cognoscibile sit singulare; aut est earum rerum, quæ sub actionem & electionem cadunt; aut earum, quæ sub effectione. Priori consideratione solùm spectat ad Prudentiam: posteriori autem ad Artem dumtaxat: ut apparebit expendenti proprias vniuscuiusque rationes. Igitur de primo ad vltimum facultatem intelligendi perficiunt simpliciter soli quinque habitus iam enumerati, tanquam proprium ipsius bonum.

8 CIRCA Posteriolem partem exponit seorsim, quid sit Scientia, quodnam illius subiectum, siue materia, & quænam proprietates. Et quidem hoc loci ἐπιστήμη, *Scientia*, ab Aristotele non sumitur latè, vt sæpe alias secundum acceptionem communem alijs habitibus intellectualibus: sed angustè aut pressè pro habitu illo, cuius est veritari circa materiam necessariam certò, atque infallibiliter: atque eodem planè sensu, quo ipse Philosophus nomen Scientiæ accepit 1. Poster. cap. 2. tritò illo testimonio: *Scire est rem per causam cognoscere, & quòd illius sit causa, & quòd non potest res aliter se habere*. Prius tamen, quam rem definiat, præmittit ac distinguit quasdam proprias Scientiæ notas, quibus internoscatur ab alijs intelligentiæ habitibus: idque adversus quosdam, præsertim adversus Platonem in *Theateto*, vt vult hoc loco Giphanius, quoniam minùs bene Scientiam vnum eundem habitum existimârunt cum quibusdam alijs, qui aliquam solùm Scientiæ similitudinem referunt. Quam illorum æquivocationem ex similitudine ortam illustrat Eustratius exemplo

illius, qui columbam appellaret palombem, propter aliqualem vtriusque similitudinem: cum tamen simpliciter differant inter se. Ita etiam peccârunt, qui Scientiam proprie dictam cum Arte, alijsque habitibus, confuderunt, quasi idem omnino sint, cum tamen solùm similes quoddammodo existant.

9 IGITUR Loquendo de Scientia propriè, atque exactè, & non per similitudines, docet, propriam illius rationem colligi ex còmuni omnium sensu. Omnes enim sibi persuasum habent se tunc aliquid scire, cum aliquid ita firmiter cognoscunt, vt se aliter habere non possit. Quippe in eo potissimùm apparet peculiaris nota scientiæ, ac distinctio à cæteris habitibus, maximè verò ab opinione, quæ incerta proflus est, & pronuntiat incertum, quodque aliter se habere contingat. Quare idè Arist. in lib. Magn. Moral. cap. vlt. ait, animum nostrum, quoties opinatur, ἐπιπορευεῖσθαι, *ambigere*: id est, modo hoc, modo illud sentire. A quo loquendi stilo non differt Plato vbi paulo ante antè, dum ait, opinionem esse veluti androgynum, similitudine ductâ ab hermaproditis. nam quemadmodum ij sunt aliquid medium inter virum & mulierem, ita etiam opinio est medium quoddam inter verum & falsum.

10 EXPONIT Itaque propriam rationem Scientiæ ex parte suæ causæ: ac tria potissimùm pronuntiare videtur. Primum est, Scientiam gigni ex præcedenti cognitione. Secundum, gigni ex syllogismo. Tertium, non ex quocumque syllogismo, sed apodictico, siue demonstrativo. PRIMVM eorum trium sic pene probat. Omnis doctrina & disciplina intellectualis fit ex præcedenti cognitione. Scientia autem fit ex doctrina intellectuali. Ergo & fit ex præcedenti cognitione. Maior probata supponitur ab ipso Aristotele in libris Posteriorum, in quorum initio docet, omnem doctrinam, omnemque disciplinam, ex antegressa cognitione procedere. Minoris probationem subindicat in præsentis: quoniam Scientia versatur circa scibile: nimirum, circa id, quod doceri potest à Magistro, & disci ab eius auditore. Vbi notandum obiter cum Acciaiolo, doctrinam & disciplinam esse idem ex parte subiecti, differre autem ratione, vt via quæ ducit ab Athenis Thebas, & à Thebis Athenas. Quo eodem exemplo vsus est Aristoteles 3. Physic. cap. 3. & D. Thomas ibidem lect. 5. Scientia enim, prout traditur à Magistro, dicitur doctrina: prout autem excipitur à discipulo, vocatur disciplina. Notandum præterea, Scientiam rarò obtineri sine docente, inventione solâ, & à paucissimis præcellenti ingenio præditis: vt supra lib. 2. cap. 1. dictum est. Vnde illud Senecæ lib. 7. Epist. 53. *Nemo per se satis valet, vt emergat. Oportet, manum aliquis porrigat,*

ali.

aliquis adducat. Quosdam ait Epicurus ad veritatem sine ullius adiutorio existisse. Hos maxime laudat, quibus ex se impetus fuit: qui seipsum protulerunt. Quare frequenter scientia acquiritur ex doctrina, seu institutione Magistrorum, si proprio cuiusquam ingenio promoveatur postea, laudi adscribitur, quamvis non summa: ideoque addit statim idem Seneca ex Epicuro ipso, quosdam indigere ope aliena, non ituros, si nemo praecesserit: sed bene secuturos. Praclarum hoc quoque: sed secundae sortis ingenium. Quo ipso satis explicata manet illa maior propositio syllogismi, in qua assumebatur, omnem doctrinam, omnemque disciplinam, gigni ex antegressa cognitione: similiter & minor propositio, in qua diximus, Scientiam fieri, seu gigni ex doctrina, scilicet, communiter loquendo, quo sensu, nemo evadit sciens, nisi docente aliquo.

11 SECUNDVM Aristotelis pronuntiatum est, Scientiam gigni ex syllogismo: & probatur. Omnis doctrina, quae ex precedenti cognitione fit (ut iam probatum est) aut fit per syllogismum, aut per inductionem. Atqui Scientia fit ex doctrina, ut nuper etiam probavimus. Ergo Scientia aut fit per syllogismum, aut per inductionem. At non per inductionem. Ergo superest ut fiat per syllogismum. Explicatur probatio in gratiam eorum, qui Dialecticæ documentis imbuti non sunt. Enthymema est progressus quidam mentis ab una propositione, quae antecedens dicitur, ad conclusionem. De utraque argumentationis specie dixerit Arist. in libris Priorum. Inductio est argumentatio in qua ex singularibus sufficienter enumeratis, propositio universalis colligitur: ut, hic ignis calefacit, & ille, & ille, ac si de ceteris omnibus. Ergo omnis ignis calefacit. Exemplum denique est argumentatio, in qua ex uno aliove singulari proceditur ad aliud singulare, ob similitudinem rationis. Ut cum dicitur Dionysius clandestinis insidijs tyrannidem agere: similiter & Pylistratus, & nonnulli alij. Atqui etiam Carilina clandestinis insidijs utitur. Ergo etiam ipse aggreditur tyrannidem. De inductione & exemplo dixerit Aristoteles in libris Topicorum. Enthymema reducitur ad syllogismum, tanquam imperfectum ad perfectum: exemplum vero ad inductionem: ut idem Aristoteles in Posterioribus ait. Hoc praenotato, apparet vis probationis praefactae. Scientia, cum sit de universalibus, debet acquiri illo argumentationis genere, quod sit circa universalia. Atqui syllogismus est quoddam genus argumentationis circa universalia: inductio vero non, nisi circa singularia. Ergo scientia acquiritur, seu fit per syllogismum; non autem per inductionem.

12 TERTIVM Denique assertum est,

Scientiam fieri, seu gigni, non quolibet syllogismo, sed apodictico, seu demonstrativo. Cum enim scire sit cognoscere rem firmiter, ita ut non possit aliter se habere, syllogismus per quem gignitur Scientia, debet procedere, non solum ex principijs universalibus, sed necessario connexis cum conclusione. At solus syllogismus demonstrativus procedit ex principijs universalibus necessario connexis cum conclusione. Scientia ergo solum gignitur per syllogismum demonstrativum. Quare communiter scientia definitur solent *habitus per demonstrationem acquisitus*. Similiter & demonstrationis definitio frequenter admittitur, *syllogismus faciens scire*. De quibus vide quae diximus in Philosophia Rationali disp. 2. ferè per totam.

13 ADDIT, Omne scibile esse aeternum, quia necessario est; & omne id, quod necessario est, aeternum est etiam: ut potè ingenerabile, & incorruptibile. Quibus verbis videtur supponere suam illam opinionem circa aeternitatem caeli, & materiae primae, ac denique circa mundum ipsum, quam tradidit pluribus locis, praesertim vero lib. 8. Physicorum, ubi late illam impugnavimus disp. 43. & 44. Adhuc tamen exponi potest, ut solum loquatur in praesenti de connexionem necessariam praedicatorum, quae dicitur aeternae veritatis, in ipsis essentijs ac proprietatibus rerum; & aeterna est quoddammodo, licet nullum esse reale positivum (quocumque nomine illud appellatur) habeat ex aeternitate: ut late ostensum à nobis est in Metaph. disp. 4. per totam. Nam licet essentiae rerum solum habeat ex aeternitate connexionem obiectivam praedicatorum essentialium cum proprietatibus, adhuc id sufficit ut sint obiectum Scientiae: siquidem ex essentijs rerum inferitur necessario exigentia proprietatum cum ijs connexarum, quae aliter se habere non possit: ut proinde si essentia sit in statu possibilitatis, in eo etiam connectatur cum proprietatibus possibilibus: si autem existens, necessitudo exigat proprietatum realem existentiam: si denique secundum se considerata, pariter claudat in suo conceptu obiectivo exigentiam earundem proprietatum. Omne ergo scibile, quoddammodo est aeternum necessariumque: ac proinde Scientia est de aeternis & necessarijs.

14 ADDIT Praeterea, inductionem esse principium ipsius universalis. Nimirum, inductio est via, & preparatio quaedam ad percipiendum propositionem universalem in ijs rebus, in quibus universalia sunt nobis minus nota, quoniam supergrediuntur omnem sensum: ut potè solum veriantem circa singularia. Cognitis enim sufficienter singularibus per inductionem, devenitur ad cognoscendam propositionem universalem; & deinde ex uni-

versalibus propositionibus, tanquam ex principijs proprijs & proximis cuiusque rei, devenimus ad probandum conclusiones in syllogismo demonstrativo. Quare verè dicitur ab Arist. inductionem esse principium propositionis universalis.

15 ADDIT Insuper, universalia esse principia, quorù non est ratiocinatio; nimirù, apodictica, seu demonstrativa: quoniã, vt ipse statim subdit, principiorù non est ratiocinatio, sed inductio. Nò enim Scientia probat à priori sua principia: quoniã sic oporteret illa probare ex alijs principijs, & hæc rursù ex alijs: ac proinde eliet abitio, seu processus *eis τὸ ἀπέωρον*, seu *in infinitum*. Quare principiorù eiusmodi nulla est ratiocinatio, seu probatio demonstrativa, sed tantùm inductio, quã colliguntur ex singularibus sufficienter enumeratis: vt supra exemplo declaratum est. Si autem sint prima principia, quæ dicuntur maxima axiomata, seu dignitates, nulla inductione opus est: quoniam statim ex prima vocum notione, seu apprehensione, innotescunt: vt latè traditur in libris Posteriorum.

16 EXPLICATA Iam præcedentibus Scientiã, tum ex parte causæ, ex quã gignitur, tum ex parte scibiliũ, seu materiæ necessariæ, & æternæ, circa quam versatur, procedit ad assignandam eius definitionem, vt sit *ἐπιστήμη ἀποδεικτική*, habitus demonstrativus. Cæterorum verò, quæ ad plenam Scientiæ cognitionem spectant, discussionem remittit ad ea, quæ in Analyticis: vbi plenius expressit, Scientiam esse habitum adquisitionem per demonstrationem ex principijs veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisq; conclusionis. Ex principijs, inquam, veris: quia scientia dumtaxat est eorù, quæ aliter se habere non possunt: ea autem vera sunt. Ex primis, id est, principijs proprijs rerum, seu conclusionum: quoniam id unicuique primum est, quod maximè proprium est.

Ex immediatis: quoniã omne principium proprium cuiusque rei, debet esse immediatè conexum cum illa. nam si solùm mediatè, nò erit principium propriũ, sed commune, sive extraneum. Ex notioribus: quoniam debent esse rationes deveniendi in notitiã conclusionum: propter quod autem vnumquodque est tale, & illud magis: vt passim Philotophi ingeminant. Ex prioribus: quoniam priusquam conclusio inferatur, oportet assensum præstare principijs, ex quibus illa est deducenda. Ex causis tandem: quoniam, vt supra vidimus *num. 8.* ex trito illo testimonio Posteriorum, scire est remper causam cognoscere, & quòd illius sit causa, & quòd non possit aliter se habere. Patet igitur, Scientiam esse habitum adquisitionem per demonstrationem ex principijs veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus, causisque necessarijs conclusionis.

17 EXPONIT Amplius requisitum illud paulò antè indicatum, quòd principia, ex quibus procedit demonstratio, sint notiora: quia *tum quispiam scit, cum aliquo modo credit, & sunt ipsi principia nota. Si enim non sunt magis, quàm conclusio, nota, per accidens habet scientiam.* Vbi verbum *τὸ πιστεῖν*, credit, non accipitur præse pro actu credendi, sed latius pro assensu firmo & evidenti, qui debet adherere magis principijs, quàm conclusioni deductæ. Non enim potest cognosci ignotum per ignotius, sed per causam notio-rem. Alioqui enim Scientia non erit per se, sed per accidens. Vbi observandum est, notitiã principiorum, non haberi per Scientiam, sed solùm per habitum principiorum, qui dicitur Intellectus: eaque supposita in mente, veluti clariore, & evidentiore, inferri necessariam conclusionem per habitum Scientiæ.

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 1. & 2. atque ipsius Interpretes.

CAPVT QVARTVM.

De Arte.



FORMA Autem, quæ aliter sese habere possunt, est & aliquid, quod sub effectiõnem, & aliquid, quod sub actionem cadit. Diversa verò sunt effectio, atque actus. De his autem ipsis, & exterioribus sermonibus credimus. Quare & habitus, qui cum ratione activus est, diversus est ab eo habitu, qui cum ratione est effectivus, neque alterũ ab altero continetur. Neque enim effectio actus est, ne-

b

que

que actus effectio. Atqui cum extruendarum ædium facultas ars quædam sit, ac habitus quidam faciendi cum ratione, nullaque sit ars, quæ non sit habitus faciendi cum ratione, nec ullus habitus talis, qui non sit ars, fit ut idem sit ars, atque habitus faciendi vera cum ratione. At verò circa generationem ars omnis versatur, & inventionem, contemplationemve, quoniam modo fiat eorum aliquid quæ & esse, & non esse possunt, & quorum principium non in eo quod efficitur, sed in ipso est faciente. Nam neque eorum, quæ necessariò sunt, vel fiunt, est ars, neque eorum, quæ sunt secundum naturam. Hæc enim in se ipsis habent principium ipsum. Cum autem effectio, atque actus diversa sint, artem effectiois esse, non actus, necesse est. Atque circa eadem quodam modo versatur ars, & Fortuna, quemadmodum & Agatho dicit:

Quippe ars fortunam, fortunaque diligit artem.

Ars igitur (ut diximus) habitus est quidam faciendi vera cum ratione. Contrarium autem artis habitus est faciendi, falsa cum ratione, circa id, quod sese aliter habere potest.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Quasdam rerum contingentium cadere sub effectioem, quasdam sub actionem. Has spectari à Prudentia, illas ab Arte, quæ est habitus efficiendi opus recta cum ratione. Eius propria functio quam sit, & qualiter comparetur cum Fortuna, atque habitu inertia, sibi contrario.



POSTQVAM Arist. differuit generationem de quinque habitibus Virtutum intellectualium, ac singillarim de Scientia, quæ versatur circa necessaria & æterna; nunc speciatim agit de Arte, quæ spectat ad aliud genus Virtutis intellectualis, & versatur in rebus contingentibus. Itaque hoc loco querit, quid sit Ars, quæ illius materia, & quodnam opus. qualiter differat à cæteris Virtutibus intellectualibus: & quisnam habitus sit contrarius Arti. Dividitur autem caput in quinque partes. In prima statuitur, duos circa contingencia versari habitus intellectuales, & alterum eorum esse Artem. In secunda traditur, Artem ex sua propria ratione esse habitum accommodatum ad efficiendum aliquod opus. In tertia assignantur functiones Artis: nimirum, consideratio & effectio alicuius operis. In quarta comparatur Ars quibusdam alijs, quibus aut similis, aut dissimilis est. In quinta denique exponitur habitus quidam contrarius Arti.

2 **CIRCA** Primam partem statuit initio, τὸ ἐνδεχόμενον, id est, contingens, seu id quod aliter se habere potest, bipartito dividi:

ut quoddam cadat sub effectioem, quoddam autem sub actionem. Cumque effectio & actio sint res diversæ, oportet assignare duplicem habitum diversum, quorum aliter versetur circa effectioem, alter verò circa actionem. Unde cum Ars sit habitus rectæ rationis ad efficiendum, sicut Prudentia ad agendum, oportet ut Ars sit habitus diversus à Prudentia. Formula autem rationis Aristotelicæ in id probandum, hæc ferè est. Omnes habitus intellectuales differunt inter se iuxta diversitatem materiae, in qua versantur. Atqui intra genus contingentium rerum effectio & actio sunt materiae diversæ. Ergo habitus intellectuales, qui intra genus rerum contingentium versantur in effectioem & actionem, sunt diversi. Ars autem est, quæ versatur in effectioem, & Prudentia in effectioem. Ergo habitus intellectuales Artis & Prudentiæ sunt diversi.

3 **PORRO** Effectioem, quæ vulgò dicitur factio, differre ab actione, non probat hoc loco Arist. sed probatū supponit in sermonibus exotericis, seu externis, ut vertit Argyropylus, sive exterioribus, aut extrarijs, ut verus Interpres D. Tho. Quinã porro sint ij communes, seu libri, res controversa est, quam iam ali-

alibi discussimus. Nunc sufficiat dicere, ea appellatione significatos hoc loco videri libros illos, in quibus non agitur de materia morali, sed physica, aut metaphysica, aut dialectica. Ij enim omnes videntur exoterici, seu extranei huic tractationi, quæ tota in rebus morum versatur. In ijs autem traditur diversitas inter actionem effectivamque: quæ sanè omnino inter se differunt: quatenus actio est aliquid perficiens ipsum subiectum, seu principium agens, & ad illius perfectionem, tum physicam, tum moralem, ordinatum. Est enim actus immanens appetitui, à quo procedit, velut principio efficiente: ut supra cap. 2. dictum est. Effectio autem est aliquid perficiens, non quidem ipsum agens, sed opus externum ab eo factum. Est enim operatio transiens in materiam externam, illamque expoliens, ac perficiens: ut patet in operationibus quarumlibet artium, quæ instrumento corporeo exercentur, & versantur in materia externa, ad perficiendam illam, iuxta regulas ipsarum. Hanc quippe doctrinam tradit idem Aristoteles lib. 9. *Metaph.* & ex ipso D. Thomas 1. p. q. 18. art. 3. ad 1. illis verbis: *Sicut dicitur lib. 9. Metaphys. duplex est actio: una quæ transit in exteriorem materiam, ut calefacere & secare: alia quæ manet in agente, ut intelligere sentire, ac velle. Quorum hæc est differentia: quia prima actio non est perfectio agentis, quod movet, sed ipsius moti: secunda autem actio est perfectio agentis.* Cum igitur adeò inter se differant actio, & effectio, sequitur planè, habitum recta cum ratione agentem, qui est Prudentia, differre omnino ab habitu recta cum ratione efficiente, qui est Ars. Nimirum, habitus differunt inter se iuxta diversitatem materiæ, seu operationis, in qua versantur. Vide quæ diximus in *Logica disput. 1. sect. 2.*

4 CIRCA Secundam partem tradit; Artem esse habitum mentis, natura sua aptum ad efficiendum aliquod opus, secundum rectam rationem: in eoque sitam esse rationem formalem Artis, quatenus differt à cæteris habitibus intelligentiæ, & ab ipsa Prudentia. ut potè, quæ non est habitus per se institutus ad efficiendum aliquid cum recta ratione, sed ad agendum. Eamque doctrinam illustrat exemplo: nam *ἡ οἰκοδομικὴ τέχνη, ars aedificandi*, seu extruendarum ædium, cui student fabri parietarij, & ipsorum magistri, seu architecti, est habitus quidam recta cum ratione comparatus ad efficiendam domum: idemque ipsum apparet in quibuslibet alijs habitibus, qui verè ac propriè Artium nomine censentur. Immo & Artes illæ, quæ solum cognominantur *καὶ ἐμοιότροπα, secundum similitudinem*, seu per quandam metaphoram, scilicet, liberales; etiam efficiunt recta cum ratio-

ne aliquid, ad modum cuiusdam operis. Quod tradit luculenter D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. ad 3. illis verbis: *In ipsis speculabilibus invenitur aliquid per modum cuiusdam operis: puta, constructio syllogismi, opus numerandi, & mensurandi. Et ideo quicumque habitus si speculativi ad huiusmodi opus ordinantur, dicuntur artes per quandam similitudinem scilicet, liberales.* Itaque omnis Ars propriè dicta, est habitus recta cum ratione efficiens aliquod opus, propriè etià dictum: impropria autè, seu liberalis, opus improprium. Aliunde verò, nullus est habitus recta cum ratione efficiens aliquod opus, nisi sit Ars: ut propterea cõversim se habeat. Igitur Ars, prout distincta ab omnibus alijs habitibus, nihil aliud est, quàm *ἡ ἐπιστὴς μετὰ λόγου ποιητικὴ, habitus quidam cum ratione efficiens.*

5 ARS, Inquam, propriè dicta, & non solum contrapoluta liberalibus disciplinis, sed quibusdam etià rebus, quæ per catachresim, seu abusum, appellatione artis significari solent. Etenim appellari solet ars, non solum habitus ipse, sed etià ratio quædam, seu via, aut progressio ad habitum comparandum, quæ Aristoteles aliquando methodum nominat. Vnde & apud Tullium idem est aliquid arte facere, ac via & ratione tractare, sive iuxta Artis præscriptum. Quin & in Acad. 4. in 1. de Oratore habetur illa descriptio Artis generatim sumptæ, ut sit, coacervatio, seu collectio præceptorum, ex multis perceptionibus, animi usu, & exercitatione acquisitis, atque in unum exitum vitæ vilis spectantibus. Verùm Aristoteles multò strictius hoc loci accipit nomen *ἡ τέχνη*, de Arte illa sola, quæ recta cum ratione est principium efficiendi, seu inducendi formam aliquam in materiam externam: quoniam verbum *τεχνάζω* apud Græcos propriè significat efficere aliquid ex præscripto Artis. Alioquin oporteret meditari communissimam quandam definitionem, quæ conveniret etiam malis artibus, & insidijs, ac dolis, qui etiam artes dici solent, præsertim apud Poetas. Quod verò idem Cicero lib. Tuscul. QQ. tribuat Aristoteli senarium illud carmen, *Quam quisque novit artem, in hac se exerceat*; quamvis poeticè fuerit prolatum, videtur de Arte propria accipiendum: siquidem in versu Græco, unde id desumptum, habetur vox *τέχνης* quæ usu frequenti Aristotelis significat strictam Artem. Legendus Erasmus in eo Adagio pag. 529.

6 CIRCA Terriam partem exponitur propria functio Artis, quæ est actio artificis operantis iuxta ipsius præscriptum: similiter & illius materia, quæ est opus, seu forma artificiosa inducta in materiam. Primo enim artifex quisque industrius considerat, quam ratione, seu modo, efficiendum sit opus. Deinde aggreditur moliturque illius extruccionem

in materia externa: ac denique exequitur ipsum opus. Ideoque inquit Arist. omnem Artem, scilicet, proprie acceptam, versari in generatione: nimirum, in efficiendo illo, quod antea non erat. Nimirum *γίνεσθαι, generationem* non accipit hoc loci, ut saepe alias, pro generatione substantiali, sed pro effectione cuiuspiam operis iuxta rationem molientem & attendentem quomodo fiat, seu quomodo immutetur materia per formam artificiosam, apto congruentique modo. Ex qua doctrina, ac modo loquendi Aristotelis, videtur desumptus stilus Iulii Pontificij *dist. 8 §. cap. Eiciens*, ubi dicitur, eos esse proprie artifices, qui res vendunt à se in aliam formam elaboratas. Arte solum extruitur, seu fabricatur, quod antea non erat: ut etiam monet Alciatus ad *l. mercis, ff. de verbor. signification.* Itaque tria prædicta considerantur ab Aristotele in actione artificis.

7 IN Opere autem per Artem factò considerat duo. Primum est, omne id quod per artem fit, debere esse contingens, sive, quod perinde est, de numero eorum, quæ possunt esse, & non esse. Omne enim quod est indifferens ut fiat, vel non fiat, contingenter se habet ad esse, aut non esse. At omne opus Artis est indifferens ut fiat, vel non fiat, prout voluerit, aut noluerit artifex. Ergo omne opus Artis contingenter se habet ad esse, aut non esse. Secundum est, principium efficiendi opus artificiosum, non esse in ipso opere, sed in artifice, seu molitore ipsius. Non enim opera artificiosa se habent instar naturalium, quorum vis effectrix intima est rebus ipsis, quoniam semper & continenter existunt: sed potius pendent ab idea, & recta ratione agendi, quæ residet in mente artificis, operantis, aut nolentis operari pro libito. Non enim domus vel cathedra v. g. principium effectioneis habet in se, sed in architecto, seu fabricatore. Cæterum naturalia principium effectioneis insitum habent: cum eo ipso quòd naturalia sint, consent natura, quæ est principium & causa motus, eius in quo est.

8 QVOD Si verò huic doctrinæ opponat quis, etiam principium efficiens secundum naturam esse prorsus extrinsecum effectui per ipsum productò; ideoque ex hoc capite non esse discrimen inter opera naturæ, & Artis; RESP. Verum quidem esse utraque procedere à causa efficiente, tanquam à principio extrinsecò. Adhuc tamen eo potissimum nomine differunt, quòd materia, in qua agens naturale inducit formam substantialem, per se illam exigit, veluti complementum intrinsecum ad esse & operari. Est enim materia prima, & ens in potentia, per se incompletum. Quare semper verum existit, quod nuper dictum est, naturalia, nimirum, intrinsecè constare forma aliqua, quæ

sit principium agendi: forma enim, & vis operatrix, quibusque rebus insita est ab ipsa conditione naturæ. Materia autem rerum artificiosum, immediate recipiens ab artifice formam inductam, non est prima, sed secunda; nec incompleta, aut ens in potentia, sed in actu. ideoque non exigit per se formam artificiosam, sed illam recipit per accidens ab artifice, operante pro libito. Ligna enim & lapides antequam recipiant formam artificiosam domus, vel cathedre, habent suum esse completum intra genus substantiæ, ideoque formam artificij inductam recipiunt veluti adscititiam & extrinsecam, aut veluti appendicem, seu periapton quoddam, ut loquitur Aristoteles ubi vult significare quidquam rei accessorium.

9 INFERT Gallatius, & opportunè quidem, Artem esse imperfectissimam in agendo, naturam perfectiorem, Deum verò perfectissimū. Ut enim docet Arist. *lib. 8. Phys. text. 62.* & per se constare videtur, eò minus perfectum est agens, quò pluribus adiumentis, sive subsidijs ad agendū, opus habet. Atqui Ars pluribus eget ad agendū, quàm natura, & hæc quæ Deus. Ergo Ars est minus perfectum agens, quàm natura, & hæc, quàm Deus. Minor propositio, quæ sola eget probatione, suadetur & explicatur. Ars enim eget externis instrumentis ad agendum, similiterque materiã iam perfectã & completã intra suum genus. Natura verò, quavis non eget externis præsijs, nec materia perfecta; eget tamen materia ut subiecto incompleto, ut in ea inducat substantialè formã. Neque enim naturæ, seu cuiuspiam agentis naturalis creati, est efficere aliquid, nisi per educationè ex subiecto præsupposito: ut dicitur *2. Physic. & nos ibidem latè disp. 6.* Deus autem cum sit summum & absolutum agendi principium, continens in se quidquid perfectionis efficacitatisque est, aut esse potest, in quibuslibet rebus creatis, nullo earum subsidio eget ad quidquid efficiendum: ideoque potest naturalia effecta producere independentè à subiecto præsupposito, per creationem rei ex nihilo: quam saltem in ordine ad animam rationalem agnovisse videtur Aristoteles: nam *lib. 2. de Gener. Animal. cap. 3.* asserit, intellectualem animam de foris venire, & educatam non esse de potentia materiæ. Vide quæ diximus *disput. 77. de Anima, sect. 2. n. 26.*

10 INFERTVR Præterea, materiam, in qua versatur Ars, differre omnino ab ea, quæ subijcitur scientiæ rerum divinarum, seu Metaphysicæ; similiter ab ea, quam tractant disciplinæ Mathematicæ. Etenim materia contingens, & variabilis, omnino disidet ab ea, quæ necessaria, & immutabilis est. Atqui materia, in qua versatur Ars, est contingens, & variabilis: illa verò circa quam versantur Metaphysica, & Mathematica, est necessaria, &

& immutabilis. Differt etiam à materia Physiologiae, seu Physicæ: quoniam huius materia propria est ens naturale, quod proinde constat natura, seu principio intimo sui motus; quod iam ostensum est non convenire materiæ Artē. Differt denique à materia Prudentiæ: ut potè quæ non versatur in effectione, ut Ars, sed in actione.

11 CIRCA Quartam partem comparat Artē cum fortuna: & asserit, vitamque in eo convenire, quod, sicut Ars versatur in materia contingente, & variabili, ita etiam fortuna in rebus solum mutabilibus & inconstantibus cernitur. Nihil enim magis in ore omnium, quam fortunam volubilem esse, instar rotæ in gyrum actæ: atque adeo mirum esset, si materia, in qua illa versatur, non esset pariter lubrica & versatilis. Quare ex eo capite aliquam communionem inter se habent Ars & fortuna. In quam doctrinam illustrandâ asserit verbum senarium Agathonis, sodalis sui, ac dilectissimi magistro viriusque Platoni, accinentis: Τέχνη τύχην ἐσπέρη, καὶ τύχην τέχνην. Quod ipsum verbum hexametro expressum habes apud Argyropilum in textu. Melius tamen eodem metro servato reddidit Lambinus: *Fortuna ut artē, sic & ars fortunam amat.* Eiusdem versus meminit apud P. Victorium Simplicius 2. Physic. ubi etiam de fortuna dilleritur: atque nonnullos Poetarum cuncta serè ad fortunam referre.

12 PORRO Artē cum fortuna communionem illustrant aliqui exemplo mutuato ex Dione Chrysof. Orat. 1. de Fortuna, in piktore quodam, qui cum vellet in tabula exprimere spumas anhelantis equi, & iam è bello lapsi, nec satis pollet, suam indignatus artē, proiecit in frænum spongiam varijs illis coloribus ex ijs, quos è tabula absteraserat: illoque iactu, & illusione fortuita, ad vivum expressit spumas, quas imitari non potuerat sola arte. Quin & in eo eventu fortuna non solum præstitit subsidium arti, sed etiam exemplo demonstravit, qualiter de cætero ars se deberet gerere, ad exprimendum vivide spumas anhelantis equi. Itaque fortuna habet aliquam cognitionem cum Arte, propter similitudinem materię contingentis. Aliunde verò & simpliciter differt ab Arte, quoniam hæc rationem inuētur cum agit: & multo magis à Prudentiâ, quæ adhuc magis, quam Ars, consilium & rationem attendit. Fortuna autem præcepta nescit, & temere, tanquam rationis, ac consilij nescia.

13 VNDE Veteres oppositis schematibus effingere solebant Fortunam & Artē, veluti contrarias. Mercuriū enim Artibus præfidentem pingebant supra basim quadratâ, seu tessellatam vndique nitentem quatuor angulis: Fortunam verò sub specie mulieris insistentis

pila volubili. Quia schematum diversitate exprimebatur oppositio Artē & Fortunæ, quatenus prior illa solido & stabili fundamento nititur, ideoque nulla Fortunæ calamitate, adversitateve, deijci potest: hæc verò volubili fundamento insidit, ideoque inconstans admodum est. Vnde illud Biantis Prienci: OMNIA MEA MECVM PORTO. Quasi Artium liberalium doctrina instructus, nullis alijs egeat divitijs, aut subsidijs fortunæ. Inde etiam monitū Aristippi Cyrenæi, qui civibus suis mandavit, ut eas sibi conquirerent opes, quæ facta naufragio possent simul natæ cum possessore suo, & evadere ad litus. Indidem demum verus Græcorum proverbium senario expressum:

Αἰὺν ἀτυχίας ἐστί τῶ ἀνθρώπου τέχνη.

Ars ipsa inopia portus est mortalibus.

Nimirum, confugium vnicum in egestate, aut calamitatibus fortunæ. Consonat & aliud effatum, *Artē quæ avis alit regio.* Qui enim secum Artē aliquam defert, quamvis expiletur à latronibus, aut aliter fortunâ adversam experiat, habet in seipso unde vivat, seu victum ac vestitum parat. Idq; exemplo suo confirmavit Dionysius ille Siciliæ tyrannus, qui imperio spoliatus Corinthi ludum aperuit, ac pueros in litteris & musica instituit. Porro eam antithesim Artē & Fortunæ eleganter expressit Galenus Oratione parænetica ad bonas artes, atque ex ipso Alciatus Emblemate XCVIII. dum accinit:

*In sedis Fortuna cubo, sphaera incubat Her-
mes:*

Artibus hic varijs, casibus illa præest.

*Adversus vim Fortune est Ars facta: sed
Artis*

Cum Fortuna mala est, sepe requirit opem:

Disce bonas artes igitur studiosa iuventus,

Quæ certa secum commoda sortis habent.

Legendus quoque eâ de re Plutarchus commentario De exilio.

14 CIRCA Quintam partem resumit propriam notionem Artē, paulo ante explicatam, ut sit habitus quidam cum ratione verâ efficiens. Ac quemadmodum libris præcedentibus, cum ageret de Virtutibus moralibus in specie consideratis, dileruit quoque de vitijs vnicuique earum oppositis: ita etiam nunc post explicatam rationem propriam Artē progreditur ad exponendū vitium contrarium, quod ἀτυχία Græcè appellat, Latine verò satis commode *inertia* dicitur à Giphanio: estque habitus faciendi cum ratione falsa, circa id quod potest aliter se habere. In qua definitione exprimitur convenientia generica cum Arte, sub ratione virique communi habitus efficiendi circa materiam variantem & contingentem; simulque diversitas & oppositio: quoniam Ars vera cum ratione, inertia verò cum ratione falsa, efficiendi principium est.

15 DIXI, Habitum prædictum Arti contrarium, satis commodè à Giphano *inertiam* Latine nominari: quoniam non semper inertia apud Latinos est idem ac segnitie, aut desidia: sed quandoque etiam accipitur pro ipsa Artis ignorantia & qualitate animi prava, seu contraria Arti: ut colligit Gallutius ex Cicero in Partitionibus, illis verbis: *Animi autem, aut quemadmodum affecti sunt virtutibus, vitijs, artibus, inertijs, aut quemadmodum commoti cupiditate, molestia, &c.* Vbi quemadmodum vitium contraponitur virtuti, & cupiditas molestia, ita & inertia Arti. Itaque hoc loco inertia usurpatur pro illa prava dispositione animi, qua mens imbuta est ad efficiendum contra rationem opera illa, quæ deberent esse iuxta Artem: non autem pro desidia, aut segnitie, quæ solam otiositatem denotat, & cunctationem, vbi quis deberet sollicitus esse ad agendum. Vnde illud eiusdem Cicero in Verrinis per metaphoram reprehendit

dentis ignaviam, ac desidiam Verris. *Quid sedes, Verres? Quid spectas?* Item in Pisonem: *An potest ulla excusatio esse, non dico malè sentienti, sed sedenti, curèlanti, dormienti in maximo Republicæ motu Consuli?* Vnde illud celebre effatum Pythagoræ, *chænici non esse insidendum.* id est, non oportere per inertiam & otium, sectari alienum cibum, seu vitare alieno labore: sed unicuique enitendū esse, ut proprio labore & industria vivat. De quo idem Alciatus, qui supra, lib. 1. Parergon cap. 17. ac præterea alio loco accinens:

Quisquis iners, abeat: nam in chænicæ figere sedem

Nos prohibent Samij dogmata sancti senis. Surge igitur, duroque manus assuece labori:

Det tibi dimensos crastina ut hora cibos.

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 3. art. 3. & 4. atque illius Interpretes.

CAPVT QVINTVM.

De Prudentia.



DE Prudentia verò quænam sit perceperimus, si contemplabimur quosnam ipsos prudentes dicimus esse. Videtur itaque prudentis esse, bene consulere posse circa ea, quæ sibi sunt bona, ac profunt, non aliqua ex parte, ut quænam ad sanitatem, vel vires, sed quæ ad bene vivendum omnino conducant. Argumento est id ita esse, eos etiam qui circa aliquid versantur, prudentes dici, cum bene ad finem studiosum aliquem, excogitaverint ea, quorū nulla est ars. Quare & omnino prudens is est, qui ad consultandū est aptus. Consultat autem de ijs nemo, quæ aliter sese habere non possunt, aut de ijs, quæ ipse agere nequit.

Quare si scientia quidem est cum demonstratione (quorum autem principia aliter sese habere possunt, eorum non est demonstratio: cuncta enim & aliter sese habere possunt) neque de ijs, quæ sunt necessariò, consultatio fieri potest: ipsa prudentia profectò, neque scientia, neque ars esse potest. Scientia quidem, quia quod sub actionem cadit, aliter sese habere potest. Ars autem, quòd aliud actionis, aliud effectiois est genus. Restat ergo, habitum ipsam esse agendi vera cum ratione, circa ea, quæ sunt bona homini, atque mala. Finis enim effectiois, est quid aliud præter ipsam effectiois actionis,

nis verò non semper. Est enim ipsa bona actio finis. Quocirca Periclem, & viros tales arbitramur esse prudentes, quia quæ sibi ipsis, & quæ cæteris hominibus sunt bona, perspicere possunt. Esse autem eos tales putamus, qui ad rem familiarem, atque ad Rempublicam administrandam sunt apti. Unde & temperantiam, conservatricem prudentiæ appellamus. Conservat autem talem existimationem. Voluptas enim, & dolor, non omnem existimationem corrumpit, atque pervertit. non enim hanc, triangulum tres angulos æquales duobus rectis habere: sed eas quæ circa id habentur, quod cadit in actionem. Nam principium quidem rerum agendarum id est, gratia cuius sunt ipsæ: ei verò, qui corruptus est ob voluptatem, aut dolorem, continuò non videbitur principium ipsum, nec huius gratia, ac propter hoc ipsum, expetenda esse vniversa atque agenda. Vitium enim, principij corruptivum est. Quare prudentiam habitum esse agendi circa humana bona, vera cum ratione necesse est. At verò artis quidem est virtus, prudentiæ verò non est. Et in arte quidem, qui sua sponte peccat, magis est expetendus: circa verò prudentiam, minus: quemadmodum & circa virtutes. Patet igitur, prudentiam virtutem quandam esse, non artem. Cùm autem duæ sint animæ partes rationem habentes, alterius erit ipsa prudentia virtus, ipsius, inquam, opinatiuæ: nam & opinatio circa id versatur, quod aliter sese habere potest, & prudentia ipsa. Atqui neque habitus est cum ratione solum. Huius autem indicium est, talis quidem habitus oblivionem esse, prudentiæ verò non esse.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Prudentia propriam rationem dignoscere ex actionibus viri prudentis, cuius officia describuntur. Qualiter Prudentia differat ab Arte, itemque ab opinione, & quomodo connectatur cum alijs Virtutibus, præsertim cum Temperantia.

POSTQVAM Duobus præcedentibus capitibus disseruit Aristoteles de Scientia, & Arte, nunc de Prudentia disputationem instituit. Quippe prima illa instruit intellectum prout est principium speculationis; secunda, quatenus est principium actionis; & tandem hæc tertia, secundum quod est principium actionis. Quippe iam sæpe statutum est, tum capite præcedenti, tum & alijs locis huius Operis, actionem & effectum plurimum inter se differre. Dividitur verò caput in tres partes. In prima definitur, quid sit Prudentia, ex consideratione virorum, qui prudentes audiunt, & communiter censentur. In secunda statuitur discrimen Prudentiæ ab Arte. In

tertia demum explicatur qualiter Prudentia dissideat ab opinione, & circa quod obiectum versetur.

2 CIRCA Primam partem exponi quidnam sit Prudentia. Et ut id clariùs præstet, sumit exordium à viro prudente: nam statuto, intellectoque satis, quis sit vir prudens. facile in cognitionem habitus Prudentiæ deveniemus. Nimirum, id quibusdam habitibus solemne est, ut clariùs innotescant in concreto, seu ratione subiecti, quod afficiunt, quam in abstracto, & ratione sui. Ideoque supra lib. 4. cap. 3. dixit, nihil interesse, verum de de habitu ipso, an de eo, qui habitu est præditus, disseramus. Cùm enim quilibet habitus innotescat ex operatione, ad quam incli-

nat, & hæc procedat ab illo, qui habitu instructus est, videtur opportunum, ut ratio propria habitus ex subiecto operante dignoscatur.

3 ASSEKT Igitur, illum verè ac propriè prudentem esse dicique, qui possit ex præexistente habitu consultare rectè, ac perpendere, quæ utilia sunt, siue bona homini; non quidem ex parte considerato; qualia censentur quæ bonæ valetudini, aut robori, utilia sunt: sed in egré accepto, prout oportet ab bene & feliciter vivendum. Itaque tria viro prudenti officia adscribuntur: primum, ut ex præexistente habitu sciat deliberare, seu consultare: secundum, ut in consultatione sciat deligere bona utilia: tertium, ut illa ipsa bona, quæ deligit, non sint peculiariter utilia alicui hominis parti, ut corporis valetudini, aut robori; sed toti homini, ut bene ac feliciter vivat. Primo ex ijs tribus officijs exprimitur propria ratio Prudentiæ, quæ potissimum in consultando sita est: ideoque vir prudens communiter dicitur consultator, & deliberativus, prout differt ab imprudente, qui temere, & absque consilio agit. Quare tum hoc loco, tum & infra cap. 7. Aristotel. ut exponat propriam Prudentiæ functionem, potissimum de consultatione differit. Secundum officium viri prudentis statuitur in utilitate rerum, circa quas consultat, seu deliberat: quoniam deliberativi generis argumentum, ac finis, etiam apud Rhetores, est utilitas. Tertium officium designat qualitatem rerum, seu bonorum utilium, circa, quæ consultat vir prudens. Non enim sufficit quod leviter, aut ex parte solum utilia sint; nisi etiam toti homini utilitatem magni momenti afferant, qualia sunt, quæ conferunt ad vitam honestè ac feliciter incedendam.

4 DICES: Viri prudentes non solum consultant de ijs, quæ immediatè conferunt ad totius hominis bonum, in honesta vita ac felicitate positum; sed etiam de ijs, quæ congruentia sunt bonæ valetudini, ac viribus corporis. Quippe eodem virtutis intellectuales habitu provident sibi circa ea omnia bona, quæ ijs verè utilia sunt. Utilia autem bona sunt ijs, etiam quæ ad corpus spectant. Igitur si priora illa spectant ad consultationem viri prudentis, etiam hæc posteriora. RESP. hinc solum probari, bona utilia homini ex parte solum, siue convenientia corpori, etiam cadere sub consultationem viri prudentis, quatenus conferunt ad vitam honestè, ac feliciter traducendam: cæterum secundum se spectata non considerari a viro prudente, nec sub eius deliberationem cadere. Quippe salus corporis, & robur virium, sub hac inspectione, non pertinet ad Prudentiam, sed ad Medicinam, vel artem Gymnasticam.

5 CVM Autem præcipua functio Prudentiæ potissimum, ut diximus, in consultan-

do posita sit, procedit ad exponendum circa quid sit consultatio, ut exinde dignoscatur quid sit Prudentia, & quibus nominibus differat a Scientia atque Arte. Ac primò quidem docet, consultationem non esse de rebus omnino necessarijs, seu quæ aliter sese habere non possunt: item nec de ijs, quæ ipse consultans agere non potest, sed aguntur a natura, aut ab alia causa procedunt. Quod non probat hoc loco, sed probatum supponit ex dictis lib. 3. cap. 3. Inde autem colligitur, Prudentiam differre a Scientia, quoniam hæc est de rebus necessarijs, siue quæ aliter se habere non possunt: ut supra cap. 3. ostensum est: similiter, & ab Arte, quoniam hæc est circa res agendas, seu efficiendas ab eo, qui habitu Artis est præditus.

6 VERVM Præterea seorsim, ac distinctè probat, Prudentiam differre omnino à Scientia, hoc ferè differendi modo: Habitus versantes circa diversam materiam, differunt inter se. Atqui Prudentiæ & Scientiæ habitus versantur circa materiam diversam: Prudentia, nimirum, circa contingentia, seu quæ aliter se habere possunt: Scientia autem circa necessaria, seu quæ nequeunt aliter se habere: ut supponitur probatum viroque loco nuper indicato. Ergo habitus Prudentiæ & Scientiæ differunt inter se. *Uterius*, Scientia procedit circa suum obiectum per demonstrationem, quæ solum nititur principijs necessarijs. Prudentia autem non procedit per demonstrationem insistentem principijs necessarijs, sed per consultationem, quæ solum est rerum contingentium. Prudentia igitur non est Scientia. *Denique*, Prudentia est de ijs solum, quæ aguntur: Scientia autem de ijs, quæ non aguntur. Differunt ergo Prudentia & Scientia.

7 IAM Verò habitum ipsum Prudentiæ esse diversum ab Arte, probat ferè sic: Habitus omnes, quorum operationes sunt diversæ, etiam differunt inter se. Atqui operationes habituum Prudentiæ & Artis sunt diversæ. Nimirum, ut supra ex professo probatum est cap. 3. & 4. operatio propria Artis, quæ est effectio, differt ab actione, quæ est operatio per se inspecta à Prudentia. Ergo habitus Prudentiæ & Artis differunt inter se. Sed de hoc rursus.

8 ITAQVE, Constituto discrimine inter Scientiam, Artem, & Prudentiam; huius propriam rationem, seu definitionem assignas, ut sit *habitus agendi vera cum ratione, circa ea quæ sunt bona homini, atque mala*. Dicitur *habitus*, prout convenit cum alijs habitibus, etiam ijs, qui vera cum ratione coniunguntur, quales sunt Scientia & Ars: differt tamen ab eis, quoniam non est quilibet habitus rectè rationi coniunctus, sed *habitus agendi: in quo differt à Scientia, quæ est habitus speculandi, & ab Arte, quæ est habitus efficiendi rectè cum*

cum ratione. Nimirum, actio, quam Græcè *πραξις* nominat, est quid diversum à speculatione, & effectione. Dicitur præterea, non quilibet habitus agendi recta cum ratione, sed nominatim circa ea quæ sunt bona homini, atque mala. Est enim habitus per se institutus ad deliberandum circa ea, quæ homini conveniunt, ut bene ac feliciter vivat, declinetque ab ijs, quæ vitam turpem & infelicem reddunt. Ergo versatur circa ea, quæ sunt homini bona ac mala.

9 ULTERIVS, Prudentiam esse habitum agendi circa ea, quæ homini bona ac mala sunt, probare videtur dupliciter. PRIMO. Prudentia, prout distincta ab Arte, versatur circa ea quæ à nobis agi possunt, non autem effici. Versatur enim propriè circa eas actiones immanentes, quibus ipsum agens perficitur, & in quibus finem suum habet, quo nomine differt ab Arte, quæ non molitur, nec efficit aliquid, quo agens ipsum perficiatur in se; nec habet pro fine effectiorem ipsam, sed opus externum, quod in lucem profertur. Atqui operationes immanentes, quibus agens perficitur, tanquam sine per se inspecto, sunt bona: sicut & mala, quæ ijs opponuntur. Ergo Prudentia, prout distincta ab Arte, versatur circa ea, quæ sunt homini bona ac mala. ULTERIVS. Solum id est bonum, quod habet rationem finis: ut constat ex lib. I. Atqui actio deliberata per habitum Prudentiæ, habet rationem finis: ipsa enim *εὐπραξία*, id est, bona actio, est finis viri prudentis: effectio autem non est finis artificis, sed externum opus, quod fit. Ergo actio deliberata per habitum Prudentiæ, quatenus distincta ab effectione propriâ Artis, est bona.

10 SECUNDO Id ipsum probat à signo, seu ab estimatione communi. Frequenter enim solemus Periclem appellare prudentem, quoniam in privatis ac publicis rebus rectè prospexit, seu deliberavit, circa ea, quæ bona & mala sunt. Hoc etiam nomine laudem apud omnes meruerunt inter Græcos Themistocles ac Nicias: sicut & apud Romanos Cato ac Fabius Maximus: & inter Hispanos Philippus II. cognomento PRVDENS. Ergo quia habitus Prudentiæ versatur propriè in deliberando & agendo circa ea quæ bona & mala sunt. Quo ex capite differunt ij, qui prudentes censentur, ab ijs, qui sapientes & docti existimantur. Anaxagoras enim, Thales Milesi, & alij eisdem notè Philosophi, quamvis sapientes habiti fuerint, non tamen prudentes: quoniam non prospexerunt privaræ ac publicæ utilitati circa bona & mala: sed solum discipulos suos doctrinâ imbuendos curarunt circa ea, quæ sub contemplationem cadunt. Scientia autem, siue privatim obventa, siue etiam publicè alijs tradita, non est certa

nota prudentis viri, nisi quatenus bene dirigatur in utilitatem scientiæ privatam, ac publicam aliorum. Sunt enim aliqui hominum ingenio admodum subriles, & speculationi deditissimi, qui tamen circa res agendas nesciunt deliberare, aut si fortè deliberant, toto cælo errant. Ijs adaptatur proverbium illud Græcorum: *μη σοφισαὶ ὄσπις ἔχ' αὐτῶ σοφός. ἢ ἢ* *sapit, qui sibi ipsi non est sapiens.* Vixque ab eo distat illud adagium, quod ex Ennio mutavit Cicero in epistola quâdam ad Tribatium, dum dixit: *Illud semper memento: Qui sibi ipsi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit.*

11 NOTANDVM Autem est, hanc ipsam doctrinam accipi debere de Prudentiâ strictè dicta, ut non sit idem, esse prudentem, ac scientem: alioqui enim pro vno eodemque accipi solet vir prudens, ac sciens, siue sapiens, etiam apud Auctores primæ ac summæ notæ. Itaque Prudentiæ nomen quandoque accipitur communi quâdam significatione, prout extenditur ad significandum etiam omne genus doctrinæ, tum speculativæ, tum & practicæ. Quod sæpe legere est apud Ciceronem, cui non semel idem est vir prudens, ac instructus præcellenti rerum cognitione, siue ea sit theoretica, siue actuosa: præsertim lib. I. Officiorum, initio, ubi disserit de Prudentia sub eâ communi acceptione. Quod & Platoni solemne est, atque ipsi Aristoteli multis locis, quibus Prudentia dicitur nihil aliud esse, quam scientia, ac plurimarum rerum multiplex & varia cognitio: atque infra cap. vii. huius libri testatur, Socratem omnes scientias solitum appellare *σοφίας*, id est, prudentias: & lib. I. Mag. Moral. pariter refert, virtutes omnes morales ab eodem nominatas fuisse *επιστήμας, scientias*, quasi vnum idemque existimaret, scientiam, prudentiam, & virtutem moralem. Hoc autem loco Aristoteles disserit de Prudentiâ strictè acceptâ, & quatenus differt ab omni scientia, ac virtute morali, & ab alijs speciebus virtutum intellectualium, de quibus hoc libro agitur. Et hanc strictam Prudentiæ acceptionem agnovit Cicero loco nuper allegato, dum dixit: *Prudentiam enim, quam Græci σοφίας dicunt, aliam quandam intelligimus, quæ est rerum expetendarum fugiendarumque scientia.* Nimirum, hæc ipsa, de quâ modò agimus: quamvis Aristoteles in præsentiarum illam, non *σοφίας*, sed *φρόνησιν* vocet. Nimirum habitum Sapientiæ infra cap. 6. & passim *σοφίαν* dicit: Prudentiam verò *φρόνησιν*: quæ est habitus omnino distinctus à *σοφία*. Itaque Prudentiæ, siue *φρόνησιν*, aut *φρόνησεος* nomine, expressè accepto, significatur habitus ille, qui est principium, non speculandi, non efficiendi, sed agendi recta cum ratione, circa ea, quæ sunt homini bona, atque mala, seu expetenda, aut fugienda.

TER,

12 TERTIO Probat idiplum alio signo: nimirum, ex eo quod virtus Temperantiae dicatur à Græcis σωφροσύνη, *sophrosyne*, quali conservatrix Prudentiae: nimirum à verbo σωζω, quod significat servare, & ἀπό τῆς φρονήσεως, quæ est Prudentia. Itaque Temperantia dicitur *sophrosyne*, quali σωζοῦσα τὴν φρόνησιν, *servans prudentiam*, aut illam sanctam rectam custodiens. Quod videtur accepisse Aristoteles ex Platone, qui in Cratylo monet, Temperantiam dictam fuisse σωφροσύνην, quasi σωφροσύνη τῆς φρονήσεως, *custodiam prudentiæ*. Ac merito quidem: nam solius hominis temperati, ac continentis in officio perturbationes animi, est, rectum ferre de rebus agendis iudicium, sive, quod perinde est, prudenter deliberare circa res experendas, aut fugiendas. Inde est, ut inter illos celebres Græcorum Philosophos, qui sapientes ab omnibus censebantur, paucissimi prudentes extiterint, quoniam admodum pauci eorum temperantes fuerunt, seu in animi perturbationibus moderati ad rationis præscriptum, ut propterea rectum de rebus experendis aut fugiendis iudicium ferrent.

13 QVAM Eorum labem, similiter & aliorum sui ævi, observavit Cicero, gravissimis illis verbis: *Quotusquisque Philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam, non ostentationem suæ scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis?* Gravissima, inquam, verba, & quæ adnotare debeamus Philosophi, etiam Christiani, ut in nobis cohæreant vita ac doctrina. Similiter & Cornelius Nepos in epistola quadam ad eundem Ciceronem apud Lactantium lib. 3. de falsa sapientia, idem argumentum tractat, dum ait: *Tantum abest ut ego magistram esse putem vitæ Philosophiam, beatæque vitæ perfectricem, ut nullis minus esse putem opus magistris vivendi, quam plerisque, qui in ea disputando versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in Schola de pudore & continentia præcipiunt argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere.* Sed & audire par est eundem Lactantium, qui, inter alios Philosophos, quos intemperantiæ, atque aliorum vitiorum, arguit, hæc de Aristippo profert: *Aristippo cum Laide nobili scorto fuit consuetudo. Quod flagitium gravis ille Philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret, multum interesse, ac ceteros Laidis amatores interesse, quod ipse haberet Laidem, alij verò à Laide haberentur. O præclara & imitanda bonis sapientia! Huc verò liberos in disciplinam daves, ut discerent habere meretricem? Aliquid interesse, ac perditos, interesse dicebat, scilicet, quod illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo sanè sapientior mere-*

trix fuit, quæ Philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis iuventus, doctoris exemplo, & auctoritate corrupta, sine ullo pudore concurreret. Hactenus ille. Legendi præterea eâ de re Philo Iudæus lib. 2. de vit. contempl. Gellius lib. 18. cap. 2. & lib. 19. cap. 11. Plutarchus lib. de educandis liberis ante finem, Chrysostomus, Ambrosius, Theodoretus, & Anselmus Nosler ac Cornelius in cap. 1. Epist. ad Romanos, ad illa verba: *Tradidit illos Deus in passionem ignominie:* ubi longum censum producunt eorum Philosophorum, qui cum doctissimi & præstantissimi haberentur, extiterunt turpissimi, & sepulti omnimodæ intemperantiæ ceno. Quod & luculentius ac distinctius habetur apud Diogenem Laertium in Vitis Philosophorum. Hæc tantum indicasse sufficiat, ut appareat, merito Temperantiam ab Aristotele & Platone appellari conservatricem Prudentiæ: quoniam nemo eorum Philosophorum, qui intemperanter vixerunt, prudens existimatus fuit. Vbi enim non est habitus agendi recta cum ratione, circa ea quæ experenda aut fugienda sunt, sed tantum habitus speculandi, qualem habebant ij Philosophi; ibi Scientia quidem est, non autem Prudentia.

14 CIRCA Secundam partem, explicat vberius distinctionem Artis à Prudentia, iam supra traditam. Dixerat, nimirum, antea, quod pene omnibus obvium & in prospectu est, Artem eo nomine differre à Prudentia, quod illa sit principium effectiōnis, & operis alicuius externi, in eoque solo finem sibi præstituat: contra verò Prudentia solum sit principium agendi, & in actione honesta suum finem collocet, totiusque vitæ cursum instituat secundum rectam rationem, in veram utilitatem hominis, aliorumque ipsi utcumque coniunctorum. Nunc autem exquisitiores & reconditiōnes discriminis causas inter utramque assignat. PRIMA Est, Artem non posse proferri in usum, qui sit utilis vitæ humanæ honestè ac laudabiliter ineundæ, nisi dirigatur per aliquam Virtutem moralem. Ratio est ferè huiusmodi. Omnis habitus indifferens ut bene aut malè prodeat in exercitium operationis, eget aliquo habitu ex se ac determinatè dirigente in honestum finem, ut sit utilis honestati morum. Ars est habitus indifferens, ut bene aut malè prodeat in exercitium operationis: cum aliqui bene, aliqui autem malè utantur, ut experimèto patet, quidam in utilitatem suam & aliorum; quidam verò in perniciem. Virtus autem moralis, est habitus ex se ac determinatè dirigens in finem honestum: cum sit qualitas, qui nemo malè utitur. Ergo Ars eget aliquo habitu Virtutis moralis dirigente in finem honestum, ut sit utilis honestati morum. Prudentia autem nullâ aliâ Virtute dirigente opus habet, cum ipsa ab intrinseco inclinet, feraturque in id, quod

quod honestum est, & vera felicitas hominis. Quia & Prudentia nunquam est sine ceterarum Virtutum comitatu, ut infra apparebit cap. 13. ideoque nullus est locus ut vir verè prudens erret ex depravatione iudicij. Etenim perturbationes animi ad mediocritatem redactæ medijs Virtutum habitibus, non commovent appetitum, ut terminos rationis prætergrediatur: ideoque nullum impedimentum afferunt ad ferendum de rebus limpudum ac rectum iudicium.

15 SECUNDA Differentia inter Prudentiam & Artem est, quod in Arte ille magis expetendus est, qui spontè peccat, quàm qui invito, aut ex ignoratione. Spontaneus enim, seu voluntarius error in extruendo opere artificioso, non arguit in artifice imperitiam, seu defectum Artis, sed tantum abulum artificis. Prudentia verò è contrà se habet: nam quodlibet vitium spontaneum, seu voluntarium, arguit defectum Prudentiæ. Quisquis enim sponte suâ peccat: improbus est: nemo autem improbus est prudens, seu præditus habitu Prudentiæ. Itaque ambo quidem habitus in eo conveniunt, quod voluntariè peccans, sive circa opus artificiosum, sive circa mores, meritò reprehendatur. Aliunde tamen magnum discrimen est, quod peccans spontè circa opera Artis, non accusatur de imperitia, seu defectu Artis: peccans verò spontè circa mores, arguitur improbitatis, ac proinde & imprudentiæ. Imò magis reprehenditur, quàm si invito, seu ignoranter peccaret, quoniam sic dignus esset miseratione: peccans verò spontè, nullam excusationem obtendere potest, ideoque dignus veniâ non est, ut dictum fuit supra lib. 3, cap. 1.

16 TERTIA Denique discriminis ratio in eo consistit, quod Prudentia sit virtus quædam hominis propria, quâ homo est: quoniam propriè rationem perficit, dum hominem reddit probum ac bonum simpliciter. Ars autem licet sit habitus intellectualis, non tamen perficit hominem, quâ homo est, simpliciter loquendo. Quamvis enim reddat hominem industrium, seu bonum artificem, non tamen probum, seu simpliciter bonum. Quam utriusque differentiam Arist. emphaticè, ut asolet, ac quasi à longè indicat, verbis illis: *Paret igitur prudentiam virtutem quandam esse: non artem.* Vbi dum Prudentia dicitur non vitæcumque virtus, sed *ἀρετή τις, virtus quædam*, indicatur subobscurè, rationem Virtutis aliter convenire Prudentiæ, quàm Arti. Convenit enim illi ratio Virtutis ita ut perficiat simpliciter hominem, constituendo ipsum probum: quod tamen non convenit Arti, licet etiam intellectualis habitus sit.

17 CIRCA Tertiam partem comparat Prudentiam cum opinione, quæ licet

non sit virtus, ut supra cap. 3. traditum fuit; aliquo tamen modo perficit animam intelligentem. Ac primò quidem observat similitudinem quandam inter opinionem & Prudentiam, tam ex parte subiecti, in quo ambæ resident, quàm obiecti, sive materiæ, circa quam versantur. Ex parte quidem subiecti conveniunt: nam cum duæ sint animæ intelligentis facultates, altera per se instituta ad sciendum & contemplandum, altera verò ad opinandum, ut cap. 1. huius libri dictum est; & aliàs planè constat, Prudentiam non esse sitam in facultate sciente ac contemplante; oportet ut sit in facultate animæ opinante, quæ dicitur *δοξαστική*. Ergo subiectum Prudentiæ atque opinioni commune est eadem facultas animæ opinativa. Quod autem etiam conveniant in obiecto, seu materiâ circa quam versantur, facile constat: quia tam Prudentia, quàm opinio, versantur circa ea quæ aliter se habere possunt, quoniam contingentia sunt. Prudentia enim vertatur circa ea, quæ sub consultationem cadunt: hæc autem solùm sunt contingentia, seu quæ possunt agi aut non agi. Similiter opinio intrinsecè claudit formidinem partis oppositæ: ideoque est de rebus quæ possunt aliter se habere, saltem relatè ad iudicium opinantis, quoniam non cognoscit rem per causam necessariam, & quod illius sit causa, & quod nequeat aliter se habere. hoc enim proprium est scientiæ.

18 DEINDE Statuit utriusque discrimen duplex ex duplici utriusque proprietate. Quamvis enim Prudentia & opinio conveniant in subiecto, simulque in obiecto, seu materia mutabili; aliunde differunt, quatenus Prudentia non est habitus cum sola ratione coniunctus, sed præterea etiam cum rectitudine appetitus. Ut enim infra cap. 13. huius libri traditur ex professo, Prudentia est connexa necessariò cum Virtutibus moralibus, quæ rectum & moderatum appetitum constituunt. Insuper & lib. 7. cap. 4. statuitur, neminem improborum esse verè prudentem, quia omnis improbus habet inordinatum appetitum. Et ratio eius doctrinæ nunc breviter indicata, est, quoniam cum mens & appetitus sint duæ potentie adeò vicinæ atque illegate inter se, quoties ægrotat appetitus inordinato perturbationum excessu aut defectu, ægrotet etiam ipsum iudicium necesse est. Ergo ut iudicium sit rectum, quale existit in viro prudente, oportet etiam existere rectum appetitum. Prudentia igitur non modò est habitus cum ratione, sed etiam cum rectitudine appetitus. In quo planè differt ab opinione, quæ pariter esse potest cum appetitu recto, aut non recto. Unde tam improbi homines, quàm probi, suas opiniones utcumque stabiliunt & tuentur, cum tamen solùm ij, qui Virtutem colunt, & bene morati existunt, Prudentia præditi sint. ALIAM

19 ALIAM Quoque discriminis rationem assignat postremis verbis capitis, quod opinionis sit oblivio, non autem Prudentia. Nimirum, opinio ex duplici capite habet, ut facile oblivione deleri possit: nam & cognitione acquiritur, quæ oblivioni admodum subiecta est; & nullam per se loquendo firmitatem habet; cum non sit certa omnino de eo, quod affirmat vel negat. Prudentia verò aliter se habet, quod distinctè apparebit considerando eius initium, progressum, ac finem. Initium enim, seu principium Prudentiæ, maxime in naturæ qualitate nititur: nimirum, in perspicacitate ac solertiâ ingeni, ac peculiari, & apto primarum qualitatum & humorum temperamento. Quare & senes ut plurimum prudentiores iuvenibus sunt, quoniam hi plus iusto fervidi sunt sanguine, ideoque temere ac præcipitanter ad agendum feruntur; illi è contra frigidiores, & sicciores. Quin & inter animantes brutas formicæ & apes prudentiores habentur, non solum apud Poetas, sed Historicos etiam Naturales, quod idonea & competentia qualitatum humorumque mixtione prædita sint. Progressus autem Prudentiæ positus est in notitia practica & experimentalium rerum experendarum ac fugiendarum: quæ monitis sapientum & experientiorum virorum, atque lectione rerum gestarum, habetur. Finis demum Prudentiæ in splendidissimo Virtutum satellitio, seu comitatu consistit, quæ assiduo pene inclinant & concitant animum ad exercitium honesti, passim ferè & ubique occurrentis.

20 HINC Facile evincitur, Prudentiam non subiacere oblivioni: quoniam si de eius principio, seu initio, loquamur, illud sub oblivionem non cadit: quoniam non est aliquid cognitione acquisitum, sed à natura acceptum, quod proinde immobile semper consistit. Si de medio, seu progressu, sermo sit; deleri quidem absolute potest per oblivionem rerum à sapientibus præceptorum, aut traditarum in scriptis aliorum: non tamen ita facile, ac opinio: quoniam frequens occasio agendi circa res experendas, aut fugiendas, passim in memoriam revocat, quæ audivimus, aut legimus. Si tandem de fine dicendum sit, manifestum apparet, Prudentiam tot Virtutibus stipatam, passim inclinantibus ad honestum, quod ubique agendum occurrit, non facile oblivione deleri posse. Patet igitur, id discriminis inter Prudentiam & opinionem esse,

quod hæc facile oblivione deleri possit; illa verò vix, aut ne vix quidem.

21 EX Doctrina hæc lucem non modicam affert quod supra lib. 1. cap. 10. dictum fuit: Virtutes, scilicet, morales habere maiorem firmitatem, quam scientias, artes, & disciplinas. Nam licet scientiæ versentur circa res necessarias & æternas, atque adeo ex hoc capite appareant stabiliiores, quam Virtutes morales, & Prudentia ipsa, quoniam hæc versantur circa contingentia; aliunde tamen Prudentia & Virtutes morales sunt stabiliiores; quoniam in humano ac civili convictu longè frequentior exercitatio illarum occurrit, quam scientiarum. Rarò enim plenam & perfectam rerum demonstrationem assequimur: Virtutum autem & Prudentiæ exercitatio in viro probò, frequens ac pene assidua est. Unde magis ac magis augentur Virtutes, ideoque firmitus animo hærent, ac procul ab oblivione sunt plus, quam scientiæ.

22 IDQUE Præterea experimento patet in ijs, qui ad extremum senium perveniunt, aut in amentiam incidunt, post plures scientias & Virtutes morales iam acquisitas. Obliviscuntur enim omnino scientiarum, & tamen Virtutum antiqua exercitia non intermittunt. Cuius rei illustre testimonium alibi me observasse memini ex Abulensi quodam loco aiente: *Ioannes Aegidius Zamorensis, Ordinis Minorum, homo valde doctus, qui pleraque voluminum, tam historiarum, quam sapientiarum, edidit, ad tantam pervenit senectutem, ut iam nec litteras nosceret, nec sciret se esse, qui prius libros edidisset.* Lege eiusdem Abulensis Indicem littera l. pag. 197. col. 3. Similiter & plures alij senio confecti, prorsus obliviscuntur earum disciplinarum, quas diu noctuque tractarunt. Et tamen, adhuc in ea ætate, reperunt; quantum per vires corporis licet, pia illa exercitia Virtutum, in quibus assidue fuerunt. In amentibus quoque idem sæpe observavimus: nam quarum Virtutum exercitia ijs fuerunt assidua, dum sano iudicio essent; eadem quoque post amentiam manent: idque quamvis cæterarum rerum antea gestarum prorsus immemores sint. Nihil ergo mirum, si Virtutes non facile oblivione deleantur, instar opinionum, quæ adhuc infirmius animo hærent, quam scientiæ.

VIDE D. Thom. 2. 2. q. 47. quæ est de Prudentia secundum se, & illius Interpretes.

CAPVT SEXTVM.

De Intellectu.

VM Autem scientia existimatio sit de vniuersalibus, & ijs, quæ necessariò sunt, sintque demonstrabilium, scientiæque omnis principia (est enim ipsa scientia cum ratione principij rei scibilis) nec est scientia, nec ars, nec prudentia. Scientia, quia ipsum scibile, demonstrabile est. Ars, & prudentia, quia in ijs versantur, quæ sese aliter habere possunt. At neque sapientia est. Est enim sapientis, de quibusdam demonstrationem habere. Quòd si ea quidem, quibus verum dicimus, & nunquam falsum in ijs, quæ possunt, aut non possunt aliter sese habere, hæc sunt, scientia, prudentia, sapientia, intellectus, horum autem trium habituum nullus esse potest (atque tres dico, prudentiam, scientiam, sapientiam) restat intellectum esse principiorum.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Intellectum principiorum esse habitum quemdam Virtutis intellectualis, superadditum intelligentiæ, eiusque studio & industria acquisitum, ac distinctum planè à Scientiâ, Sapientiâ, Arte, ac Prudentiâ. Illustratur sententiâ Aristotelis contra aliquos Interpretum, & ab obiectionibus vindicatur.



ACCEDIT Aristoteles hoc capite ad explanandam quartam speciem habitus intellectualis, quam hoc loco *vñ* appellat, id est, *mentem*, seu *intelligentiam*, vt Cicero loquitur. Latini verò Interpretes, & Philosophi Scholastici dicunt communiter Intellectum primorum principiorum. Porro *vñ*, sive mens, aut intelligentia, aut Intellectus, hoc loci non accipitur pro facultate animi vnicuique nostrum insitâ ad percipiendum verum, sed pro habitu quodam versante circa principia. Dividitur à quibusdam hoc caput in duas partes. Priore illarum asseritur, Intellectum distingui à quatuor habitibus intellectualibus, Scientiâ, Arte, Prudentiâ, & Sapientiâ. Posteriori parte decernit eiusmodi habitum versari propriè circa principia. Nos autem absque vllâ partium divisione putamus illud commodius exponi & illustrari posse.

2 PORRO Aristoteles præmittit,

quod supra cap. 3. statutum est, Scientiam esse circa vniuersalia, & necessaria, quæ sub demonstrationem cadunt, veluti conclusiones illatæ ex principijs: atque adeò oportere vt sint principia aliqua, ex quibus conclusiones demonstrantur, & omnis earum scientia ortum ducat. Hoc enim statuto colligit, debere existere habitum aliquem mentis, qui versetur circa eadem principia. Etenim aliquis habitus mentis est circa conclusiones demonstrabiles ex principijs. Ergo & aliquis etiam habitus esse debet circa principia ipsa indemonstrabilia.

3 DEINDE Pronuntiat, habitum hunc, seu Virtutem mentis, differre à Scientiâ, Arte, Prudentiâ, & Sapientiâ, quæ sunt aliquæ quatuor Virtutes intellectuales. Primum sic ferè probat. Scientia solùm est de ijs, quæ per demonstrationem innotescunt. Habitus autem, seu intellectus principiorum, non est de ijs, quæ per demonstrationem innotescunt: nimirum, principia ipsa sunt indemonstrabilia.

Et.

Ergo Intellectus principiorum non est idem, ac Scientia. Secundum, itemque tertium, suadet. Habitus circa ea, quae se aliter habere possunt, longè differt ab illo, qui versatur in ijs, quae aliter se habere nequeunt. Atqui habitus Artis & Prudentiae sunt circa ea, quae aliter se habere possunt, ut ostensum est cap. 4. & 5. Intellectus autem circa ea, quae aliter se habere nequeunt: cum principia ipsa, in quibus versatur, sint omnino necessaria. Intellectus ergo est habitus diversus ab Arte & Prudentia. Quartum denique probatur. Habitus qui se extendit ad ea, quae demonstrari possunt, differt ab eo, qui solum extenditur ad ea, quae demonstrari non possunt. Sed habitus Sapientiae extenditur ad conclusiones demonstrabiles: habitus autem Intellectus ad sola principia indemonstrabilia. Ergo habitus Sapientiae differt ab habitu Intellectus.

4 SED Occurrit statim difficultas communis Interpretum, quorum aliqui volunt, Intellectum differre quidem à quatuor habitibus Intelligentiae praedictis; non tamen propterea esse habitum, sive Virtutem intellectualem; sed ipsam nudam potentiam intelligendi, absque praesidio aliquo Virtutis, vel habitus superadditi. Idque probare conantur multiplici ratione, argumentoque.

5 PRIMO Enim, nullus habitus Virtutis est nobis inditus à naturâ, sed doctrinâ atque exercitatione acquiritur: ut supra lib. 2. cap. 1. & 5. ex professo traditum est. Atqui Intellectus principiorum est nobis inditus à naturâ. Non ergo est habitus Virtutis. Minor propositio, in qua est difficultas, suadet. Quoniam inditum est nobis à naturâ, ut à primis principijs, & universalibus, ad peculiaribus & singularibus procedamus. Intellectus autem est circa prima principia & universalibus. Ergo est inditus nobis à natura.

6 CONFIRMATUR. Ideo constituuntur habitus Virtutum intellectualium in anima, quia vis eius innata non est satis per se idonea ad proferendos actus cognoscendi aliquod determinatum genus veri: proptereaque ut facile & expedite illud cognoscat, indiget praesidio aliquo Virtutis, seu habitus superadditi. Haec autem ratio nullum habet locum circa principia: quoniam quaelibet anima rationis compos statim, & absque difficultate vlla, cognoscit veritatem principiorum. Non ergo locum habet in anima quispiam habitus, seu Virtus intellectualis circa principia.

7 VERGETUR Amplius. Omnis habitus Virtutis difficili loco positus est, atque in arduo versatur: ut ostensum est allegato cap. 5. libri secundi. Atqui intellectus principiorum non est difficilis, nec in arduo versatur. Ut enim ait Boetius lib. de Hebdomadibus, Intellectus est communis animi conceptio,

quam unusquisque probat auditam: quoniam principia ipsa sunt per se nota, quaeque primâ ac simplici apprehensione sui assensum statim extorquent. Intellectus igitur non est habitus Virtutis.

8 SECUNDO. Omnis habitus Virtutis versatur in ea materia, in qua accidere potest peccatum & error. Ideoque supra lib. 4. cap. 1. statuta fuit necessitas Virtutis superadditae, ut homo instruat competentem aliquo praesidio ad declinandum ab exuperantia & defectu, in quibus est assiduum periculum erroris & peccati. Atqui Intellectus non versatur in materia, in qua possit esse peccatum & error. Versatur enim circa principia, in quibus errare aut decipi non potest: ut idem Aristoteles docet 2. Metaphysicæ, & confirmat proverbio illius temporis pervulgato: *In foribus quis errat?* quemadmodum enim qui in foribus alicuius domus est, non potest errare, seu ignorare domum: ita aemo ob oculos mentis habens prima principia, per quae ingredimur ad res cognoscendas, errare potest circa eadem prima principia. Intellectus ergo principiorum non est habitus Virtutis.

9 TERTIO. Eodem modo se habet potentia intelligendi in ordine ad prima principia, sicut voluntas in ordine ad ultimum finem. At voluntas ita se habet in ordine ad ultimum finem, ut nullo habitu sibi superaddito egeat ad ipsum amandum: nimirum, innata vi atque inclinatione sua fertur in amorem ultimi finis sui. Ergo nec potentia intelligendi eget vlllo habitu superaddito ad cognoscendum prima principia.

10 VERVM Auctores praedicti proculdubio deserunt Aristotelem: qui aperitissime hoc ipso libro capite tertio, recesit Intellectum inter quinque habitus Virtutum intellectualium. Praemisserat enim ultimis verbis capitis secundi: *καθ' αὐτὸν ἔστιν, &c. Quibus habitibus maximè pars utraque verum dicit, ij sunt ambarum virtutes.* Et statim initio capitis tertij: *De ipsis igitur* (nimirum, habitibus eisdem, seu virtutibus utriusque facultatis intelligentis) *rursus dicamus oportet, altiùs initio sumpto. Sint itaque ea, quibus verum anima dicit affirmando, aut negando, numero quinque. Haec autem sunt ars, scientia, prudentia, sapientia, intellectus.* Quam eandem doctrinam divisionemque palam supponit, & confirmat hoc ipso capite. Si autem Intellectus est habitus Virtutis intellectualis, debet omnino differre à potentia intelligendi. Et enim omne quod naturâ insitum cuique homini est, & à prima ipsius productione trahitur, omnino differt ab eo, quod non est naturâ insitum, nec trahitur à prima hominis productione, sed potius exercitatione, aut doctrinâ acquiritur. Atqui potentia intelligendi est na-

naturā insita cuilibet homini, trahiturque à prima productione; nullus autem Virtutis habitus natura insitus est, aut trahitur ab ipsa productione; sed postea exercitatione aut doctrinā acquiritur: ut lib. 2. cap. 1. & 5. probatum fuit. Si ergo Intellectus principiorum est habitus Virtutis, omnino differt à potentia intelligendi. Quare sicuti hæc, quamvis naturali inclinatione versetur circa omne verum, tanquam obiectum sibi adequatum, eget habitibus superadditis, quibus prompte, facile, & delectabiliter, percipiat verum ipsum; tum theoreticis, ut Scientiā, & Sapientiā; tum practicis, ut Prudentiā & Arte: ita etiam licet naturali inclinatione versetur circa primā principia, adhuc eget habitu superaddito, quo prompte, facile, & delectabiliter, percipiat veritatem ipsam primorum principiorum.

11 PRÆTEREA. Naturalis intelligendi facultas eget habitu superaddito circa omne id genus veri, in cuius cognitione quoddammodo errare potest. Atqui circa cognitionem principiorum errare quoddammodo potest: nimirum, illorum quæ simpliciter prima, & maxime evidentiā non sunt. Quod experimento constat, non modo in hominibus amissis, aut è media plebe, qui aliter de rebus ipsis iudicare solent, quam exigant principia rerum; sed etiam in ijs, qui cum alijs Philosophi haberentur, circa cognitionem principiorum errarunt: ut patet in Heraclito & Anaxagora, quos Aristoteles lib. 4. Metaph. eam ob causam reprehendit: similiterque in Parmenide ac Melisso, ac Zenone Eleate, alijsque, quos in libris Physicorum eodem nomine impugnat. Ergo naturalis intelligendi facultas eget habitu superaddito circa cognitionem principiorum, ut ab omni errore libera sit: saltem circa cognitionem illorum, quæ non sunt per se atque omnino evidentiā.

12 ULTERIUS. Permisso gratis quod potentia intelligendi errare vix, aut ne vix quidem possit, circa principia, adhuc id certum est, atque experimento comprobatum; post crebram mentis exercitationem in speculandis primis principijs, comparari, seu adquiri facilitatem quandam & promptitudinem ad ea penitus cognoscenda. Hæc autem ratio sufficeret ad asserendum in mente locum habere quemdam habitum speculativum eorundem principiorum. Nam sicuti ex simili facilitate, & promptitudine, quam experimur in mente post crebram exercitationem circa veritas theoreticas, aut practicas, colligimus existentiam habituum superadditorum Scientiæ & Sapientiæ; itemque Prudentiæ & Artis; eodem quoque fundamento colligere possumus existentiam Intellectus superadditi, seu habitus principiorum.

13 INSUPER Idipsum evincitur,

iuxta communem sententiā traditam à D. Thoma 1. p. q. 79. art. 12. & 2. 2. q. 47. art. 6. quod, nimirum, in mente, sit habitus intellectualis superadditus, quem sinderesim dicunt, circa primā principia practica, qualia sunt, malum fugiendum esse, & bonum amandum, ius suum unicuique tribuendum, nulli irrogandam iniuriam. quæ quidem omnia, non minus evidentiā sunt, quam principia speculabilia, nec minus naturali mentis acumini innotescunt, quasi sponte suā. Ergo & similiter debet esse aliquis habitus menti superadditus circa principia speculabilia, non obstanti quod quedam illorum evidentiā sint, & sponte suā naturali mentis acumini innotescant.

14 ALII Interpretes, cum viderent, nullo modo statui posse identitatem mentis, seu potentie intellectivæ cum Intellectu principiorum, dixerunt, huic quidem esse habitum Virtutis superadditum; non tamen villo modo acquisitum, sed inditum à natura: quoniam simul cum potentia intelligendi infunditur, absque villo studio, aut exercitatione nostra.

15 CÆTERVM Et ij procul aberrant à sensu Aristotelis: qui allegato lib. 2. huius Operis cap. 1. & 5. universe negans Virtutes esse nobis inditas à natura, docensque illas omnes adquiri studio nostro, id est, doctrinæ exercitationeque; & aliunde in præsentiarum asserens Intellectum principiorum esse habitum Virtutis, consequenter docet, ipsum non esse naturæ inditum ab ipsa genesi, sed partum studio & labore uniuscuiusque.

16 DEINDE Idipsum refellitur multipliciter. PRIMO: Quia naturæ beneficio non inditur homini, nisi id, quod simpliciter eget, ut sit, & operetur. cetera autem, quæ solum conferunt ad operandum melius, seu facilius, committuntur uniuscuiusque industriæ ac studio acquirenda, medijs potentijs in eum finem concessis, idoneisque. Neque alia est ratio, cur ab ipsa generatione non trahamus habitus disciplinarum, & Virtutum, tam moralium, quam intellectualium, nisi quod ex non sint necessaria simpliciter ut simus & operemur, sed ad melius & facilius operandum duntaxat. Atqui Intellectus, seu habitus principiorum, non est simpliciter necessarius ut simus, cum non spectet ad complementum essenziale, aut conaturale: neque etiam ut operemur; cum possit absolute sine illo mēs assentiendi principijs evidentijs; sed tantum ad assentiendum melius & facilius. Ergo non est habitus naturæ beneficio inditus homini, sed partum studio ac labore uniuscuiusque.

17 RURSUS. Quæcumque nobis indita sunt natura, nec adagentur intendunturve exercitatione, nec minuuntur remittunturve per collationem ab actu, sed eadem ubique in-

dent:

nent: ut patet in potentijs animi, quoniam ipsi naturam inditam sunt. Atque experimento diuturno patet, habitum principiorum intendi exercitatione, & remitti per cessationem ab actibus alienandi principijs. Qui enim crebro ijs assentiatur, percipit in seipso facilitatem & propensionem assentiendi præ illo, qui cessat, seu non solet assentiri. quod in omnibus habitibus est argumentum manifestum intensioris, remissionisque. Ergo habitus principiorum non est nobis natura inditus.

18 DENIQUE Idipsum evincitur ex doctrinâ illâ communiter admittâ Aristotelis lib. 3. de Anima textu 14. assentis, intellectum nostrum ante adventum imaginum, seu specierum, esse instar tabulæ lævis & ratæ, in quâ nihil est depictum. Hinc autem colligitur, in ipso intellectu nullum habitum naturaliter inditum præexistere circa principia: quoniam sic intellectus ante adventum specierum non esset omnino nudus, seu instar lævis tabulæ: insuper & necessario præexisteret cum speciebus etiam à naturâ inditis ad cognoscendum eadem principia: quoniam quilibet habitus existens in potentia cognoscendi vim habente, exigit naturaliter & necessario consortium specierum representantium illius obiectum. Cum igitur certum exploratumque sit apud omnes, intellectum nullas habere species naturam inditas, sequitur planè, neque in ipso esse naturam inditum habitum principiorum.

19 NEQUE Obstat quod aliqui obijciunt ex D. Thomâ 1. 2. q. 51. art. 3. docente, habitum hunc partim esse naturalem, partim studio atque uniuscuiusque exercitatione acquisitum. Inde enim nihil adversus nos infertur, sed solum colligitur, habitum ipsum initium aliquod habere in ipsâ naturâ, in eâque veluti in semine contineri. Ex hac autem doctrina, quæ verissima est, nullatenus colligitur habitum ipsum in se inditum à naturâ esse, seu non acquisitum: nam eodem modo Arist. loquitur de habitibus Virtutum generatim ijs ipsis locis, in quibus expressè negat, illas esse naturam inditas. Etenim supra lib. 2. cap. 1. inquit: *Neque igitur natura, neque præter naturam in nobis virtutes efficiuntur: sed idonei quidem ad ipsas suscipiendas sumus natura: suscipimus autem ipsas atque perficimur per consuetudinem.* Similiter & infra cap. tertio decimo huius libri ait: *Omnibus enim singuli mores inesse quoddammodo natura videntur. Etenim & iusti natura, fortesque, atque ad temperantiam nati videntur: ceteraque continuo habemus ex ipso ortu.* Et tamen omnibus in confesso est, nullam Virtutem ex ijs omnibus in seipsa consideratam, sive in ratione habitus, naturam insitam nobis esse. Unde post verba relata subdit: *Sea esse tamen querimus aliquid aliud, quod est propriè bonum, & talia nobis*

alio modo inesse. Nimirum, exercitatione ipsa studemus, ut nobis ipsis adquiramus habitus illos Virtutum, quorum initium, seu semina sola à naturâ accepimus. Idem ergo dicendum de habitu principiorum, inchoatum esse ab ipso ortu, & illius semina contineri in naturâ rationali: non quidem ita, ut habitus ipse præexistat secundum suam entitatem in gradu aliquo, adhuc remisso: sed quoniam natura rationalis ex seipsa capacitatem inditam habet assentiendi simpliciter principijs, ac medio assensu generandi sibi habitum principiorum.

20 SIC Etiam idem Aristoteles lib. 9. Metaph. docet naturam rationalem ab ipso ortu inesse semina, seu inchoationem aliquam scientiæ, quam postea discit. Ait enim: *τὸν μὲν θανόντα ἀνάγκη ἔχειν τὴν ἐπιστήμης ἰσως.* *Descendentem necesse fortasse est aliquid scientiæ habere.* Vbi τὸ ἰσως fortasse, non dubitantis est, sed assentis ex coniecturâ probabili, ut solemne est Aristoteli, dum eo titolo loquitur. Et tamen inde non colligitur, habitum scientiæ penes aliquid suæ entitatis, sive in gradu intenso, sive remisso, inditum esse naturaliter; sed solum infertur, in ipsa natura esse quædam semina, id est, capacitatem naturalem ad acquirendum habitum scientiæ. Quo sensu intelligendus D. Thom. eodem loco lect. 7. dum ait: *In ipsa ratione præinsunt quædam semina & principia scientiarum & virtutum, virtute quorum potest homo aliquantulum exire in scientiæ & virtutis actum, antequam habeat habitum scientiæ & virtutis: quo adeptus, operatur perfectè, prius autem imperfectè.*

21 ADHUC Tamen id discriminis est inter habitum principiorum, & cæterarum Virtutum intellectualium; quod natura rationalis per prius sit initium, seu inchoatio illius, quam aliorum habituum. Quemadmodum enim principia sunt naturæ ordine priora conclusionibus; ita & habitus principiorum naturæ ordine prior est cæteris habitibus versantibus circa conclusiones: ac proinde potius ac prius quoddammodo in facultate insitam naturæ rationalis continetur. Ut enim opportunè monet Albertus Magnus hoc lib. 6. tract. 2. cap. 18. solo habitu principiorum, prout distincto à cæteris Virtutibus intelligentiæ, assentiuntur promptè ac facilè primis principijs, theoreticis, & practicis: ideoque ab eo Scientiæ, Sapientiæ, Prudentiæ, & Artis, firmitatem suam accipiunt, & constantem veritatem. Quod exponit ducto exemplo à causis naturalibus, quæ omnes pendunt à prima causa, seu intelligentiâ Dei, sine cuius directione, atque influxu, illæ nihil omnino operari, seu ad effectum perducere possunt: quamvis Deus ipse absque consortio causarum secundarum possit quilibet moliri & efficere. Ita etiam quoddammodo habitus principiorum seorsim à cæteris Vir-

ritibus intelligentiæ, potest agere, seu assentiri primis principiis, etiam promptè ac facili: ceterum Virtutes ipse nequeunt procedere circa sua objecta, ipsique firmiter assentiri, nisi eo habitu præeunte, & quasi manu ducente: quoniam omnis assensus præstitus conclusioni, ac principiis eius proximis, seu non primis, pendet omnino atque oritur ab assensu præstito primis principiis, ac maxime universalibus per habitum, sive Intellectum principiorum.

22 IDQUE Verissimum est, quamvis in ipso aliarum Virtutum intellectualium exercitio, videatur hic habitus nihil conferre, aut agere, sed solum in apertum se proferre Sapientia, Scientia, Prudentia, aut Ars; omnesque disputationis partes explere. Adhuc enim habitus principiorum plurimum confert, & in ipsis aliorum habituum actibus exercet vim suam, virtute saltem, & veluti radicem eorum, quibus totam quantam firmitatem habent, communicat. Quod vel exinde comprobatur, quod si argumentatio, seu ratiocinatio ab alijs habitibus procedens redordienda sit, & revocanda ad sua prima capita, opus omnino sit, ut retexatur usque ad prima principia, quæ, si theoretica, seu speculabilia sint, spectant ad Intellectum, sive habitum principiorum speculabilem, de quo agimus: si autem practica, pertinent ad Sinderesim, de qua supra num. 13. dictum est.

23 QVONIAM Verò hoc ipso loco docet Aristoteles, principiorum non esse Scientiam, nec Artem, nec Prudentiam, id est, principia ab ijs habitibus non demonstrari, aut probari, sed supponi ut certa; observandum est cum Acciaolo in præsentiarum, principia demonstrationum, ex quibus oritur Scientia, bifariam dividi. Quædam enim dicuntur axiomata, seu dignitates: quædam verò theses, seu positiones. Axioma, seu dignitas, est oratio indemonstrabilis, nullaque probatione indigens ut moveat ad sui assensum, quoniam ex se, atque ex prima apprehensione vocum, seu terminorum, ut aiunt, innotesci. Talia sunt principia illa prima speculabilia. *Quo libet est, vel non est; & Omne totum est maius sua parte:* similiterque practica: *Bonum est prosequendum, & Malum non est faciendum:* ac similiter, *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Appellari autem merito solent conceptus animi: quoniam percipiuntur animo statim ac naturaliter ab hominibus, nescientibus, ut inquit Averroes, unde id habeant: dicunturque principia complexa, quoniam in ijs aliquid affirmatur, aut negatur: quod pertinet ad operationem mentis complexam, quæ est iudicium. Thesis autem, sive positio, est quidem principium, non tamen primum & universale simpliciter, neque adeo evidens, ut omnibus ex prima terminorum apprehensione innotescat. Dividiturque

in suppositionem, & definitionem. Suppositio est principium complexum, quod Aristoteles exponit in Posterioribus dum ait: *Rursus ea quidem positionum, quæ utramvis cunctationis partem accepit; esse, inquam, quippiam, aut non esse; suppositio dicitur.* Definitio autem est principium incomplexum, ut ipse eodem loco tradit. Porro definitionem differre à suppositione, probat exemplo à Mathematicis petito: nam quid sit unitas, quod spectat ad definitionem, non est idem, ac esse unitatem, quod pertinet ad suppositionem.

24 QVO Sic explicato & statuto, plana, & in aperto est mens Aristotelis, dum ait hoc loco, principiorum non esse Scientiam, nec Artem, nec Prudentiam. Sive enim loquamur de principiis universalibus & primis simpliciter, quæ dicuntur axiomata, seu dignitates; sive de minus universalibus, quæ appellantur theses, & dividuntur in suppositionem, ac definitionem; illa non demonstrantur ab ijs habitibus, sed supponuntur vera. Et præsertim priora illorum omnino indemonstrabilia sunt: quoniam non est aliquid prius, ex quo inferantur. Alioqui non essent prima principia simpliciter; aut certe oporteret procedere, & redordiri in infinitum. Quare superest, ut eorum principiorum cognitio spectet ad Intellectum, qui dicitur habitus principiorum, & nullam vim habet demonstrandi, cum non sit circa objectum demonstrabile; sed tantum assentiendi naturaliter, supposita apprehensione terminorum.

25 SED Dices, etiam ad habitum Sapientie spectare, ut assentiatur principiis. Quod non obscure indicat Philosophus in præsentia. nam docet, Sapientiam differre ab Intellectu, quoniam hic nihil demonstrat: Sapientie autem, seu *Sapientis esse de quibusdam demonstrationem habere.* Vbi dum de quibusdam docet demonstrationem haberi à sapiente, videtur plane non spectare ad ipsum, ut demonstrat circa omnia, quæ sub Sapientie considerationem cadunt. Non ergo proprium est Intellectus, seu habitus principiorum, versari circa principia indemonstrabilia, sed commune etiam Sapientie.

26 HVIC Obiectioni occurrendum videtur asserendo, solius habitus principiorum esse proprium, ut versetur circa principia simpliciter prima, qualia sunt speculabilia, & practica num. 23. assignata; idque maiori, aut minori facilitate, promptitudine, & claritate, secundum, quod habitus ipse magis aut minus intensus extiterit per repetitionem actuum in eadem materia: atque hoc quidem sine ullo ordine ad demonstrationem. Habitus autem Sapientie est, quo assentiuntur principiis

rerum, tum primis, tum & secundis dignitate: qualia videntur illa duo, quibus nititur Sapiencia naturalis, id est, Metaphysica: scilicet, *Quae sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: &, Quae sunt eadem inter se, distinguuntur ab vno tertio.* Nimirum, Sapiencia, seu Metaphysica, ijs principijs insistit, vt conclusiones suas demonstrat; eaque subministrat alijs scientijs sibi inferioribus, quas subalternatas dicunt. Denique scientiae omnes peculiare nituntur proprijs principijs, & suae ipsarum materiae proximioribus, quae appellari possunt principia tertij generis, quoniam adhuc minus nota sunt, minusque vniuersalia principijs, quibus Sapiencia insistit: ex istis procedunt ad suas conclusiones demonstrandas. Ex quibus omnibus ad obiectionem propositam plana atque in promptu est solutio. Facemur enim, ad Sapienciam spectare vt principijs assentiatur, non tamen sine ordine ad demonstrationem; quoniam hoc proprium est Intellectus, seu habitus principiorum: sed vt demonstrat conclusiones suas. In quo etiam Sapiencia differt a Scientia. Illa enim altioribus principijs assentitur, quamvis non omnia sint simpliciter prima: haec vero inferioribus, & suae materiae proximioribus, seu immediatis, vt supra cap. 3. huius libri dictum est, & iterum redibit sermo cap. sequenti,

27 ADDENDVM Denique, consequenter ad doctrinam *num. 11.* traditam, habitum principiorum, seu Intellectum, non solum assentiri primis principijs simpliciter, sed etiam ceteris alijs quibuslibet indemonstrabilibus, & eo pluribus, ac similiter eo facilius ac clarius, quo intensior fuerit assidua, & vivida exercitatio. Assentitur tamen ijs absque vilo ordine ad demonstrationem: & in hoc differt a Sapiencia, & Scientia, quae duae praestant quidem assensum proprijs ipsarum principijs, in ordine tamen ad demonstrationes faciendas intra propriam materiam.

28 IAM Verò haud difficile erit occurrere difficultatibus propositis à *num. 5.* AD I. Negamus habitum principiorum esse inditum nobis a natura: cum satis superque ostensum sit, illum studio & industria vniuscuiusque parari. Neque oppositum, vel in speciem, probatur ex progressu illo ab vniuersalibus ad peculiaribus: quoniam licet ille sit conformis naturae, adhuc tamen, vt prompte ac faciliter omnino fiat, praesupponit habitum versantem circa principia vniuersalia, & prima, sicuti & habitum alium circa minus vniuersalia, aut etiam peculiaribus. Quare sicuti exinde non probatur, naturam rationalem nullo habitu superaddito egere ad cognoscendum veritates minus vniuersales; ita neque evincitur, illam non egere su-

peraddito habitu principiorum primorum, & vniuersalium; vt, nimirum, ea prompte, ac faciliter cognoscat, & clarius, ac clarius penetret.

29 AD Confirmationem patet ex ea ipsa doctrina. Quamvis enim natura rationalis se sola sufficiat ad assentiendum primis principijs, non tamen prompte ac facile: sicuti licet simpliciter potens sit discurrere, ac demonstrare veritates quarumlibet scientiarum in singulari ante habitum ipsarum proprium sibi superadditum, adhuc ijs eget ad id praestandum prompte faciliterque. Quare ex hoc ipso ferè capite oportet agnoscere habitum principiorum naturali intelligentiae superadditum.

30 AD Instantiam vltiorem, quae assumitur, Virtutem omnem in arduo, ac difficili positam esse, responderetur similiter, quavis facile sit assentiri principijs primis secundum se inspectis; adhuc tamen difficile esse admodum ea penetrare secundum ea omnia, quae circumstant. Licet enim absque negotio innotescat, quodlibet esse aut non esse, nihilque simul esse & non esse, & omne totum esse maius sua parte; attamen non omnes absolute, & perfecte, vel aequali facilitate, claritate, aut constantia, veritatem eorum principiorum intuentur, aut comparant extrema eorum inter se: ideoque vel ex hoc capite oportet agnoscere habitum principiorum intelligentiae naturali superadditum. Mitto, quod *num. 27.* monui, eundem habitum etiam versari circa principia non prima, quaeque non omnibus in prospectu sunt, imò, & quibusdam, etiam Philosophorum, arcana fuerunt. Quare habitus principiorum ex eo potissimum capite, quo extenditur ad cognoscenda haec principia non prima, in difficili atque arduo versatur; & per consequens habet rationem Virtutis.

31 AD II. Patet ex modo dictis, posse esse errorem, seu peccatum circa principia, quae non sunt simpliciter prima, & dicuntur theses, seu positiones: & iam supra observavimus ex eodem Aristotele, Heraclitum atque Anaxagoram circa illa errasse. Circa ea verò, quae prima simpliciter sunt, licet nequeat esse peccatum aut error, si solum abstracte & secundum se considerentur; potest tamen esse in concreto, vt aiunt, & iuxta circumstantias subiecti ac praedicati, cui adaptantur.

32 AD III. Est apertum discrimen inter voluntatem, & intellectum. Voluntas enim nullam omnino difficultatem pati potest in amando suum vltimum finem, abstractentem a vero & apparenti, qui est bonum in communi, seu Felicitas, sive solida, sive apparens, vt supra lib. 1. constitutum est: ideoque solum eget pravitate propositione, & directione

Intellectus, absque aliquo habitu sibi superaddito. In intellectu autem opposita ratio urget, cum per seipsum debeat cognoscere, & dirigere; ac plane errare possit circa principia non prima, imò & circa prima ac notissima, eo modo, quo paulo ante dictum est. Merito igitur Aristoteles hoc loco inter ha-

bitus Virtutum intellectualium recenset Intellectum principiorum, illumque ratione essentiali, ac munere proprio distinguit à Scientia, Arte, Prudentia, & Sapientia.

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 57. art. 1. & 2. atque eius Interpretes.

CAPVT SEPTIMVM.

De Sapientia.



APIENTIAM Autem in artibus ijs tribuimus, qui in ipsis sunt exactissimi. Phidiam enim sapientem sculptorem lapidum dicimus, & Polycletum, statuarium itidem sapientem. Atque hic per sapientiam nihil aliud intelligimus, quàm ipsius artis virtutem. At quos-

dam etiam esse sapientes omnino, non aliqua ex parte, nec aliquid aliud, quàm sapientes arbitramur, vt in Margite dixit Homerus:

Divum is munere, nec fossor, nec durus arator,

Nec sapiens alia vlla nimirum extitit arte.

Quare constat exactissimam scientiarum ipsam sapientiam esse. Sapientem ergo non solum ea scire, quæ ex principijs cognoscuntur, sed etiam circa principia dicere vera oportet. Quare sapientia, intellectus est, & scientia, & (vt caput habens) scientia rerum earum quæ summis afficiuntur honoribus. Perabsurdum est enim si quispiam facultatem civilem, aut prudentiam studiosissimam esse putet, si non sit homo eorum optimum, quæ sunt in Mundo. Quod si salubre quidem, ac bonum aliud est hominibus, aliud piscibus, album autem, & rectum semper est idem, & sapiens omnis idem profectò, prudens verò diversum dixerint esse. Quod enim circa se ipsum rectè singula perspicit, id prudentiam habere dixerint, & huic ipsa commiserint. Quapropter & nonnullas belluas prudentiam habere dicunt, quæcumque in sua vita providendi vim habere videntur. Constat autem, eandem non esse sapientiam, & facultatem civilem. Nam si eam facultatem sapientiam esse dicent, quæ circa commoda propria versatur, multæ sanè sapientiæ erunt. Non enim vna circa omnium animalium bonum, sed alia, atque alia circa vnumquodque versatur, nisi de omnibus, quæ sunt, vna sit & facultas medendi. Quod si homo præstantissimum esse cæterorù animalium

diceretur, nihil refert. Etenim homine sunt alia longè diviniore natura: ut ea manifestissimè, ex quibus ipse constitit Mundus. Patet igitur ex ijs, quæ diximus, sapientiam scientiam esse, & intellectum eorum, quæ honorabilissima sunt natura. Quapropter Anaxagoram, & Thalem, & similes, sapientes quiddem, at non prudentes inquirunt esse, cum vident ipsos propria commoda ignorare. Et superflua quidem, & admiranda, & difficilia cognitu, divinaque scire ipsos: sed inutilia dicunt, quia non quærunt bona humana. Prudentia autem circa humana versatur, & in quibus habet consultatio locum. Prudentis enim hoc maximè opus dicimus esse, bene, inquam, consulere. Consultat autem de ijs nemo, quæ aliter sese habere non possunt, & quorum non est aliquis finis: atque is ad bonum agendum. Is autem ad bene consulendum est simpliciter aptus, qui coniectura quod est homini optimum eorum, quæ cadunt in actionem, excogitando mente capere potest. Neque prudentia est universalium solùm, sed singula etiam oportet cognoscere. Est enim activa: & actio circa singula ipsa versatur. Quapropter, & nescientes nonnulli, magis, quàm nonnulli scientes, idonei sunt ad agendum: & in cæteris ij, qui sunt experti. Nam si quispiam sciat leves carnes facilè concoqui, ac esse salubres, quæ verò sint leves ignoret, non efficiet sanitatem. Sed qui scit avium carnes leves esse, atque salubres, is efficiet magis. Prudentia autem est activa. Quare utramque cognitionem, aut hanc potius habere oportet. Fuerit autem quædam & hæc architecturæ subiens rationem.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Quid sit Sapientia, tum generatim & latè accepta, tum speciatim & angustius. Quæ ratione sit intellectus & scientia honorabilissimorum, ac veluti caput habens.

Quibus nominibus differat à Prudentia & Politica.

Eam in materia longè alia versari.



AGITUR Iam modò de nobilissimâ Virtute inter omnes quinque intellectuales, quam Arist. Græcè appellat Sophiâ, Latini cum Ennio, ac Cicero-
ne lib. 1. *Offic. sine*, Sapientiam dicimus. Est autem nomen homonymum, sicuti & ἄσ, & φρόνησις, *Intellectus*, & *Prudentia*: nam quandoque latius, quandoque angustius sumitur, ut mox patebit. Porro scopus Philosophi in hoc capite est, ostendere quid sit *Sapientia*, examinareque an sit præstantissi-

ma inter Virtutes intellectuales, & in quibus differat à Prudentia. Dividitur caput commodiori distributione in quatuor partes, quamvis Acciaiolus in duas tantùm illud partiatur. In prima præmittitur, aliquos dici sapientes ex parte solùm: alios simpliciter & omnino: Sapientiam verò ex Intellectu & Scientia consurgente esse honorabilissimâ. In secunda docet, doctrinâ Civilem, seu Prudentiam non esse habitum intelligentiæ præstantissimû, nec Sapientiam honorabiliorem. In tertia assignatur discriminè ex parte materiæ, in qua versatur uterque habitus: in

indeque confirmatur excessus Sapientiae supra Prudentiam. In quarta denique tradit, Prudentiam, non solum communia, & generalia attendere (id quod Sapientia agit) sed etiam, ac potissime quidem, singularia, & peculiaris.

2 CIRCA Primam partem incipit exponere rationem propriam Sapientiae, quasi tentando & velitando solum, ab acceptione illius impropria. Quemadmodum enim capite quinto docuit, quandam esse Prudentiam latiori significato acceptam, quae dicitur peculiaris, seu ex parte solum, & tribuitur artificibus peritissimis in qualibet arte, non ingenua ac liberali solum, sed etiam servili; ut in ea nominatim, & cum addito prudentes dicantur: ita etiam nunc observat, Sapientiam quandoque latius viurpari pro perfectione exquisita cuiuslibet in ea arte, quam profiteretur, qualiscumque ea sit. Vnde apud Graecos solemne fuit eximios pictores, statuarios, & quoslibet alios praecellentes artifices dicere σοφῶς, sapientes; non quidem simpliciter, sed ex parte solum, sive in sua arte tantum: ut legere est apud Platonem in *Theaet.* & *Theaet.* 10, ac Suidam in verbo *Sophia*. Exemplis rem illustrat Aristoteles, tum in Phidia, quem appellat hoc loco λιθόγυρον, id est, lapidum sculptorem, aut sculptorem; quemque alij inde potissimum celebrant, quod Athenis elegantissimam Minervae statuam ex ebore fecerit, altitudinis viginti sex cubitorum: tum etiam in Polycleto, quem cognominat ἀνδριαντοστέου, id est, statuarium generatim, quamvis aliorum scriptis proditum sit, illum ex aere nominatim statuas fecisse, praesertim illas, quae passim a Poetis celebrantur, & inter eos, a Statio Papinio lib. 4. *Sylv.* 6.

3 HIS Autem relictis, pergit ad exponendum quinam sint σοφοὶ ὅλως, ἤτοι ἐκ κατὰ μέρους, sapientes omnino, & non ex parte: id est, proprie simpliciterque sapientes. Eos vero allerit esse, quibus non aliqua solum, sed omnia nota, ac perspecta sunt: utpote omnino contrarios ijs, qui nihil omnino sciunt, neque vllam prorsus arte exculti sunt, ut ex parte saltem & improprie prudentes dicantur. Horum exemplum subiicit ex Homero in *Margarite*. Sic enim inscripsisse dicitur quoddam poema ludicrum, cuius meminit idem Aristotel. in *Arte Poetica*, & Plato in *Alcibiade posteriore*: quamvis temporum iniuria perierit. Plutarchus tamen, & D. Basilius, hoc loco allegati a Giphano, nolunt id opusculum fuisse Homeri, sicuti nec *Batrachomyomachiam*. Porro Margites ipse dicitur fuisse stultissimus, atque insulsissimus hominum, de quo Homerus ipse hoc loco allegatus accinit:

Τὸν δ' ὄτ' ἀπ' οὐρανῶν, &c. id est, Hunc neque fossorem voluerunt numina di-

uum
Esse, nec agricolam, nec in vlla prae-

rea re
Scitum aut egregium.

Refert autem Erasmus ex Suida, usque adeo stupidum fuisse eundem Margitem, ut non potuerit numerare supra quinque: ducta etiam vxore, non ausum eam attingere, veritum ne se apud matrem incularet. insuper & factum iam iuvenem interrogasse matrem suam, an ex eodem patre nata elier. Vnde & apud Auctores Margites stultitia celebris est. Hinc illud Luciani in *Hermotimo*: *Existimas te cum Margite quopiam loqui?* Similia, aut eadem pene leguntur de alijs fatuitate nobilibus apud eundem Homerum, & Eustathium eius *Interpretem lib. 10. Odyss.* ac Zenodotum. Legendus idem Erasmus in *Adagio, Stultior Melitide.*

4 ITAQUE Sapientis nomen simpliciter ijs dumtaxat tribuitur, qui Margiti omnino contrarij sunt: quoniam cum ille omnium scientiarum, & artium, ac generatim eorum omnium, quae ad vitam humanam, & civilem convictum attinent, ignarus omnino extiterit: Sapiens est contra rerum omnium scientissimus est, seu notitiam absolutissimam, limatissimam, & ut in Graeco habetur, ἀκριβεστάτην, exquisitissimam habet. Vnde infert Aristoteles, sapientem non solum scire conclusiones, seu consecutiones ex principijs deductas, sed etiam verum iudicium ferre circa ipsa principia, eaque penetrare, & introspicere. Indeque colligit, Sapientiam esse aliquid conflatum ex Intellectu, & Scientia: ex illo quidem, quatenus optime novit principia, absque discurfu aliquo: ex Scientia autem, prout certissime ac firmitissime infert conclusiones.

5 SED Tamen id ipsum satis difficile apparet: quod, nimirum, Sapientia sic Intellectus, ac Scientia, ut inquit hoc loco Aristoteles. Constat enim ex dictis hoc ipso libro cap. 2. esse quinque habitus intellectuales diversos inter se, Intellectum, Scientiam, Artem, Prudentiam, & Sapientiam. Constat ulterius, vnumquemque eorum esse qualitatem simplicem. Igitur Sapientia neque est Intellectus, neque Scientia, neque aliquid conflatum, seu compositum ex utroque. Praeterea. Multi doctorum hominum praediti sunt habitibus Intellectus & Scientiae, Geometriae v. g. aut Arithmeticae; qui tamen non sunt simpliciter Sapientes, seu praediti Sapientiae habitu proprie dicto. Non ergo illa est aliquid conflatum ex Intellectu, & Scientia alioqui omnis intelligens, & sciens, esset sapiens simpliciter, quemadmodum quia

homo est quid conflatum ex animo rationali, & corpore, omne quod constat animo rationali coniuncto corpori, est homo simpliciter.

6 VIDES Difficultatem non levem: quam miror ab Interpretibus politioribus, ac recentibus prætermittam: nam nec Giphanius, nec Gallutius, neque plures alij ex Neotericis illam sibi obiecerunt. Vnus Acciaiolus eam proposuit ante illos, solutionemque reddere conatus est, quamvis satis obscuram. Dicendum itaque est, Sapientiam verè proprièque esse habitum divertum ab Intellectu principiorum, & Scientia, atque ab ijs duobus simul acceptis: ut ratio dubitandi nuper proposita evincit planè, tum ex mente Aristotelis, tum iuxta veritatem ipsam. Neque obstat quòd in præsentì dicatur, σοφία ἴσθι καὶ ἐπιστήμη, Sapientia esse intellectus & scientia. Non enim est unumquodque eorum, neque utrumque simul propriè loquendo, sed aliquid utroque sublimius, habens rationem intellectus & scientiæ altiori modo, quam ijs competat.

7 ITAQUE Sapientia habet rationem Intellectus, sed altioris, quam sit habitus principiorum, qui simpliciter Intellectus principiorum dicitur. Hic enim nudo solùm iudicio attentitur principijs, neque illa probat ullo modo: ut capite præcedenti dictum est. Sapientia autem ita attentitur principijs universalibus & communibus, ut non solùm ea introspiciat, exactissimeque penetret, sed etiam probe illorum veritatem a posteriori. Id enim est in textu Aristotelis, quod Sapientia tribuitur, non modò quæ ex principijs sunt, cognoscere, sed & περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν. circa principia verum tenere, nimirum, introspicere ipsa principia, eaque tenaciter penetrare, & tueri. Alia verò principia sunt peculiaritè propriaque scientiarum: & hæc à Sapientia probantur à priori, seu demonstratione propter quid, quod longissimè abest, & omnino alienum est ab Intellectu principiorum.

8 HINC Etiam constat, Sapientiam habere quidem rationem Scientiæ communiter dictæ, verùm longè altioris, quam sit habitus Scientiæ proprius. Hic enim nullatenus probat ratione aliqua apodicticâ, seu demonstrativa, neque à priori, neque à posteriori, axiomata communia, seu prima principia, neque etiam principia peculiaritè, & propria, quibus nititur: sed illa tantùm supponit, & ex ijs infert conclusiones intra materiam sibi subiectam. Sapientia igitur, quæ eiusmodi principia probat, longè sublimiorem Scientiæ gradum habet, quam habitus intellectualis Scientiæ propriè dictæ. Itaque quemadmodum in initio capitis huius observavimus ex Aristote-

tele, nomina Prudentiæ, & Sapientiæ homonyma esse, bifariamque accipi: ita & nomen ἐπιστήμη, scientiæ, homonymum est & generatim quidem sumitur pro habitu, quo res certò, ac demonstrativè cognoscitur per suas causas, & principia, sive proxima, & peculiaritè, sive remota & universalitè: quo sensu est aliquid commune Sapientiæ, & Scientiæ. Speciatim autem accipitur, & propriè, pro habitu illo, qui ex proximis principijs, omnino præsuppositis, & nò probatis à seipso, demonstrat suas conclusiones. In quo sanè exceditur à Sapientia, quæ non solùm demonstrativè procedit circa conclusiones, sed etiam à priori demonstrat principia propria aliarum scientiarum. Cùm enim Sapientia, quæ profectò est Metaphysica, habeat pro obiecto omne ens; nullis limitibus coercetur, & ad omnia aliorum habituum intellectualium obiecta se extendit, earumque principia propria apodicticis rationibus probat. Sublimiori ergo modo habet rationem Intellectus, & Scientiæ.

9 SVBDIT Philosophus loquens de Sapientia: ET (UT CAPUT HABENS) SCIENTIA EORUM, QUÆ NOBILISSIMA SVNT. Ita vertit Argyropilus pro eo quod Græcè erat in exemplari, quo ille usus est, καὶ ὡς περὶ κεφαλῆν ἔχουσα ἐπιστήμη τῶν τιμιωτάτων. Et quidem Græcè legendum esse κεφαλῆν, caput in accusativo, non κεφαλήν in nominandi casu probat Petrus Victorius ex omnibus antiquis exemplaribus à se perlectis: afferitque pro sua opinione Eustratium: ut proinde sensus Aristotelis sit, non quidem quòd Sapientia sit caput & princeps scientiarum omnium, ut interpretantur Muretus, & Lambinus (de hoc enim agitur infra cap. 13. huius libri sine) sed quòd Sapientia præ quibuslibet scientijs habeat caput, seu instructa sit principijs, tanquam capite. Non enim solùm cognoscit ea, quæ ex principijs colliguntur, ut quælibet scientiæ; sed ipsa quoque principia continet, quæ se habent instar capitis. Quam ipsam interpretationem videtur antea tradidisse, non modò Eustratius iam allegatus, sed & Andronicus: illamque suffragio suo probat eruditissimus vir, & magnum huius sæculi decus, Dionysius Petavius Prolegomen. 4. in Opus insignè Theologicorum Dogmatum, num. 7.

10 CÆTERVM Probabilis etiam est interpretatio Giphani, cui subscribit Gallutius: ut sensus sit, Sapientiam habere caput, id est, mentem, seu Intellectum principiorum, qui est veluti caput, quo præeunte Sapientia ipsa omnes dirigit disciplinas, quæ ab ea recipiunt principia, ex quibus suas conclusiones probent. Itaque Sapientia est qua-

quasi capitata habitu principiorum, eiusque praesidio vim & efficaciam quibuslibet scientijs praestat, & earum principia corroborat, quemadmodum anima praesidio eorum sensuum, qui sunt in capite, actiones motusque membrorum omnium regit. In quod illustrandum indicat Giphanius simile aliquid ex Lucretio lib. 3. vbi de mente accinit:

Sed caput esse quasi, & dominari in corpore toto

Consilium, quod nos animum, mentemque vocamus.

11 ADHVC Tamen restat exponendum quo sensu Sapientia ab Aristot. dicatur, *scientia eorum, quae honorabilissima sunt.* Andronicus putat ideo esse, quod praestantissima sit, utpote quae versetur circa ipsa principia eorumque, quatenus fieri potest, rationem reddat. Verba illius sunt, inter alia, pag. 364. *ἡ σοφία τοῖς ἐν καθόλου τοῖς ἐν ἑστίῃ σοφία, &c.* Quoniam igitur universale quippe iam est sapientia, oportet sapientem, qui ab illa nomen accipit, non certa quadam ex ijs, quae cognosci queunt, scire, alia nescire. Atque ideo non tantum illa, quae demonstratione colligi possunt, sciet sapienter: sed etiam principia, ex quibus fiunt demonstrationes, & illorum, quoad licet, rationem reddet. Quamobrem sapientia erit intellectus simul & scientia: **ET HOC MODO ERIT ILLA SCIENTIA, QUAE EST OMNIUM PRAESTANTISSIMA,** capitis instar principia continens. Etenim in eius ratione declaranda, tum ea, quae demonstratione probari possunt, assumuntur, tum principia ipsa. Hoc autem in alijs scientijs non perinde usu venit. Quippe in earum definitione non adhibetur notitia principiorum, sed eorum dumtaxat quae demonstrando concluduntur. Haecenus ille. Eodem sensu interpretatur ea verba Eustratii. Ait enim Sapientiam esse praestantissimorum, quoniam versatur in cognitione principiorum, quae sunt praestantissima.

12 SED Enim, quamvis in ea expositione multa sint vera, & superius a nobis statuta; adhuc tamen *τῆς τιμιωτάτης πρᾶξις* praestantissimorum, sive honorabilissimorum, ut Argyropilus vertit, appellatione, non principia ipsa, sed res subiectae, seu circa quas Sapientia versatur, intelliguntur. Verum quidem est, Sapientiam, id est, Metaphysicam, omnium opinione versari circa primas causas & principia, ut inquit Aristot. 1. Metaphysic. cap. 1. fine. Verum quoque, quod idem subdit cap. 2. sequenti, *illam esse contemplatricem primorum principiorum, atque causarum.* Attamen hoc loco dicitur scientia eorum, quae honorabilissima sunt: quia non

contemplatur res immerfas materiae, sive sensibili, ut Physicae; sive intelligibili, id est, quantitati, ut Mathematicae disciplina: sed prorsus liberata a materia, ut Deum ipsum, & Intelligentias, ac generatim res divinas, quae potius honorabiles sunt, quam laudabiles: ut lib. 1. cap. 12. statutum fuit. Quin & eas res, quae alioqui corporatae sunt, non contemplatur Sapientia, seu Metaphysica, secundum quod sunt immerfae in materia singulari, sensibili, aut intelligibili: sed tantum per rationes summe abstractas, & communes Deo, atque Intelligentijs: quales sunt rationes entis, veri, substantiae, &c. Quam interpretationem plane idem Aristot. obviam & patentem subministrat allegatio, cap. 2. libri primi Metaph. dum ait de eadem Sapientia differens, *nullam esse doctrinam τιμιωτέραν, honorabiliorem. Quae enim diviniissima est, eadem & honorabilissima.* Huiusmodi autem duobus dumtaxat modis esse potest. Etenim tam illa, quam in se maxime Deus obtineret, divina est inter scientias, quam ea, quae circa divina versatur. At illa duobus istis praedita est. Nam & Deus omnibus causa esse & principium videtur quoddam: & illam vel solus, vel potissimum habiturus videtur Deus. Haecenus ille: ex cuius verbis, ac sensu luculenter apparet, quanam sint *τιμιώτατα*, seu honorabilissima illa, in quibus Sapientia versatur: nimirum, res divinae, ac materiae inexperes, quas Sapientia speculatur.

13 CIRCA Secundam partem capitis differit adversus quosdam existimantes, Sapientiam & Prudentiam esse omnino eundem habitum. Ac prius quam oppositum demonstrat, praemittit, Scientiam non esse idem ac doctrinam Civilem; cum prior illa versetur in necessarijs, haec vero in contingentibus. Deinde, Sapientiam non esse idem ac Prudentiam, probat duabus rationibus, leviter solum indicatis, ut mos est Aristoteli, etiam cum demonstrat. Illas vero aliquantofusius proponere oportet, ac digerere pro usu Scholarum.

14 PRIMA Est ferè huiusmodi. Si idem essent Sapientia & Prudentia, haec esset habitus praestantissimus inter intellectuales. Ac consequens absurdum est. Ergo & illud, ex quo inferitur. Sequela patet. Si enim idem essent Sapientia & Prudentia, quidquid Sapientiae competit, etiam conveniret Prudentiae. Cum igitur Sapientiae censeatur habitus inter omnes intellectuales praestantissimus, idipsum quoque Prudentiae competere. Iam vero absurditas consequentis colligitur. Si enim Prudentia esset habitus inter omnes intellectuales praestantissimus, etiam homo, circa quem, sive circa cuius res, Prudentia versatur, esset ens praestantissimum totius

Vniuersi. Habitus enim intelligentiæ præstantissimus versari debet circa rem totius Vniuersi præstantissimam: quoniam debet scientia *τιμιωτάτων, honorabilissimarum*, seu præstantissimarum rerum, vt supra ostensum est. Atqui homo non est ens totius Vniuersi præstantissimum. Igitur nec Prudentiæ habitus inter omnes intellectuales præstantissimus est. Porro hominem non esse ens totius Vniuersi præstantissimum, patet: quoniam Deus, & Intelligentiæ, sunt aliquid longè præstantius. vt omittamus opinionem quorundam Philosophorum, qui existimarunt, cælos, & astra constare animo, eoque sublimiori, quàm sit mens humana. Hoc enim & Fidei Catholicæ, & rationi naturali aduersatur: vt latè ostendimus in *Laurea Theologiæ Ludo VIII. & tom. 2. Phil. Nov. antiquæ disput. 63.* Obiter autem notanda sunt verba illa Augustini, siue cuiusdam alterius Auctoris libri de Cognitione veræ vitæ, inter Augustini Opera, cap. 6. aientis: *Qui sidera rationabilia, vel saltem sensibilia corpora arbitrantur, iure sensu carentes inter irrationabilia computantur.* Habendusque præ oculis est canon ille V. Synodi Generalis anathematismo 6. *Siquis dicit, cælum, & Solem, & Lunam, & stellas, animantes, quasdam esse, & animales virtutes, anathema sit.* Sed de hoc rursus infra.

15 SECUNDA Ratio. Omnes ij habitus, quorum vnus versatur circa ea, quæ semper sunt eadem apud omnes, aliter circa ea, quæ alio atque alio modo se habent, sunt plane diversi inter se. Atqui habitus Sapientiæ, sicut & Scientiæ, versatur circa ea quæ semper sunt eadem apud omnes: habitus autem Prudentiæ circa illa, quæ alio atque alio modo se habent. Album enim & rectum v. g. circa quod versatur Sapientia, aut Scientia, eandem vbi que essentiam inuariatam retinet: bona autem humana, in quibus versatur Prudentia, alio atque alio modo se habent. Vt enim aliud est salubre & bonum hominibus, aliud piscibus: ita & res, in quibus versatur Prudentia, aliter atque aliter se habent, & iuxta varias personarum, temporum, ac locorum circumstantias variantur. Quin & quasdam brutarum animantium solemus appellare prudentes, similitudine quadam, vt apes, formicas, & vulpes: quoniam providentiam aliquam habere videntur circa proprium ipsarum bonum, salubreque. Cum autem aliud sit bonum, & salubre piscibus, aliud alijs animantibus; patet Prudentiam variari iuxta genus, & opportunitatem bonorum, circa quæ versatur. Ergo habitus Sapientiæ & Prudentiæ sunt diversi inter se.

16 TERTIA Procedit simul de Prudentia & doctrina Civili, seu Politica, & probat hoc ferè modo vtramque à Sapientia differere: Si enita vterque is habitus non differ-

ret à Sapientia, hæc non esset vna, sed plures. Nimirum, cum paulo ante ostensum sit, Prudentiam variari iuxta varietatem bonorum, quæ providentur, etiam Sapientia esset multiplex, ac varia, si esset idem habitus cum Prudentia. Similiter, cum doctrina Civilis alia atque alia sit iuxta aliam & aliam Rempublicam, variasque Gentium leges ac consuetudines, Sapientia quoque alia atque alia esset, si ab ea non differret. Consequens autem absurdum esse patet: cum Sapientia omnino vna & eadem sit: quippe quæ ad omnia entia se extendit, quantumcumque inter se diversa. Absurdum ergo est etiam quod Prudentia & doctrina Civilis, seu Politica, idem habitus cum Sapientia sit.

17 QVOD Si verò quis obijciat, Prudentiam ac doctrinam Civilem esse habitum præstantissimum, quoniam versatur circa hominem, qui est inter omnia animalia præstantissimus; ideoque neutram earum differre à Sapientia; RESPONDET Aristoteles negando assumptionem. Quamvis enim homo præcellat cæteris animalibus, adhuc non est ens omnium præstantissimum. Rationemque reddit: *Etenim homine alia sunt longè diviniora natura: vt hæc manifestissima (alij vertunt, clarissima) ex quibus ipse consistit mundus.* Porro quænam sint entia eiusmodi multò diviniora homine, & constituentia mundum ex sensu Aristotelis, non ita facilè explicatu est. Eustratius ait, diviniora illa ex mente Platonicorum accipienda, de Heroibus, Genijs, aliisque naturis eiusmodi, & cælestibus item corporibus, quæ ab ipsis animata, & homine excellentiora putabantur. Cæterum addit, Aristotelem fuisse in ea opinione Græcis familiari, qua existimabant, quælibet corpora cælestia constare rationali animo, eoque vivere, sapere, intelligere, ac providere, longè excellentius & sublimius quàm homines. Verba Eustratij in hunc locum è Græco reddita ex-
 ,, scribo: Platonici Heroas intelligerent, de-
 ,, mones, aliaque eiusmodi naturas, & cæle-
 ,, stia etiam corpora, quæ ab ipsis animata, &
 ,, supra conditionem humanam posita existi-
 ,, mantur. Sed Aristoteles sola hæc sibi sumit,
 ,, quæ maximè conspicua sunt, & spectantur
 ,, ab omnibus, & ex quibus constitutus est mû-
 ,, dus. Hæc autem sunt cælestia corpora. Vni-
 ,, cuique enim ex his Græci, sicut animam, &
 ,, rationem, & intelligentiam, ita prudentiam
 ,, tribuunt: & quod hinc sequitur, eius, quod
 ,, bonum est, cognitionem, appetitionem, &
 ,, prudentiam, studiumque ad id adipiscen-
 ,, dum, quod prudentiæ proprium est. Itaque
 ,, dicunt, aliam quandam humanâ longè præ-
 ,, stantiorẽ & diviniorẽ inveniẽti prudentiam. Tandemque, veluti ex mente Aristotelis, cõcludit: *Divinissimum eorum (hoc est orbium*

coelestium) appellat corpora, omni genera-
tione atque interitu superiora: atque inde
perspicuum esse ostendit, ea non modo esse
animata, sed nominatim animam rationis at-
que intelligentiæ participare prædita esse, at-
que instructa prudentiâ: idque illis præstan-
tiori modo, quàm humanæ naturæ conve-
niat, esse tributum. Hactenus ille.

18 IN Qua re, & difficultate satis implexâ, existimabunt forte aliqui, interpreta-
tionem Eustratij apparentem esse, & conformem
sensui, quem præ se ferre videtur verba præ-
iacta Aristotelis. Dum enim ait esse aliqua en-
tia multo diviniora homine, & addit illa esse
φανερώτατα, id est, manifestissima, seu clarissi-
ma, ex quibus mundus constituitur; videtur
planè de cælis & astris loqui: quæ profectò,
ut homine diviniora sint, debent constare spi-
ritu nobiliore. Nam quod aliâs præstantiori
corpore, id est, naturâ corporeâ incorruptibi-
li consent, non sufficeret ad excessum simpli-
citer. Si igitur corpora illa cælestia diviniora
simpliciter homine asseruntur, videntur ex me-
te Aristotelis constare spiritu divinioro. Quam
existimationem promovere Eustratius potuisset
ex ipso Arist. qui lib. 1. de Cælo textu 100.
ait cælum vivere, & lib. 2. textu 61. ac 63. cælum
intelligere: & lib. 12. Metaph. textu 36.
cælum intelligere & velle. Nec mirum ita
loqueretur ijs locis: cum esset opinio celebris
& pervagata, non apud Græcos modo, sed
Chaldæos, Ægyptios, atque Arabes, qui omnia
cælestia corpora & luminaria spiritu vitæ in-
telligentis prædita arbitrabaatur. Latini quoq;
in eadem existimatione fuerunt, quam, satis ex-
pressit Virgilius VI. Æneidos illis versibus sa-
tis notis:

*Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore mis-
cet.*

Alio item loco apud ipsum, Nisus ut Eurya-
lum servet, sibi vni facinus adscribit, quod Eu-
ryalo imputabatur: utque testimonio suo fidem
conciliet, adhibet iurandum illud,

— — — *cælum hoc & conscia sidera testor.*

Quo planè supponere videtur in astris vim
intelligēdi, seu nostrorum factorum consciam.
Denique pleni sunt Ethnici testimonijs, ex
quibus manifestum est, illos in stellis, ac præ-
sertim Planetis, credidisse inlatentem Spiri-
tum, humano longè præstantiorem, ac divi-
num: de quo plurima & varia dedimus in Lau-
reâ Theologiæ iam indicatâ, Ludo VII. &
VIII. vnde huc plurima advocari possunt.

19 CÆTERVM Multo veriùs as-
serendum videtur, Aristotelem non fuisse in ea

opinionē, sed potiùs in oppositâ. Nam lib.
2. de Cælo ca. 1. ex professo docet, probatque,
cælestia corpora non moveri ab anima. Si au-
tem cælos putasset animatos, præsertim animam
intelligente & volente, diceret utique, eos ab
animâ moveri: cum ipse animam rationalem
definiat, ut sit principium, quo vivimus, senti-
mus, loco movemur, & intelligimus. Præterea
lib. 8. Physic. textu 40. & 41. docet, cæli
motorem suo orbi, seu sphæræ, coniunctum es-
se contactu virtutis. Existimat igitur, spiritum
illum, quo cæli moventur, non esse animam
informantem, sive formam animantem, sed vim
intellectualem, sive Intelligentiam assistentem,
& contactu solo virtutis cælos cientem. In-
super eodem lib. 8. cap. ult. textu. 48. arbitra-
tur, eundem cæli motorem esse in extrema par-
te sphæræ cælestis. Si autem cælum esset ani-
matum mente rationali atque ab eâ movere-
tur, iuxta opinionem Aristotelis, deberet mens
ipsa esse diffusa per totum cælum, & non in
extima solùm parte residens. Quin & iuxta ip-
sum eodem loco, virtus cælum movens sem-
per est in Oriente, seu à parte Orientis: ideo-
que S. Thom. 1. part. q. 51. art. 3. ad 3. inquit,
*Semper est in Oriente virtus movens, ut dicitur
oétavo Physicorum*: quoniam, nimirum, ut ibi-
dem addit, & art. 2. sequenti, non est opus ut
spiritus motor sit diffusus per totum cælum,
sed sat est si adsit, & impellat à parte Orientis,
vnde incipit motus. Quod idem Aristoteles
confirmat lib. 2. de cælo cap. 2. illis verbis
*τὸ δ' ἄρα πρῶτον ἀρχὴ τῆς περιφορᾶς, θὺν αἱ ἀνατολαί,
πρὸ ἀστέρων, Conversionis vero cæli principium
est id, vnde oriuntur stellæ.* Si autem mens cæli
motrix esset anima ipsius, non esset solùm à
parte Orientis, sed insinuaret se & inimè illa-
beretur per totam cæli Sphæram. Denique
cum Philosophus ipse lib. 2. de Anima cap. 1.
textu 6. universè animam definiat actum cor-
poris organici, seu constantis heterogeneis
partibus, quibus profectò cælum caret; evi-
dens est, ex ipsius mente cælum animatum non
esse.

20 NEQUE Obstant verba iam
expensa huius capituli, quibus Eustratius niti-
tur, ut eam opinionem Aristoteli adscribat.
Dum enim ait, plura esse homine diviniora,
nimirum illa, clarissima & manifestissima, ex
quibus mundus constituitur; fatemur quidem,
sermonem esse de cælis & astris; sed tamen
comparatis cum homine quantum ad perma-
nentiam totius. Cælum enim ab intrinseco
incorruptibile est opinione eiusdem Philoso-
phi, quam ex instituto tradidimus tom. 2. Phil.
Nov. antiquæ disp. 64. per totam; cum tamen
homo naturâ suâ mortalis & corruptibilis sit.
Itaque acceptâ comparatione in hoc sensu, cæ-
li & astra sunt aliquid præstantius homine.
Insuper factâ comparatione cæli cum homi-
ne,

ne, ex parte spiritus moventis utrumque, seu qualitercumque præstantis initium utriusque motui; verum etiam est, cælum esse aliquid præstantius homine: quoniam spiritus, seu Intelligentiâ, à quâ movetur, & circumagitur, nobilior est, quam rationalis animus, quo constat & movetur homo. Quare nihil mirum si ex utroque eo capite dixerit Arist. cælum & sidera esse multò diviniora, seu præstantiora homine. Aliunde verò componitur ut homo simpliciter præstantior sit cælo: quoniam præ illo constat movereturque animâ rationali intimè informante ac vivificante: cum tamen cælum spiritu dumtaxat assistente, & per solum virtutis contractum sibi coniuncto, moveatur. Neque ulterius obstat quòd idem Aristoteles locis illis supra indicatis dixerit, cælum vivere, intelligere, ac velle. Ibi enim loquitur de cælo, non secundum substantiam considerato, sed solum ex parte *τῆς νοῦς*, seu Intelligentiæ, à qua movetur. Spiritus enim motor, & contactu virtutis suæ cælos circumagens, verè vivit, intelligit, & vult.

21 Igitur Regrediendo ad difficultatem insinuatam in ipso textu, & propositam supra num. 17. à principio, non sequitur, Prudentiam & Politicam esse habitus intelligentiæ præstantissimos: siquidem res humanæ, circa quas versantur, non sunt omnium præstantissimæ. Homo enim non est ens præstantissimum omnium, cum existat aliquid ipso divinius: nimirum, substantiæ prorsus separatae à materia, seu Intelligentiæ, à quibus moventur cæli, & clarissima eius lumina, quæ in prospectu sunt, & motu suo atque irrequietâ vicissitudine hunc orbem terrarum regunt, diesque ac noctes distinguunt. Accedit, ab omnibus pene Ethnicis notos fuisse, & scriptis consignatos Genios, tum bonos, tum & malos: ut latissimè ostendimus in Laureâ Theologiæ iam allegatâ Ludo I. per totum: & eos quidem sublimioris ac longè aliis naturæ ab humana. Quod unum sufficeret, ne res humanæ essent omnium præstantissimæ: ac proinde ne Prudentia & Politica, quibus curæ sunt res humanæ, sint habitus intelligentiæ præstantissimi.

22 CIRCA Tertiam capitis partem iterum refellit illos, qui Sapiëntiam unum eandemque habitum cum Prudentia & Politica arbitrabantur. Refellit autem argumento petito ex materia, in quâ illæ tres versantur: quod sub hanc formulam proponi potest. Habitibus qui versantur in materiâ diversa, proculdubio disident inter se. Atqui habitus Sapiëntiæ, Prudentiæ & Politicæ versantur in materiâ diversa. Sapiëntia enim est intellectus & scientia rerum honorabilissimarum, seu ab omni materia abstractarum, quibus nihil est præstantius, ut supra explicatum est. Prudentia autem & Politica versantur in rebus humanis, quas

constat iam, nec esse omnium præstantissimas, nec omnino abstractas à materia singulari; cum sint plerumque actiones singulares; de quibus est consultatio, & providentia. Sapiëntia igitur non est idem habitus cum Prudentia & Politica.

23 CONFIRMAT Idipsum experimento. Nonnullos enim videre licet, qui Sapientes communiter existimantur, nec tamen prudentes censentur: quoniam etsi res valde universales & divinas subtiliter speculantur, adhuc tamen quæ in singulari agere oportet, ipsi que vtilia sunt, prorsus ignorant. Non ergo idem est, sapientem esse, ac prudentem: proindeque habitus Sapiëntiæ & Prudentiæ differunt. Porro assumptionem in singulari illustrat exemplo in Anaxagora & Thalere: in quibus apparuit manifestè quàm longè aliud sit sapientem existere, & prudentem esse, opinione hominum. Anaxagoras enim, prædivine patrimonio spreto, totum se dedit speculationi veritatum naturalium ac divinarum; irridentibus cæteris, quòd prodigus eorum, quibus egebat ad victum, illa dilapidaret, unius Sapiëntiæ studio allectus. Thales quoque oblitus rei familiaris, ac plene deditus contemplando cælorum & Planetarum motui, noctu domo exibat, & sub dio vigilabat, ut siderum accessus & recessus notaret. Accidit autem aliquando, ut non satis observato loco, ubi pedem figere volebat, incautè rueret in foveam, fractoque propterea crure, risum omnibus excitaret; veluti qui nescius eorum, quæ ad se tuâque domum spectabant, & vicina erant, tam intentè observaret usque adeò disita & cælestia. Qua ferè ex causa sæculo præcedèri Astronomus quidam deridiculo fuit: in quem Iudit Paulus Iovius, quòd se futura quælibet prænoscerè ex astrorum aspectu glorietur; & tamen nesciret infamiam sibi ab uxore mæcha illatam intra domesticos lares. Sic quippe Iudit:

*Astra tibi atherco panunt sese omnia vati,
Omnibus & quæ sint fata futura vident.
Omnibus ast. vxor quòd se tua publicat,
hoc te,
Astra licèt videant omnia, nulla movent.*

24 ITAQVE Longè aliud censetur communi hominum existimatione, sapientem esse, & prudentem existere. Nam sapiens ille habetur, qui res omnes universe & exactissimè speculatur, ac præstantissimorum quorumlibet, divinorumque contemplationi ceditus est, quasi spreto civili convictu, & iis quæ ad utilitatem, ac bonum familiæ spectant. Prudens verò ille existimatur qui scit providere & consultare de iis, quæ vtilia sunt sibi, suisque, & bono communi: ut supra cap. 5. dictum est. Vade ortum est ut multi inuiles iudicaverint

rint omnes disciplinas theoreticas, seu speculativas, nisi instruantur diriganturque praefidio & confortio Prudentiae. Ideoque Socrates diridebat veluti insanos, quoscumque Philosophorum videret solâ rerum abditarum speculatione contentos. Democritum quoque concives sui, veluti amentem aut fatuum, detulerunt ad Hippocratem, ut ipsi mederetur: qui tamen eos tantum insaniam laborantes censuit, Democritum autem sanum. Sed, quod magis est, ipse Arist. lib. 2. de Partibus Animalium fatetur, ex theoreticis disciplinis nullam utilitatem oriri, sed solam voluptatem.

25 SENECA Autem ex professo probat, disciplinas theoreticas id tantum utilitatis afferre, ut ingenium acuant ac praeparent ad Ethicam doctrinam, seu Moralem Philosophiam. Ait enim Epist. 89. De liberalibus studijs quid sentiam, scire desideras. Meritoria artificia sunt, eatenus vtilia, si praeparent ingenium, non detineant. Tandiu enim istis immorandum est, quandiu nihil maius agere animus potest. Quidam illud de liberalibus studijs quaerendum iudicaverunt, an verum bonum facerent. Ne promittunt quidem, nec huius rei scientiam affectant. Grammaticus circa curam sermonis versatur, & si latius evagari vult, circa historias: iam, ut longissimè fines suos proferat, circa carmina. Quid horum ad virtutem viam sternit? Ad Geometriam transeamus, & ad Musicam. Nihil apud illas invenias, quod veteret timeas, veteret cupere. Quisquis hæc ignorat, alia frustra scit. Doces me quomodo acuta & graves voces inter se contonent, quomodo numerorum disparem reddentium sonum fiat concordia. Fac potius quomodo meus animus secum consonet, nec consilia mea discrepent. Monstras mihi, qui sint modi flebiles. Monstra potius quomodo inter adversa non emittam flebilem vocem. Metiri me Geometra docet latifundia. Doceat potius quomodo metiar quantum homini satis sit. Numerare docet me Arithmetica, & avaritiae commodare digitos. Doceat potius, nihil ad rem pertinere istas comparationes, nec esse feliciorum, cuius patrimonium tabularios lassat. Venio nunc ad illum, qui caelestium notitiam gloriatur: frigida Saturni quò se stella receperet, quos ignis caeli Cylenius erret in orbem. Hoc scire quid proderit? Ut sollicitus sim cum Saturnus & Mars ex contrario stabunt, aut cum Mercurius vespertinum faciet occasum, vidente Saturno. Potius hoc discam, ubicumque sunt ista, propitia esse, non posse mutari.

26 HACTENVS Ille admirandus & prudentissimus vir: cuius opinione omnis theoretica disciplina, solum utilis est, quatenus & quandiu animus nihil maius potest agere, seu

apertius ad vitam rectè instituendam: in quo vno totum hominis studium collocatum vult. Et hoc quidem legimus in homine Ethnico. Quidni & omnes ij, quibus veræ Religionis lux affulsit, studeamus ita theoreticis disciplinis, ut quoddammodo gradum faciant, ac deserviant vitæ ordinandæ ad praescriptum totius honestatis? Deservire enim possunt ad cognoscendum Deum per effecta, subindeque ad ipsum honorandum, & ubique ac semper amandum. Hic est scopus speculationis nostræ. nam licet illa per se expectabilis sit, & propter se quaeratur ex natura rei, ut saepe Arist. in hoc Opere docet, similiterque initio suæ Metaphysicæ; iuxta leges tamen Prudentiæ, praesertim Christianæ, dirigi debet in finem paulo antè assignatum. Quare damnandum non est studium disciplinarum theoreticarum, quidquid in oppositum docere videatur. Seneca verbis nuper exscriptis: sed tamen fateri oportet, eam speculationem debere coniungi cum Prudentia, seu recta ratione agendi, quâ dirigatur in Dei obsequium, & honestæ vitæ institutionem. Alioquin sola voluptas mentis, & plerumque vanitas, reportabitur, absque vlla solida utilitate. Verum hoc praetermissio nunc, quod maiorem in scribente & suadente auctoritatem, quam sit nostra, exigit, atque in omnibus Scholis palam denuntiari deberet, ex praedictis planè evincitur, alium esse habitum Sapientiae, alium Prudentiæ: cum multi communiter sapientes censeantur, qui prudentes non habentur, nec verè sunt.

27 CIRCA Quartam partem edisserit amplius discrimen Sapientiae à Prudentia ex parte materiae, in qua versatur. Prudentia enim versatur circa res agendas, quod profus alienum à Sapientia est. Insuper hæc solum habet contemplari res univèrsæ, in eoque potissimum vires exerit, ut speculetur rationes communes, & si quando ad res in singulari contemplandas descendit, eas consideret sub ratione univèrsali. Prudentia verò, cum sit Virtus practica, seu actiosa, potius in actionibus, rebusque singularibus posita est, quam in univèrsalibus & communibus.

28 ID Autem dupliciter probat. PRIMO: Quoniam actio magis cernitur seu apparet in rebus singularibus, quam in univèrsis & communibus: ideoque experimentoprehendimus, eos homines, qui actuosiores sunt in rebus peculiaribus, sepius, aut plurimum, rerum univèrsarum, seu communium cognitione destitutos esse: contra verò illos, qui rerum univèrsalium notitiam praecellunt, esse minus actuosos circa singularia. Prudentia igitur, quæ actionem intuetur, non tam attendit res univèrsales, quam peculiare: Sapientia autem, quæ non intuetur, actionem, sed speculationem, magis versatur in rebus univèr-

versalibus, quàm in singularibus. SECUNDO probat à simili in medico: qui, quoniam actuosus artifex, seu operarius est, nihil proderit infirmo, si res solum univèrsè cognoscat, & in singulari nesciat. Quamvis enim noverit generatim, carnes leviores concoqui faciliùs, & salubriores esse; si tamen nesciat quanam carnes in specie, seu in singulari, faciliùs concoquantur, & salubriores sint; nunquam infirmo valetudinem afferet. Non enim infirmus vescitur carnibus levioribus aut gravioribus in abstracto, ut aiunt, aut generatim, sed in singulari his, aut illis. Quare ut quis infirmo opportunè medeatur, noverit debet, carnes avium nominatim esse concoctu faciliores salubrioresque, ut illas in singulari præscribat infirmo.

29 SIMILITER Ergo res se habet cir-

ca valetudinem animi. Non enim illam assequetur qui solum univèrsè noverit, actiones Temperantia, Iustitia, Fortitudinis, aliarumque Virtutum salutare esse; nisi & singulatim sciat qualiter, quando, & ubi promendè sint actiones propriè earum Virtutum in singulari. Hoc autem Prudentia docet: quoniam in omni Virtutum moralium materia præscribit mèsuram, seu mediocritatem actionum, & omnes circumstantias necessariò observandas, ut honestè prorsus evadant. quod supra lib. 2. latè traditum est. Prudentia igitur, quatenus distincta à Sapiaentia, potissimum in actionibus, rebusque singularibus versatur.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 57. art. 2. & 2. q. 45. art. 2. & 3. & q. 46. atque eius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM.

De partibus Prudentia.



T Q VI Civilis facultas & Prudentia idem est habitus: esse tamen ipsarum non idem est. Eius autem, quæ in civitate versatur, ea quidem, quæ est ut architectura, prudentia, legum est ferendarum facultas. Quæ verò in singulis versatur, civilis, nomine communi, vocatur. Hæc autem est activa, & deliberativa. Decretum enim in actionem venit ut ultimum. Idcirco rem civilem hos solos gerere dicunt. hi nanque soli agunt perinde, atque ij, qui suis manibus artis conficiunt opus. Videtur autem ea maximè prudentia esse, qua sibi ipsi quispiam vni quærit, ac prospicit bona. Atque hæc ipso communi nomine prudentia nuncupatur. Illarum autem gubernandæ rei familiaris, alia ferendarum legum facultas, alia civilis vocatur: atque huius, alia est deliberativa, alia iudicialis. Cognitionis igitur quædam species fuerit, ea, quæ bona sunt sibi, scire: sed magnam differentiam habet. Atque qui sciunt ea, quæ sibi ipsis sunt bona, in illisque versantur, prudentes esse videntur: civiles autem, negotiosi. Quapropter & Euripides dixit.

Qui nanque prudens sum, negotio sine?

Licebat inter milites cui vivere,

Aequamque partem habere cunctis ex bonis.

Quærent enim quod sibi ipsis est bonum, & hoc arbitrantur esse agendum. Ex hac igitur opinione est ortum, prudentes hos esse. Et tamen

pro-

proprium vniuscuiusque bonum, non est fortasse sine rei familiaris gubernatione, atque civilis. Præterea autem, quoniam modo sua cuiusque administranda sit res, non est manifestum, atque considerandum, est. Indicatur id, quod dicitur illo signo. Geometriæ enim iuuenes & mathematici, ac sapientes in talibus fiunt: prudentes autem fieri non videntur. Causa autem est, quod & singularium rerum est ipsa prudentia: quæ quidem per experientiam notæ fiunt. Iuuenis autem non est expertus. Experientiam enim temporis efficit longitudo. Nam & hoc quispiam consideraverit, cur puer mathematicus quidem fieri potest, sapiens autem, aut naturalis non potest? An quia mathematica quidem per abstractionem, horum verò principia experientia innotescunt? Et hæc quidem adolescentes non credunt, sed dicunt. Illorum autem definitiones non sunt obscuræ. Præterea, peccatum, quod fit in consulendo, aut circa vniuersale, aut circa singulare fieri solet. Ignorare namque quispiam potest, aut omnes aquas ponderosas esse pravas, aut hanc ponderosam esse. Prudentiam autem non esse scientiam patet: est enim, vt dictum est, ipsius extremi. Tale enim id, quod cadit in actionem: opponitur igitur intellectui. hic enim est terminorum, ratio quorum non est. Hæc autem est vltimi, cuius non est scientia, sed sensus: non priorum quidem, sed qualis est is, quo sentimus id, quod vltimum in mathematicis est, triangulum esse. Stabitur enim & ibi: sed hic prudentia magis est, quàm sensus. Illius autem est alia species.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Quid convenientiæ & discriminis sit inter Politicam & Prudentiam. Vtriusque divisio in Oeconomicam, Nomotheticam, & Administratorem. Confutatio eorum qui existimant Politicam esse à Prudentia alienam. Posteriorem banc esse paratam difficilem, & cur: itemque diversam à Scientia, & Intellectu principiorum.



POSTQVAM Arist. differuit. quinque capitibus præcedentibus de totidem Virtutibus intellectualibus, nimirum, Scientia, Arte, Prudentia, Intellectu principiorum, & Sapientia; nunc iterum instituit disputationem de eadem Prudentia, vt partes illius distinguat, ac singillatim exponat. Dividitur autem caput in quatuor partes. In prima explicat quam ratione differant Prudentia & Politica, seu doctrina Civilis. In secunda refellit eos, qui existimant, Prudentiam solum providere circa bona illa, quæ ad ipsum prudentem

spectant: ostenditque, illam etiam de bono aliorum, seu communitatis esse sollicitam. In tertia tradit, Prudentiæ non tantum curæ esse vniuersalia, sed singularia etiam. In quarta denique fit comparatio Prudentiæ cum Intellectu principiorum & Scientiâ.

2 CIRCA Primam partem inquiri, quænam inter Prudentiam & Politicam convenientia ac differentia sit: ac decernit, vtramque esse eundem habitum: quoniam vtrique est recta ratio rerum agendarum, & per se intenta bonis ac malis humanis inspicendis, dijudicandisque: cæterum vnam ab altera eo nomine differre, quod Prudentia sit recta ratio rerum

agendarum in ijs, quæ ipsi prudenti, sive homini singulari, bona aut mala sunt: Politica verò sit ratio recta agendarum rerum in ijs, quæ sunt bona aut mala communitati, seu toti Reipublicæ. Itaque quamvis subiecto idem sint (quod male hoc loco negat Eustratius) quoniam in mente eadem resident, nec diversum reipsa habitum constituant; adhuc ratio formalis utriusque diversa est ex capite prædicto. Habent enim se Politica & Prudentia, sicut Iustitia legalis & Virtus: quæ reipsa a legali sive communi Iustitia non differt subiecto, aut reipsa, sed ratione tantum: ut supra dictum est lib. 5. cap. 1. a num. 23. Nequeunt enim non differre saltem secundum rationem, Virtus illa intelligentiæ, quæ unicum dirigit hominem circa res privatas; & Virtus, quæ plures homines regit in publicis rebus.

3 PORRO Eadem differentiaprehenditur iuxta D. Thomam inter Prudentiam & Oeconomicam: quoniam hæc est recta ratio rerum agendarum in ijs, quæ spectant ad familiam, sive ad multitudinem domesticorum: cùm tamen illa unius hominis privati bonum præ oculis habeat. Quare idem reipsa habet omnia hæc præstat. Cùm enim unius singularis hominis bonum dirigit, Prudentia dicitur & est: cùm totius familiæ, seu domesticorum bono provideret, appellatur Oeconomica: cùm denique, totius communitatis, seu Reipublicæ utilitatem præ oculis habet, dicitur Politica, seu doctrina Civilis.

4 VERVM Politicam ipsam bimbrem statim observat. Altera enim est, quæ appellatur Nomothetica, id est, scientia legum cõdendarum, seu ferendarum: altera, quæ communi vocabulo dicitur Politica. Priorem illarum docet esse: quoniam Legislator nihil agit per se, sed tantum præscribit alijs modum agendi, tanquam dominus, aut architectus cõparatus operarijs, eius ductum exequentibus. Ferendo enim leges, præcipit civibus quid faciendum sit, qualiter deligendi Magistratus, Consules, Senatoresque: qualiter etiam privati homines se gerere debeant in civili convictu. Hinc leges dicuntur reginæ: quoniam in universum feruntur, & rerum agendarum genera præscribunt, veluti quæ universale seu despoticum imperium habeant in omnes cives, neque ad singulares actiones deveniant. Hæ, nimirum, ad subditos attinent, quorum est in singulari agere, seu parere legibus.

5 POSTERIOR Politicæ pars est, quæ, ut diximus, communi nomine Politica appellatur, propter defectum nominis proprii. Cuius idoneum exemplum adhibet Giphanius in adoptione: quam cùm Iurisconsulti dividant in partes duas, alteram arrogationem dicunt, alteram verò adoptionem communi nomine. Rationemque eius appellationis divinat idem

Auctor ex Arist. verbis illis, *ἀπὸ πολιτείας τὰς μόνον λέγεται*. *Idcirco hos solos rem civitatem gerere dicunt.* Nimirum, communiter Politici appellari solent, non tam Legumlatores, quam curatores & administri Reipublicæ. quoniam *πολιτείας* Græcè est Reipublicæ operã dare. Cùm enim Legislator, ut paulo ante dictum est, solum universè, seu generatim respiciat bonum Reipublicæ, administri autem illud curent in actionibus rebusque singularibus, factum est, ut commune Politicorum nomen his fuerit peculiariter adaptatum.

6 QUARE Quicumque Reipublicæ navant operam, sive magistratum gerant, sive legationes obeant, sive in negotijs deliberent, aut consilium ex munere præstent; omnes sunt & dicuntur communiter Politici. Idque declarare pergit exemplo *τῶ ἑπισηματῶ*, quo nomine intelligi potest, iuxta alios atque alios Interpretes, plebiscitum, aut Senatuseonsultum, aut decretum, vel sententia. Verùm hoc loci rectè monet Gallutius, non debere accipi pro plebiscito aut Senatuseonsulto: quoniam hæc duo obtinent vim legum, ut exprimit Iustinianus lib. 1. Institut. tit. de Iure natur. Gent. & Civili. Id autem, in quo Politici communiter dicti versantur, non est conditio alicuius legis, quoniam hæc ad solos Legumlatores spectat. Superest igitur, ut *τὸ ἑπισηματῶ* accipiat pro peculiari quadam actione circa bonum Reipublicæ, quam Argyropilius interpretatur decretum, alij verò iudicium, seu sententiam. Itaque qui Politica hæc communiter dicta est præditus, versatur in actionibus singularibus instar iudicis, seu administri, qui non fert leges universales, sed ijs iam latis ab alio descendit ad singularia, & iuxta illas fert sententiam in re peculiari ac certâ. Nihil enim aliud est decretum, sive sententia, quam usus generalis præceptionis ad rem peculiarem agendam accommodatus.

7 VOLVNT Aliquis has duas Politicæ, tum Nomotheticæ, tum & communiter dictæ, species, iam antea fuisse traditas à Platone, & ex Homero erutas. Plato enim in Dialogo de Legibus indicat Nomotheticam fuisse ab Homero adumbratam in Rege Minoe, quem sapientissimum Legislatorem appellat: Politicam verò communem in Rhadamanto, quem iudicem quæstoremque diligentissimum vocat. Hoc autem genere Politicæ præditos cõparat Aristoteles ad moventibus manum operi, seu operarijs Architectorum famulis. Quæ ratione observat hoc loco Victorius se gessisse Periclem, Themisthoclem, & Demosthenem, qui sententiam in concilio dicebant, cùm de pace aut bello ineundo esset consultatio. Longè verò aliter se habuit Solon: qui, cum fuerit Legislator, potius Architecti instar se gessit, quam operarij, aut ylentis lacertis ac manibus. Quo

Quo eodem stilo Cicero utitur in epistola quadam ad Varronem, ubi inquit, *non deesse, si quis adhibere velit, non modò ut Architectos, verum etiam ut fabros, ad ædificandam Rempublicam.* Nimirum, appellat fabros, quos Aristoteles hoc loci *χρηστῆρας*, nominat, id est operarios manibus utentes ad ædificandum: Architectos verò, quos idem Philosophus vocat *Legislatores*, & remotos ab opere manuum, sive actione.

8 PRÆTEREA Prudentiæ aliam divisionem assignat ijs verbis: *VIDETUR AUTEM EA MAXIME PRUDENTIA ESSE, &c.* nimirum, ut Prudentia alia sit, quâ quis sibi vni consulit providetq;: alia verò, quâ prospicit aliorum bonum. Rursus & hæc posterior trimembris est. Prima dicitur *Oeconomica*, quâ quis suæ domui & familiæ gubernandæ ac tuendæ intentus est. Secunda *Architectonica*, quam nuper diximus versari in condendis legibus. Tertia *Chirotechnæ*, seu operaria, & actiuosa, quoniam manum admovet Reipublicæ administrandæ. Hæc postrema rursus dividitur in *Deliberativam*, & *Iudiciale*m. Prior illa, quam *Buleutiken* appellat, est quæ consultat, seu deliberat, quidnam conveniens aut damnosum Reipublicæ sit. Posterior, quam *Dicastiken* nominat, est quæ lites in foro ac iudicia tractat. Hæc ipsam distinctionem agnovit Cicero, qui alio atque alio tempore Oratoris ac Senatoris personam egit: ideoque de seipso ait: *Cum defensionum laboribus, Senatorisque muneribus, aut omnino, aut magna ex parte essemus liberati,* &c. Nimirum, Oratoris erat acculare aut defendere, ac totum iudicium ferre, quod ad Iudiciale Prudentiam spectat: Senatoris autem deliberare & consulere, quod attinet ad *Deliberativam*.

9 ITAQUE, Redigendo ad synopsis quæ pluribus dicta sunt, Prudentia communiter dicta, seu providens vni tantum, non est genus quoddam recte rationis agendorum habens subiunctas tres illas Prudentiæ species nuper explicatas quasi partes subiectivas: sed est species quædam ab ijs distincta quoddammodo: prout, scilicet, vni tantum providet: cum tamen *Oeconomica*, *Nomothetica* (quæ & *Architectonica*) ac tandem *Chirotechnæ*, seu operatrix, vel administratrix, provideant bono aliorum. Quare oportet assignare aliquam rationem communioem ac genericam Prudentiæ abstrahentis à monastica, seu providente vni soli, & ab ea quæ prospicit bonum multitudinis. Porro ea ratio generica Prudentiæ iam supra cap. 5. explicata est per rectam rationem operum agendorum. Id quippe commune est omnibus Prudentiæ formis iam explicatis.

10 CIRCA Secundam partem refellit opinionem, quâ existimari potest, nullam

esse Prudentiam circa familiam, aut multitudinem, sed tantum circa privatum vnius hominis bonum: proindeque Prudentiam duntaxat esse monasticam, non autem *Oeconomica*m, ac multò minùs *Politica*m. Eiusque opinionis potissimum fundamentum desumi posset, quia solus ille, qui tractat ea ac providet, quæ ad seipsum pertinent, videtur prudenter agere: ij autem, qui Reipublicæ administrandæ incumbunt, potius *negoriosi*, ac plurimis & varijs rebus distracti apparent, quam prudentes. Quo spectant carmina illa Euripidis, ab *Argyropilo* Latine expressa, ut habes in textu. *Adrianus* autem *Turnebus* ita vertit:

*Qui namque prudens sim, licebat cui procul
Negotijs inter numeratos milites
Æquum accipere.
Nam curiosus oderim.*

Sunt autem desumpti ij versus ex Euripide in *Phylodecte*, alleganturque à *Plutarcho* in libello, *Quando circa invidiam se laudare quis possit.* Porro tertius ex ijs versibus integer non est: quartus autem ut rectè monet, *Giphanius*, est quidem integer numeris, sed non sententia. *Supplendus* est ex *Græco Scholiaste* addendo, *θεοί μοδοσι, αἱ ὀδερunt.* Legendus circa hæc carmina *Theod. Cant. lib. 1. var. lect. c. 2.* Consonatque in eandem existimationem quod *Cicero* ait lib. 1. *Offic. prudentem esse, qui quæ sibi bona norit, & ijs duntaxat occupetur, suuque tantum negotium agat.* *Politici* autem *Polypragmones*, multisque rebus implicati, & aliena curantes, relictis quæ sua ipiorum intersunt: ideoque idem *Cicero* ad *Atticum* se mirè *polypragmonem* dicit. Denique eiusmodi homines communiter censentur *ardeliones*: id est, volitantes ardearum instar huc atque illud, inquieti, & numquam stabiles. Quorum genium ita depingit *Phædrus Augusti libertus* in *Fabulis Ælopi* lib. 2. cap. 35.

*Est ardelionum Roma quedam natio
Trepidè concursans, occupata in otio,
Gratis anhelans, multa agendo nihil agens,
Sibi molesta, & alijs odiosissima.
Hæc emendare, si tamen possum, volo.*
Huc etiam spectat illud *Martialis* de *Attalo*, quamvis alias protritum:
*Semper agis causas, & res agis Attale semper:
Est non est quod agas, Attale semper agis.
Si res & cause desunt, agis Attale malas:
Attale, ne quid agas desit, agas animam.*

Denique non immeritò quispiam huc advocet illud *Senecæ*, *nusquam esse qui ubique est.* *In peregrinatione agentibus hoc evenire, ut multa hospitia habeant, nullas vero amicitias.*
Idem

Idem accidat ijs est necesse, qui nullius ingenio familiariter se applicant, sed omnia cursim & properanter transmittunt. Nihil æquè sanitatem impedit, quàm remediorum crebra mutatio. Non convalescit planta, quæ sæpiùs transfertur. Similiter ergo videtur non esse prudens, qui multis variisque distrahitur negotijs in utilitatem aliorum, sed ille tantùm qui sibi vni consulit, & proprium dumtaxat negotium præ oculis habet. Non ergo est Prudentia aliqua Politicæ, sive erga alios, sed tantùm monastica, sive erga se.

11 VERVM Aristoteles refellit hæc existimationem, veluti vulgarem, & ortam ex vitioso illo rerum privatarum amore, quem Græci philantiam dicunt. Refellit autem ferè sic. Quisquis suæ familiæ, & civitati, seu communicari, ut par est, consulit, ac providet, is profectò curat etiam quæ sua ipsius intersunt: quoniam cum ipse sit pars eius familiæ, aut communitatis, nequit bonum commune quærere, quin & suum ipsius proprium. Cum igitur vulgares homines prudentem eum existiment, qui sibi providet, suumque negotiũ tractat; etiam prudentem censere debent illum, qui invigilat bono suæ familiæ ac civitatis. Quam rationem tenigit etiam Xenophon. in *lib. de venandi studio*, observatus à Giphano, & Livius lib. 26. vbi inquit: *Respublica incolumis etiam privatas res salvas præstat. Publica prodendo, tua nequicquam servaveris.* Non ergo prudens is solus est, qui suum negotium tractat, sed etiam, qui aliorum bono invigilat, seu spectantium ad eandem familiam, seu ad eandem communitatem. Igitur præter Prudentiam Monasticam, est insuper Oeconomica, ac præterea Politicæ. Est tamen id discriminis inter illas, quòd qui duabus posterioribus præditus est, primam illam habere proberur: cum bonum familiæ & civitatis spectet etiam ad seipsum, ut partem illius. Cæterum non omnis ille, qui Prudentiam Monasticam habet, præditus propterea est duabus alijs Prudentiæ formis: cum possit non habere familiam, cui provideat, nec administrare Rempublicam. quo casu certè poterit esse prudens sibi, & non erga alios.

12 CIRCA Tertiam partem tradit, Prudentiæ non solum esse, ut res agendas universè cognoscat, sed etiam in singulari. Sumit verò initium disputationis huius ex verbis illis immediate præcedentibus: *Præterea enim quoniam modo sua cuiusque administranda sit res, non est manifestum, atque considerandum est.* Vbi planè docet, Prudentiam Monasticam, seu vniuscuiusque erga se, non esse obviam & paratam facilem, sed obsecram ac difficillimam. Quod exponit, simulque probat exemplo puerorum, qui discere Geometriam, & Mathematicas disciplinas possunt, Prudentiam verò ob-

tinere non possunt. Nimirum, ut constat ex Platone in *Axioccho*, pueri olim ab ineunte ætate imbuebantur Geometriæ, & Mathematicis, quemadmodum apud nos Grammatica instrui solent. Legendi ea de re, Philo Iudæus lib. de Agricult. Plutarchus lib. de contrar. Stoicorum. Quare iam alibi observavimus, in aulâ Platonis, vbi Philosophia tradebatur, præ foribus scriptum fuisse, *μηδεις ἀγεωμετρῆται εἰσιτω. Nemo, nisi Geometra, ingrediatur.* Nimirum, eo leviori disciplinæ genere se parabant pueri ad Philosophiam addiscendam.

13 RATIO Autem, quam assignat eius maioris difficultatis in obtinenda Prudentia, quam addiscendis Mathematicis, in eo sita est, quòd illa non solum rerum agendarum universè rationem habeat, sed etiam, & multò magis, in observatione & diurno experimento singularium rerum posita sit: quòd tanè diurnam exposcit vitam, qualis in pueris non est. Mathematicæ verò disciplinæ, cum solum versentur in communibus & universalibus, nec exigunt observationem rerum singularium, nec diurnum earum experimentum: ideoque vitam diurnam non exposcunt, & disci possunt, etiam a pueris.

14 HOC Statuto discrimine, comparat Mathematicas disciplinas, cum Physicæ, & Metaphysicæ, quam hoc loci, & sæpe alias, Sapientiæ nomine cohonestat: & inquit, cur pueri idonei sint ad Mathematicas addiscendas, non autem ad Physicam aut Metaphysicam. Videtur autem, iuxta Eustratium, & alios Interpretes, non modò excitare, sed & dirimere controversiam hanc, asserendo, causam in eo consistere, quòd res Mathematicis disciplinis subiectæ cognoscantur per abstractionem, sive separationem a sensibili & corporata materia, percipiunturque vi illius sensus interni, quem imaginativam, seu phantasiam dicimus. Ad hoc autem non est opus diurna observatione, nec multiplici experimento: ideoque a pueris etiam addisci possunt. Cæterum res quæ subijciuntur Physicæ non abstrahuntur à materia sensibili, nec aliter cognoscuntur, quam per experimentum rerum singularium, quòd exigat longitudinem temporis. Physicæ enim abstrahit res sibi subiectas à materia singulari postquam quis res naturales in singulari diu multumque observavit: quòd brevi temporis spatio fieri nequit.

14 SED Occurrit statim difficultas: Quoniam hac ratione pueri facile imbui possent habitu Metaphysicæ, cum hæc consideret res in summa abstractione, ut supra cap. 6. explicatum abundè est, cum de Sapientia tractaretur. Quomodo ergo paulò antè Aristoteles, studium Metaphysicæ pueris difficillimum & inaccessum decrevit? Verùm hunc nodum extricat statim idem Philosophus dum addit, pue-

pueros non credere, id est, intelligentia non attingere, nec magistris fidem prestare circa res metaphysicas, quamvis verbis indicent, se eas satis callere, ac percipere. Cuius doctrinae causam credo continuatam cum precedentibus. Studium enim, seu intelligentia rerum Metaphysicæ subiectarum, præsupponit noticiam rerum, quas Physica speculatur. Non enim progreditur mens ultra naturam, nisi naturam antè perspectam habeat. Res autem ad Physicam spectantes, cum diuturno egeant experimento, quod in pueris non habet locum; prætergrediuntur ipsorum fidem & captum, quamvis ipsi contra testentur. Ergo multò magis res Metaphysicæ subiectæ illorum mentem & captum superant.

16 NON Immeritò autem hoc loci meminit fidei in discipulis exactæ, ut proficiant: quoniam adagij loco habetur ex ipso Arist. OPORTET DISCENTEM CREDERE. Quod iam antè tradiderat Plato in *Gorgia*, sine fide nullas artes posse obtineri: duasque pestes disciplinarum, oblivionem, & incredulitatem. Vnde & illud satis pervagatum, unicuique credendum esse in sua arte. Cum igitur maior habeatur fides Mathematicis, quam Physicis & Metaphysicis (ita enim experimento deprehenditur) consequens est ut pueri facilius addiscant Mathematicas, quam Physicam & Metaphysicam. Et hæc quidem Arist. in eam gratiam affert, ut ostendat, Prudentiam esse obtentu difficillimam pueris, instar Physicæ, ac Metaphysicæ; cum tamen ij facile addiscant Mathematicas, in quibus adeò diversa ratio est. Quare & supra *lib. 1.* sæpe dictum est, pueros non esse idoneos auditores Ethicæ, seu Philosophiæ Moralis: tum, quod in ea præsupponantur multa ex Physica pueris inaccessa: tum etiam, quod illa potissimum versetur in humana vita dirigenda ad præscriptum Prudentiæ, quæ non obtinetur, nisi diuturno experimento & observatione.

17 RATIO Alia ad probandum, Prudentiam esse paratu difficilem, hæc ferè est, quod difficillimum sit rectè sapienterque deliberare circa res agendas, tum univèrsè, tum & in singulari, expensis omnibus circumstantijs earum. Atqui Prudentia est recta ratio deliberandi circa res agendas, tum univèrsè, tum & in singulari, expensis omnibus circumstantijs earum. Prudentia ergo paratu difficillima est. In quo sanè differt à scientijs theoreticis, quoniam in generalibus dumtaxat, univèrsisque versantur, absque consideratione singularium, & eorum quæ circumstant. Prudentiæ autem id non est, nisi descendat ad singularia, & maturè expendat, ac deliberet. Non enim satis est, ut quis prudenter se gerat, deliberare an v. g. ducenda sit vxor; sed ulterius, an hæc, vel illa. Nec etiam sufficit nosse generatim urbana

vestigalia esse potiora, quàm rustica, & pacem meliorem, quàm bellum. quò exemplo virtur Cicero in *Officijs*. Adhuc enim accidere potest tempus & occasio, in qua oporteat deliberare circa oppositum, & præferre in casu occurrenti ac singulari id, quod univèrsè esset postponendum. Verùm adhuc clariori exemplo id declarat Arist. in ipsis aquis, de quibus institui potest quæstio in genere, an graves & ponderosæ sint insalubres: aut etiam in specie, an hæc aqua sub aspectum posita sit gravis & ponderosa, necne. Deliberationes igitur secundum Prudentiam potius pertinent ad quæstionem singularem, quam univèrsalem, licet hæc etiam complectantur, & in utraque earum peccari per imprudentiam possit. Quoniam autem in eo exemplo videtur Aristoteles supponere aquas graviores esse insalubres, leviores autem saluti tuendæ opportunas, visum est hoc loco insinuare ex doctissimo Laguna in Dioscoridem, aquas Tiberis, ac nostræ Tormis saluberrimas existere, quoniam levissimæ sunt omnium, quas illæ præstantissimus Archiater Pauli III. & Caroli V. tot regionibus peragratis invenit, & examinavit.

8 CIRCA Quartam partem confirmat, quod superius docuerat, Prudentiam à Scientia differre plurimum: quoniam hæc rebus univèrsis, seu generalibus contenta est: Prudentia verò etiam ad singularia descendit: indeque sit, ut puer possit esse sciens, non autem prudens, defectu diuturnæ experientiæ rerum singularium. Porro dum ait Prudentiam esse τὸ ἐσχάτου, id est, *extremi*, id significare vult, singulare, ad quod descendit ex univèrsalibus Prudentia, habere rationem extremi. Nam, veluti per quosdam gradus, ab univèrsalibus ad singularia ultimo devenitur: ideoque hæc sunt quoddammodo extrema, seu in quibus est actio, sub quam non cadit, nisi quod singulare est. Vnde & hæc formula argumentationis à Giphano observata institui potest. Prudentia est extremi. Scientia non est extremi. Prudentia igitur non est Scientia.

19 ADDIT Statim, Prudentiam differre etiam ab intellectu principiorum, de quo supra *cap. 6.* explicatum est. Id autem obscure probat, sed in hunc sensum, iuxta interpretationem Eustratii. Intellectus principiorum, sive mens, proprie est *terminorum*, quorum non est ratio. Nimirum termini sunt definitiones essentielles rerum, quæ apodicticè ratione probari nequeunt: similiter, & principia prima, quæ sub demonstrationem non cadunt. Significatur autem ab Aristotele appellatione τῶν ὁρίων, *terminorum*: quoniam si disputatio sit redordianda, ac revocanda, revocatur ultimo ad definitionem, &

& principia; tanquam in quibus terminetur tandem controversia. Prudentia non est terminorum, scilicet principiorum, ac definitionum indemonstrabilium; sed ultimi, seu extremi, nimirum, singularis, cuius non est scientia, sed sensus. Singularia enim directe solum percipiuntur sensu, non autem intellectu, ut idem Aristoteles saepe docet, ac praesertim lib. 3. de Anima textu 10. & 1. Physic. cap. 5. textu 47. illis verbis: *το μὲν καθόλου, &c. Univerſale quidem ratione est notum, ſingulare autem ſenſu: nam rei univerſae, ratio: eius verò, qua inest, ſenſus.* Vide quae diximus *diſput. 83. de Anima, ſect. 5.* Unde sic in formulam redigitur ratio Aristotelis. Habitus principiorum definitionumque, differt ab habitu extremi, seu singularis, spectantis ad sensum. Atqui Intellectus est habitus principiorum definitionumque: Prudentia autem, est habitus extremi, seu ultimi, id est singularis spectantis ad sensum. Intellectus ergo non est Prudentia.

20 ADDIT Praeterea, sensum non accipi hoc loco pro illo, qui priorum est, sed pro eo quo sentimus in Mathematicis extremum esse triangulum. Licet enim Mathematici de ijs differant, quae triangulo insunt per se, eaque generatim demonstrant; ultimus tamen triangulus, id est, singularis, atque individuus, non percipitur directe habitu scientiae, quoniam haec de singularibus non curat; sed sensu, qui semper terminatur singulari aliquo. Vnde & subdit: *Stabitur enim & ibi.* Sive, ut alij vertunt, *Sistat enim etiam illis.*

Cum enim devenitur ad triangulum singularem, ac certum; disputatio finem accipit, quoniam iam non potest inferius progredi, cum iam à summo, id est ab universalibus ad singulare, processerit. Sensus autem nomine in praesentiarum non est accipiendus aliquis ex quinque externis, sed internus ille, cui tribuitur vis cogitandi, & cuius interventu cognoscimus individua quorumlibet praedicamentorum, ut hanc substantiam, illam relationem, hunc triangulum ultimum, & unamquamque figuram extremam.

21 DENIQUE Claudir disputationem ijs verbis: *Sed hic prudentia magis est sensus: illius autem est alia species.* Quibus significat, quamvis uterque sensus, externus internusque, percipiat singularia; internum tamen magis deservire Prudentiae, quam externum: quoniam Prudentia ad sua munia obeunda magis vitur facultate cogitandi, quam percipiendi aliquid exterius. Non enim Prudentia deliberat circa hunc colorem, odorem, aut sonum; sed circa hanc pacem, hoc bellum, illud pactum, has inducias, quae nullo sensu externo percipiuntur, sed intimo solum, & habente vim cogitandi, ac deservendi rationi, proindeque & Prudentiae, quae est recta ratio rerum agendarum. Quare subiungit longè aliam speciem esse huius interni sensus, quam aliorum: utpotè praestantiorum, & menti viciniorum.

VIDE D. Thom. 2. 2. q. 48. 49. 50. & 51. atque illius Interpretes,

CAPVT NONVM.

De Bona Consultatione.



T Verò quærere, ac consultare differunt. Consultare nanque est aliquid quærere. Oportet autem & de bona consultatione quidnam sit accipere: utrum scientia quaedam sit, an opinio, an coniectatio bona, an aliquod aliud genus. Scientia igitur non est. Non enim de ijs quærunt, quae sciunt. At bona consultatio, quaedam est consultatio: qui verò consultat, quærit, rationemque subducit. Atqui neque bona coniectatio est. Ipsa nanque sine ratione, & citò fit. Ad consultationem verò longum temporis spatium adhibetur. Atque aiunt celeriter quidem deliberata esse agenda, cum

mo-

mora autem, consulendum. Præterea, diversa sunt, solertia, & consultatio bona. Solertia verò, bona quædam est coniectatio. At neque opinio vlla est. Sed cum is, qui malè deliberat, peccet, is autem, qui bene consultat, rectè deliberet: constat, bonam consultationem, rectitudinem esse quandam. Non autem scientiæ, neque opinionis. Scientiæ nanque non est rectitudo, quippe cum neque peccatum sit. Opinonis verò rectitudo, veritas est. Et insuper determinatum iam est id omne, cuius est opinatio. At verò neque sine ratione est ipsa consultatio bona: deficit ergo à mente. Hæc enim nondum est enuntiatio. Etenim opinatio, non inquisitio, sed quædam iam enuntiatio est. Qui verò consultat, sive bene, sive malè consultet, quærit aliquid, rationemque subducit. Sed ipsa consultatio bona, consilij quædam est rectitudo. Quapropter quærendum est primùm quidnam sit consilium, & circa quid ipsum versetur. Cum verò multipliciter rectitudo dicatur, constat, non omnem rectitudinem, bonam consultationem esse. Incontinens enim, & pravus, id quod videre proponit, attinget, cogitando, rationemque subducendo. Quare rectè quidem consultabit: malum autem magnum existimabit. Bene verò consultasse, bonum quoddam esse constat. Talis enim rectitudo consilij, qua bonum quispiam assequi potest, bona est consultatio. At potest quispiam, & hoc ratiocinatione falsa attingere, atque id quidem, quod facere oportet, assequi: non autem per quod oportet, falsus medius terminus esse potest. Quare nec ipsa bona est consultatio, qua quispiam adipiscitur id, quod oportet, non tamen per quod oportet. Præterea, fieri potest, ut alius longo deliberans tempore id consequatur, alius citò. Igitur nec illa bona est consultatio. Sed eadem rectitudo bona est consultatio, qua quispiam ratione conducentis assequitur quod oportet, & ut oportet, & cum oportet.

Insuper fit ut & absolutè quispiam bene consultet, & ad aliquem finem. Atque bona quidem consultatio absolute est ea, qua ad eum finem, qui est absolute finis, pergitur rectè: quædam autem ea, qua ad aliquem finem. Quòd si bene consultare prudentium est, consultatio bona rectitudo est, qua ratione conferentis ad aliquem pergitur finem, cuius ipsa prudentia est existimatio vera.

SYMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Bona Consultatio, seu Eubulia, quid non sit: quid etiam sit. Quas condiciones exigat. Qualiter definienda, & dividenda.



OSQVAM Aristoteles diseruit de quinque habitibus intellectuibus, pluraque tradidit circa Prudentiam, & illius divisionem in membra sua; nunc exponit quasdam aptitudines, siue affectiones, quæ, cum rectæ sint, videntur coherentes eidem Prudentiæ: vt Bona Consultatio, Sagacitas, & Sententia. Nimirum, omnium Virtutum, seu moralium, seu intellectualium, sunt quædam comites, vel cognatæ, veluti illarum partes, causæ, aut principia: vt Liberalitatis, facilitas, hospitalitas, & humanitas: Iustitiæ fides, veritas, probitas, & pietas: Magnanimitatis simplicitas & generositas: Temperantiæ pudor & reverentia: ac sic de alijs, vt legere est libello de Virtutibus, qui communiter tribuitur Aristoteli. Similiter ergo Prudentiæ comites, seu administræ sunt quædam: inter quas præcipue enumerat Aristoteles Eubuliam, Synesim, & Gnomem. Præter has verò Pontanus lib. 4. de Prudentia enumerat & exponit alias viginti: quæ tamen, vt monet Giphanius, potius sunt functiones, quam partes, vel comites Prudentiæ. Franciscus tamen Patricius lib. 6. de rerum institutione, tribuit Prudentiæ novem comites, ideoque plures quam Aristotel. Stoici olim solas quatuor assignabāt, vt testatur Laertius in Zenone. Aristoteles tamen quinque exponit: id est, memoriam, exercitationem, siue usum; Eubuliam, Anchincæam, & Dinotita: vt apparet partim ex hoc loco, partim ex lib. 1. Magn. Moral. cap. ultimo, & lib. 2. cap. 2. & 3. Addit duobus capitibus sequentibus Synesim, & Gnomem, quibus denique omnibus septenarius numerus efficitur. Porro de ipsa Eubulia, seu Bona Consultatione, procedit totum hoc caput: quod dividit in quatuor partes. In prima pluribus Assertis exponit, quid non sit Bona Consultatio. In secunda decernit quid illa sit. In tertia statuit plures condiciones Bonæ Consultationis. In quarta denique illam dividit, & definit.

2 CIRCA Primam partem statuit quinque Asserta. Primum est: Bonam Consultationem esse aliud ab inquisitione. Probat hoc ferè modo. Quousque aliqua duo ita se habent, vt alterum sit vniversalius altero, inter se differunt. At inquisitio ita se habet circa Bonam Consultationem, vt illa sit aliquid vniversalius. Ergo inter se differunt. Probat minor. Quia licet omnis Bona Consultatio sit inquisitio, non tamen è contrà: multi enim inquirunt, & tamen nõ bene consultant. Ergo inquisitio est quid vniver-

salius Bona Consultatione, vt potè quod non ad solam illam extenditur, sed ad plura alia. Confirm. Separatio duorum est signum evidens distinctionis. Cum igitur manifestum sit, inquisitionem sæpissime à Bona Consultatione separari, seu absque illa esse, consequens est vt idem cum illa non sit. Secundum Assertum est. Bona Consultatio non est idem, ac scientia. Probat. Scientia non est inquisitio: non enim inquirimus de ijs, quorum evidentiam certam habemus ex scientia proveniente. At omnis Bona Consultatio est inquisitio, vt nuper traditum est. Ergo nulla Bona Consultatio est scientia. Tertium. Bona Consultatio non est idem, ac Eustochia, seu bona coniectatio. Suaderur. Bona coniectatio absque discursu fit, & subito concipitur, seu absque longa investigatione, vt experimento patet. At bona Consultatio non absque discursu fit, nec subito concipitur, sed longâ investigatione. Non ergo idem est bona coniectatio, & Bona Consultatio. Quare hanc comitatur maturum rei examen: ideoque Philosophi, monet, longo spatio esse rem consultandam, celeriter autem exequendam. Quartum, & præcedenti coherens. Bona Consultatio non est idem, ac solertia. Hæc enim nihil aliud est, quam quædam species coniectationis bonæ. Cum igitur quid diversum sit Bona Consultatio à coniectatione bonæ, consequens est, vt etiam Bona Consultatio differat à solertia. Consequentia patet: & antecedens liquet ex doctrina eiusdem Phil. in libris Poster. vbi statuit, solertem esse, qui perceptis extremis celeriter coniectat medium: vt si videat quis pauperem loquentem cum divite, statim coniectat pauperem ab eo aliquid petere. Quintum. Bona Consultatio non est idem, ac opinio. Probat. Nulla opinio est inquisitio. At omnis Bona Consultatio est inquisitio, vt supra dictum est. Ergo nulla Bona Consultatio est opinio. Consequentia est in Camestres, & minor supponitur ex dictis. Maior autem suaderur. Omnis enim opinio est inventio eius, quod queritur: cum sit assensio alterius partis contradictionis, quamvis cum formidine oppositi. Nulla autem inquisitio est inventio eius, quod queritur: siquidem via & terminus differunt: inquisitio autem ordinatur ad inventionem sicut via ad terminum. Nulla ergo opinio est inquisitio.

3 CIRCA Secundam partem statuit in quo consistat ex parte generis Bona Consultatio, ac decernit esse rectitudinem quandam.

sim. Probat. Quicumque rectè deliberat in ijs, quæ inquirunt, operatur rectitudine quadam. At bene consultans, eo ipso rectè deliberat. Ergo bene consultans, eo ipso operatur rectitudine quadam: ideoque Bona Consultatio est quadam rectitudo. Subdit statim, hanc rectitudinem non esse scientiæ, nec opinionis. *Primum* istorum probat. Bonæ Consultationis rectitudo, est illius, cuius potest esse aliquis error: quia rectitudo & error sunt circa idem. At nullius scientiæ potest esse aliquis error. Ergo Bona Consultatio non est rectitudo scientiæ. Maior constat: quia qui consultat potest deliberare bene aut malè, ac proinde utrovis modo consultare. Ergo rectitudo ita convenit Consultationi, ut tamen in ea possit esse aliquis error. Minor autem suadetur: quoniam scientia essentialiter opponitur errori, ideoque nullum errorem patitur secum: ac proinde nec rectitudinem. Quare scientia numquam dicitur habitus rectus; sed verus, certus, & evidens: quia rectitudo non habet locum, nisi in ijs, quæ in genere suo obliquitate, aut errorem admittere possunt. *Secundum* autem, scilicet, rectitudinem Consultationis Bonæ non esse idem ac rectitudinem opinionis, probat hoc pacto. Opinioni rectitudo est ipsa veritas. At rectitudo Bonæ Consultationis non est ipsa veritas, sed tantum rectitudo consilij. Ergo opinionis rectitudo non est eadem ac Bonæ Consultationis. *Præterea*. Opinio est solum rei determinata & firmæ. At Bona Consultatio non est rei determinata & firmæ, sed adhuc indeterminata. Ergo opinio non est Bona Consultatio. Igitur nec opinionis rectitudo est cum rectitudine Bonæ Consultationis. *Denique*. Omnis rectitudo opinionis est enuntiatio, ac proinde absoluta affirmatio, aut negatio. At rectitudo Bonæ Consultationis non est enuntiatio, siue non est affirmatio, aut negatio: siquidem in eâ non quiescitur, nec decernitur, sed inquiritur, seu tentatur via ad decernendum. Ergo Bonæ Consultationis rectitudo non est eadem, ac opinionis. Cum igitur Bona Consultatio sit rectitudo quadam, & non scientiæ, nec opinionis; reliquum est, ut sit rectitudo consilij: neque enim aliud esse posse videtur. Quare oportet quærere quidnam sit consilium, & circa quid ipsum versetur. Quod iam lib. tertio huius Operis *cap. 3.* definitum relinquatur: nimirum, consilium esse eorum, quæ sunt ad finem, & neminem consultare de æternis, & de pluribus alijs ibidem indicatis, sed tantum de ijs, quæ à nobis agi possunt.

4 CIRCA Tertiam partem exponit qualis esse debeat rectitudo consilij pertinens ad Bonam Consultationem, seu quas conditiones servare debeat. Potissimæ autem sunt

tres: quarum prima desumitur per ordinem ad finem: secunda per ordinem ad media: tertia denique ex parte temporis & mensuræ ipsius Consultationis. *Prima* igitur proprietas rectæ Consultationis est, quod in ordine ad bonum finem sit; nam si in ordine ad prævum finem dirigatur, quamvis rectè disposita sit ad illum infallibiliter assequendum, ideoque recta consultatio appellari vicumque possit, non tamen est rectitudo Bonæ Consultationis absolute loquendo. Quare licet incontinens sæpe dirigat consilia sua in finem turpis delectationis ea dexteritate, ut illam assequatur; adhuc dicendus non est rectè consultat: quia rectitudo consilij non est nisi in ordine ad finem rectum, siue rationi conformem: utpote à quo potissimum speciem soratur. *Secunda* proprietas est, ut etiam omnia media, quæ ex Bona Consultatione eliguntur, sint recta ac decencia. Nam si turpia, aut indecentia sint, quamvis in ordine ad bonum finem eligantur, Consultatio recta non erit: utpote vitiosa ex parte mediorum. Quare Consultatio circa auxilium, eleemosynamve præstandam amico, aut pauperi, bona non est, si per furtum, aut aliud medium indecens, dirigatur. Omnis enim actus Prudentiæ, qualis est recta Consultatio, non nisi per decencia media, tendit ad finem assequendum. Neque obstat quod hic quandoque bonis, quandoque malis medijs demum obriueatur. Hæc enim est conditio rerum operabilium, sicut & speculabilium. Porro in speculabilibus sæpe accidit, ut ex malis quasi medijs, id est, ex præmissis falsis, non minus, quam ex veris, recta conclusio inferatur, ex parte formæ. Ut in hoc syllogismo: *Omnis lapis est risibilis: Omnis homo est lapis: Ergo omnis homo est risibilis.* Ecce consequentiam rectam in forma; deductam tamen ex præmissis falsis, seu non rectam ex parte medij. Eadem verò consequentia posset esse omnino recta, si ex præmissis veris, ordinateque dispositis ex parte medij, inferretur. Ut in hoc syllogismo: *Omne admirativum est risibile: Omnis homo est admirativus. Ergo Omnis homo est risibilis.* Similiter ita in operabilibus, rectus finis se habet, ut conclusio, quoniam per mala media aut bona, decencia aut etiam indecentia, obtineri potest. Verum quemadmodum non est simpliciter rectus syllogismus, cuius medium rectè ordinatum, seu dispositum non est; ita neque est recta Consultatio boni finis, nisi & media ad illum obrinendum sint recta. Sic enim se habet speculatio in ordine ad verum, & falsum, sicuti actio moralis ad bonum, & malum. *Tertia* denique proprietas est rectæ Consultationis, ut congruo, seu opportuno modo deliberet: id est, nec valde celeriter, nec nimium mo-

rosè; sed prout res exigat, ac decet: vitio enim vitio peccatur, per defectum, aut excessum.

5 ID Verò cum eodem Aristotele observandum, Eubuliam, seu deliberationem fieri debere cum disputatione in omnes partes, ac proinde cum mora: ea autem præmissa, celeriter exequendum esse, quod semel deliberatum est. Huc spectat vetus illud adagium, *ἄνευ βουλεύει, diu deliberato*. Et carmen quoddam Græcorum:

Ἄνευ βουλεύει, ἢ ἔχει καὶ πολλὸν ἀμείνων,
Consultato diu, multò, ut præcellere possis.
 Ideò & Sallustius inquit: *Antequam incipias, consulta & ubi consulueris, maturè factò opus est.* Alioqui accidere poterit Platonicum illud, ut festinantes in principio, festius perveniamus ad finem. Quare celeberrimum fuit inter Veteres adagium illud *Festina lentè*: quod miris laudibus effert & fusè exponit Erasmus initio Chiliadis secundæ. Huc spectat illum Livij in bello Punico secundo, Terentio Verroni, homini juveniliter exultanti, & temerario, datum fuisse collegam Paulum Æmilium, maturum ætate, & consilio, ut sua prudentia & cunctatione nimium alterius fervorem temperaret. Sic etiam Fabius Maximus fuit creatus belli dux, quoniam cunctator & maturus erat, ut Marcelli celeritatem reprimeret. Ideo & Augustus Cæsar frequenter dicere solebat, *σπεύδει βραδείας*, quo simul cunctationem in deliberando, & celeritatem in agendo, commendabat. Sed de his hætenus. Porro Aristoteles, assignatis iam tribus conditionibus, affert definitionem bonæ Consultationis, ut sit *revertitudo consilij ad obtinendum finem bonum per decentia media, congruo tempore concepti*.

6 CIRCA Quartam partem dividit ipsam Bonam Consultationem, ut sit duplex, quemadmodum, & finis humanarum actionum duplex est. Alius est enim finis simpliciter dictus, qui est ultimus finis hominis; nimirum, ipsa felicitas: alius verò est parti-

cularis, & non ultimus; ut pax inter civēs, aut unius urbis cum aliā; qui proinde ordinatur ad felicitatem hominis, ut ad finem ultimum. Similiter ergo duplex Consultatio recta est: altera de fine ultimo hominis per debita media oportune consequendo: altera circa alios fines particulares, decentesque, qui ad finem ultimum ordinantur. Utraque autem in rebus proprietatibus convenit, & in eo etiam quòd secundum Prudentiam sit. Hoc enim omni Virtutum exercitio commune est, quoniam Prudentia omnibus Virtutibus moralibus mediocritatem præscribit, sine quâ esse non possunt. Quare omnis Bona Consultatio brevius definiti poterit: *Consultatio secundum prudentiam*. Eo namque ipso respiciet bonum finem, & per decentia media, & congruo tempore: ac proinde servabit conditiones superius assignatas rectæ Consultationi. Verùm & observare oportet, Bonam Consultationem dupliciter accipi posse: uno modo sub ratione habitus, seu ut vim quandam prudentis, qua potest, & solet bene consultare: alio modo sub ratione actionis, quo sensu videtur Philosophi loqui de illa dum docet, profluere ab ipsa prudentia. Quare & duplicem definitionem subire poterit. Priori sensu sic definienda erit: *Habitus mentis ad consultandum secundum prudentiam*. Sive aliter, & explicatius: *Habitus mentis ad consultandum circa bonum finem, per decentia media, servata temporis congruentia*. Posteriori sensu definitur: *Consultatio secundum prudentiam*. Sive aliter, ut inquit Aristoteles: *ἡ ἐφ' ὅνους ἀληθῆς ἐπέληθῆς ἐστίν*: *Cuius prudentia vera existimatio est*. Aut denique, & clarius: *Actus, quo mens consultat circa bonum finem per decentia media, congruo tempore*.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. 14. quæ est de consilio, quod electionem præcedit, item quæ 2. 2. quæst. 51. atque illius Interpretes.

(?)



CAPVT DECIMVM.

De Sagacitate.



ST Autem & ipsa sagacitas, cui contrarium est hebetudo, quibus sagaces dicimus, ac hebetes: nec idem omnino, quod scientia, aut opinio (omnes enim scientes, vel opinantes, sagaces essent) nec vna quædam scientia: vt aut medicina de sanis, aut geometria circa magnitudines. Neque enim de ijs est, quæ sunt semper, & non moventur: neque de ijs, quæ à quouis fiunt, sed de quibus dubitaverit quispiam, aut consultaverit. Quapropter est quidem de ijs, circa quæ versatur prudentia. Non est autem idem sagacitas, & prudentia. Prudentia nanque præceptiva est. Finis enim ipsius est, quidnam sit agendum, aut non agendum, præcipere. Sagacitas autem, vis iudicandi duntaxat. Idem est enim sagacitas, & bona intelligentia: quippe cum sagaces sint & boni intelligentes. Neque autem habere, neque accipere prudentiam, est ipsa sagacitas: sed in opinationis usu ad ea bene iudicanda, de quibus est prudentia, alio dicente consistit: fitque hic perinde, atque cum discipulus ea discit, ac comprehendit, quæ à scientiam tradente præcipiuntur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Synesis, seu Sagacitas, quid non sit: quid etiam sit: quodnam contrarium habeat: & qua ratione comparanda sit cum Prudentia.



AGIT Philosophus in hoc capite de Synesi, quæ à quibusdam Latine redditur Sagacitas, ab alijs perspicacitas, aut intelligentia. Verum cum frequentius Sagacitas dicatur, eo nomine utemur in præsentia. Similiter & dispositionem ipsi contrariam, quam Græci ἀσυνεσίαν dicunt, hebetudinem appellabimus, sicut & plerique Interpretum. Porro Synesis, sive Sagacitas, est vna ex ijs partibus Prudentiæ, quæ potentiales dicuntur: nam illa est quædam vis, sive potentia, qua Prudentia discernit quid in actionibus humanis sit agendum, & quid omittendum. Dividitur caput in duas partes. In prima exponitur quid non sit Synesis, & quid sit, quidnam etiam illi contrarium existat. In secunda agitur, quâ ratione Sagacitas cum Prudentia comparari possit.

2 CIRCA Primam partem intuit Philosoph. Sagacitatem non esse scientiam, aut opinionem, neque ὅλως, id est, omnino, vel universim, neque singulariter, neque ex parte. Non omnino: quia Sagacitas non est scientia, neque opinio, in genere, & universè loquendo. Non singulariter, aut ex parte: quia Sagacitas non est singularis aliqua scientia, aut opinio: nec vlla generalis pars scientiæ, aut opinionis. Prior asserti huius pars, nimirum, Sagacitatem non esse scientiam, aut opinionem omnino, vel universim, probatur ferè sic ab Aristotele. Nullus mortalium est adeo hebes, aut stultus (modo ratione utatur) qui nō habeat de rebus scientiam, aut opinionem aliquam. At plerique mortalium sunt, qui Sagacitatem non habent. Ergo Sagacitas non est idē ac scientia, vel opinio. Consequentia patet: Quia si Sagacitas eēt idem

idem ac scientia vel opinio vniversim, quicumque mortalium habent scientiam aut opinionem, haberent etiam Sagacitatem. Minor autem suadetur experimento, quo aperteprehenditur, plerisque mortalium, aut plurimos saltem, quamvis vlti rationis praeceptos, non esse sagaces, id est, intelligentes, & perspicaces. Ergo plerique mortalium sunt, qui Sagacitatem non habeant. Iam maior illa praecipua in dubium vocari non posse videtur: cum nemo ex mortalibus, quos quot ratione vtuntur, sit adeo hebes aut stupidus, vt iudicium aliquod de rebus, saltem aliquibus, non ferat, siue secundum scientiam, siue secundum opinionem humanam. Nomine autem scientiae in praesenti intelligitur habitus siue actus cognitionis certae & evidentis, siue ad scientiam strictè dictam spectet, siue ad artem, siue ad iudicium certum & experimentale de rebus acceptum. Nomine autem opinionis intelligitur iudicium ex probabilifundamento ortum, cum formidine aliqua oppositi.

3 DEINDE, Sagacitatem non esse scientiam aliquam peculiarem, sic probat. Si Sagacitas esset peculiaris aliqua scientia, versaretur profecto circa eandem materiam, in qua eiusmodi scientia versatur. Atqui Sagacitas non versatur circa materiam alicuius peculiaris scientiae: vt ab inductione constat. Non enim versatur in materia Medicinæ; cum Sagacitas non studeat corpori medendo, neque agat de salubribus & insalubribus. Neque etiam in materia Geometriæ, cum magnitudines rerum non dimetiatur. Neque in materia Phycæ, quia non contemplatur rerum naturalium causas, aut motus entium generabilium & corruptibilium. Neque in materia Metaphysicæ; cum non agat de rebus immutabilibus, & sempiternis, aut materiae expertibus, sed tantum de rebus agendis dubitationi, & incertitudini expositis, circa quas proinde consilium, & deliberatio esse solet: an nimirum, hoc aut illo modo, vel tempore, sint faciendæ. Patet igitur ab inductione, Sagacitatem non esse vllam peculiarem scientiam.

4 CIRCA Secundam partem docet, Sagacitatem versari circa res illas, quæ sunt communes Prudentiæ: non tamen esse idem, ac Prudentiam. Prior pars suadetur: Quia tam Prudentia, quam Sagacitas, sunt de rebus humanis agendis, dubitationi atque incertitudinibnoxijs. Ergo materia communis vtrique est. Posteriorem partem, quæ precedenti appareret contraria, sic probat. Omnes habitus, quorum opera diuersa sunt, inter se differunt. Atqui Prudentiæ & Sagacitatis opera, siue actus, diuersi sunt. Ergo habitus Prudentiæ & Sagacitatis inter se differunt. Minor, in qua est difficultas, probatur. Prudentia enim, cum sit præceptrix, imperat quod oportet agere: nam in

hoc collocatus est finis, & opus ipsius. Sagacitas autem non est præceptrix, sed disceptatrix, & critica, seu iudicatrix. Officium namque ipsius non est imperare, sed diiudicare atque introspicere ea, quæ Prudentia imperat, an recta sint & honesta. Ergo Prudentiæ, & Sagacitatis opera, siue actus diuersi sunt.

5 CONFIRMAT, Exponitque hoc ipsum, prænotando, idem esse Sagacitatem, siue Synesim, ac *εὐθυνησιαν*, id est, bonam Sagacitatem: sicuti apud Græcos idem sunt *συνετοί*, sagaces, ac *εὐθύνητοί*, benefagaces. Non enim Sagacitas in bonam, & malam partem accipi potest, sicut consultatio, quæ potest esse prava aut recta; sed semper in bonam partem accipitur. Hoc autem supposito, confirmatur ratio præcedens, & amplius ostenditur, diuersum esse opus Sagacitatis & Prudentiæ. Quemadmodum enim rationis speculatiuæ duo opera sunt; alterum inquirendo inuenire, alterum de inuentis iudicare: sic etiam rationis practiæ, seu ad agendum ordinatæ, tria sunt opera: primum, inquirere per consilium, quod ad Eubuliam spectat: secundum iudicare de rebus in consilio positis, an recta & honesta sint, quod ad Sagacitatem attinet: & tertium denique præcipere de liberata ac iam iudicata, quod est proprium Prudentiæ. Ergo quamvis Sagacitas & Prudentia circa easdem res agendas versentur, vt à principio dicebamus, adhuc tamen diuersa vtriusque opera sunt, ac proinde vtriusque habitus est diuersus.

6 ADDIT Philosophus verba quædam difficilia: *Εστὶ δὲ ὅτι τὸ εἶχεν τιῶν φρόνησιν, ὅτι τὸ λαμβάνειν, ἢ συνέσις. Neque vtrò habere prudentiam, neque nascisci, sagacitas est.* Cuius sententiæ obscuritas diuinare fecit Interpretes. Tarquinius Gallutius, allegato Eustratio, censet sensum eorum verborum in eo positum esse, quod non simul adquirantur Sagacitas & Prudentia; sed hæc sit prior, & illa posterior; quoniam diiudicat, quæ imperata sunt à Prudentia, an sint recta, necne. Si autem prior est Sagacitas, quam Prudentia, patet non esse idem habere vnã, atque alteram: quoniam vbi duo aliqua non simul adquiruntur, sed vnum post aliud; non est idem habere vnum, atque aliud.

7 VERVM Pace doctissimi viri atque eruditissimi, interpretatio prædicta videtur longè à vero aberrare: quoniam prior est, saltem natura operatio Sagacitatis, quam Prudentiæ; ac proinde prius naturã saltem generatur habitus illius, quam istius. Assumptum probò: Quia prius est iudicare vtrum ea, quæ per Eubuliam deliberata sunt, sint recta & rationi conformia, quam ea absolutè præcipere seu imperare. Ita enim recta ratio exigit, & ipsa rectitudo Prudentiæ: cuius non est præcipere,

ni

nisi ea, quæ iudicata sunt recta, & honestati conformia. Alioqui cæco modo præciperet, aut exposito errori, in ea prioritate quâ antecederet illud iudicium. Ergo prior est operatio Sagacitatis, quâ iudicatur de rebus per Eubuliam deliberatis, quàm operatio, quâ præcipitur earum executio. *Deinde.* Ut idem Auctor præmonuerat, operatio Prudentiæ est perfectissimum opus rationis practicæ, & quasi cæterorum consummatio. At quidquid hoc modo se habet in quolibet genere, sicut est in intentione primum, ita & generatione vltimum. Ergo inter opera rationis practicæ opus proprium Prudentiæ est generatione vltimum. Immerito ergo docet, Sagacitatem, siue pro habitu, siue pro actu acceptam, esse posteriorem generatione, si fiat comparatio cum Prudentia.

S QVARE Sensus eorum verborum est, non esse idem acquirere, seu habere Sagacitatem, ac Prudentiam: quæ est altera confirmatio doctrinæ superius traditæ, circa distinctionem vtriusque, & sic proponi potest. Quoties duo aliqua non simul acquiruntur, aut habentur, sed vnum post aliud, non est idem acquirere seu habere vnum, atque aliud. Atqui Sagacitas & Prudentia non simul acquiruntur, aut habentur, sed vna post aliam: quia prius est

quod Sagacitas iudicet an quæ deliberata sunt, recta sint, necne, quàm quod Prudentia ea imperet, seu præcipiat agenda. Ergo non est idem acquirere aut habere Sagacitatem ac Prudentiam. Cum vero habitus generentur per actus, & seruent in sui generatione ordinem prioris & posterioris, quem seruant ipsi habitus, consequens est, ut sicut actus Sagacitatis præcedit tempore aut naturâ actum proprium Prudentiæ, ita & habitus Sagacitatis sit prior tempore aut naturâ, quam Prudentiæ habitus.

9 DENIQUE Philotophus similitudine quadam exponit doctrinam præiactam circa officium Sagacitatis, quod est sagire, seu dijudicare. Quemadmodum enim vbi Doctor scientiâ vtitur ad rem exponendam, discipulus adest; qui, nisi hebeti ac plumbeo ingenio sit, rectè dijudicat, vtrum ea quæ traduntur, sint vera, an potius falsa: ita etiam munus Sagacitatis est sagire, seu dijudicare an recta sint, an potius prava, quæ per Eubuliam deliberata sunt, & præcipienda à Prudentia. Indeque ait deductum fuisse nomen Synesis. quod dicitur *ἀπὸ τῆς συνέσεως*, id est, à *sagiendo*, seu bene iudicando, aut intelligendo.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 49. art. 4. 6. 7. atque illius Interpretes.

CAPVT VNDECIMVM.

De Sententia.



A Verò, quæ vocatur sententia, qua bene sentientes homines dicimus, sententiâque habere, iudicium est rectum æqui, & boni viri. Cuius hoc iudicium est. Bonum enim, & æquum virum, ad ignoscendum proclivem dicimus esse: & veniam in aliquibus dare, bonum & æquum esse. At venia, sententia est iudicativa, recta, æqui, & boni viri. Recta autem est ea, quæ est ipsius veracis.

Omnes autem habitus non sine ratione ad idem tendunt. Nam sententiâ, sagacitatem, prudentiam, & mentem, ad eisdem afferentes, prudentes illos, atque sagaces, & sententiam habere, mentemque dicimus. Omnes enim hæ potentiæ, extremorum sunt, ac singularium. Atque idem ea ratione, qua est idoneus ad ea iudicanda, de quibus est prudens, sagax est, beneque sentiens, aut ad dandam veniam aptus. Bona enim, & æqua, omnibus sunt communia bonis, ea ratione, qua ad
altam

alium tendunt. Sunt autem singularia, & extrema ea omnia, quæ agi possunt. Et prudentem oportet ipsa cognoscere. Et sagacitas, & sententia, circa hæc ipsa versantur. Hæc autem sunt extrema. Et intellectus extremorum est ad partem utramque. Etenim primorum terminorum, ac extremorum, intellectus est, & non ratio. Is quidem ad demonstrationes attinet immobilium terminorum, atque primorum. Is autem, qui in agendis rebus versatur, extremi & contingentis, atque alterius propositionis. Hæc enim principia sunt eius, gratia cuius. Ex singulis enim oritur ipsum universale. Horum igitur sensum habere oportet. hic autem est intellectus. Quapropter & naturalia hæc esse videntur. Atque sapiens quidem natura est nemo, sententiam autem habet, & sagacitatem, & intellectum natura. Signum autem est, nos hæc etiam ætates sequi putare: atque hæc ætas intellectum, & sententiam habet, tanquam causa sit ipsa natura. Quo circa principium & finis est intellectus. Ex his enim & de his, ipsæ demonstrationes efficiuntur. Quare non minus eorum, qui sunt experti, & seniorum, vel prudentium, & demonstrabilibus sententijs, opinionibusve, quam ipsis demonstrationibus, mentem adhibere oportet. Quia namque iam experientiam visum habent, principia ipsa cernunt. Quid igitur prudentia, & sapientia est, & in quibus utraque versatur, & diversarum animæ partium utramque virtutem esse, iam diximus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

Gnome, sive Sententia, quid: & qualiter comparetur cum Synesi, ac Prudentia. Intellectum, sive intelligentiam rerum agendarum, habere rationem principij ac finis.



ACCEDIT Philosophus ad explanandam ultimam Prudentiæ partem ex ijs, quæ cõmuniter potentiales dicuntur, quoniam sunt quædam veluti vires, seu facultates Prudentiæ ad rectè agendum. Eam verò *γνώμη* appellat, quæ Latine significat sententiam: & toto capite in id præcipue contendit, ut doceat Gnomem, sive Sententiam, esse rectum iudicium æqui bonique, seu æquitatis. Dividit autem caput in tres partes. In prima exponit quid sit Gnome. In secunda comparat illam cum Synesi, & Prudentiâ. In tertiâ denique statuit, intelligentiam, sive intellectum, in rebus agendis posse dici principium & finem. Monent aliqui Interpretum, difficillimam esse huius capitis expositionem ad litteram, nisi Græci sermonis peritus sit, qui illud interpretatur. Verum cum

iam totæ eius linguæ peritissimi nobis præverint, & textum elucubraverint, fortasse haud ita difficile erit penetrare quidquid in eo reconditum est.

2 CIRCA Primam partem exponit Arist. quid sit Gnome, & quibus notis discernatur ab alijs. Afferit itaque esse habitum, *Sententiam* nominatum ex eo, quod quosdam hominum dicimus bene sentientes, sive rectam sententiam habentes de re aliqua. Neque enim, ut observat hoc loco Eustratius, *Sententia* vocabulum tam crebro esset in ore hominum, nisi esset res aliqua, cui iure ac merito impositum fuisset. Definit autem illam ut sit *ἡ ἐπιεικὴς κρίσις ἀγαθῶν*. *Boni æquique viri iudicium rectum*. Nimirum, viri videntis *ἐπιεικία*, de qua dictum est supra lib. 3. cap. 10. quoniam secundum eam fertur iudicium ex bono & æquo. Porro in eâ definitione *ἐπιεικὴς*, id est, iudicium ponitur

ut genus, in quo Gnome convenit cum Sagacitate, præcedenti capite explicatâ. Cæterum additur loco differentie quod non sit qualecumque iudicium, sed *boni æquique viri*. In quo sanè dissidet à Sagacitate: quia sagax, seu perspicax, quatenus sagax sive perspicax est, non iudicat ex æquitate, sive ἐπικρίᾳ, sed ex Sagacitate, aut perspicacitate: ad quam solum spectat perspicere opus quod à Prudentiâ proficiscitur, & finem ab eâ propositum, & modum quo opus ipsum accommodatum est fini obtinendo, idque secundum rectam rationem. Sententia autem est iudicium ex æquitate, seu ex bono & æquo.

3 CVIVS Exemplum affert allegatus iam Eustratius in quodam Imperatore, qui irruente hostium exercitu, & egressis civibus à patrijs muris ad tuendam urbem, agnovit, eos minùs fortiter restitisse ac pugnasse, propter securitatem, quam sibi pollicebantur ex murorum præsidio: ideoque terga vertisse. Quate ne murorum ambitus postea esset timiditatis occasio, iussit mœnia exturbari, ac solo æquari. Porro si is Imperator accusetur, quod muros urbis demolitus fuerit, vir æquus & bonus non iudicabit damnandum, sed potiùs laudandum: quod rebus beacè inspectis firmiorem reddiderit defensionem urbis, quàm si mœnibus cingeretur. Cives enim deficiente murorum securitate pugnabunt fortiùs, & in acie stabunt, quoniam si terga vertant, non habent quod tuto confugiant. Hoc igitur iudicium ex bono & æquo est, quod Sententiam nominamus; distinctum ab illo alio quod fertur ex Sagacitate. Versaturque in ijs potissimùm actionibus, quæ dubiam interpretationem habent, an iuxta Prudentiæ præscriptum factæ sint, necne. Verùm ubi sufficiens & rationale fundamentum est ad eas in bonam partem accipiendas, iudicantur rectæ, & conformes Prudentiæ.

4 PRÆIACTAM Definitionem esse rectam coniecit Arist. ex vocabulo composito συγνώμη. quæ significat *consensionem*, seu veniam, aut pronitatem quandam ad ignoscendum; & deducitur à voce simplici γνώμη, quæ sententiam significat. Vnde colligitur, Gnomem rectè defini sententiam viri consentientis, seu proni ad ignoscendum. Quare viri ex bono & æquo iudicantes dicuntur *Sygnomonici*, quasi ad consentiendum & ignoscendum proclives. Vbi Arist. non dubitavit, præter usum communem, colligere propriam significationem vocis simplicis γνώμη ex compositâ συγνώμη, quæ ab illâ ortum habet, quoniam hæc notior est, & quælibet res, imò & significationes, ex notioribus probandæ sunt. Præmittit autem Arist. viri æqui & boni esse consensum præbere, ac veniam dare; non quidem in omnibus; sed *ἐπιείκεια, in quibusdam*.

Non enim in omnibus utitur æquitate, sed dūtaxat in aliquibus: scilicet, in ijs quæ aliquid imprudentiæ admistum videntur habere; sed tamen rebus inspectis ex bono & æquo secundum Prudentiam facta iudicari possunt.

5 QVOD Autem in eâ definitione dicatur, Sententiam non esse qualecumque iudicium, sed rectum, merito additum est: quoniam, ut idem Eustratius monet, & latius traditum est dicto lib. 5. cap. 10. leges universim proferuntur; & propter varietatem temporum, locorum, ac necessitatum, non possunt comprehendere singula, quæ eveniunt in actionibus humanis. Vnde contingit legem sæpe violari secundum nudum verborum corticem, quin tamen violetur secundum mentem Legislatoris, aut finem ab eo inspectum. Ut si lex aliqua sit in urbe nequis peregrinus muros ascendat. Accidit verò ut irruente hostium exercitu ascendat peregrinus muros, indeque magnam stragem hostib⁹ inferat, & urbem tueatur. Sanè si solus cortex legis ascensum prohibentis spectetur, peregrinus damnabitur. Si autem consideretur mens & finis Legislatoris, liber erit, & premio dignus habebitur. Hoc ergo iudicium ex bono & æquo est, quod Gnomem, sive Sententiam appellamus: & rectum sanè est, quoniam procedit ex rectâ interpretatione legis, non tam secundum corticem litteræ, quàm iuxta Legislatoris mentem, quæ est veluti anima legis.

6 CIRCA Secundam partem comparat Gnomem, sive Sententiam cum Prudentiâ (sub quâ intelligitur Eubulia) & similiter tum Sagacitate, atque intellectu, seu habitu principiorum relatorum ad actionem, quæ propterea dicuntur activa. Ac primò quidem statuit, omnes prædictos habitus inter se convenire, quia in eodem homine sunt simul, & eâ connexionem, ut unus eorum non inveniatur sine cæteris omnibus. Quisquis enim prudens est, is etiã bonus consultor est, sagax, æquus, bonusque æstimator, & rectè ac subtiliter intelligens principia rerum agendarum. Adde insuper, in eo convenire omnes eos habitus, quod singuli sunt rerum extremarum & singularium, in quibus variatur Prudentia. Nihil enim eligit aut præcipit Prudentia, nihil consultat Eubulia, nihil providet Sagacitas, nihil iudicat Gnome ex bono & æquo, quod non sit extremum, aut singulare. Cæterum quamvis in ijs duobus conveniant, adhuc tamen differunt penes aliam & aliam rationem, ac munerum varietatem: Eubulia enim rectè deliberat: Prudentia eligit & præcipit ea, quæ putat idonea seu apta ad finem consequendum: Sagacitas iudicat & introspicit ea ipsa, an sint honesta, & opportuna obtinendo fini: Gnome ex bono & æquo iudicium fert, & corrigit legem in ijs, quæ providere non potuit Legislator, habitus

ratione locorum, temporum, & personarum: ac denique habitus principiorum rerum agendarum, cognoscit operationem electionemve esse ijs principiis conformem.

7 CVM Verò docet, intellectum extremorum, sive singularium, esse in utramque partem, videtur loqui generatim de intellectu, scilicet, de habitu principiorum principiorum, qui dicitur *intellectus*, prout comprehendit theoreticum, & practicum; quorum prior est circa principia theoretica, seu speculabilia, eaque universalialia, ut, *Quodlibet est, vel non est*, & *Omne totum est maius sua parte*: posterior circa practica, seu rerum operabilium, ac singularium. Utraque verò principia dicuntur ab Arist. *ἐξ ἄρα, extrema*: generalia quidem, quia comparata cum singularibus, à quibus incipit humana cognitio, ultima sunt, & postremo loco cognoscuntur: singularia verò, quia spectato naturæ ordine nostra cognitio incipere deberet à communioribus, deindeque progredi ad minus communia, ac tandem devenire ad singularia. Hoc igitur sensu utraque extrema appellantur. Verum quoniam habitus principiorum, sive intellectus, non attingit ea principia ratiocinando, aut discutendo, sed cognitione simplici adherendo; subiungit Arist. principiorum non esse *ratiocinatioem*, id est, scientiam discursu acquisitam; sed *intellectum*, scilicet, cognitionem simplicem, ac veluti intuitum. Addit insuper, principia illa, quæ theoreticus intellectus cognoscit, esse quosdam terminos immobiles: id est, res immutabiles & universales, quæ nequeunt se aliter habere: ut pote ex quibus fiunt demonstrationes, quæ non, nisi stabilibus & invariabilibus principiis nituntur. Cæterum principia illa, in quibus versatur intellectus activus, sunt earum rerum, quæ variabiles sunt, & aliter atque aliter possunt evenire, quoniam singulares & contingentes sunt. Quare intellectus, sive habitus principiorum activus, utitur singularibus principiis, propositionibusque, & ex ijs infert conclusionem solùm verosimilem, aut probabilem: quales sunt conclusiones Oratorum ex principiis singularibus & verosimilibus ductæ. Cuius rei exemplum affert Eustratus in Oratore, qui ita arguit: Hic nocte vagatur per urbem, ergo aliquid malum versat in animo.

8 CÆTERVM Quia habitus activus principiorum non est prorsus alienus à communibus principiis, subdit Aristot. alteram ex propositionibus intellectus activi semper esse singularem: verum ex eâ fieri gradum ad communem & generalem. Exemplum affert idem Eustratus in Demosthene dehortante Athenienses ab incundo fœdere cum Philippo Rege. Ostenso enim ex singularibus Philippi actionibus, eum esse Atheniensium hostem, pergit ulterius, & hanc propositionem com-

muem statuit: Qui ea meditatur & agit, quibus ego seducar, & capiar, is adversum me bellum gerit, quamvis nondum tela iaciat, neque stringat entem. Quæ propositio primo quidem aspectu videtur singularis, & de vno Philippo prolata: cæterum sententia in eâ clausa est communis & generalis, æquivalensque huic: Quisquis ea meditatur & agit, quibus ego seducar & capiar, is planè adversum me bellum gerit, quamvis nondum tela iaciat, neque stringat entem. Vbi ex singularibus propositionibus intentè observatis, Orator aut Politicus colligit universalem & communem propositionem, ex quâ rursus ad singularia descendat, & efficiat demonstrationem; non quidem exactam, aut metaphysicam, mathematicamve; sed oratoriam, politicam, aut moralem. Quo sensu intelligenda sunt verba illa Arist. *ἐκ τῶ καὶ ἐκ τῶ ὅλα, γὰρ τὸ καθολικόν*. Nam ex singularibus universalia existit. Nimirum, ex singularibus propositionibus colliguntur generales & communes, ex quibus paritur in mente doctrina.

9 MONET Verò, sententia, id est, observationem harum singularium propositionum, esse maximè convenientem ijs, qui in vitâ civili honestè & prudenter agere volunt. Oportet enim esse præditos multiplici singularium rerum experimento, ideoque nosse atque observare plurima in quibuslibet negotiis, ut exinde vitam instituât, suasque dirigat actiones. Qui enim aut expertus non est, aut plura non vidit, aut vidit quidem, sed tamen ea non observavit intento animo, sive quia noluit, sive quia non potuit ob plumbeam conditionem ingenij, is profectò nullam ex singularibus, quæ quotidie accidunt, instructionem percipiet: ideoque nec assequetur Prudentiam, quâ honestè & laudabiliter se gerat in vitâ civili.

10 COLLIGIT Arist. ex prædictis, habitus hucusque expositos, nimirum, Prudentiam, Eubuliam, Sagacitatem, Gnomem, & intellectum activum principiorum, naturales esse, si comparentur cum Sapientiâ. Ratio est: quoniam hæc solùm doctrinâ & institutione percipitur: qui modus habendi non dicitur naturalis, sed ex industriâ aut arte. Cæterum prædicti habitus non ex doctrinâ aut institutione comparantur, sed quasi naturâ, quoniam versantur in singularibus, quorum cognitio naturalis est. Cuius rei assignat rationem à signo, & modo communi loquendi, quo dicere soliti sumus, hanc ætatem asserre Prudentiam, illam Sagacitatem, aliam intellectum: quod tamen non dicitur de Sapientiâ, quoniam hæc non ætati alicui tribuitur, sed doctrinæ. Verum non propterea quis existimet de mente Arist. esse quòd prædicti habitus sint insiti nobis à naturâ. Id enim alienum à veritate est: cum multi usu rationis præditi ijs careant, aut etiam præ-

præditi sint contrario habitu. quod certe ita esse non posset, si à naturâ nobis insiti essent. Solum itaque dicuntur nobis naturales tripliciter sensu. Primo, quatenus versantur circa singularia, quæ nobis naturaliter innotescunt. Secundo, quia non ex doctrinâ aut institutione comparantur, qualiter Sapientia. Tertio denique, quia dispositio naturalis temperamenti secundum alias atque alias ætates plurimum confert ad eos habitus obtinendos. Vnde dicimus, huic ætati annexi Prudentiam, illi Sagacitatem: nulli tamen Sapientiam.

11 CIRCA Tertiam partem colligit ex præiactis, habitum principiorum, sive intellectum, non solum esse principium, verum & finem. Quod tam de intellectu speculativo, quam activo potest commode accipi. De speculativo, quoniam ex his, id est, principiis, & de ijs, scilicet, conclusionibus, efficiuntur demonstrationes. Ex principiis enim progredimur ad probandas conclusiones, & sic intellectus speculativus est principium. Cum vero resolvimus conclusiones ad sua principia, tunc intellectus principiorum est finis, qui tandem seu ultimo habetur. De pratico, sive activo, id etiam intelligi potest, habere rationem principij; cum procedat semper à principiis singularibus ad conclusionem probandam. Nimirum, in quolibet syllogismo pratico semper minor est singularis, & habet rationem principij relatè ad conclusionem. Vnde intellectus practicus procedens à minori ad conclusionem, habet rationem principij. Rursus, & idem intellectus practicus habet rationem finis: sive quia principia singularia sunt principia rei agenda, quæ habet rationem finis, ut interpretatur Acciaiolus: sive quia ex conclusionibus singularibus intentè observatis colligit intellectus practicus propositionem generalem, veluti finem, ut supra dicebamus.

12 NOTANDA Verò est aurea & observatu digna sententia Arist. qui conclusiones practicas, quamvis ex singularibus principiis deductas, hoc loco nominat ἀποδείξασθαι,

demonstrationes. Quamvis enim exacte demonstrationes non sint, quales in Metaphysica, aut Mathematica fieri solent; sunt tamen admodum probabiles, & urgentissima probationes, quantum patitur materia incerta & lubrica, in quâ versantur. Ideoque monet plurimum referre ut quis serio attendat ad dicta & placita seniorum peritorumque hominum, quamvis nulla demonstratione suam sententiam probent, perinde ac si demonstrationibus eam munirent. Rationemque reddit: *Διὰ γὰρ τὸ ἔχειν ἐκ τῆ ἐμπειρίας ὄμμα, ἐργασίας ἀρχάς.* Nam quia habent ab experientia oculum, cernunt principia. Et revera ita accidit prudentibus ac peritis. Diuturno enim rerum experimento, & observatione intentâ plurimarum rerum, eam rerum cognitionem practicam nacti sunt, ut ipsorum placitis plurimum sit deferendum circa agenda, ac si demonstrationibus viderentur. Non enim cæci sunt ut cæcum abducant; sed instructi Prudentiâ, quam Arist. ὄμμα, id est, oculum nominat; sicuti & mentem hominis Plato in *Symposio* ἀΐσις, id est, visum, dixit; & Cicero mentis aciem. Qui & eandem Arist. doctrinam confirmat lib. 2. Offic. circa fidem præstandam prudentibus & peritis viris, dum ait: „ Fides autem ut habeatur, duabus rebus effici potest: si existimabimur adepti cum iustitiâ prudentiam. Nam ijs fidem habemus, quos plus intelligere quam nos arbitramur; quosque & futura prospicere credimus. Quare merito Iurisconsulti in l. non omnium ff. de Legibus & Senatusconsultis, reprehendunt protervos & pervicaces homines, qui nemini, quantumvis perito & prudenti, fidem præstant, nisi omnium reddat rationem. Verba sunt: Non omnium, quæ à maioribus constituta sunt, ratio reddi potest: & ideo rationes eorum, quæ constituuntur, inquiri non oportet. Alioqui multa ex ijs, quæ dicta sunt, subvertentur.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 60. quæ est de iudicio, & illius Interpretes.

CAPVT DVODECIMVM.

De utilitate Sapientia, atque Prudentia.



VBITABERIT Autem quispiam ad quidnam habitus hi sunt utiles. Nam sapientia quidem nihil eorum contemplatur, ex quibus fuerit homo felix: nullius enim est generationis. Prudentia autem hoc quidem habet. Sed

Se d cuiusnam gratia opus est ipsa? si prudentia quidem est ea, quæ circa iusta, & honesta, bonaque homini versatur, hæc autem sunt ea, quæ viri boni est agere, atque ipsa sciendo, non magis ad agendum nos sumus idoneis, siquidem virtutes sunt habitus, quemadmodum nec ea sana, quæ non efficiunt bonam corporis habitudinem, sed ab ipsa proveniunt: non enim apti sumus ad hæc agenda, medendi artem, aut exercendorum corporum facultatem habendo. Quod si non horum gratia sit potenda prudentia, sed ut studiosi homines fiant, ijs non fuerit utilis sanè, qui iam sunt studiosi. At nec etiam ijs, qui studiosi non sunt. Nihil enim refert si ipsi habeant, siue alijs habentibus pareant. Atque hoc satis est nobis, quemadmodum & in sanitate. Nam & si valere volumus, medicinam tam en non discimus. Insuper absurdum sanè videbitur, si prudentia, quæ quidem est inferior sapientia, sit magis domina, quàm ipsa, magisque princeps. Nam ea, quæ agit, dominatur in singulis, atque iubet. De his igitur dicendum. nunc enim de ipsis dubitavimus tantum. Primum itaque dicimus, has expetendas necessario per se ipsas esse, quippe cum sint partium utrarumque virtutes, etiam si neutra ipsarum quicquam efficiat. Deinde & faciunt quidem. An non ut medicina sanitatem: sed ut sanitas, sic sapientia felicitatem. Nam cum sit pars totius virtutis, felicem efficit, ex eo quia habetur, ac operatur. Præterea, opus ipsum, & per prudentiam, & per virtutem moris efficitur. Etenim virtus quidem propositum ipsum efficit rectum: prudentia autem ea, quæ in illud perducunt. Quare autem partis animæ, quæ quidem est principium vegetandi, nulla est talis virtus: quippe cum in ipsa sit agere, aut non agere situm. De eo vero, quod dictum est, non esse magis aptos ob prudentiam homines ad honesta, iustaque agenda, paulo altius incipiendum est, hoc principio sumpto. Nam ut & iusta agentes, quosdam nondum iustos esse dicimus, ut eos, qui faciunt ea, quæ legibus sunt instituta, inviti, vel ob ignorantem, vel ob aliquid aliud, & non ob ipsa: & si agunt ea, quæ oportet, & quod virum oportet agere studiosum, sic (ut videtur) agere singula unumquemque oportet modo quodam affectum, ut sit homo bonus, ob electionem, inquam, & ipsorum gratia, quæ aguntur. Electionem igitur rectam efficit virtus. Sed ea, quæ illius gratia sunt agenda, non sunt ipsius virtutis, sed ad aliam potentiam spectant. Dicendum autem de ipsis dilucidius est. Est igitur quædam potentia, quam habilitatem vocant. Hæc talis est, ut ea possit agere, atque attingere, quæ ad suppositam intentionem conducunt. Si igitur propositum sit honestum, laudabilis est: si improbum, versutia est. Quapropter & ipsos
 pru-

prudentes habiles, & versutos dicimus esse. Ipsa verò prudentia non est quidem hæc dicta potentia: non tamen est sine ipsa. Habitus autem ipse huic oculo imprimitur animæ. Neque absque virtute, sicut diximus, atque constat. Ratiocinationes enim agendarum rerum principium habent, cum talis sit ipse finis, & ipsum optimum, quicquid tandem sit illud. Sit autem, verbi gratia, quidvis: hoc autem non nisi bono viro videtur. Pravitas enim pervertit, facitque ut circa principia rerum agendarum homo fallatur. Quare patet, prudentem neminem esse posse, nisi sit bonus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Propositis initio rationibus dubitandi, statuitur, Sapientiam & Prudentiam plurimum momenti adferre paranda Felicitati. Prudentiam strictissimo vinculo illigatam esse Virtutibus moralibus: proindeque sine illa neminem esse posse felicem.



ARGUMENTVM Capitis huius est, Sapientiam & Prudentiam esse utiles ad parandam Felicitatem, sive summum hominis bonum. Dividitur verò in tres partes. In prima

proponuntur rationes dubitandi, quibus suaderi videtur, neutram earum Virtutum intellectualium necessariam esse Felicitati assequenda. In secunda ostenditur ex professo oppositum, & utilitas earum probatur. In tertia additur, Prudentiam cum omnibus Virtutibus moralibus strictissimum habere nexum, ideoque sine illa nullum esse posse Felicitati locum.

2 CIRCA Primam partem indicat rationes dubitandi, seu argumenta, quibus aliquis forte conari possit, ut prober, nec Sapientiam, nec Prudentiam conferre quidquam momenti ad Felicitatem parandam. Ac primo quidem adversus utilitatem Sapientiae sic disputari potest. Omne quod in rebus humanis est utile ad humanam Felicitatem, confert aliquid in illam. Atqui Sapientia nihil confert in Felicitatem humanam. Ergo neque utilis ad ipsam est. Assumptionem, sive minorem huius syllogismi, in qua est difficultas, probat Arist. pressè, & mirâ emphasi, illis verbis: *ὅτι δὲ μὴ ἔστι γὰρ ἄριστος γένεσις.* Nullius enim est generatio- nis. Que sic expendi possunt. Omne quod confert aliquid in Felicitatem humanam, debet esse principium actionum honestarum, quibus Felicitas ipsa paratur. Atqui Sapientia nihil eiusmodi generat, seu non est principium actionum honestarum quibus Felicitas paratur. Non enim est principium actionum contingentium, quales sunt operationes morales:

sed solum cognitionis theoreticæ, seu speculativæ, quæ necessaria est, & invariabilibus principijs nititur. Sapientia ergo nihil confert in Felicitatem humanam.

3 SIMILITER ET contra utilitatem Prudentiæ sic disputari posse ait. Illud enim quod non est principium actionum honestarum, nullatenus utile videtur Felicitati obtinendæ: quæ nimirum solis Virtutum operationibus acquiritur. Atqui Prudentia non est principium actionum honestarum. Non enim Virtutum opera efficit: sed solum facem præfert, seu directionem, quâ nihil omnino agitur. Quod exponit Arist. exemplo Gymnasticæ, & Medicinæ, sine quarum præsidio possunt ab homine sano & robusto operationes sanæ & robuste fieri. Vnde & colligitur posse ab homine elici operationes solidæ ac veræ Virtutis absque Prudentia. Ergo hæc non est utilis ad Felicitatem.

4 NEC Sufficit si aliquis occurrat, dicatque, rationem præiactam solum evincere, Prudentiam esse inutilem postquam semel aliquis Virtutum habitus adquisivit multiplici operatione honestâ. Tunc enim iam videtur non esse Prudentiæ opus: sicut corpori iam restituto ad bonam valetudinem non est opus medicinâ, sed tunc solum, quando in ægritudine est. Non, inquam, sufficit: quoniam argumento præiacto contenditur, nec Virtute iam præditis, nec nondum præditis, utilem aut necessariam esse Prudentiam. Non enim prioribus, ut ostensum fuit. Neque etiam posterioribus: Quoniam ut ij Virtutes allequantur, satis erit si alterius prudentis hominis ductu consilioque ducantur: sicuti ut æger salutem allequatur, satis est si obtemperet inquisitæ medicæ præ-

prescribentis remedia opportuna. Ergo quem ad modum hanc ob causam aegro ad convalescendum non est opus ut sit praeditus arte Medicina; sic neque homini, ut Virtutes & sanitatem animi allequatur, necessarius est habitus Prudentiae.

5 CONFIRMAT Eandem partem ab absurdo. Si enim Prudentia esset utilis necessariaque Felicitati parandae, dominaretur plane ipsi Sapientiae, & imperaret ipsi: sicuti supra lib. I. cap. 2. dictum fuit, Politicam esse *νομοκράτωρ* maxime dominam, & quoddammodo imperare ac precipere omnibus disciplinis, etiam theoreticis, quatenus iubet, quae nam ex ijs tradendae sint in civitate, aut ab ea proscribendae, ex fine parandae civium Felicitatis. At consequens videtur absurdum: cum dictum fuerit supra cap. 8. Sapientiam esse Virtutum omnium praestantissimam; & absurdum sit, ut Virtus inferior dominetur superiori, eidemque praecipiat. Ergo Prudentia non est utilis necessariaque Felicitati parandae. Et haec quidem sunt fere, quae proponit Arist. adversus utilitatem utriusque Virtutis intellectualis: licet adeo obscure, & sub dubio tantum. Huic objectioni occurrit capite sequenti. Vide ibi num. 18.

6 CIRCA Secundam partem pronuntiat in oppositum, Sapientiam & Prudentiam esse Virtutes utiles, ac per se optabiles ad Felicitatem parandam. Idque probat convellendo fundamenta contraria superius producta. Ac primo quidem ostendit, ex eo quod neutra earum quidquam exterius agat, male inferri utramque inutilem esse: Quia utile & per se optabile est omne illud, quod perficit animam secundum utramque partem, id est, contemplatricem, & activam. Atque Sapientia & Prudentia, quamvis nihil exterius agant, perficiunt animam secundum utramque partem: prior secundum contemplatricem; posterior secundum activam. Ergo Sapientia & Prudentia, quamvis nihil exterius agant, sunt utiles & optabiles per se. SECVNDO evertit assumptum eius argumenti: Quia verè Sapientia & Prudentia sunt conficientes Felicitatis, seu verè aliquid agunt, quod è re Felicitatis sit. Sapientia enim est principium actionis contemplandi, in qua posita est Felicitas theoretica, & praestantissima: ut probatur late infra lib. 10. cap. 7. Quare perperam assumitur, eam nihil agere, seu otiosam esse. Prudentia quoque plurimum agit. Praecipit enim & dirigit actiones Virtutum moralium, quibus paratur activa Felicitas. Ergo falso assumitur in objectionem, nec Sapientiam, nec Prudentiam quidquam agere, quod interfit ad Felicitatem.

7 ADDIT, Sapientiam & Prudentiam efficere Felicitatem: sed non eo modo, quo ars medendi valetudinam; verum illo, quo

valetudo ipsa efficit opera sani corporis, quae dicuntur vulgo opera sana. Sapientia enim est quasi sanitas aut valetudo quaedam animae secundum facultatem contemplatricem: Prudentia autem secundum facultatem activam. Ergo Sapientia & Prudentia, instar sanitatis aut valetudinis efficiunt, altera quidem actionem contemplandi, quae est Felicitas speculativa; altera autem actionem operandi, in qua sita est Felicitas practica. Itaque Sapientia perficit animum secundum mentem: Prudentia autem secundum mores.

8 ADDIT Insuper, male in argumento excludi à Prudentia omnem activitatem: quoniam opus Virtutis moralis efficitur, tum ab ipsa Virtute, tum & à Prudentia. Ut enim opus evadat honestum, duo habere debet: alterum, ut ex bono fine eliciatur: alterum, ut operans se rectè habeat in ijs, quae sunt ad finem, inquirendo, iudicando, eligendo, & precipiendo, prout recta ratio exigit. Primum horum à Virtute morali praestatur: quoniam munus ipsius est appetitum inclinare in bonum finem. Secundum verò spectat ad Prudentiam, cuius est inquirere, iudicare, eligere, & precipere ea, quae sunt ad finem, iuxta rectam rationem. Ergo ut opus evadat honestum, non solum necessaria est Virtus moralis, sed & Prudentia: ideoque haec aliquid agit, imò & plurimum praestat ad rectam operationem. Si autem praeterea adsit Sapientia, totus homo perfectus & felix evadet secundum alteram & alteram animae facultatem, theoreticam & practicam: ac praeterea secundum appetitum sensitivum. Sapientia enim, ut dictum est, perficit animum secundum facultatem contemplatricem: Prudentia secundum facultatem operatricem: Virtus denique moralis secundum appetitum sentientem: qui est veluti tertia pars animae, & duabus praedictis inferior. Quarta autem animae pars, quae vegetatrix & nutritrix dicitur, nullius Virtutis capax est, cum prorsus naturalis & necessaria sit, qualiter in plantis, quae nullam Virtutum culturam perfectionemve admittunt.

9 CIRCA Tertiam partem, denuò ostendit, Prudentiam plurimum agere, seu conferre in opera honesta: ut uberiùs confutetur obiectio in oppositum initio producta. Id autem probat: quia Prudentia ita cum Virtutibus moralibus illigata est, ut sine ijs consistere nequeat. Quod licet ex professo ostensurus sit capite sequenti, nunc etiam demonstrare aggreditur hac fere ratione. Prudentia ibi tantum est, ubi recta finis electio est. At recta finis electio connectitur necessario cum Virtute morali. Prudentia ergo etiam necessario connectitur cum Virtute morali. Patet haec consequentia: Quoniam ubi operationes habituum sunt necessario connexae, etiam

etiam habitus debent inter se connecti. Itaque difficultas solū est in probanda utraque praemissa. Maiorē illarū probat: Quia Prudentia est quaedam rerum agendarū cognitio, similis illi, quae ducitur ex consideratione theoria rerum immutabilium; & finis in rebus agendis habet eundem locum, quem in rebus speculabilibus obtinent principia. Sicut enim in hisce rebus nulla scientia esse potest, ubi aliquis circa principia error est; ita neque in moralibus seu agendis nulla Prudentia esse potest, nisi adsit recta finis electio: cum Prudentia ipsa sit recta cognitio rerum agendarum, quae rectam electionem finis exigit, ut principium sui. Ergo sicut nulla scientia esse potest, nisi ubi adest recta principiorum cognitio; ita neque Prudentia, nisi ubi est recta finis electio.

10 IAM Minor illa praecipui syllogismi probatur: Quia recta finis electio proficiscitur à Virtute morali. Quod ut ostendat Arist. relumit doctrinā à se statutā lib. 2. c. 4. ubi assignavit discrimen inter iusta agere, & iuste agere. Exinde enim constat, aliquos esse qui iusta agunt, & tamen nō sunt iusti verē & proprie: quoniam non ex recto fine, & Virtuti consentaneo, faciūt ea quae legibus imperantur: sed ex metu, ignorantia, aut ob lucrū, aliāve similem causam. Quippe vir iustus & probus debet esse ita affectus, ut quaecumque iusta, seu legibus conformia agit, ex electione finis honesti, & delectatione honestatis agat. Cum ergo electio & delectatio eiusmodi proveniant à sola Virtute morali, consequens est ut cum ea connectantur, sicut effectus cum sua causa per se. Vera igitur est illa minor praecipua, in qua assumabatur, rectam finis electionem accensuratio connecti cum Virtute morali.

11 NEQUE Ex eo quod Virtus moralis eligat rectum finem, inferre licet, Prudentiā esse supervacaneā ad eligendū. Adhuc enim utilis & necessaria est; non quidem ad finem eligendum, quod praestatur à sola Virtute morali: sed ad eligendū media, sive praesidia, quae sunt ad finem, eaque paranda quādo & quomodo oportet. Indeque est ut Prudentia nequeat esse absque Virtute morali. Nō enim potest eligere media, nisi antea Virtus moralis elegerit finem: quia electio mediorum supponit propositum, sive intentionem finis. Ergo Prudentia supervacaneā non est ad eligendū & operandū bonū morale; sed imo potius necessaria: cum nemo possit bene operari, & finem rectum obtinere, nisi per media sibi praescripta à Prudentia, cuius est eligere ea quae sunt ad finem.

12 CONFIRMAT Arist. id ipsum, nimirum, Prudentiā sine Virtute morali, seu probitate, esse nō posse. Id vero ut praestet, observat, esse in homine quandā facultatem, quā Græci dicunt *δυσόρνια*: Latini autē Interpretes appellant *solertiam*, ut Victorius, Turnebus, &

Labinus: vel *calliditatem*, ut Paccius, & Gallutius: vel *aptitudinem*, seu *habilitatem*, ut Argypilus, alijque. Quosque autem nomine Latine explicetur, id certū est, eiusmodi facultatē esse vim quandā homini naturalē, atque insitam, & indifferentē ex se ad Virtutē & vitium, quae aptus est facile & nullo negotio agere ea, quae ad propositū finem conducunt. Et quidem si finis sit bonus, facultas eiusmodi laudabilis est, & Virtutis nomen asequitur, ac Prudentia dicitur. Si autem malus finis praescribatur, vituperabilis est, & verituta nominatur. Verū eum utraq; conveniat in illa facultate naturali, quae hominē callidum aut solertem reddit, factum est, ut propter eiusmodi similitudinē prudentes homines, modo solertes, modo verituti appellentur, quamvis verē secundum proprias rationes opponantur solertia & verituta, tanquam laudabilis una, & vituperabilis altera.

13 EX Quibus colligitur, Prudentiā sine Virtute morali esse nō posse: Quoniam licet facultas illa, quae calliditas dicitur, indifferentes sit ad laudē & vituperiū, ideoque cum Virtute nō connectatur; tamē facultas ipsa in ordine ad bonum finem, nunquam sine Virtute morali est. At qui facultas ipsa in ordine ad bonum finem, Prudentia est & dicitur: quippe Prudentia eiusmodi facultatē includit. Prudentia igitur nunquā sine Virtute morali est. Minor patet: quia Prudentia est habitus, qui ratiocinando perquirat idonea media ad consequendum bonum finem, electum à Virtute morali. Maiorem verō probat: Quoniam facultas, seu solertia in ordine ad bonum finem, solum cōpetit viro habenti rectum de rebus iudicium; qualis est solus vir probus, & Virtute morali praeditus. Ipsi enim est oculus quidam, seu acumen mentis, ut praescribat bonum finem per idonea media consequendum. Improbi autem homines, & vitiorum mancipia, carent eiusmodi oculo: & licet multi illorum verituti sint, ab ea tamen perspicacitate alieni existunt, quae est solertia in ordine ad bonum finem. Caligant enim & cœcutiunt nimiarum perturbationum tenebris involuti. Igitur solertia illa in ordine ad bonum finem, nunquam sine Virtute morali est. Quam tamen sententiam etiam supra cap. 5. expressit illis verbis: *Principium quidem rerum agendarum iam est, gratia cuius sunt ipse. Et verò qui corruptus est ob voluptatem aut dolorem, contra nō videtur principium ipsum, nec huius gratia, ac propter hoc ipsum, expetenda esse universa atque agenda. Vitium enim principij corruptivum est.* Ex quibus omnibus tandem concludit Arist. neminem esse prudentem, nisi & probus sit.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. 65. art. 1. & illius Interpretes.

CA-

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De nativa virtute, virtutum, ac prudentie connexionione.

CONSIDERANDVM Est iterum & de virtute. Etenim vt prudentia sese habet ad habilitatem, quæ non est idem, sed simile: sic & propriè virtus sese habet ad naturalem virtutem. Omnibus enim singuli mores inesse quoddammodo natura videntur. Etenim & iusti natura, fortesque, atque ad temperantiam nati videmur, cæteraque continuò habemus ex ipso ortu. Sed esse tamè quærimus aliquid aliud, quod est propriè bonū: & alia modo alio nobis in esse. Pueris enim, ac belluis naturales habitus insunt. At absque mente nocere videntur. Atque vt robusto fit in corpore sine oculis se movente (errat enim vehementer ex eo, quia non habet visum) sic & hic accidit. Si verò mentem acceperint, in agendo differt. Atque habitus ille similis, tunc erit propriè virtus. Quare vt in opinativo duæ sunt species, habilitas, atque prudentia: sic & in morali sunt duæ, vna naturalis virtus, altera propriè virtus. Atque harum ea, quæ est propriè virtus, non fit sine prudentia. Quapropter, inquiunt, virtutes omnes, prudentias esse. Et Socrates partim rectè quærebat, partim peccabat. Peccabat, quia virtutes omneis prudentias esse putabat. Bene dicebat, quòd non esse sine prudentia ipsas aiebat.

Hoc autem huius indicium est: Etenim nunc omnes, cum virtutem definiunt, dicentes ipsam habitum esse, & afferètes ea, circa quæ versatur, addunt, secundum rectam rationem. At recta est ea, quæ est secundum prudentiam. Videntur igitur omnes vaticinari quodammodo, talem habitum esse virtutem, qui est secundum prudentiam. Oportet autem parumper migrare. Est enim is habitus virtus, qui non solum est secundum rationem rectam, sed cum recta etiam ratione. Recta autem de talibus ratio ipsa est sanè prudentia. Socrates igitur virtutes ipsas rationes esse arbitratur. Omnes enim scientias esse dicebat. At nos cum tatione esse censemus. Patet igitur ex dictis, fieri non posse, vt sine prudentia sit homo propriè bonus, & absque morum virtute prudens. At enim & ea ratio, qua quispiam differuerit separari virtutes, hinc solvi potest. Non enim idem ad omnes suscipiendas aptissimus est ingenio: quare aliam iam accepit, aliã nondū accepit.

pit. Hoc enim in naturalibus quidem virtutibus fieri potest. At in ijs, quibus absolute dicitur homo bonus, fieri nequit. Etenim cum prudentia, quæ est vna, simul inerunt vniversæ. Constat autem, & prudentia opus esse, etiam si non esset activa, quia partis est virtus. Et sine prudentia, sineque virtute, electionem rectam non fore. Altera namque finem, altera ea, quæ sunt ad finem, agere facit. At verò neque sapientiæ præest, neque præstabilioris est partis: sicut neque ars medædi præsidet sanitati. Non enim vitur ipsa, sed videt vt fiat. Illius igitur gratia, non autem illi, iubet. Præterea, simile est, ac si quispiam facultatem civilem principem esse deorū dicat, propterea quòd præcipit de omnibus, quæ aguntur in civitate.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI TERTII.

Virtutem moralem nullam omnino existere absque Prudentia, nec perfectam sine alijs. Sapientiam tamen adhuc præstabiliorem esse, quàm Prudentiam.



OCVIT Aristot. probavitque superiori capite Prudentiam existere non posse sine Virtute morali. Nunc vicissim ostendit, nec Virtutem moralem posse sine Prudentia in-

veniri: summamque tradit, solertiam à natura esse velut inchoatam Prudentiam, & sine hac Virtutes perfectas esse non posse. Dividitur caput in tres partes. In prima statuitur, Virtutem moralem absque Prudentia non esse. In secundâ decernitur, Virtutem vnam perfectam sine alijs esse non posse. In tertiâ demum asseritur, Sapientiam meliorem ac præstantiorem, quàm Prudentiam, existimari debere.

2 CIRCA Primam partem monet, Virtutem se habere in ordine ad Prudentiam, sicuti hanc in ordine ad solertiam. Quod vt penitiùs intelligatur, resumendum est ex dictis circa finem capitis præcedentis, esse in anima quandam facultatem, ab Aristotele nominatam *Δεινότητα*, id est, solertiam, calliditatem, subtilitatem, vel acumen, aut naturalem vim ad inquirendas rerum agendarum rationes, & media opportuna ad finem obtinendum, abstrahendo ab eo, vt finis bonus vel malus sit. In quo sane differt à Prudentia, quæ determinatè perquirat & eligit media idonea ad bonum finem obtinendum. Itaque vis seu facultas eiusmodi inest naturaliter hominibus, indifferenterque se habet ad Virtutem & vitium: atque adeo si vitio adiungatur & prava media inquirat eligatque, dicitur calliditas & verutia: si autem comitem habeat Virtutem, & bonum finem ab ea electum quærat per opportuna atque ho-

nesta media, subinduit Virtutis formam, diciturque Prudentia. Ideo & appellari solet Prudentia naturalis: non quia verè Prudentia sit, sed quia facile fieri Prudentia possit. Vnde Eustathius Homeri Interpretes Iliad. 3. *Δεινότητα*, solertiam appellat *ἡ φρονήσεως τὴν μητέρα*, prudentie matrem. Solertia enim quasi gignit & parit Prudentiam.

3 PRONVNCIAT Igitur, esse quandam vim naturalem, quæ perinde se habet comparaturque ad Virtutem moralem, sicut solertia siue calliditas ad Prudentiam. Sicut enim solertia est innata, Prudentia autem vsu & frequenti exercitio atque experimento acquiritur; ita etiam vis seu virtus naturalis est indita à natura, Virtus autem moralis vsu atque exercitatione assidua paratur. Præterea, sicut solertia est preparatio quædam ad Prudentiam habendam; ita naturalis virtus est veluti dispositio ad Virtutem moralem comparandam, atque instat terræ excultæ & subactæ ad semina recipienda, & fructus ferendos. Porro eam vim seu virtutem naturalem, & quasi preparationem ad morales Virtutes, probat ex communi modo loquendi omnium. Frequenter enim dicitur de aliquibus hominibus esse optimè indolis, & à primis vnguiculis iustos, fortes, aut temperatos. Quod tamen nec bene, nec verè diceretur, nisi ijs essent à natura virtutes eiusmodi naturales, ac moralium preparatrices.

4 DEINDE Statuit, eas virtutes naturaliter inritas, non esse Virtutes simpliciter, sed in speciem vel similitudinem tantum, & quodam abusu nominis. Quod tripliciter probat. PRIMO: Quia illæ dumtaxat sunt simpliciter & proprie Virtutes, ad quas contendimus,

mus, ut ijs obtentis felices simus. At virtutes illæ naturaliter insitæ, non sunt ad quas contendimus, ut ijs felices simus: cum ijs à natura iam recepis adhuc in ambiguo sit Felicitas. Ergo virtutes illæ naturaliter insitæ, non sunt Virtutes simpliciter & propriè. **SECUNDO.** Nulla vera & propria Virtus inest puris aut belluis: ut lib. 2. cap. 1. dictum est. At virtutes illæ naturales intunt pueris & belluis. Pueri enim quidam liberales & temperati dicuntur: similiter & leo fortis, & canis fidelis, naturaliter. Ergo Virtutes illæ naturales non sunt Virtutes verè & propriè. **TERTIO.** Nulla vera & propria Virtus est damnosa & noxia habenti: cum constituat hominem probum simpliciter & idoneum ad Felicitatem habendam. At virtutes naturaliter insitæ sæpe sunt damnosæ & noxiæ habenti. Ergo non sunt Virtutes veræ & propriè.

5 **PORRO** Virtutes naturaliter insitas interdum noxias & damnosas esse habenti, declarat Aristoteles similitudine corporis. Quemadmodum enim corpus, licet validum & robustum, si careat visu, impingit sæpe, & magno impetu cadit, ac nocementum recipit: sic etiam si quis habeat à natura insitam vehementem propensionem ad opera alicuius Virtutis moralis, & tamen careat visu, siue oculo rationis dirigentis, nocementum recipiet ab eadem propensione vehementi, unde adiuvari debuit. Exemplo præterea constat in ijs qui naturaliter ad opera Fortitudinis propensi sunt: & ob defectum considerationis, cæco ac præcipiti modo se conijciunt in pericula, atque in ijs miserè pereunt. Quò pertinet illa Demadis Oratoris vox, aientis, exercitum Alexandri Macedonis, amisso duce, futurum instar Cyclopi ab Vlyse per dolum excæcati. Est & aliud exemplum in Milone Crotoniate infra referendum lib. 10. cap. ultimo, ac notatu dignum. Similiter & propensi ad abstinentiam, nisi oculo rationis ducti ad mediocritatem se redigant, facile vires corporis extenuant, & sibi immaturum obitum parant. Verè igitur pronunciat Aristot. Virtutes naturaliter insitas sæpe esse damnosas & noxias; atque adeò proprias & veras Virtutes non esse: quoniam, nisi aliud præsidium adsit, rationis ductu, quasi oculo, careant.

6 **SI** Autem eiusmodi naturales virtutes intelligentiam, velut oculum, adeptæ fuerint, excedunt incomparabiliter eas, quæ tali præsidio sunt destitutæ, & evadunt Virtutes verè ac propriè. Eiusmodi autem intelligentia, seu oculus, est Prudentia. Unde & virtutes naturales evadunt excellentiores, & fiunt Virtutes verè ac propriè, accedente Prudentia. Quare quemadmodum in ea animæ parte, cui opinandi vim tribuimus, duæ sunt species,

solertia & Prudentia: ita in morali duæ sunt, altera naturalis virtus, altera moralis & propriè dicta, quæ nunquam est sine Prudentia. Ideo & quidam dicunt, omnes Virtutes esse prudentias. Ac Soçrates quidem, eius opinionis sectator, partim verum dicebat, partim falsum. Quatenus enim ceasuit, omnes Virtutes esse prudentias, erravit. quatenus verò docuit, Virtutes perfectas absque Prudentia esse non posse, verum dixit. Idque probat ex communi Philosophorum sensu: qui, cum Virtutem definiunt, postquam habitum esse pronunciant, & in quibus versetur, addunt hæc verba, *ἢ τὸν ὀρθὸν λόγον, secundum rectam rationem.* Atqui recta ratio est secundum Prudentiam. Ergo ex sensu & definitione omnium, Virtus moralis debet esse secundum Prudentiam: ideoque verè dixit Soçrates, Virtutem moralem sine Prudentia esse non posse. **DEINDE,** Virtus in sui definitione non solum dicitur habitus secundum rectam rationem, sed & *μετὰ τὸ ὀρθὸν λόγον,* cum recta ratione. Igitur cum recta ratio sit ipsa Prudentia, Virtus moralis non solum debet esse secundum Prudentiam, sed etiam simul cum Prudentia.

7 **QVA** Eadem doctrina refellit posteriorem partem opinionis traditæ à Soçrate, præsertim dum assererat Virtutes nihil aliud esse, quam scientias. quod & Stoici cum ipso tradiderunt, ut Plato testatur in Menone. Refellit, inquam, Aristot. eam estimationem: Quia omnes viri docti, & præstantes Philosophi eius temporis, definientes Virtutem, non dicebant, eam esse scientiam, siue rationem: sed scientiæ aut rectæ rationi convenientem. Quò ipso satis indicabant, Virtutes esse aliquid aliud à scientiâ, & recta ratione, ac proinde à Prudentia. Verum neque huic eorum definitioni acquiescendum putat. Nam, ut idem Aristot. arguit lib. 1. Magn. Moral. cap. ultim. si Virtus moralis nihil aliud esset, quam habitus rectæ rationi congruens, sequeretur inde, quidquid fit congruenter rectæ rationi, id etiam ex Virtute fieri. Consequens autem est absurdum: cum manifestum sit, etiam improbos, & nulla Virtute morali præditos, interdum facere aliquid rectæ rationi conformè, quin ex Virtute agant. Ergo Virtus moralis aliquid aliud est, quam habitus rectæ rationi congruens. Quare iidem Authores ex parte solum veritatem attigerunt, quatenus dixere, Virtutem esse rectæ rationi congruentem. Debuerunt enim addere, Virtutem esse recta cum ratione, id est, cum Prudentia coniunctam.

8 **CONFIRMAT** Id ipsum: Quia secundum rectam rationem dicitur etiam agere quis, monente alio, & de fine cogitare: sicut natura dicitur secundum rationem agere, quia à suo

suo Authore dirigitur. Et tamen qui secundum rectam rationem agit, solum monente alio, non operatur ex Virtute. Solum enim agit ex Virtute, qui agit sciens quae agit, & de fine cogitans. Ergo non sufficit agere secundum rectam rationem, ut quis operetur ex Virtute. Ergo praeterea necessarium est ut recta cum ratione agat; nimirum, sciens quae agit, & de fine cogitans. Hoc autem solum praestare potest ille, qui Prudentia praeditus est. Ergo solum potest operari ex Virtute ille, qui Prudentia praeditus est. Nulla ergo vera & propria Virtus moralis sine Prudentia esse potest, sicut nec Prudentia sine Virtute morali.

9 EX Quibus colligitur, Socratem in illa sua opinione peccasse per excessum, ceteros autem Philosophos per defectum. Excessit quippe Socrates, dum docuit Virtutes esse prudentias: cum moralis Virtus, licet Prudentiae coniuncta esse debeat, non tamen usque adeo assurgat, ut Prudentia sit. quippe Virtutes morum inferiores sunt intellectualibus, de quarum numero Prudentia est. Alij vero Philosophi defecerunt cum dixere, Virtutem nihil aliud esse, quam habitum secundum rationem activum. Constat quippe ex dictis, Virtutem non modo esse habitum secundum rationem, sed etiam cum ratione: quia debet esse coniuncta cum Prudentia, ut sit vera & propria Virtus. Unde demum concluditur, neminem esse probum virum absque Prudentia. Nemo enim est probus vir absque Virtute morali. Nulla autem Virtus moralis sine Prudentia est. Nemo igitur probus vir est absque Prudentia.

10 CIRCA Secundam partem tradit, Virtutes invicem esse connexas, neque unam aliquam earum perfectam absque alijs consistere posse. Quod ex consequentibus videtur plane inferri. Dictum enim est capite praecedenti, Prudentiam esse non posse absque Virtute morali. Ostensum praeterea est in hoc capite, nec Virtute moralem esse posse sine Prudentia. Ergo Virtus moralis & Prudentia mutuo connectuntur, ita ut altera sine altera esse non possit.

11 HVIC Doctrinae opponit argumentum, quod ab aliquo posset in hunc fere modum proponi. Si enim omnes Virtutes invicem connexae atque illigatae essent, quicumque hominum bene affectus invenitur ad unam Virtutem, esset etiam bene dispositus circa aliam. At consequens falsum esse, experimento patet. Invenitur enim quidam ad solam Liberalitatem bene affectus: alius ad Temperantiam: alius ad Fortitudinem: alius ad Clementiam: & sic de alijs Virtutibus. Ergo quia Virtutes omnes non sunt invicem connexae.

12 RESPONDET Arist. distinguendo, ut supra num. 3. Virtus est naturalis, seu insita a natura & complexione, atque improprie di-

ctas, a Virtutibus moralibus, quae sunt propriae & germanae Virtutes. Ac de prioribus quidem faretur non esse invicem connexas, posseque unam absque altera inveniri: ut probat experimentum illud in argumento propositum. Ceterum de posterioribus negat posse unam absque alia consistere. Quaelibet enim illarum reddit hominem simpliciter probum. quod praestare non potest, nisi secum afferat comitatum ceterarum omnium Virtutum, atque inter eas Prudentiam, cum qua ceterae nexum habent.

13 PORRO Prudentiam esse ceteris Virtutibus coniunctam, ita ut sine omnibus ijs nequeat consistere, probat dupliciter. PRIMO: Quia solus ille homo qui recte & intime penetrat principia rerum agendarum, est praeditus Prudentia. At solus ille qui habet omnes Virtutes morales, penetrat recte & intime principia rerum agendarum. Ergo solus ille qui possidet omnes Virtutes morales, praeditus est Prudentia: ac proinde haec sine ijs omnibus esse non potest. Consequentia patet quod ad utramque partem, & maior similiter: quia principia rerum agendarum sunt fines, quos intime penetrare debet vir prudens, ut percrutetur & eligat media idonea & rationabilia, quibus obtineantur. Minor autem suadetur: Quia solus ille potest intime penetrare principia rerum agendarum, qui habet animum recte compositum, & liberum a perturbationum procella. Alias enim aegrotabit mens ab aegritudine inordinati appetitus. At solus is, qui possidet omnes Virtutes morales, habet animum recte compositum, & liberum a perturbationum procella. nimirum, is est proprius effectus formalis praedictarum Virtutum. Ergo solus ille qui possidet omnes Virtutes morales penetrat intime principia rerum agendarum.

14 SECUNDO Idipsum probat: Quoniam quisquis Prudentia praeditus est, scrutatur omnia media, & eligit ea, quae conferunt in bonum finem allequendum. At quisquis scrutatur omnia media, & ex ijs eligit ea, quae conferunt in bonum finem consequendum, debet esse exornatus omni Virtute morali. Ergo & quisquis Prudentia praeditus est, debet esse exornatus omni Virtute morali. Maior patet: quia id est proprium munus Prudentiae, ut late explicatum est supra hoc libro cap. 5. & seqq. Minor autem suadetur: Quia percrutatio & electio mediorum ad finem consequendum praesupponit electionem ipsius boni finis, quae certe a solis Virtutibus moralibus praestatur, quarum singulae sunt habitus electivi proprii & boni finis. Ergo praesupponit in animo Virtutes morales, & finis boni electionem ab ijs factam. Qua de re legendi, Plato in Sophista, atque in Protagora, & Cicero lib. 2. de Officijs, & 5. de Finibus, & in Tuscul. 2. & 3.

15 HINC Regreditur ad confutandam iterum obiectionem cap. præced. num. 3. propositam, qua cōtendebatur, Prudentiam videri inutilem, quia nihil agit eorum, quæ exterius operamur in materia Virtutum. Confutat, inquam, obiectionem hanc: Quia licet Prudentia actiuosa non esset, adhuc perficeret partem animæ intelligentem, in qua sedem habet Felicitas cōtemplativa: vt apparebit lib. 10. cap. 7. Deinde & vim haberet ad indagandum & proponendū opportuna media parandæ Felicitati politicæ, seu activæ. Vnde, vel ex ijs capitibus, quamvis alia deessent, per se experibilis foret, magnumque animo fructum reportaret Prudentia. Nulla ergo ratio est cur inutilis aut frustranea existimeretur.

16 CIRCA Tertiam partem proponit quæstionem iam antè cap. præced. leviter solum indicatam, vtrum Prudentia sit excellentior, quam Sapientia, & aliquam in eam dominatum habens. Respondet verò, Prudentiam non excellentiorem esse, sed potius inferiorē. Idque probat hac ferè ratione. Omnis habitus perficiens animam secundum partem ignobiliorem, est inferior habitu perficiente animam secundum nobiliorem partem. Atqui Prudentia est habitus perficiens animam secundum partem ignobiliorem, Sapientia autem secundum nobiliorem. Ergo Prudentia est inferior Sapientiæ. Maior patet: Quia partes animæ quò nobiliores sunt, eò præstantioribus habitibus perficiuntur per se loquendo, & attenditur rerum naturali exigentia. Minor autem suadetur: Quia pars animæ activa, seu ad operandū relata, est planè inferior, quam contemplatrix: vt demonstratur infra lib. 10. cap. 7. & 8. Atqui Prudentia est habitus perficiens animam secundum partem activam, Sapientia autem secundum contemplativam, vt ex se patet, & ibidem vberius constabit. Prudentia ergo est habitus perficiens animam secundum partem ignobiliorem, Sapientia autem secundum nobiliorem.

17 OPPONIT Doctrinæ huius difficultatem capite superiori indicatam, n. 5. vt Prudentia sit præstabiliior quam Sapientia. Etenim Prudentia, sicut & Politicæ, omnibus disciplinis præcipit, etiam theoricis, quatenus decernit quænam earum tradendæ sint in civitate: vt dictum est lib. 1. cap. 2. Ergo & præcipit eisdem Sapientiæ: cum par ratio sit, & nihil eximi debeat à recta gubernatione & præceptis Prudentiæ Politicæ. At quidquid præcipit, seu imperat alteri, est natura sua excellentius, vt patet. Prudentia igitur, sicut & Politicæ, excellentior quam Sapientia est.

18 RESPONDET Arist. negando Prudentiam præcipere Sapientiæ. Non enim Sapientiæ rationem præscribit, nec modum, quo se gerere debeat in contemplatione rerum,

quod erat necessarium vt Sapientiæ imperaret. Solum itaque præcepit de Sapientia, quatenus viam ostēdit ac tuetur, qua facile ad ipsius Sapientiæ adeptionem perveniamus. Id duplici exemplo illustrat: altero à Medicina petito, altero à Politicæ. Medicina enim præcipit ea quæ utilia sunt ad valetudinem recuperandā: non tamen præcipit ipsi valetudini, nec in eā dominatur, aut ea vitur, veluti famulatrice. Politicæ etiam præcipit quidem de omnibus, quæ sunt in civitate, quatenus ad cōmune bonum referuntur: proindeque etiam præcipit de ijs, quæ ad divinum cultum spectant, & honorem Dei. Non tamen inde consequens est, vt & ipsi Deo præcipiat, cui cultus & honor eiusmodi defertur: immo neque præcipit ipsi cultui, vt pote superiori, sed tantum viam ostendit vel assignat tempus, quo solvendus sit Deo. Similiter igitur Prudentia solum præcipit, seu præscribit viam parandæ Sapientiæ: non tamen præcipit ipsi Sapientiæ, nec præscribit rationem aut modum cōtemplandi: qui solum ad eandem Sapientiam attinet. Sic nec Prudentiæ Politicæ est decernere, quænam sit recta de Deo & rebus divinis sententia, sive quænam secta à civibus amplectenda sit. Id enim dumtaxat ad Religionem spectat: cuius ministri sunt Pontifices, & Sacerdotes, alijque ex Hierarchia Ecclesiæ ad id muneris deputati, ac segregati à turba civili, seu populo.

19 EX Hoc loco Aristotelis existimat Theodorus Zuingerus refelli Iurisconsultos, dum suam ipsorum disciplinam deprædicant, & cæteris anteponunt eo nomine, quod in administranda Republica versetur, & leges de omnibus omnium ordinum officijs interpretetur. Id enim falsum esse constat ex Arist. cuius ratio, quemadmodum de Politicæ, sic etiam de Iurisprudencia probat, longè inferiorē esse, quàm vt possit præcipere, aut interpretari ea, quæ ad Dei cultum attinent. Verum longè urgentior est locus idem Arist. ad explodendū ipsum Zuingerum, aliosque similis farine aut farfuris hereticos, qui doctrinam Religionis, & rerum divinarum magisteriū, politicis Magistratibus, & Principibus sæcularibus tribuunt. Deberent enim erubescere, quod ea illorum existimatio, vel ab Ethnico Philosopho absurda putetur, & contra rationem omnem: quoniam res sacræ, & ad divinum cultum spectantes, ac potissima earum, quæ in electione & approbatione sententiæ circa Deum, & divinas res, sita est, nō à sæcularibus hominibus, non à Politicis, definiendæ sunt: sed à sacris Pontificibus, ipsorumque ministris. Quod etiā aliorum exemplo Gentilium, eorum præsertim quibus vel inanium Deorum aliqualis cultus fuit, discere possent.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 65. art. 1. & illius Interpretes,

LIBER SEPTIMVS

ETHICORVM.

SVMMA LIBRI,

POSTQVAM Superioribus libris egit Aristoteles de singulis Virtutibus, tum intellectualibus, tum & moralibus, quarum priores perficiunt intellectum speculativum & practicum, posteriores verò appetitum; pergit ad exponendū quasdam affectiones, seu dispositiones morum, quæ nec sunt Virtutes, nec vitia; sed tamen aliquam cum ijs similitudinem habent: ideoque aut prosequendæ sunt, aut fugiendæ. Sunt autem illæ, Heroica virtus, & feritas; Continentia, & incontinentia; Constantia, & mollitudo. De quarum singulis in hoc libro disputatur.

ILL^{MO} ET NOBILISSIMO D.

D. LVPO DE LOS RIOS CERON ET GVZMAN,
 CALATRAVENSIS EQVITI, POST AMPLISSIMA MVNERA, POST PRÆFECTVRAM
 VTRIVSQVE PRÆTORII, NAVARRÆ, ET GRANATÆ, SVMMORVM IVS-
 TITIÆ AC REGII CVBICVLI SENATVVM CONSILIARIO,
 REGIÆ GAZÆ OLIM PRIMO
 ADMINISTRO, &c.



QVOD Officij mei iam diu fuerat, tandem aliquando exequor, ILLVSTRIS-
 SIME D. Varijs, nimirum, Operum antea editorum locis alias atque alias
 Dissertationes inscripsi Clarissimis Consiliarijs Regij Senatus, præterquã
 TIBI. At cur eo tempore in publicâ commoda peccarem? Quippe dum
 Præses Fiscij Regij esses, tot sustinebas, & tanta negotia solus, vt nihil otij
 superesset ad evolvendum lucubrations nostras. Amant otium licetere, &
 in tumultu marcent. Nunc iam vbi liberiori aurâ fruieris (neque enim am-
 plissimæ menti Tuæ onera sunt, quibus alij fatiscerent & succumberent)
 fas sit qualecūque hoc observantiæ meæ testimonium edere, simul & consignare æternaturæ
 famæ Nominis Tui. Differendum illud ex industria fuit iure ac meritò, donec in hoc septimo
 Philosophiæ Ethicæ libro differerem cum Aristotele DE VIRTUTE HEROICA. Quippe is
 tractatus præ alijs nuncupandus fuit TIBI, cui nihil est, nisi Heroicum & summum. Heroicum,
 inquam, a genesi, ab indole, & exercitatione Virtutum. De genesi, quamvis ego taceam, clamabit
 Corduba Heroum mater: quæ splendidissimam Domum Tuam DE LOS RIOS inter primas
 veneratur & prædicat. Vique adeo pluribus iam sæculis ferax est illustrium Virorū, vt sibi mag-
 num fecerit nomen, vel in eâ vrbe, vbi delibatus Hispanæ nobilitatis flos a tempore primorum
 expugnantorum radices misit. Bætis ipse aquarum Vandalicæ parens, qui rivos, qui fluentia quæ-
 que, atque ipsorum nomina pariter cum aquis absorbet, ac sepelit; non ideo FLVMINEOS
 HEROAS (liceat ita ludere Hispana dialecto) non ideo clarissimum agnomen DE LOS RIOS
 abscondere, aut tumulare potuit. Bætis muros Cordubenses exterius lambit: FLVMINEI Heroes
 interiùs habitant, non minori nomine, aut sonitu. Nimirum, si Paternam, si Maternam genesim
 Tuam, si Avos, si Atavos, & quidquid supra est pluribus retro sæculis considero, atque in Histo-

rijs evolvo, nihil occurrit quod splendidissimum non sit, quod primam nobilitatem non præferat. Non summa laus est, illigatum existere multiplici nexu cum plurimis Hispaniæ Principibus, ac Magnatibus. Augustius adhuc est, Paternum decus à Serenissimo Infante, & Comite D. NVñ O NVñ EZ derivatum: Maternum vero CERONVM à clarissimis Regibus Legionis. Bæris è montibus originem trahit, cuiusque aqua (vt cum Plinio lib. 2. cap. 65. loquar) *è summis iugis erumpit, quo spiritu acta, & terra pondere expressa, siphonum moao emicat: tantumque à periculo decidendi abest, vt in summa quaque & altissima exiliat.* Quidni itaque è Flumineo, montano, & clarissimo aquarum instar genere ortus, nunquam decideris, sed in summa quæque Virtutum & honorum fastigia conscenderis? Sed enim hæc nota Heroicæ Virtutis est, quæ in TE longè lateque à prima ineunte ætate radices misit. Inde totius vitæ periodus intra honesti limites conclusa: indidem ANTIQVI MORES ab ipsa adolescentia. Hinc zelus iustitiæ infractus, ac libertas in proferendo consilio, siue sententiâ animi. Non TE cuiuspiam metus, aut auctoritas, ab eâ ingenuitate deterruit. Constans vbique, & tenax recti inuenus es in alijs atque alijs Senatibus Regijs. Hoc ipsum est quod Cicero ad Atticum loquens, in Consiliarijs desiderabat: *in omni vita transuersum unguem à recta conscientia non discedere.* Neque aliud Sallustius, dum Cæsarem ita alloquebatur: *Ego ita cõperi, omnia regna, civitates, nationes, usque eò prosperum imperium habuisse, dum apud eos vera consilia valuerunt. Vbicumque gratia, timor, voluptas, ea corrupere, pòst paulò imminutæ opes, deinde ademptum imperium, postremò seruitus imposta est.* Faciliat quisquis aliter se gerit, vt intuitu utilitatis cuiuspiam, *ωγα γνώμω τι καὶ πρὸς χάριν λέγοι, præter animi mentem aliquid, & ad gratiam loquatur.* quod aiebat Thucydides lib. 3. Ideo & apud Aristotelem hoc ipso libro, quem explanandum suscipio, maxime Constantia commendatur, ac vir *ἐμμένειν τῷ λογισμῷ, persistens in ratione.* Et certe non temere, aut ex abrupto, ea TIBI consilia infunt. Afsiduo litterarum cultu, eruditione varia, ac multiplici rerum experimento, didicisti iudicium de rebus ac negotijs rectû ac firmum ferre. quo nihil maius. Nimirum, teste eodem Aristotele in Rhetoricis ad Alexandrum, *τὸ βέλτερον, τὸ περὶ τῶν ἀνθρώπων, θεϊκώτατον ἐστίν.* Consiliari, eorum quæ inter homines, divinisimum est.

HÆC Cùm ita sint, quid mirum quòd Reges Nostri TE alijs atque alijs honoribus cumulaverint, vique ad summam ferè rerum? Quidni post alias amplissimas dignitates, quarû quælibet vnique magno Viro satis esset, olim Supremi Fisci Senatus Præsidentem constituerint? Aut cur non fidei & vigilantia Tuæ committerent substantiam suam? Nimirum, Regia gazâ ita dicitur postquam,

Humani quod splen est corporis in populi re,

Hoc Cæsar Fiscum dixerat esse suum.

Neque enim facile alium inuenirent æquè industrium: adeò nec æquè pium. Non enim propterea exactorem egisti, aut plus iusto vestigalium redditus ab afflictis Hispaniæ populis extorquebas. Quippe id alienum à TE fuit. quin & ingratum esset pijsimis Regibus Nostrijs. Nimirum vel ipsi Principes Ethnici exemplo suo præivere. Ideo Alexander aiebat: *Distorem odi, radicibus herbas convellentem.* Artaxerxes quoque Longimanus: *Addere, quàm auferre, magis est regium.* Ideo & Plinius Iunior Traianum Cæsarem exinde potissimum celebrat, dum ait: *Quæ tota gloria est, sæpe vincitur fiscus: cuius nunquam mala causa est, nisi sub bono Principe.* Verùm in tantâ rerum calamitate, atque exhausti propemodum Regni penuria, defecerunt corporis virès, non animi. Onerosissimæ, & ne ad momentum quidem intermissæ curæ, TE in confinio vitæ & mortis collocarunt. Merito itaque sarcinam illam, & importabile onus excussisti humeris. Satis iã (verba sunt Senecæ de Brevit. Vitæ cap. 18.) *per laboriosa & inquieta documenta exhibitæ virtus est.* Experire quid in otio faciat. Maior pars ætatis, certè melior, Reipublicæ data sit: aliquid temporis Tui sume etiam TIBI. Nec TE ad segnem aut inertem quietem voco: non vt somno & ebarris turbæ voluptatibus, quidquid in TE est indolis viva demergas. Non est istud quiescere. Inuenies maiora omnibus adhuc strenuè tractatis operibus, quæ repositus & securus agites. TV quidem Orbis terrarum rationes administrasti, tam abstinenter, quàm alienas; tam diligenter, quàm Tuas; tam religiosè, quàm publicas. ::::: Istum animi vigorem, rerum maximarum capacissimum, à ministerio honorifico quidem, sed parum ad tranquillam vitam apto, ad TE revocasti: & cogitasti, non id egisse TE ab ætate prima, omni cultu studiorum liberalium, vt TIBI multa millia committerentur. Maius quiddam & altius de TE promiseras. Non deerunt & frugalitatis exactæ homines, & laboriosa opera. Sat ponderis imponit vterque Regius Senatus, cuius rebus indefessè excubas. Vtrumque id non minoris oneris, quàm honoris est. Vel alterum eorum satis esset ad pervigiles curas. Verùm capacissimæ menti Tuæ facilia sunt, quæ ceteris ferè molestissima apparent. Sed desino iam, invitus licet, ne vel modestiæ Tuæ ruborem adijciam, vel Panegyrim instituisse videar, qui epistolam solam scribere decrevi. VALE igitur, ILLVSTRIS D. & perenna, vt Nobilibus, pariter ac Consiliarijs, præluceas, Heroicarum, ac quoddammodo divinarum Virtutum exemplo. Salmanticæ VII. Idus Iunias, CIO. IJC. LXXV.

CAPVT PRIMVM.

De Heroica Virtute, Continentia, & iarum oppositis.

ARIST. META' DE ταύτα λεκτέον, &c.



DOST Hæc dicendum est, alio sumpta principio, tres esse species eorum, quæ circa mores sunt fugienda: vitium, incontinentiam, feritatem. Atque contraria quidem duobus manifesta sunt: aliud enim virtutem, aliud continentiam appellamus. Ad feritatem autem, & immanitatē, maximè virtutem eam convenit dicere, quæ est supra nos, Heroicam, inquam, quandam, atque divinam, vt Homerus de Hectore, propterea quòd eximia bonitate præstabat, dicentem Priamum induxit,

Nec iam hominis sanè mortalis filius ille,
Esse videbatur, sed divo femine natus.

Quare si ex hominibus ob virtutis excellentiam dij fiunt, vt aiunt: talis quidem is habitus fuerit, qui feritati opponitur. Etenim vt feræ, neque vitium est, neque virtus, sic neque Dei. Sed hoc quidem præstabilius est virtute, illud autem diversum quid à vitio genus. At vt rarò fit, virum esse divum, vt appellare Lacones consuevere, cum valde aliquem admirantur, (dicunt enim vir divus hic est) sic & ferus, atque immanis est inter homines rarò. Maximè verò inter nationes Barbaras est. Fiunt autem quidam tales & ob morbos, læsionesque principij. Et eos etiam homines, qui in vitijs exuperant, hac infami consuevimus appellatione notare. Sed de tali quidem dispositione mentio aliqua posteriùs fiet. De vitio verò priùs est dictum. Nunc de incontinentia, mollitie, luxuque, & de continentia, atque constantia est dicendum. Neque enim vt idem quod virtus & vitium, neque vt diversum genus, hæc sunt putanda. Atque vt in cæteris egimus, afferre ea, quæ videntur, oportet, & dubitare primùm. Deinde omnia, quæ probabilia sunt, aut saltem plurima, maximeque præcipua circa hos affectus, ostendere. Nam si solvantur quidem ea, quæ difficultatem afferunt, relinquuntur autem ea, quæ probabilia sunt, satis sanè fuerit demonstratum. Videtur itaque continentia quidem, constantiaque studiosa esse, ac laudabilis: incontinentia verò, & mollities, prava, atque vituperabilis: & idem esse continens, & in ratione persistens: & idem

idem etiam incontinens, & rationem egrediens. Et incontinens quidem, improba sciens improba esse, agit ob perturbationem. Continens autem, cupiditates sciens pravas esse, non sequitur ob rationem. Et temperantem quidem continentem esse aiunt, atque constantem. Talem autem alij temperantem esse omnem, alij nullum dicunt. Et item intemperantem incontinentem esse, & incontinentem intemperantem, confusè nonnunquam diversos inquitunt esse. Interdum etiam ipsum prudentem incontinentem esse non posse: interdum nonnullos homines, qui prudentes, ac habiles sunt, incontinentes esse dicunt. Præterea incontinentes, & iræ, & honoris, & lucri dicuntur. Ea igitur, quæ dicuntur, hæc sunt.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Vitium esse contrarium Virtuti, Continentia incontinentiam, Heroica Virtuti feritatem, seu immanitatem. Differitur de Continentia & Constantia, atque utriusque extremis. Vbi plura selecta de Virtute Heroica & immanitate ipsi contraria.



ACTENVS Differuit Aristoteles de Virtutibus, & vitijs propriè ac simpliciter dictis. Nunc autè aggreditur disputare de ijs, quæ aut bonitate Virtutem superat, aut malitia vitium: deinde autem de alijs, quæ nec honestate Virtutem adequant, nec pravitate cum vitijs conferri possunt. Ad priorem classem pertinent Virtus Heroica & feritas: ad posteriorem verò Continentia & incontinentia: de quibus omnibus in hoc capite. Dividitur autem illud in tres partes. In prima recenset tres species eorum, quæ circa mores sunt fugienda: ac primò agit de Virtute Heroica, & feritate, seu immanitate ipsi contraria. In secunda disserit de Continentia & incontinentia, Constantia & mollicie. In tertia tandem varias opiniones aliorum circa eas affectiones refert.

22 **CIRCA** Primam partem exponit tres species eorum, quæ homini fugienda sunt: nimirum, vitium, incontinentiam, & feritatem. Ea namque omnia vitare debet quicumque vult mores suos componere, & ad Felicitatem contendere. Porro ijs totidem contraria sunt, Virtus generatim dicta, Continentia, & Virtus illa quæ Heroica dicitur: utpotè quæ præstantia sua longe an ecellit Virtutibus cæteris, sicut feritas alijs vitijs, quia potius apparet divina, quam humana. Quoniam verò aliquis dubitare posset, an illa in aliquo homine inveniatur, occurrit dubitationi affirmando, idque probando, tum authoritate Homeri,

tum ex dictis & sensu aliorum. Scilicet Homerus lib. ultimo Iliados inducit Priamum Regem de Hectore filio suo iam occiso sic loquentem:

ὄδ' ἐ' ἴωκε
 Ἀργείος γε θνητῷ πατρὶς ἐμμενε, ἀλλὰ θεοῖο.
 nec pater eius,
 Vir censebatur mortalis, sed Deus esse.

Sive, ut vertit noster Argyropilus:

Nec iam hominis sanè mortalis filius ille
 Esse videbatur, sed divo semine natus.

Inde autem probari videtur esse aliquam Virtutem ionge præstantiorem humana, & quæ propemodum accedat ad divinam: quoniam Hæctor tam mira Fortitudine præditus fuit, ut non tam mortalis hominis filius, quam divina soboles videretur. Nimirum, ut idem Aristoteles observat lib. 4. Politic. cap. 3. & 4. ac lib. 1. Rhetor. ad Theodecten cap. 5. gloriosum ac singulare nomen assequebantur, qui alios Virtute, scientia, industria, eloquentia, re militari, Reipublicæ gubernatione, aut qualibet alia excellentia minimè vulgari, longo spatio cæteris antebant. Ideoque non exhibebatur ijs communis honor, aut deserti solitus hominibus medioeriter excellentibus, sed inusitatus, & longè angustior, ac propemodum divinus. Hinc apud eundem Homerum Achilles ob egregiam Fortitudinem & insolitas animi dotes se divino genere natum gloriatur, dum accipit:

Αὐτὰρ ἐγὼ γέρεω' μεγάλας Διὸς εὐχομαι
εἶν, &c.

*Ast ego (me) sobolem magni Iovis glorior
esse.*

*Genuit me vir multis imperans Myrmido-
nibus*

*Peleus Aacides. hic autem Aacus ex Io-
ve fuit.*

Idem quoque apud ipsum Homerum de se præ-
dicat Aeneas Iliad. 20. vbi gloriatur se à Io-
ve descendisse per gradus, quos ibidem enu-
merat. Similiter & apud Virgilium lib. 6.
Æneidos Sibyllam Cumæam alloquens, in-
quit:

*Quid memorem Alcidem, & mi genus ab
Iove summo.*

Hinc apud eundem Virgilium sæpe legitur
illud, *Nate Dea:* & Homerus alijs atque alijs
locis significare volens excellentiam aliquo-
rum supra communem hominum conditio-
nem, eos appellat *Διογενέας*, Iovis filios, seu
Iove genitos; & præterea *Διοτρεφίαις*, Iovis
alumnos, seu à Iove nutritos. Ac Pindarus
Od. 9. Olymp. accinit Epharmostum pa-
læstritam, ob miram excellentiam artis, ef-
se divinam sobolem, probatque exemplo Her-
culis, & ait:

ἀγαθοὶ δὲ
σοφοὶ καὶ δαίμων ἄνδρες
ἐγένοντο.

Id est, *Quotquot veri sunt strenui & sapien-
tes, geniti sunt à Deo.* Verùm cum Ethnici vs-
que adeò, non dicam liberales, sed effusi ef-
sent in tribuenda mortalibus divinitate, mi-
rum non est quòd divinam progeniem ad-
scriberent quibusdam eximiè præstantibus vi-
ris. Itaque ex illo priore testimonio Homeri
appellantis Hectorem divo semine natū prop-
ter admirandam Fortitudinis præstantiam,
probat Aristoteles esse in quibusdam Virtu-
tem Heroicam.

3 SED Rogabit aliquis, cur Aristote-
les Virtutem eximiam eorum, qui divino ge-
nere orti habebantur, Heroicam appellet.
Anne idem est Heroicum ac divinum iudi-
cio ipsius? RESP. apud Ethnicos sæpe vtrum-
que id pro vno eodemque vsurpari. Nimi-
rum, iuxta Platonem in Epinomide Heroes
censebantur, non mortales homines, sed ali-
quid medium inter homines divosque: ideo-
que illos *ἡμιθέας*, id est, *semideos* appella-
bant: ac per consequens, non ex terra, sed ex
aqua natos censebant, quòd existimarent il-
los crassiore quadam substãtia constare, quàm
Deos, & subtiliore, quàm homines. Vnde &
Plato allegatus peculiarem ijs genesim asig-
nat ἀπὸ τοῦ ἔρατος, à Cupidine: quòd, nimi-
rum, *ex amore immortalis Dei in fœminam,
aut immortalis fœminæ in virum, procreari
videantur.* Alij etiam, licet non ab aqua, vt

Plato, ducentes ortum dixerint, ipsorum ety-
mon duxere ἀπὸ τῆς ἠέρας, à Iunone, quasi ma-
trem Deam haberent: idque refert S. Augu-
stinus lib. 10. de Civitat. cap. 21. Illosque
prisca Latinorum *semones* dixerunt, quasi *se-
mihomines*. quoniam ij non *hominem*, sed *he-
monem* initio proferebant. Nimirum, ab alijs
semidei, ab alijs semihomines appellabantur,
quòd aliquid haberent divini & humani per-
mixtum. Quò spectat illud Luciani Dial. 3.
mor. aientis: Ἡρώς ἐστὶν ὅς μήτε ἀνθρώπος μή-
τε θεός, ἀλλὰ συναμφοτέρον ἐστὶ. *Heros est, qui
neque homo neque Deus, sed simul utrumque
est.* Illosque non modò à vulgari hominum
conditione fecernit Horatius, sed à viris quo-
que, qui aliquid præstantius significant, & à
Dijs, dum accinit:

Quem virum, aut Heroa, lyra, vel acri

Tibia sumes celebrare, Clio?

Quem Deum, cuius retinet iocosa

Nomen imago.

Itaque ab Aristotele dicitur Heroica illorum
Virtus, qui divini, aut semidei existimaban-
tur.

4 VERVM In gratiam eiusdem Phi-
losophi addendum est, ipsum non in eo fuisse
errore, vt existimaret eos, qui virtute eximia
& admiranda cæteris antecellunt, verè habuis-
se divinam progeniem. Neque enim id existi-
mare putandus est de vero Deo, id est, de pri-
ma causa, & unica, cuius existentiam diertè
probabit lib. 7. Physicorum, & cuius summam
immaterialitatem, perfectionemque expressit
in Metaphysicis, ab omni fæce, & contagione
humanæ generationis alienam. Nec præterea
id videtur censuisse de substantijs illis sepa-
ratis, quas *νοήσας*, id est, *Intelligentias*, quan-
doque appellat: quoniam, cum sæpe doceat,
esse prius incorporeas & immateriales, nec
esse potuit, impossibile esse illarum com-
mercium cum corporibus, qualiter ad veram
generationem exigitur. Itaque putandus est
Heroes censuisse veros ac meros homines, sed
qui Virtutum excellentia mira longè cæteris
antestarent, ideoque divini, aut semidei habe-
rentur. Nimirum, etiam inter Catholicos, qui-
bus stricta religio est, etiam in modo loquen-
di, Heroicè & quoddammodo divinè appel-
lantur Virtutes eximiæ quorundam hominum
in paucis illustrium. Ideoque Serenissimus
Princeps Vianæ D. CAROLVS alloquens
Patrum suum ALPHONSVM II. Aragoniæ
& Siciliæ Regem in Prologo Ethicorum à se
Hispanicè redditorum, eiusque Virtutes lau-
dans, veluti communem mensuram longè su-
pergressas, aiebat tribus fere retro sæculis:
*Las bonras communes vuestra magnanimidad
non consiente: porque todas sus virtudes mas
divinas, que humanas parecen.* Sic olim di-
vinè habitæ sunt prudentia Ulyssis, Aristidis
iusti-

Iustitia, bonitas atque humanitas Phocionis, constantia Catonis, Socratis & Platonis sapientia. Porro multus sum, ac plus nimio prolixus, si in id probandum plura ex sacris & profanis accumularem, quæ nulli non obvia sunt. Scilicet, eo epitheto, quo *divinus* aliquis appellatur propter insolitam & egregiam Virtutem, solum significatur peculiaris aliqua participatio divinæ & increatæ perfectionis, ultra communem cæterorum hominum, etiam proborum, mensuram. Quo sensu apud Lacones, quisquis longè antecellebat reliquis, more suo, mutato θ in σ , ut observat Victorius, *στυος ἀνθ*, *divinus vir* appellabatur. Et modò etiam in Ecclesia Catholica, ut quis in Divorum, seu Sanctorum fastos referatur, instituitur peculiaris & accuratissimum examen, an præditus fuerit Virtutibus in gradu Heroico, seu quoddammodo divino. nam si in inferiori, nullo modo inter Divos, seu Beatos, accensetur. Quippe eo eximio honore ij solum digni censentur, qui Virtute admirandâ, & quoddammodo divinâ, effulserunt.

5 HVIC Igitur tam excellenti & miræ Virtuti opponit Aristoteles quoddam genus vitij monstruosi, & exorbitantis à communi scelestorum hominû improbitate, quod Græcè *ὀργισμὸς*, appellat, nos Latine feritatem, aut immanitatem dicimus. Ratio huius appellationis est: Quia quemadmodum supra homines evahitur, & divin⁹, olim habebatur, qui præcellentissimæ atque insolitæ Virtutis fulgoribus emicabat: sic etiam infra homines deprimitur, omnemque humanitatem exuere, videtur, & in ferâ degenerare, quisquis solitæ improbitatis modum longè supergreditur. Porro feræ omnes vitiorum, propriè loquendo, incapaces sunt, propter defectum rationis, sive proæresis, quæ non absque ratione est: Deus autem è contrâ ob summam perfectionem aliquid longè altius Virtute habet. Vnde communi Veterum Philosophorum effatio vulgatum est, nec belluis vitium esse, nec Deo Virtutem. De quo infra lib. 10. cap. 8. & Cicero lib. 5. de Finibus, ubi docet, in Deum non cadere Virtutem, sed ea solum quæ excellentissima sunt. Nimirum, quamvis in Deo Iustitia sit, Misericordia, Sapientia, & aliæ similes perfectiones, quæ in nobis Virtutes appellantur, adhuc tamen in ipso ob interminum excessum, & summam præstantiam, sibi vendicant augustius nomen, quam commune Virtutis, dicunturque perfectiones divinæ. Quare & insignis probitas quorundam hominum in paucis Deo similium, meretur quoddammodo appellari, potiùs divina, quam Virtus. Ergo & insignis quorundam hominum improbitas à Deo quàm longissimè distantium, non debet communi vocabulo *Vitium*. appellari, sed feritas, aut im-

manitas, quæ significat aliquid longè deterius vitio.

6 QVONIAM Verò omne pretiosum, rarum est, Virtus Heroica & divina, quæ pretiosissima est, raro admodum invenitur. Certè si diligenter evolveremus Virtutes illas quorundam Ethnicorum supra memoratas, quæ Heroicæ & divinæ habitæ sunt, inveniremus planè non modò ea epitheta non meruisse ad eò illustria, sed ne attingisse quidem gradum solidæ & perfectæ Virtutis, quâ homo simpliciter probus est. Nec mirum: quoniam omnes Virtutes in gradu perfecto sunt invicem connexæ ex veriori sententia, quam Arist. tradidit libro præced. cap. ultimo. Nemo autem eorum Ethnicorum, qui divini, & Heroes habitæ sunt, deprehenditur obtinuisse omnes Virtutes in gradu perfecto. Non enim in eo gradu obtinere possunt, nisi diuturno & constanti usu operationum simpliciter honestarum, & quandoque admodum difficultium. Eiusmodi autem usus tam diuturnus, constans, & difficilis, vix, aut ne vix quem, in aliquo illorum fuisse invenitur. Quin & si pleraque eorum operum evolvantur, inveniuntur non simpliciter honesta, sed prava, aut ex indebito fine, aut ex modo, aut circumstantijs. Ideoque S. Augustinus pluribus locis, præcipue verò libro de Spiritu & littera cap. 28. pauca admodum opera simpliciter honesta, seu proba ex omni capite, concedit fuisse in Gentilibus. Quanto minùs ea constanter, diu, & superatis quibuslibet difficultatibus, exercuisse putandi sunt? Quòd ergo quorundam ex ijs Virtus putaretur Heroica, & prope divina, intelligendum est, non ut eiusmodi verè esset, sed videretur, instituta comparatione cum alijs Gentilium, qui in mediocri gradu probi habebantur. Qui enim Heroica Virtute præditi censebantur, ea opera exhibebant in oculis hominum, quæ longissimo intervallo viderentur excellere solitam honestatis mensuram: quamvis si seriò, & iuxta veritatem examinarentur, fortasse nec dignæ essent simplici appellatione Virtutis. Legendus Diogenes Laertius, qui Vitas Philosophorum scripsit, etiam eorum, qui Virtute præcellentes habitæ sunt: & exinde constabit, quàm pauci, si tamè aliqui, existerint, qui mores suos vitio aliquo, aut pluribus, non derupaverint. Vide plura & selecta supra lib. 6. cap. 5. §. num. 12.

7 VIRTUS Itaque, quæ verè Heroica, & quasi divina est, vix, aut ne vix quidem in Gentilibus locum habuit. Quippe id vni populo Dei servatum erat in lege Veteri, & Ecclesiæ Catholicæ in lege gratiæ. Hinc Abrahamus Constantiæ ac Fidelitatis, Ioseph Castimonix & Pudoris, Iobus Patientiæ iustitiæ, David Mansuetudinis, Machabæi Fortitudinis admirandæ, honor & exemplar præ-

dicantur; ante Evangelicam legem. Post adventum vero Christi Ioannes Baptista omnimodæ innocentiae, Apostoli perfectionis Christianae, Martyres Fortitudinis, Confessores Constantiæ, Virgines Pudoris intemerati, exempla admiranda præstiterunt. Contra vero in ipsis Ethnicis plures extiterunt nobiles ob improbitatem solita & frequenti longè maiorem. Immanis crudelitas Syllam, Domitianum, ac Neronem, infames reddidit; libido belluina Heliogabalum; gula insatiabilis Polyxenum Erixium; apostasia Iulianum, & sic de alijs. Monet verò Aristoteles feritatem, seu immanitatem, rarò in hominibus inveniri, præter quàm apud Barbaros, quales sunt ij, quibus moris est humanis carnibus vesci, & sanguinè humanù bibere. Quod dixisse videtur, ut monet Eustratius in præsentì, quoniam scribebat Athenis, atque inter Græcos omnibus disciplinis instructos, & humanis moribus informatos: à quibus proinde alienum videbatur omne genus immanitatis, & improbitatis ferinæ.

8 RATIO Autem quasi à priori præcipuè doctrinæ ab Aristot. traditæ circa quorundam Virtutem plusquam humanam, aliorum autem vitium longè deterius, quàm humanum; ea esse videtur, quod homo sit aliquid medium inter Deum & Intelligentias separatas ex vno capite, ac bruta animantia ex altero. Nimirum, non modò Deus, quocum nulla comparatio institui potest, verùm & Intelligentiæ, sive Angeli, vitam agunt ab omni perturbationum pugna alienam, quoniam materiæ inexpertes sunt. Bruta autem ex opposito sensibus immerfa sunt, neque quidquam cogitare aut appetere possunt, nisi materiale ac sensibile. Homo verò inter ea duo extrema media graditur via, ac vitam ducit partim sensitivam, quæ inferior est, partim rationalem, & spiritualem, quæ superior. Quories igitur homo ita præcellit diuturno & perfectò Virtutum usu, ut subiugato integrè appetitu sentiente ubique sequatur ductum rationis; quasi exiit conditionem sensitivam, & in purum spiritum elevatur: ideoque eius Virtutes non humanæ censentur, sed angelicæ, aut divinæ. Quando autem ita vitij inservit, & impotenter abducitur effræni perturbationum impetu, ut nullatenus rationem audiat; videtur omnino humanitatem exuere, ac degenerare in brutum: ideoque vitium illius, non humanum, sed ferinum apparet. Quod totum ex dicendis infra cap. 5. multipliciter illustrari potest.

9 SVBDIT Aristotel. statim: *ἡμετέρι δὲ ἐνία καὶ διὰ νόσους, καὶ πηρώσεως.* Quæ ita vertit Argyropilus. *Fiunt autem quidem tales & ob morbos, læsionesque principij.* Est autem sensus, quamvis obicurus, iuxta

Burleum, triplici ex causa existere hominum immanitatem. Primam præcedentibus indicaverat, ex usu, seu consuetudine nationum quarundam Barbararum, quibus plerumque mores effæratì sunt. Nunc duas alias adiungit: quarum altera est morbus aliquis eius conditionis, ut omni pene humanitate, vel absolute, vel in materia certa, aliquem exuat. Hinc aliqui propter morbi vehementiam & insolitam vim, appetunt crudis carnibus vesci, aut carbonibus, aut terra, vel sanguinem puerorum bibere. quod totum belluinum, & ferale est. Eorum disertè meminit Alexander lib. 4. quæst. 7. ubi & allegat hunc ipsum Aristotel. locum, in quo versamur. Alteram verò causam, quæ ordine tertia est, addit Burleus esse positam in orbitatibus, id est, in amissione charorum hominum, propter quam aliqui eò mæroris devenerunt, ut omnem rationem exuerent, & belluinam vitam agerent. Ductus verò fuit ad ita existimandum ex versione antiqui Interpretis, qui *ἠνωσας* interpretatus est *orbitates*; & quidem, quantum coijcere licet, valdè improprie aut metaphoricè, quatenus qui orbitatem suorum patitur, quasi aliqua sui parte mutilatur, lædaturvè, ideoque orbitatem subeat. Meliùs itaque alij *læsiones* vertunt, ut Argyropilus, seu *oblaesiones*, ut Turnebus: sive id accipiendum sit de læsionibus membrorum, sive de læsionibus rationis. quod postremum videtur significasse Argyropilus, dum non vertit quascumque læsiones, sed *læsiones principij*. Nimirum, ex utroque eo capite oriri potest tanta humorum perturbatio, ut quis instar belluæ se gerat, & ea opera exequatur, quæ potius ferarum appareant, quàm hominum. Denique univèrsè pronuntiat Aristotel. eos hominum, qui nimium, & præter solitum, quolibet vitio exuperant, solere infami appellatione notari. quod exemplis supra adhibitis, & alijs pluribus, patet.

10 CIRCA Secundam partem agit de Continentia & incontinentia, Constantia & mollitudine inter se oppositis: quarum utraque prior est dispositio ad Virtutem, posterior autem ad vitium. Dispositio, inquam: nam, proprie loquendo, Continentia & Constantia nec sunt Virtutes, nec vitia. Prior pars suadetur. Nulla enim Virtus proprie dicta habet pugnam, sive luctam cum ratione, sed potius statim obtemperat ei. At Continentia & Constantia habent pugnam, sive luctam cum ratione, & non statim obtemperant ei: ut experimento patet. Ergo neutra illarum est Virtus proprie dicta. Posterior autem pars probatur. Nulla affectio obtemperans tandem rationi, quamvis cum resistentia aliqua, habet rationem vitij: nam vitium

vitium nullatenus rationi obtemperat, siue cedit. At Continentia & Constantia obtemperant tandem rationi, quamvis post resistantiam aliquam. Neutra igitur illarum est vitium. Superest itaque ut utraque sit dispositio ad Virtutem, quatenus tandem obediunt rationi. Similiter ex opposito statuit Aristot. incontinentiam & molliudinem non esse propriè vitia, nec Virtutes. Non primum: nam in homine incontinente est pugna inter appetitum & rationem, ac tandem appetitus superat. Ergo incontinentia non est vitium: quia omne vitium talis naturæ est, ut absque pugna vlla appetitus dominetur, posthabita ratione: sicuti omnis Virtus eius est conditionis, ut absque pugna prævaleat ratio, & appetitus obediat. Non etiam secundum: quia omnis Virtus obtemperat rationi. At nec incontinentia, nec molliudo rationi obtemperant, sed potius resistunt. Non ergo sunt Virtutes. Solum itaque sunt dispositiones quædam ad vitia.

II CIRCA Tertiam partem affert opiniones Antiquorum quò ad eiusmodi dispositiones. PRIMA statuit, Continentiã & Constantiam, esse affectus laudabiles, quatenus

sequuntur ductum rationis: contra verò incontinentiam & molliudinem vituperabiles, quoniam ab ea declinant. SECUNDA opinio est eorum, quibus idem est continens, & constans, seu persistens in ratione: idem quoque incontinens, & mollis, seu rationem prætergrediens. Quæ existimatio non videtur vera, ut progressu libri apparebit. TERTIA opinio censet, incontinentem esse illum, qui scienter improba agit ob cupiditatem: continentem verò eum, qui opposito modo se gerit. QUARTA existimat, Continentiam Constantiam, & Temperantiam esse idem, aut omnino, aut maxima ex parte. QUINTA decernit, incontinentiam esse talis conditionis, ut in viro prudente locum habere nequeat: cum tamen alij velint oppositum evenire posse, & coniungi Prudentiam cum incontinentia. SEXTA denique tuetur, Continentiam non solum esse circa voluptates, sed etiam circa iram, honorem, & lucrum. Quænam verò harum opinionum vera sit, non decernit Philosophus in præsentis, sed differt in libri progressum.

VIDE D. Thomam 2.2. quæst. 155. quæ est de Continentia, & illius Interpretes.



CAPVT SECVNDVM.

De Continente, & incontinente.



VBITAVERIT Autem quispiam, qui sit ut rectè aliquis existimans agat incontinenter. Scientem igitur, inquiunt quidam, impossibile esse. Nam absurdum est, ut arbitrabatur Socrates, si scientia insit, aliud quippiam vincere, & ipsam perinde, atque mancipium, trahere. Socrates enim omnino contra rationem ipsam pugnat, incontinentiamque exterminabat. Neminem enim existimantem, præter id, quod est optimum, agere, sed ob ignorationem dicebat. Hæc igitur sententia ijs adversatur, quæ manifestè apparent. Atque quærere oportet, quisnam in ipsa perturbatione, si ob ignorantiam agit, ignorationis sit modus. Constat enim, incontinentem non putare illud esse bonum, antè, quàm in perturbatione sit constitutus. Sunt autem qui hæc partim concedunt, partim non concedunt. Etenim scien-

scientia quidem nihil esse validius confitentur: at huic non assentiuntur, neminem agere præter id, quod visum est melius. Quapropter inquirunt, incontinentem à voluptatibus superari, non scientiam quidem, sed opinionem habentem. At verò si sit opinio, non scientia, neque vehemens existimatio, quæ resistit, sed remissa (sicut in ambigētibus) venia danda est, si non in his persistit adversus vehementes cupiditates. At pravitati non est venia danda, nec aliorum cuiquam, quæ vituperabilia sunt. Estne igitur id, quod resistit, prudentia? Hæc enim est validissima. At est absurdum. Erit enim idem prudens, atque incontinens simul. Nemo autem dixerit, prudentis esse, ea sponte agere, quæ pravissima sunt. Et insuper demonstratum est antea, prudentem aptum ad agendum esse, (est enim quidam extremorum) & cæteras virtutes habere. Prætereà, si continens est ex eo, quia vehementes, ac pravas habet cupiditates, neque temperans continens erit, neque continens temperans. Etenim neque vehementes habere cupiditates, neque pravas, est temperantis. At oportet. Nam si cupiditates sint bonæ, pravus est habitus ille, qui prohibet non sequi. Quare non omnis continentia est studiosa. Sin imbecilles, & non pravæ; non est quid egregium, nec etiam magnum quid, si sint pravæ, ac imbecilles. Prætereà, si continentia in quavis opinione facit persistere, prava etiam est, ut si & in falsa. Et si incontinentia à quavis opinione dimoveret, erit aliqua incontinentia studiosa: quale fecit Neoptolemus apud Sophoclem in Philoëtete. Est enim laudabilis, quia non persistit in ijs, quæ suaferat Vlysses, ob mentiendi dolorem. Prætereà, captio mentiens, dubitatio est. Quia nanque admirabilia, præterque opinionem, sophistæ inferre volunt redarguendo, ut cum attigerint, videantur acuti: ratiocinatio facta dubitatio fit. Ligatur enim mens, cum manere quidē non vult, quia conclusio non placet: procedere autem nō potest, quia rationem solvere nequit. Fit autem aliqua ratio, ut imprudētia cum incontinentia sit virtus. Qui nanque habet vtrunque, contraria ijs, quæ existimat, ob incontinentiam aget. Existimat autem bona esse mala, & agere non oportere: quare bona aget, & non mala. Prætereà, qui persuasus agit, voluptatesque sequitur, atque eligit, melior eo videbitur esse, qui non ob rationem, sed ob incontinentiam agit. Nam facilius curari potest, quippe cum possit illi dissuaderi. At incontinens obnoxius est ei proverbio, quo dicimus: Quid insuper bibere opus est, cum strangulat aqua? Etenim si non persuasum esset ipsi, ea non agenda esse, quæ agit, dissuasus tandem cessasset. Nunc verò persuasum est ei, & nihilò minùs talia agit. Insuper si circa univērsa conti-

nen-

nentia sit, atque incontinentia, quisnam sit ille, qui est incontinentis absolutè? Nemo enim habet incontinentias omnibus. Dicimus autem quosdam simpliciter incontinentes esse. Tales igitur quaedam hac in materia dubitationes emergunt. Horum autem alia tollere, alia relinquere oportet. Dubitationis enim solutio intentio est.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

An incontinens sciat esse malum id, quod agit: an etiam prudens esse possit. Differatne continens à temperato, & incontinens ab intemperato. Similiter, an prior ille sit iustus, ac qui persistit in ratione; posterior autem, qui in ea non persistit. Vter peior, intemperatus, an incontinens. An Continentia & incontinentia extendatur ad omnem materiam morum.



VM Philosophus dixisset, cap. precedenti se velle de Continentia & incontinentia, alijsque similibus affectionibus aliquot quaestiones instituire, easque tandem ratione definire, nunc eas proponit, quamvis plures earum non solvat, sed differat resolutionem in sequentia capita, praesertim in octavum. Dividitur autem caput praesens in sex quaestiones, sive partes. In prima quaerit, utrum incontinens malum esse intelligat id, quod male agit. In secunda, an incontinens prudens esse possit. In tertia, an idem sit continens, ac temperatus; & incontinens, ac intemperatus. In quarta, utrum continens, & is qui persistit in ratione, sit idem: atque e converso idem sit incontinens, atque à ratione discedens. In quinta, utrum intemperatus sit deterior incontinente, neque. In sexta, an Continentia & incontinentia extendantur ad totam materiam moralem.

2 PRIMA Quaestio est, an sciens intelligensque aliquis, possit esse incontinens. Occasionem controversiae dedit experientia frequens. Videre enim est plures incontinenter agere contra id, quod optimum est: ac proinde suspicio esse potest, eos ideo ab optimo discedere, quod ignorent, aut nesciant id optimum esse. Proponit autem opinionem Socratis arbitrantis scientiam esse quid firmissimum in animo existens: atque adeo verosimile non esse, ut sciens quidquam esse honestum & optimum, illud respuat, & eligat quod inhonestum ac pessimum est. Etenim id quod firmiter ac praestantius est nullatenus vinci potest ab eo, quod infirmius & ignobilius est. Atqui scientia honesti & optimi firmiter & praestantius est perturbatione inclinante ad inhonestum & turpe. Ergo scientia honesti & optimi vinci non potest à perturbatione

ne inclinante ad inhonestum & turpe. Ergo sciens aliquid esse honestum & optimum, non potest ab eo discedere, nec incontinenter se habere declinando in id, quod inhonestum & turpe est. Haec erat ratio, in qua nitebatur Socrates. Cuius veluti conlectaria est ratio alia eiusdem, quod nemo videatur esse posse tam improbus, ut agat, quae perspicue noscitur esse mala: sed ea tantum quae imprudenter iudicat bona, aut existimat non mala. Cuius rationis hanc formulam exhibet Ciphanius: Mala nemo agit sciens prudensque, sed ignorans per imprudentiam. At incontinens agit mala. Ergo per imprudentiam.

3 VERVM Aristoteles in oppositum arguit ab experimento eorum, quae quotidie in oculos incurrunt. Videmus enim passim nonnullos id agere, quod certo sciunt & evidenter intelligunt malum ac turpe esse: similiterque recedere ab eo quod plane perspectum habent, esse honestum atque optimum. Ergo, quidquid sit de firmitate & praestantia scientiae, fieri potest & solet, ut sciens optimum discedat ab eo, & eligat id, quod scit esse turpe. PRÆTEREA, Si omnis improbus, seu incontinenter agens, ex ignoratione operaretur, & non sciens, ignoratio illa aut antecederet actum incontinentiae, aut comitaretur, aut sequeretur. Neque enim ignoratio extra ea tria temporis spatia, aut momenta accidere potest. Quare Socrates debuisse tria haec tempora distinguere, ut mature controversiam resolveret. In quorum primo, quod actum antecedit, incontinens, qui non est sub perturbatione, censet non esse turpius agendum, nec indulgendum cupiditati. In secundo, ubi iam est sub perturbatione, peccat, & incontinenter agit: atque adeo tunc iam vere incontinens est: sicut ebrius, cui ebrietas impediendum habitualis scientiae antea adquisita. In

In tertio demum, ubi re turpi executioni mandata, veluti transacta ebrietate, quis erratum suum agnoscit, pœnitentia subit, & adus scientiæ redit. Itaq; Socrates nō debuit absolute proferre solius ignorantis, sive nescientis, esse incontinenter agere. Oportuit itaque dicere potius, eiam scientem & cognoscentem incontinenter agere. Nam ante actum ipsum incontinentiæ sciens est: & quando agit incontinenter, adversus habitum scientiæ agit: quamvis non adversus scientiæ actum.

4 DEINDE, Exposita, atque ex parte rejecta Socratis opinione, subdit quosdam eisdem avi Philosophos fuisse, qui partim cum eo consentirent, partim refragarentur. Concedebant enim, fieri non posse ut quis adversus scientiam agat, aut discederet a bono quod honestum & optimum sciret: sed tamen aiebant, fieri posse ac solere, ut quis agat contra opinionem, quæ longè debilior est quàm scientia: ideoque & eligat id, quod turpe arbitrat, rejecto eo, quod optimum existimat. Quare incontinentem sola opinione turpis & honesti instructum, posse prius eligere, & a posteriori recedere. Verùm eos refellit Aristoteles argumento bicorni, sive dilemmate. Cuius efficacia, ut clarius appareat, notandum apud ipsum *ὑπέληψεν ἡμῶν δὲ ἴσχυρὰν*, id est, *opinionem & fidem*, esse duplicem: alteram, *ἰσχυρὰν*, fortis, seu animo immobiliter hærentem, quæ firmitatem scientiæ æmular, & locum habere putatur in quibusdam hominibus perversitatis, atque obstinatæ mentis, qualis putatur fuisse Heraclitus: alteram verò *ὑπέληψεν*, tacitam, seu quietam; id est, debilem, nec ita in anima fixam. Hoc præmisso, argumentum Aristotelis sic ferè procedit. Aut opinio, contra quam pugnat incontinenter, est illa prior, fortis ac firma: aut posterior debilis & infirma. Si primum dicatur; non poterit incontinenter agere contra illam, sicut neque contra scientiam, in opinione Socratis: quoniam firmitas illius opinionis æmular firmitatem scientiæ. Si autem secundum asserant iidem Philosophi, sequitur veniam esse dandam agenti incontinenter: quemadmodum datur ijs, quorum animus in dubio est, & vacillat ex infirmitate sententiæ. Quare neque improbus erit existimandus, sed indulgentia prosequendus. Consequens verò absurdum esse patet: cum incontinentia sit improbitas, & incontinenter improbus, quique venia indignus habeatur. Ergo de primo ad ultimum prædicti Philosophi immeritò aiunt, incontinentem non agere contra scientiam, sed contra opinionem.

5 SECUNDA Quæstio, an incontinenter prudens esse possit: sive, quod idem est, an in incontinente sit Prudentia. Circa quod primò refert quorundam rationem ut inconti-

nentia coherere cum Prudentia possit: nimirum, quia incontinenter habet cognitionem aliquam obersistentem & repugnantem cupiditatibus pravis. Eiusmodi autem cognitio non est alia, quàm Prudentia. Non enim est scientia: quia sic non posset agere contra illam. Sed neque etiam est opinio debilis, atque imbecilla: quippe quæ operantem reddit veniam, seu indulgentia dignum: cum tamen incontinenter venia dignus non sit. Ergo superest, ut sit opinio firma, & immobilis, atque quodammodo æquivalens scientiæ. Atqui inter omnes opiniones de rebus agendis, nulla firmior, quàm Prudentia. Ergo incontinenter dum malè agit, operatur contra Prudentiam, atque adeò illam habet dum incontinenter est.

6 SED Rationem & opinionem prædictam refellit Arist. ab absurdo. Si enim idem simul est incontinenter & prudens, idem erit simul bonus & malus. Erit bonus: quia prudens simul est præditus omnibus Virtutibus: ut ostensum est *lib. 6. cap. 13*. Erit malus: quia incontinenter sponte sua turpiter agit, ac propterea improbus est. Atqui absurdum est, & contrarietate plenum, ut idem simul bonus, & malus sit. Ergo & absurdum est, eundem simul prudentem, & incontinentem esse. Prudentem verò hoc loco dicit Arist. versantem in extremis: id est in rebus peculiaribus & singularibus, circa quas versatur Prudentia, prout distincta à scientia.

7 TERTIA Quæstio, an idem sit continens & temperatus. Circa quam respondet negativè, & sic ferè suum assensum probat. Non enim idem est qui pace fruitur, absque pugna cupiditatum, saltem gravi; ac qui pravis gravibusque cupiditatibus agitatur, & contra eas pugnat. Atqui temperatus pace fruitur, absque pugna cupiditatum, saltem gravi: continens autem pravis gravibusque cupiditatum motibus agitatur, & contra eos pugnat. Ergo temperatus non est idem, ac continens. Quod si verò dicatur, cupiditates illas, quibuscum pugnat continens, non esse pravas, nec vehementes, sed moderatas bonasque, quales in temperato inveniuntur; ac propterea continens non differre à temperato; in oppositum arguit Aristoteles. Quia si cupiditates illæ, quibuscum pugnat continens, non sunt malæ, nec graves, sed bonæ & moderatæ; planè sequitur, habitum illum, qui contra eas pugnat, malum esse. Atqui habitus contra eas pugnans est Continentia. Ergo hæc mala erit, atque distincta omnino à Temperantia, quæ semper bona est. Ergo & continens erit malus, ac proinde diverfus à temperato, qui semper bonus est. Si autem rursus dicatur, eas cupiditates, quibuscum pugnat continens, esse

malas quidem, sed parvas, & debiles, ac faciles, videtur; infert Arist. non fore aliquid magnum continere à cupiditatibus: quia magnum non est, nec excellenti laude dignum vincere cupiditates pravas, si leves & infirmæ sint. Ergo neque aliquid magnum erit, quæpiam esse continentem. Atqui magnum, & excellenti laude dignum est, temperatum aliquem esse. Ergo continens non est idem, ac temperatus.

8 QVARTA Quæstio, an continens sit qui firmiter persistit in qualibet opinione; & incontinens qui facile à qualibet opinione discedit. Excitat verò controversiam hanc, quoniam supra cap. I. huius libri dixerat, eum videri continentem qui sit, ἐμμετρίως τῷ λόγισμῳ, *permanens in ratione, sive opinione*; incontinentem verò, qui sit, ἐκστατικός τῷ λόγισμῳ, *digrediens facile à ratione, opinione-ve*. Et quæstio est, quæcumque eiusmodi opinio sit, rationabilis, aut irrationabilis; bona, aut mala. Circa quod primò disserit, ut probet non omnem hominem persistentem in qualibet opinione existimandum esse continentem. Fieri enim potest ut eiusmodi opinio irrationabilis & prava sit, ac proinde malum in eâ persistere. Atqui continentem esse, malum non est. Ergo continentem esse non est idem, ac persistere in qualibet opinione. Deinde circa alteram quæstionis partem disserit, probatque tripliciter, non esse idem incontinentem, ac facile à qualibet opinione discedentem.

9 PRIMO Id probat: Quia si idem est incontinentem esse, ac recedere facile à qualibet opinione, accidere poterit, ut bonum quandoque sit & laudabile, aliquem incontinentem esse. Quia quandoque accidere poterit, ut opinio sit irrationabilis & prava, à quâ bonum est discedere. Atqui nunquam est bonum & laudabile, aliquem incontinentem esse: sed id semper prævum & vituperabile est. Ergo neque esse incontinentem est idem, ac facile recedere à qualibet opinione. Rationem hanc illustrat Arist. exemplo Neoptolemi apud Sophoclem in Philoctete: qui opinionem deseruit semel acceptam, & consilium fallendi susceptum ab Ulyse; idque cum laude: quoniam consilium fallendi, seu mentiendi pravum erat. Quare laudatur apud Sophoclem. Quo eodem exemplo vitur Arist. infra cap. 9. Aliud quoque exemplum affert in captionibus sophisticis. Etenim Sophistæ nonnunquam, ut præter cæteros scire videantur, ex veris principijs falsa quædam & absurda concludere solent, aut *παράδοξα*; idque non rite servatâ methodo syllogistica. Unde Iulianus leg. 65. ff. de Reg. iuris, inquit: *Est natura cavillationis, quam Græci σπιτην appellant, ut ab evidentibus veris per brevissimi-*

mas mutationes disputatio ad ea, quæ evidentibus falsa sunt, perducatur. Ait igitur Arist. eum, qui premitur captione, seu cavillatione Sophistica, non audere assentiri conclusioni, quantumvis appareat illata ex præmissis, quia scit esse falsam: in eoque laudabile existere, quoniam abhorret à sophismate. Vitur autem Arist. verbo *ψευδόμενος*. Vbi plura ex adytis eruditionis de promittit more suo Giphanius circa varia captionum genera, quorum vnum eo nomine à Græcis appellabatur.

10 EX Præiactis verò exemplis apparet, non esse idem, incontinentem existere, & facile à qualibet opinione recedere. Neoptolemus enim Achillis filius, facile recessit ab opinione, seu consilio mentiendi: similiter & qui cum Sophistis disserunt, facile ab eorum conclusionibus captiosa discedunt: & ij omnes laudabiliter, cum recedant à falsa opinione. Ergo non agunt incontinenter: quia incontinenter agere, non est laudabile, sed potius vituperabile. Aliud ergo est facile recedere à qualibet opinione suscepta, aliud verò incontinenter agere. Vbi notandum Arist. tanquam verè Sophum, reprehendisse Sophistas, veluti inanis gloriæ cupidos: quoniam non amore veritatis inveniendæ disputant, sed *ἵνα δεινοὶ ᾖσιν, ut arguti videantur*. Quare & Plato eos appellat *αλαζόνες*, id est, gloriosos, & iactabundos, qui se omnia nosse profiteantur. Tertullianus quoque lib. de Anima, & Hieronym. Epist. ad Pammachium, eos vocant *animalia gloriæ, & popularis auræ vilis mācipia*. qua eadē censura illos notat S. Aug. Epist. 58. sicuti & lib. I. contra Academicos, ubi eorum disciplinam appellat ventosam. Sic & apud Clementē Alex. lib. I. Stromatum dicuntur *artium rerumque aucupes, certatores, & litium avidi, & flexuosarum captionum factores*.

11 QVINTA Quæstio, an intemperatus sit deterior incontinente, aut e converso. Quæ eadem difficultas exagitari potest de ipsis affectionibus incontinentiæ & intemperantiæ, vitra illarum peior sit. Circa quod primò proponitur ratione, quâ suadere aliquis posset, incontinentem esse peiorem intemperato, & hunc longè meliorem, seu excusabiliorem. Quisquis enim malū committit existimans esse bonum id quod agit, melior aut excusabilior est illo, qui id agit sciens esse malū. Prior enim sanari potest, si diluadeatur, & noverit id malū esse: posterior autē insanabilis est, cū nihil aliena exhortatione facturus videatur, qui sciens aliquid malū, non ideo desistit ab agendo illud. At intemperatus committit malum, existimans esse bonum id quod agit: incontinens verò malum perpetrat, sciens esse malum. Ergo incontinens peior est intemperato. Porro ut ostendatur, scientem aliquid malum esse, & nihilominus id agentem, frustra admoneri de malicia sui operis, affert Arist. proloquiū eo tempore celebres

ὅταν τὸ ὕδωρ πίνῃ, τὴν δὲ ἐπιπίνασθαι; Quando aqua praeforat, quid insuper bibere opus est? Cui affinia etiam sunt quaedam alia: ut, in silvam ne ligna feras. Et quod dicitur, ferre noctuas, sive vlulas, Athenas: frumētum in Aegyptum: crocum in Ciliciam. Nimirum, supervacaneum videtur ferre aliquam rem in eum locum, ubi eius maxima affluentia est. Cum igitur incontinentens plenus sit atque instructus cognitione malitiae operis quod agit, frustra videtur dicere ipsi malum esse quod agit. Non enim propterea desistet. Ergo insanabilior est, ac proinde peior intemperato, qui peccans ex ignorantia resipiscit ubi primum admonetur sui erroris, malitiaeque, quae est in eo quod egit.

12 PROPOSITA Verò ea ratione Arist. non dirimit quaestionem usque ad caput octavum, ubi ostendit peiorem esse intemperatum, quam incontinentem: idque ex quatuor rationibus ibidem proferendis: quarum una ex diametro adversatur rationi praescriptae, dum allumit insanabiliorem esse intemperatum incontinentem: quoniam hic ad recipiendam persuasionem multo paratior est, quia improbitas nondum fixit in eo radices, sicut in intemperato; nec rationem corruptam habet. Quod verò discursu praecedenti opponebatur, non ex Arist. mente, sed aliorum, dictum est: nec ratione ignorantiae excusat intemperatum, aut probat minus malum incontinentem: quoniam ignorantia, qua laborat intemperatus, non est antecedens, sed consequens, & voluntaria,

quam vltro contraxit agendo malè atque intemperanter. Quare superest, ut adhuc ex eo capite ignorantiae sit peior incontinentem.

13 SEXTA Quaestio est, utrum Continentia & Incontinentia versentur solum circa voluptates & tristitias, an etiam in alijs rebus, in quibus Virtus aut vitium habet locum. Hanc difficultatem non resolvit, licet nec praecedentem. Proponit tamen rationem qua quis existimare posse videatur, Continentiam & incontinentiam non ita extendi, ut versentur circa omnem morum materiam. Si enim circa eam omnem versarentur, nullus inveniretur proprie & simpliciter incontinentens: quia nullus est, qui incontinentem agat in omni materia morali: sed unus aliquis incontinentem se habet circa voluptates & tristitias; alter circa iram; alius circa lucrum; alius circa honores. &c. At consequens absurdum est: cum plurimi inveniantur, qui censentur dicunturque iure ac merito incontinentes, vel si in una ex praedictis materijs incontinentem agant. Ergo Continentia & incontinentia non versantur circa omnem materiam morum.

Hucusque Aristoteles proposuit dubitationes, circa quas plerumque non resolvit, sed dubitat. Monet verò quaedam ex ijs progressu Operis probanda esse, quaedam improbanda: ut proprio loco & seorsim apparebit.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 155. & 156; ubi agit de continentia & incontinentia.

CAPVT TERTIVM.

Quonam pacto continentes agunt.



RIMVM Itaque considerandum est, si incontinentes, scientes agant, necne, & quonam modo scientes: deinde circa quæ sit incontinentens ponendus, & continens. Utrum circa voluptatem omnem, atque dolorem, an circa definitas quasdam voluptates, atque dolores. Et utrum idem sit, an diversus, continens, atque constans. Similiter & de cæteris, quæ ad hanc attinent contemplationem. Est autem considerationis initium, Utrum continens & incontinentens, ijs, circa quæ versantur, differant, an modo. Dico autem sic, utrum incontinentens ex eo solum sit incontinentens, quia circa hæc versatur, an nō, sed ipso modo, an utrisque. Deinde si continetia & incontinentia sint circa univèrsa, necne. Neque enim circa omnia versatur is, qui est incontinentens absolutè, sed circa ea, circa quæ est intemperans. Neque simpliciter sese habet ad illa. Ellet enim

incontinentia, ac intemperantia idem: sed hoc modo. Nam ille quidem eligens ducitur, putans semper oportere persequi voluptatem præsentem. Incontinens autem non putat quidem, persequitur tamen. Si itaque vera sit opinio, sed non scientia, qua transgredientes incontinenter homines agunt, nihil refert ad rationem. Nonnulli nanque eorum, qui opinantur, non ambigunt, sed arbitrantur exactè se scire. Si igitur opinantes ex eo, quia remissè credunt magis, quàm scientes, contra suam agent existimationem, nihil differret ab opinione scientia. Sunt enim, qui non minus opinioni suæ, quàm alij suæ scientiæ credunt, ut ex Heraclito patet. Sed cum dupliciter dicatur scire, (nam & is, qui scientiam quidem habet, non autem utitur ipsa; & is, qui utitur, dicitur scire) hæc inter sese different: habentem, inquam, scientiam, at non contemplantem, & habentem, ac contemplantem, agere ea, quæ agere non oportet. Hoc enim videtur absurdum. Sed non si agat non contemplando. Præterea, cum propositionum duo sint modi, nihil prohibet, ut quispiam agat contrarium eius, quod scit, si habeat quidem utrasque, universali tamen, & non particulari propositione utatur. Nam ea, quæ aguntur, singularia sunt. Differt autem & ipsum universale. Nam aliud est in ipso, aliud in re. Ut omni homini sicca conducunt, & hic est homo: vel siccum est, quod est tale. Sed si hoc sit tale, aut non habet, aut non operatur. Magna igitur per hos emerget utique differentia modos: atque adeò ut hoc quidem modo non absurdum esse, alio verò modo mirabile videatur. Præterea, fit ut homines scientiam habeant alio modo, quàm nuper diximus. Nam in habendo quidem, sed non in utendo differentem cernimus habitum, ut quispiam & habeat quodammodo, & non habeat ipsum: qualis est dormiens, & furens, ac ebrius. At hoc modo disponuntur ij, qui sunt in perturbationibus constituti. Nam iræ, & cupiditates veneræ, cæteraque similia, corpus etiam manifestè permutant, atque nonnullos & in furorem, ac insaniam adigunt. Patet igitur, dicendum esse, incontinentes perinde sese habere, atque hi sunt affecti. Dicere autem eas sententias, quæ à scientia proficiscuntur, nullum est signum. Etenim ij, qui sunt in hisce perturbationibus constituti, demonstrationes, & carmina dicunt Empedoclis. Et qui primùm discunt, nectunt quidem orationes, sed nondum sciunt. Oportet enim, ipsorum insideant menti, ad quod tempore opus est. Quare putandum est, ut histriones poemata recitant, sic & incontinenter agentes, sententias dicere. Insuper & hoc modo quispiam naturaliter inspexerit causam. Opinionum enim alia est universalis, alia de singularibus est, quibus iam ipse præsidet sensus. Atque

cum

cum ex ipsis ratio fuerit vna, anima conclusum ipsum in contemplan-
dis quidem dicat, in agendis autem rebus continuo agat, necesse est.
Nam si omne dulce gustare oportet, & hoc est dulce, vt vnumquid
singularium, is hoc simul & agat, qui potest, nec prohibetur, neces-
se est. Cum igitur vna quidem vniuersalis inest opinio gustare vetans,
alia vero dicit, omne dulce voluptatem afferre, & hoc esse dulce: hæc
autem operatur, atque inest forte cupiditas: illa quidem hoc fugere
dicit, cupiditas autem ducit, movere enim singulas partes potest. Qua-
re fit, vt à ratione quodam modo, & opinione incontinenter agatur:
non tamen per se contraria, sed per accidens. Cupiditas enim rectæ ra-
tioni, sed non opinatio aduersatur. Quare & propter hoc bestia non
sunt incontinentes, quia non vniuersalem existimationem, sed singula-
rium imaginationem, atque memoriam habent. Quomodo autem sol-
vitur ignoratio, ac rursus fit incontinens, sciens, eadem est ratio, & de
ebrio, & dormiente, & non est huius propria perscrutationis: quam qui-
dem à Naturalibus audire oportet. Cum autem vltima propositio rei
sit sensibilis opinatio, atque actuum domina, hanc incontinens aut
non habet, dum est in perturbatione: aut sic se habet, vt in habendo
non sit scire, sed dicere perinde, atque temulentus Empedoclis carmi-
na profert. Et quia terminus extremus non est vniuersalis, nec ad scien-
tiam vt vniuersalis attinet: atque id accidere videtur, quod Socrates
quærebat. Non enim ea, quæ propriè scientia est, præsentem, fit pertur-
batio: nec ipsa ob perturbationem distrahitur, sed sensitiva. De his
igitur, si sciens, inquam, incontinens, an non sciens, & quonam modo
sciens incontinenter agat, tot à nobis sint dicta.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

*Continentiam & Incontinentiam non in omni materia morum versari, sed in voluptatibus corpo-
ris, perinde ac Temperantiam & Intemperantiam. Incontinentem agere quodammodo scientem,
& quodammodo nescientem. Quomodo eius ignorantia depellenda sit. Quid tandem
existimandum de opinione Socratis
circa hoc.*



N] Præsentem exagitur prima
illa & præcipua quæstio, ca-
pite præcedenti proposita. An,
scilicet, incontinens malum
esse intelligat & sciat id, quod
malè agit: sive, quod perin-
de est, an idem prorsus homo dum inconti-
nens est, seu dum incontinenter agit, sit sciens,
sive planè conscius malitiæ sui operis. Si au-
tem sciens sit & incontinens, dubitatur, qua
ratione, seu modo, sciens sit. Dividit verò
Aristoteles totum caput in quatuor partes. In

prima præmittit quædam ad resolutionem
controversiæ. In secunda proponit quandam
solutionem quæstionis, eamque rejicit, quod
non videatur probabilis. In tertia veram quæ-
stionis solutionem præstat. In quarta denique
novam aliam exhibet in illius confirmatio-
nem.

2 CIRCA Primum monet, rem di-
ligenter considerandam esse, ob rationem illam
superiori capite propositam, quæ convictus So-
crates existimavit, incontinentiam nullam esse,
nullumq; hominem inveniri, qui incontinens sit.

Incontingens enim esse non potest, nisi qui scit malum esse quod agit. Impossibile autem est ut quisquam sciat malum esse quod agit: quoniam scientia est habitus firmissimus, contra quem nemo agere potest. Ergo impossibile est quod aliquis sit incontingens. Proponit insuper vestigandum, quænam sint res illæ, in quibus versatur incontingens: an omnes voluptates, & dolores: an aliqui tantum. Præterea, an idem sint contingens, & tolerans, ac perseverans: & denique nonnulla alia dubia ijs similia indicat dirimenda.

3 PRÆCIPVAM Verò controversiæ difficultatem ait in eo esse positam, utrum incontingens sit sciens earum rerum, quas contra rationem admittit. Quod ut maturius decernat, duo præmittit dubia, resolvendæ quæstioni opportuna. *Primum* est, Utrum Contingentia & Incontingentia differant ab alijs morum habitibus penes materiam aliquam sibi peculiarem & propriam: an verò solum in qualitate, seu modo, quo materiam tractant: an in utroque simul. *Secundum* dubium est, An Contingentia, & Incontingentia versentur in omnibus materijs ad mores spectantibus, an in certis & definitis tantum.

4 SOLVIT Autem utrumque dubium ordine præpostero. Et ad secundum respondet, Contingentiam atque Incontingentiam non versari circa omnem materiam morum: sed solum circa illam, in qua posite sunt Temperantia atque Intemperantia. Ea verò restringitur ad voluptates corporis, & præsertim illas, quæ ad tactum & gustum spectant: ut iam supra lib. 3. definitum est. Ad primam deinde dubitationem respondet, Contingentiam atque Incontingentiam non satis differre à cæteris habitibus in materia. Sic enim non differrent à Temperantia & Intemperantia, quibuscum eadem materiam habent. Cum ergo planè ab ijs differant, oportet ut differant ex alio capite, quam ex sola materia. Id verò caput est diversus modus, & dissimilis ratio tractandi materiam eandem. Quæ diversitas in eo sita est, quod Intemperans amplectitur voluptatem ductus electione atque consilio; quo, nimirum, existimet oportere illam præsentem amplecti. Incontingens verò amplectitur delectationem inconsultè, nec existimans oportere illam eligere, aut amplecti: sed tamen illam persequitur concitatus & turbatus cupiditate aliqua impotenti & vehementi.

5 CIRCA Secundum refellit modum dicendi eorum, qui capite præcedenti arbitrabantur, incontingentem non esse prædictum scientiam mali quod agit, quoniam illa est firmissima, & insuperabilis: sed opinione tantum, quæ infirmior est, & deturbari, seu vinci potest ab impotente cupiditate. Verum hanc existimationem impugnat Aristoteles, quia ad

dirimendam controversiam, parum refert, an cognitio incontingentis sit scientia, an opinio: cum saepe utriusque eadem ratio sit. Etenim experimento constat, quibusdam incontingentium esse opinionem mali quod agunt, non infirmam, aut levem, quæ facile vinci possit; sed tenacissimam, & immobilem instat scientiæ, & qua rebus cognitis omnino adherent. Quod Heraclito accidisse testatur, qui hoc apertissimè suo exemplo declaravit. Sive quia firmiter, ac tenacissimè arbitratus est, nullum in rerum naturam motum esse: ut quidam exponunt. Sive quia è contra censuit moveri semper omnia, & nihil unquam consistere: ut interpretantur D. Thomas & Burleus: Sive tandem, quia in tota Philosophia aiebat nihil esse certi, ac plenè noti; sed omnia esse posita sub opinionibus; quibus tamen æquè firmiter adhererebat, ac cæteri Philosophi assensum præstabant propositionibus certis, & evidentè deductis ex principijs omnino firmis: ut Giphanius, & cum eo Gallus interpretantur. Quodcumque verò horum sit, exemplo Heracliti demonstratur, in quibusdam esse tam firmam adhesionem opinionibus, tamque tenacem & immobilem, ac quæ ex scientia oritur. Ergo tam non poterunt malè agere, si firmiter opinantur id esse malum, quam si certò, & evidentè sciunt. Frustra igitur existimet quis, incontingentem posse opinari, non tamen scientem esse.

6 CIRCA Tertium accedit iam ad veram solutionem nodi præcipui. Pro quæ præmittit primùm triplicem distinctionem; deinde illam adaptat præsentis instituto. *Prima* distinctio est, ut scire dupliciter dicatur: vno modo in habitu, altero in actu. *Priori* acceptione solum significat quempiam esse prædictum habitu scientiæ, quamvis non sit in viâ actuali illius. *Posteriori* sensu importat actualem considerationem secundum prædictum scientiæ habitum. Quæ sanè distinctio prodest dirimendæ controversiæ: quoniam fieri potest ut aliquis sit actu incontingens, & sciens in habitu, quamvis non in actu. Sciens v.g. in habitu, malum esse mæchari, potest actu esse incontingens, & mæchari: dum autem mæcharatur, non sciet actu id malum esse. Hoc enim apparet difficile, & ut inquit Arist. *ἄνοιᾷ δεινόν, videtur durum*. Quid enim durius, seu difficilius, quam quod quis actu sciat, seu perfectè noscat aliquid esse turpe & fugiendum, sed tamen illud eligat, & prosequatur? Durum autem non est, vel difficile existimatum, quod turpiter agat aliquid, qui in habitu scit esse malum, modo id non consideret actu. Tunc enim habitus scientiæ quasi sopitus est, & perinde se habet, ac si non esset. Si autem quis obijciat, prædictum habitu scientiæ debere esse actu scientem; sicut prædictus habitu

sanitatis debet esse actu sanus; *Respondetur*, actu scire accipi dupliciter: nimirum, & in actu primo, & in actu secundo. Qui igitur habitu scientiæ præditus est, quando intemperanter agit, scit in actu primo id malum esse: non tamen in actu secundo, quia perturbatur cupiditate, ne actu considerat, sive scit malum esse quod perpetrat. In sanitate vero non sic distinguitur actus primus & secundus: quia sanitas nihil aliud est, quam bona quædam habitudo totius corporis ad omnes functiones nature obeundas: ideoque non tam sita est in actu secundo, quam primo.

7 SECUNDA Distinctio est, ut sicut duo sunt propositionum modi, quibus ratio prædica vitur; alter communis, alter peculiaris: ita etiam scire duplex sit; unum generale, & commune, aliud peculiare & singulare: nimirum, est scientia propositionis, aut communis, aut singularis. Ea vero distinctione supposita, respondet Aristotel. questioni, scientem actu propositionem aliquam communem, v. g. mœcham malum esse, sed actu non considerantem id in propositione singulari & definita, posse & solere incontinenter agere, & mœcham, quo casu operatur contra scientiam suam; non quam actu habeat circa actionem illam singularem; sed quâ in habitu præditus sit, & in genere, sive in communi circa actiones eius generis. Ratio est, quoniam actiones, quæ executioni mandantur, sunt singulares, & circa singularem materiam. Ergo fieri potest, ut quis sciens in habitu propositionem aliquam communem de malitia actionum alicuius generis, adhuc id non sciat actu & in singulari, ubi occurrit peculiaris actio: quia, nimirum, potest non applicare illam scientiam communem & generalem huic actioni peculiari, ex defectu actualis considerationis; ideoque malè operari hic & nunc. Potest igitur quis scire in univ. & in habitu, malum esse mœcham, & tamen hic & nunc mœcham ex defectu actualis considerationis circa hanc peculiarem actionem.

8 VERVM Hoc ipsum quâ ratione possit esse verum, aut non possit, ulterius edisserit. Dividit enim id, quod univ. & commune est, in duas partes. Aliud enim est quod cognosci non potest, nisi & singulare sub eo contentum agnoscat: aliud vero quod cognosci potest, non cognito singulari sub eo contento. Illud prius appellat univ. & *ἐν ἑαυτῷ*, in seipso: hoc autem posterius univ. & *ἐν τῷ πράγματι*, in re. Exemplum primi adhibet Aristotel. in hac propositione univ. *Omni homini sicca conveniunt, & salutaria sunt.* Quæ propositio generalis, ut inquit Eustratius, convenit homini *ἐν ἑαυτῷ*, in seipso: quoniam est in ipso homine, qui eam intelligit, & considerat. Proindeque quisquis

illam agnoscit in genere; nequit in singulari non cognoscere hanc propositionem particularem: *Ego sum homo, & mihi sicca conveniunt, ac salutaria sunt.* Non enim potest ignorare hanc propositionem singularem sub illa univ. contentam, nisi ignoret seipsum. Eiusdem ferè rationis est in re morali aliud exemplum adductum ab ipso Eustratio, in hac propositione communi: *Omni homini conveniunt iusta agere.* Sanè quisquis eam cognoscit, nequit non cognoscere hanc singularem sub ea contentam: *Ego sum homo, & mihi conveniunt iusta agere.* Univ. enim prioris propositionis convenit homini in seipso. Quare nemo tam stupidus aut iniquus esse potest, ut cognita prioris propositione univ. non cognoscat simul posteriorem & singularem.

9 UNIVERSVM Autem posterioris generis, seu *ἐν τῷ πράγματι*, in re, opposito modo se habet, quoniam cognosci potest, non cognito singulari sub eo contento. V. g. cognita hac propositione univ. *Omne siccum homini prodest;* adhuc in singulari potest ignorari propositio singularis, *Hoc est siccum.* Quemadmodum cognita univ. propositione, *Omne veratrum bilem extergit;* potest adhuc non cognosci in singulari an hoc sit veratrum, necne; ac proinde an hoc in singulari habeat virtutem ad extergendam bilem. Cum enim hoc genus univ. non conveniat homini, in seipso, sed in rebus à se distinctis, potest cognosci univ. & ignorari in singulari.

10 HAC Distinctione data, & exemplis statutis, decernit Arist. scientem aliquid in genere, seu univ. in rebus ipsi, adhuc posse in singulari non cognoscere id quod sub eo contentum est; ut scientem v. g. omne turpe esse fugiendum, adhuc posse non cognoscere actu, hoc esse turpe; ideoque illud committere, & incontinenter agere. Non enim est hoc univ. homini in seipso, quod pertinet ad primum membrum distinctionis prædictæ; sed est univ. in re distincta ab ipso homine, quod spectat ad secundum membrum: ideoque potest cognosci in communi, & non cognosci in singulari. Quo casu cupiditas abripiens hominem, ut incontinenter operetur, in causa est ut homo operetur contra scientiam illam communem circa univ. in re; non autem contra cognitionem in singulari, quoniam hæc nulla est, seu non adest.

11 TERTIA Distinctio. Eorum qui præditi sunt habitu scientiæ, absque illius actu, est duplex conditio. Quidam enim non videntur actu scientia, absque vilo impedimento. Non enim prohibentur obice vilo, aut perturbatione: sed sponte sua desistunt à cognitione, quoniam ita placet. Quidam vero desinant

actu cognoscere, ratione alicuius perturbationis, quâ id prohibentur agere: quemadmodum ijs, qui sponte suâ se commiserunt somno, aut ebrietati. Hac distinctione statuta, solvitur tertio præcipua controversia, asserendo, incontinentem esse quidem scientem in habitu, non tamen actu. Agitante enim perturbatione prohibetur actu cognoscere quod malum est in singulari, quemadmodum qui sponte sua se somno, aut ebrietati tradidit. Porro commotio ex perturbatione orta quandoque talis & tanta est, ut qui eâ agitatur, non modo immutetur animo, sed & corpore, instar ebriorum ac furentum. Vnde Eustratius hoc loco observat, irascentibus rubere oculos, & incandescere, quemadmodum & furentibus: amantibus quoque pallere faciem, & imminere intaniam ex impotenti perturbatione amoris: qualiter accidit Antiocho Seleuci filio, qui Scratonicem novercam deperijt usque ad insaniam, ab Erasistrato medico certis indicijs deprehensam: ut est apud Plutarchum in *Demetrio*. Patet igitur, incontinentes posse male agere, quamvis in habitu sciant id malum esse: quia, nimirum, perturbatione ita agitantur, ut actu non cognoscant, malum esse quod agunt.

12 POSSET Quis obijcere, incontinentes, etiam dum male agunt, proferre aliqua signa cognitionis & scientiæ actualis. Interdum enim proferunt verba & sententias sapientissimas. Vnde & nomine cuiusdam illorum dictum videtur illud Poetæ:

————— *scio meliora, proboque.*

Deteriora sequor.

Respondet vero Arist. obiectionem hanc non vrigere: cum & ipsi amantes, furiosi, atque ebrii, quandoq; etiam verba sapientissima, ac versus Empedoclis dicant: cum tamen actu careant ratione. Idemque accidit in pueris memoriter scientibus ac recitantibus carmina aliorum, quin actu intelligant. Quare potest etiam fieri, ut incontinentes actu non sciant malum esse quod agunt, quamvis tunc sententias proferant cordatas ac rationabiles. Itaque demum comparat eos histrionibus, qui nesciunt quod loquuntur, v.g. dum sumpta persona Achillis, Hectorisve, carmina Homeri recitant. Ita etiam incontinentes quasi assumunt personam continentis, aut probi viri, eiusque nomine propositiones edunt doctrinæ ac veritatis plenas, sed tamen illarum sensum non percipiunt.

13 CIRCA Quartum addit non tam novam distinctionem supra tres præcedentes, quam earum explicationem vberiore, in qua potissimum expedit controversiam. Quod ut præstet, nonnulla observat. Primum est, in methodo doctrinæ practicæ duplicem esse propositionem, qua explicatur opinio; alteram

universalem & in rebus universalibus positam; cuiusmodi est, *Omne inhonestum esse fugiendum*: alteram vero singularem, & circa singularia, ac sensui manifesta, ut, *Hoc opus esse inhonestum*. Ex his duabus propositionibus conflatur una tertia, atque etiam singularis, quæ in ijs continebatur: nimirum, *Hoc opus esse fugiendum*. In hoc enim æquiparantur doctrinæ practicæ theoreticis, seu contemplationi incumbentibus: quæ ex duplici propositione, altera universali, singulari altera, tertiam aliquam singularem, quæ in ijs virtute continebatur, inferunt. Ut in hoc syllogismo: *Omnis homo est animal. Socrates est homo. Ergo Socrates est animal*. Est tamen aliunde latum utriusque discrimen: quod in hoc posteriori solum quæritur iudicium, sive assensus intellectus, qui necessario & semper sequitur ex assensu præmissarum, sicuti dies ex præsentia & luce Solis. At in illo priori syllogismo, id est, morali & practico, non quæritur solum intellectus iudicium, sed affectus efficax voluntatis, sive fuga ab illo opere inhonesto: quæ quidem nec necessario, nec semper sequitur; sed quandoque impeditur, propter cupiditatem, aut aliam perturbationem: sicuti etiam pluvia nata est sequi ex nube, sed tamen aliquando impeditur ratione contrariæ dispositionis.

14 REM Illustrat præterea hoc exemplo. Opinatur quis, & enunciat, omne dulce esse gustandum: quæ est universalis propositio. Deinde ex opinione singulari subiungit, hoc esse dulce. Inferitur quod hoc gustabit, non tamen absolute, sedposito quod non sit aliquod impedimentum in voluntate, & cupiditate iam correctâ, ac temperata. Cupiditatis enim correctio, seu moderatio, poterit impedire executionem operis, sive actum gustandi. Contra vero: opinatur quis in genere & dicit, nullum dulci rationi adversum esse gustandum. Subiungit deinde ex opinione singulari, hoc esse dulce rationi adversum. Inferitur quidem per se loquendo, & ex vi præmissarum, hoc dulce non esse gustandum: sed tamen in re, sive in executione non sequitur, propter pravam dispositionem subiecti, seu impedimentum perturbationis, qua agitatur incontinentis. Ratio autem cur non sequatur re ipsa, seu in executione repudiatio dulcis, hæc assignata videtur ab Aristotel. quod in incontinente sit etiam alia opinio in genere, quâ iudicat, & affirmat, quidquid offert voluntatem gustui, esse expetendum. Quare ubi ex opinione singulari iudicat hoc esse dulce, infert illico, expetendum esse. Vbi ad practicam resolutionem inferendam deserit illum priorem syllogismum, & adhæret huic posteriori longe efficacius: quoniam conclusio prioris syllogismi non erat omnino absoluta, sed conditionata, seu dependens ab absentia perturbationis prohibentis

ris gustationem turpem. Conclusio autem posterioris syllogismi in homine incontinente absoluta est: quoniam non attendit illam propositionem universalem: *Nullum dulce rationi adversum est gustandum*: sed hanc: *Quidquid affert voluptatem gustui, expetendum est*. Unde subiuncta minori propositione, *Hoc dulce affert voluptatem gustui*; infert absolute: *Ergo hoc dulce gustandum est*. Quare & re ipsa procedit ad gustandum, nullâ habitâ consideratione an sit rationi adversum: quia impotens perturbatio, seu cupiditas immoderata in causa est, ut de priori illo syllogismo, non curet, sed solum de posteriori. Quo demum fit, ut incontinens agat contra illam scientiam generalem, quâ iudicabat, nullum dulce rationi adversum esse gustandum: non tamen agit contra illam secundum se consideratam, cum non neget illam in actu signato: sed tantum contra illam, prout iam ligatam & impeditam perturbatione aliquâ.

15 INFERT I. Arist. ex dictis, belluas nec esse, nec dici proprie incontinentes, idq; probat: Quia incontinens est, qui habens scientiam alicuius mali in genere, adhuc in singulari amplectitur illud. Atqui belluæ nullam scientiam, nullam cognitionem rerum habent in genere: cum omnis earum cognitio sit per sensum, qui solum percipit obiectum singulare. Ergo belluæ non sunt incontinentes.

16 INFERT II. Incontinentem agere quoddammodo scientem, & quoddammodo nescientem. Scientem, quia in habitu retinet scientiam illam, seu opinionem, quâ in genere iudicat malum esse fugiendum, & dulce rationi adversum esse repudiandum. Nescientem verò, quia ubi devenit ad propositionem singularem, non cogitat actu, rem illam esse inhonestam, aut rationi adversam, sed dulcem: indeque movetur ad eam eligendam, posthabitâ cognitione universali, & rectâ, quæ avocat ab illicito. Quare oportet initio præcludere aditum pravæ cognitionibus, ne rectum rationis iudicium absorbeant. Et, ut accinebat olim Serenissimus Vianæ Princeps Carolus:

Ca non solo del errar

Es de fuir,

Mas aun no lo presumir,

Nim lo pensar.

Quanto se debe esquivar

Mal pensamiento,

Como a quel sea cimiento

De obrar.

17 INFERT III. Quomodo depellenda sit ignorantia illa, quâ laborabat incontinens, & per quam incontinenter egisse dicitur. Nimirum, depelletur remissa iam & sopita

perturbatione illâ, quæ impulit ad turpiter agendum, & vehementi concitatione corporis ac sensuum obtenebravit mentem, ne attenderet ad turpitudinem operis in singulari. Cuius rei explicationem inquit Arist. potius ad Physiologos, seu Philosophus naturæ considerandæ intentos, spectare, quàm ad Philosophum Moralem. Id verò illustrat Aspasius optimo exemplo. Si enim quis grammaticus ex nimio haustu vini ebrius reddatur, statim vapores ascendunt, qui menti tenebras offundunt, ne aliquid ad Grammaticæ præscriptum loquatur, intelligatve actu. Cum verò ij vapores iam extenuati sunt, ac resoluti, illico redit facultas recte loquendi, & intelligendi præceptiones Grammaticæ. Sic etiam ubi quis cupiditate aut passione impotenti agitur subijt tenebras mentis ne actu cognosceret turpitudinem adulterij, ideoque trachatus est; potest ad saniolem sensum redire, & scire in singulari eam actionem fuisse turpem, ubi primùm cupiditas illa & commotio sensuum cessaverit. Cessat enim tunc impedimentum, quo prohibitus fuit attendere ad turpitudinem illius actionis in singulari.

18 INFERT IV. Quo sensu tandem vera sit aut non sit existimatio Socratis dicentis, neminem scientem incontinentem agere. Vera enim est si intelligatur de cognitione singulari; falsa autem si de universali. Prior pars constat ex dictis. Quia dum incontinens committit adulterium v. g. non cogitat actu & in singulari eam actionem esse malam & fugiendam, prohibente id perturbatione vehementi, quæ animum & corpus immutat, ne limpida mentis acie consideret opus illud esse turpe in singulari. Ergo dum incontinenter agit, non est actu & in singulari sciens. Posterior verò pars suadetur: Quia cognitio illa universalis, quâ præditus erat incontinens antequam malè ageret, non fuit ab eo exclusâ per oblivionem, neque per existimationem contrariam in univèrsum, quibus solum excludi poterat. Ergo cognitio illa universalis permanet adhuc quando turpiter agit. Nec tamen permanentia ipsius impedit omnino opus pravum in singulari: tum quia ligata est, & quasi sopita impedimento superveniente perturbationis aut cupiditatis immodicæ: tum etiâ quia actio est singularis, ac proinde non sequitur cognitionem illam universalem, quâ affirmabatur, omne malum esse fugiendum: sed aliam singularem affirmantem, hoc adulterium esse incundum & prosequendum: ideoque sequitur actio prava adulterij in singulari.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 155:

& 156.

(3)

CAPVT QVARTVM.

Circa qua continens & incontinens versatur.



TRVM Autem sit aliquis incontinens absolute, an aliqua ex parte sint omnes, & si sit, in quibusnam sit, dicendum deinceps est. Patet igitur, continentes, atque constantes, & incontinentes, ac molles, circa voluptates, doloresque versari. Quoniam autem eorum, quæ voluptatem efficiunt, alia sunt necessaria, alia per se quidem expetibilia sunt, exuperationem autem habent (atque necessaria quidem dico, quæ ad ipsum pertinent corpus, alimentum, inquam, Veneris usum, & huiusmodi cætera, circa quæ temperantiam, intemperantiamque posuimus: non necessaria verò, per se autem expetibilia, victoriam, honorem, divitias, & quæ sunt similis generis, quæ bona sunt, & delectant) eos quidem, qui in his præter rectam rationem, quæ est in ipsis, exuperant, absolute quidem incontinentes non dicimus, sed hæc addentes, pecuniarum incontinentes, & lucri, & honoris, & iræ dicimus, vt diversos, & similitudine nomen idem habentes: vt homo, qui ludo in Olympico vicit. Communis enim ratio parum ab illius ratione propria differebat: attamen erat diversa. Atque huius signum est illud: nam incontinentia quidem non solum vt delictum, sed etiam vt quoddam, aut simpliciter, aut aliqua ex parte vitium vituperatur. At horum nemo. Eorum autem, qui circa corporis voluptates versantur, in quibus temperantem, intemperantemque ponimus, qui non eligendo, sed præter electionem, ac mentem, efficientium quidem voluptatem exuperationes prosequitur, dolorem autem inferentium fugit, famis, sitis, æstus, frigoris, & omnium, quæ ad tactum, gustumque pertinent, is non additione circa hæc, inquam (vt circa iram) sed absolute solum incontinens dicitur. Cuius hoc indicium est: circa nanque has voluptates, & non circa vllam illarum, intemperantes dicuntur. Et propterea in eodem incontinentem ponimus, & intemperantem, & continentem, ac temperantem: sed illorum neminem, quòd circa voluptates easdem quodam modo, doloresque versantur. Atque sunt quidem hi circa hæc eadem, sed non eodem modo. Sed illi quidem eligunt: hi verò non eligunt. Quapropter potius eum intemperantem dixerimus, qui non cupiens, aut

re-

remissè exuperationes voluptatum persequitur, ac mediocres fugit dolores, quàm hunc, qui ob vehementes cupiditates eadem agit. Quid enim faceret ille, si cupiditas adveniret ingens, & circa rerum necessariorum indigentiam vehemens dolor? Cùm autem cupiditatum, ac voluptatum, aliæ genere sint honestæ, studiosæque, aliæ non sint, (eorum enim, quæ voluptatem efficiunt, quædam expetibilia sunt natura, quædam hisce contraria, quædam media, quemadmodum prius distinximus, vt pecuniæ lucrum, honor, victoria) in omnibus talibus, atque medijs, non ex eo vituperantur homines, quia his afficiuntur, cupiunt, atque amant: sed ob modum, & quia exuperant. Quapropter qui præter rationem aut vincuntur, aut sequuntur quippiam eorum, quæ natura sunt honesta, & bona, non laudantur, vt ij, qui circa honorem magis, quàm oporteat, student, aut erga filios, & parentes. Etenim bona sunt hæc, & laudantur qui circa hæc student. Attamen est & in his exuperatio quædam, si quispiam (vt Niobe) & adversus Deos contenderet, aut sic erga patrem afficeretur, vt Satyrus ille, qui patris amator appellabatur, insanire nanque nimium videbatur. Circa igitur hæc nulla est pravitas, propterea quòd vnumquodque per se (vt diximus) natura est expetibile. Exuperationes tamen ipsorum improbæ sunt, ac fugiendæ. Similiter nec incontinentia. Etenim incontinentia non solum est fugienda, sed etiam vituperanda. Ob perturbationis autem similitudinem adiungentes singula, incontinentiam circa vnumquodque dicunt: vt malum medicum, aut malum histrionem, quem absolutè non dicerent malum. Vt igitur neque hic absolutè dicitur malus, quia non est vitium quicquam ipsorum, sed rationum comparatione simile: sic & illhic solam existimandum est incontinentiam, & continentiam esse, quæ in ijs est, circa quæ temperantia, intemperantiaque versatur. Circa autem iram per se similitudinem dicimus. Quapropter & ipsam addentes, incontinentem dicimus iræ, quemadmodum & honoris, & lucri.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Continentia & Incontinentia materia quanam sit. Quis dicatur incontinens simpliciter, aut ex parte solum. Comparatio Continentia cum Temperantia, & Incontinentia cum Intemperantia. Nonnulla de vitio feritatis: cuiusque occasione tripartitò dividuntur res, quæ voluptatem ingenerant.



POSTQVAM Dissertit de cognitione incontinentis dū malè agit, procedit ad vestigandam definiendamque materiã, in quã versantur, continens & incontinens, Summa autem

doctrinæ hoc loco traditæ est, Continentia & Incontinentia propria materia esse cum Temperantia & Intemperantia communem: impropria verò longè aliam. Dividitur caput in quatuor partes. In primã statuitur, voluptates & delectationes esse materiã quandam

generalem communemque, in qua Continentia & incontinentia versatur. In secunda assignatur duplex genus rerum afferentium delectationem, seu voluptatem. In tertia comparantur Continentia & incontinentia cum Temperantia & intemperantia, per quandam similitudinem. In quarta denique explicatur feritatis vitium, & multipliciter dividuntur res, quae delectationem afferunt.

2 CIRCA Primam partem scrutatur, quanam sit materia Continentiae & incontinentiae. Id ut deprehendat, duplicem quaestionem movet. Prima est, an sit aliquis ita affectus, ut possit dici simpliciter incontinens: an potius, omnes quotquot per incontinentiam peccant, dicantur incontinentes solum *κατὰ μέρος*, secundum partem. Nomine autem simpliciter incontinentium, intelligit eos, qui absque vilo addito, aut sine restrictione appellantur incontinentes. Ex parte autem incontinentes nominat eos, qui cum limitatione aliqua, seu in certa materia dumtaxat incontinentes sunt, ut circa iram v.g. Altera quaestio est, quanam materiam: similiter & continens, sive simplici sit, in qua versatur in solum secundum partem incontinens sit, sive nens, & constans, & mollis. qui duo sane inter se contrarii sunt, sicut continens & incontinens. Decernit vero, materiam, in qua ij omnes versantur, esse dolores voluptatesque.

3 CIRCA Secundam partem assignat duplicem rationem eorum, quae afferunt voluptatem, ut ex ijs appareat quis dicendus sit incontinens simpliciter, quis autem solum ex parte. Quaedam enim ex afferentibus voluptatem sunt utilia & necessaria: quaedam vero non necessaria, sed tamen optabilia, & quae videantur hominibus eligenda. Priora sunt, sine quibus vita servari non potest, aut in individuo, ut cibus & potus; aut in specie, ut usus venerorum: quae omnia voluptatem pariunt. Et dicuntur necessaria si in debitam mensuram sumantur: quoniam secundum excessum, potius nocent, quam prosint vitae, valetudinique tuenda. Posteriora sunt, quae licet non sint necessaria, optabilia tamen sunt, & digna quae a nobis expectantur & diligantur, in vita civili: ut divitiae, honor, & victoria. Sine ijs enim civilis vita transigi commodè nequit.

4 HINC Colligit circa quodam genus rerum delectationem afferentium versetur dicaturque tam continens *ἀπλῶς*, simpliciter, quam qui *κατὰ μέρος*, secundum partem incontinens est. Qui enim excedit in rebus posterioris generis, scilicet, in ijs, quae necessariae non sunt, sed solum per se expectabiles; is incontinens solum dicitur secundum partem, ut incontinens gloriae, aut opum. Quae ipsa limitatione, aut restrictione, significatur veluti alius ab eo, qui simpliciter incontinens est,

quamvis cum ipso aliquam similitudinem habeat, sicuti & cognationem nominis. Unde infertur, eos simpliciter incontinentes dici, aut continentes, qui praeter rationis praescriptum, aut secundum illud, versantur in eo genere rerum iucundarum, quae priori loco recensuimus, & humanae vitae sunt necessariae: ut in cibo, & potu, ac rebus venereis: ac demum generatim in delectationibus, quae gustu, tactuque percipiuntur.

5 R E M Illustrat similitudine quadam. Homo enim, qui Olympia vicit, differet à simpliciter homine: quia licet parva sit utriusque differentia, verè unus ab alio disidet, ut limitatio illa in priori denotat. Nimirum, Olympionices quidam, quem idem Arist. in *Eudemis* pugilem appellat, cum saepe victor in eo certamine evasisset, ac victoriam reportasset, communi omnibus mortalibus nomine speciatim sibi applicato dictus fuit *ἄσπρων*, homo. Quod licet quidam diversimode explicent, videntur melius coniecisse ij, qui audent eiusmodi pugilem habuisse quidem proprium nomen: sed tamen cum illud ignorarent praecones, illum victorem denunciantes, conclamasse victorem hominem: quasi vox eorum haec fuerit: *Homo vicit Olympia*. Aut certè incredibile non est, quod Graeci Interpretes, Michael Ephesinus, & Aspasius arbitrantur, Olympionicem illum non habuisse aliud nomen ceteris cognitum & sibi proprium, sed commune hominis, quacumque demum causam id acciderit. Sunt etiam qui id accipiant de Milone Crotoniate, de quo alias in hoc Opere lib. 2. cap. 6. & lib. 10. cap. 9. sed tamen cum homo fuerit dictus, non satis congruenter exponunt. Quidquid de hoc sit, Aristotelis doctrina est, ita differre incontinentem simpliciter ab incontinente secundum partem, sive solum in determinatam materiam, sicut differet homo simpliciter ab homine qui vicit Olympia. Hic enim non est homo quilibet, aut simpliciter, sed cum addito, & restrictione nominis communis ad illum pugilem, qui singulariter in Olympicis victor audiebat.

6 PORRO Incontinentem simpliciter, ab eo differre qui secundum partem est, probat: quia prior notatur ut vitiosus absolute, quamvis vitium illud non sit consummatum, sed inchoatum. Posterior vero non arguitur vitij, sed veluti errati cuiusdam. Non enim vituperatur tanquam vitiosus, qui plus iusto appetens est honoris, aut divitiarum: sed ille dumtaxat, qui corporis voluptates, quae gustu tactuque percipiuntur, impotenter expetit, etiam si in ea inordinatione appetitus non fixerit radices, sed solum per partes ceciderit. Nimirum, hic posterior praeter illo priori indulget sibi in voluptatibus, quae communes sunt belluis: ideoque ab humanae naturae dignitate

& nobilitate nimium degenerat. Nihil ergo mirum quod præ illo vicius dicatur.

7 CONFIRMAT: Quia incontinentes simpliciter dicuntur, & non ex parte tantum, ij qui non ex iudicio & electione, sed potius cum pugna, sequuntur exuperantias voluptatum corporis, in quibus dictum est lib. 3. temperantem & intemperantem versari. Vnde & ij ex opposito, omnia corpori molesta nimium averiantur: ut famem, sitim, æstum, & frigus: ideoque molles dicuntur. Cæterum nec incontinentes simpliciter dicuntur, nec molles, qui impotenter abducuntur, aut imperu iræ, aut desiderio honoris, vel divitiarum. Ergo utrique differunt, quatenus priores plus iusto sibi indulgent circa voluptates corporis ex rebus vitæ humanæ necessarijs; posteriores vero circa ea, quæ vitæ humanæ necessaria non sunt.

8 QUÆ omnia sub hac ferè formula stringi possunt. Quicumque vicius & mollis communiter censetur, differt ab eo, qui nec vicius nec mollis existimatur. At incontinens simpliciter, seu indulgens sibi nimium in voluptatibus corporis ex rebus vitæ humanæ necessarijs, vicius & mollis communiter habetur: incontinens vero ex parte, sive circa voluptates rerum non necessariarum, nec vicius nec mollis existimatur. Ergo incontinens simpliciter differt ab eo, qui solum ex parte incontinens est.

9 CIRCA Tertiam partem comparat continentiam cum Temperantia, & incontinentiam cum intemperantia: ac primum quidem per similitudinem aliquam: deinde vero per dissimilitudinem. Similitudo est in eadem materiâ utrisque communi: quoniam omnes ij habitus versantur in delectationibus gustus & tactus, quæ generatim aut antonomastice voluptates corporis appellantur. Dissimilitudo autem est in eo quod continens est ille, qui immodicè actus perturbationibus resistit cupiditati: temperatus autem levem, aut non urgentem perturbationum pugnam sentiens, operatur honestè cum delectatione in materiâ voluptatum. Nimirum, temperatus dicitur, qui iam præditus est habitu Virtutis Temperantiæ perfectæ: & omnis habitus Virtutis perfectæ parit iucundam operationem in propriâ materiâ. Pariter quoque incontinens & intemperans differunt: quia incontinens non operatur turpiter quasi ex electione, aut certâ scientiâ, sed impotenti cupiditate & vehementi perturbatione actus: intemperans vero operatur pravè ex electione, seu ex animi proposito, & iudicio iam corrupto.

10 VNDE Infert, intemperantem multo peiorem esse, quam incontinentem. Idque probat dupliciter. PRIMO ferè sic. Magis peccat qui pravè agit ex electione atque

animi proposito, quam qui ex vehementi perturbatione tantum: quia priori magis voluntaria est turpis operatio, quam posteriori. At intemperatus pravè agit ex electione, seu animi proposito: incontinens autem ex vehementi perturbatione tantum. Ergo magis peccat intemperatus, quam incontinens. SECUNDO. Magis peccat qui, qualibet levissimâ causâ oblata, aut ob levem corporis molestiam vitandam, pravè agit; quam qui urgente gravi perturbatione, aut magnâ rerum necessariarum penuriâ. Atqui intemperans qualibet levissimâ causâ oblata, aut ob levem corporis molestiam vitandam, pravè agit: incontinens autem non, nisi urgente gravi perturbatione, aut magnâ rerum necessariarum penuriâ. Ergo magis peccat intemperatus, quam incontinens. Vnde partem hanc pulcherrimè claudit Arist. expendendo maiorem improbitatem hominis intemperantis hac ferè interrogatione. Si modicis tantum impulsibus voluptatibus, ita in excelsum rapitur, quid futurum erit, si magna aliqua eum occuparet libido, aut ob rerum necessariarum defectum dolor gravis?

11 CIRCA Quartam partem agitur de feritatis vitio, cuiusque occasione dividuntur tripartitò ea, quæ delectationem afferunt. Quædam enim naturâ suâ bona sunt, quædam mala, quædam denique neutra, seu indifferentia. Quæ spectant ad primum genus, iucunda quidem sunt, eaque propter se expendenda: ut honor, victoria, & valetudo bona. Quæ pertinent ad tertium genus execrabilia sunt: ut hominum carnes comedere, sanguinem humanum bibere, & quæ præter naturam est intemperantia. Nimirum, id ad vitium feritatis spectat, communes improbitatis metas excedens, & immanium ac ferorum hominum proprium: quaiiter & crudis carnibus vesci, & beluas inire, & quædam alia, de quibus cap. 5. sequenti, & nonnihil supra cap. 1. huius libri. Tales sunt ij, quos voce compositâ & à Græcis mutuata dicimus anthropophagos, id est, hominum devoratores. Illorum ideam expræsit monoculus ille Polyphemus apud Homerum Odys. lib. 1. Ovidium Metamorph. 14. Virgilium 5. Æneidos, & Lucianum in dialogo ΚΥΚΛΩΠ. Cui proinde, Græcos iam pene iugulæ immolanti, instar arietum aut ovium, dicitur Vlysses oculum eruisse. Vnde & eleganter Alciatus:

Dum residet Cyclops sinuosi in faucibus antri.

Hæc secum teneras concinit inter oves:

Pascite vos verbas: socijs ego pascar Achivis,

Postremumque Vt in viscera nostra ferent.

Audisti hæc Iachus, Cyclopaque lumine cassum

Reddidit. En pœnas, ut iunx auctor habet.

Quæ

Quæ denique spectant ad genus medium, sive neutrum, naturâ suâ nec bona, nec mala sunt: sed tamen ad aliud bonum parandum conducunt: ut cibi, vestes, nuptiæ.

12 EA Distinctione præmissa, asserit, amatores earum rerum, quæ naturâ suâ bonæ sunt, aut etiam indifferentes, sive mediæ, quoties in eo affectu non excedunt rectam rationem, sed eius limitibus continentur; laudabiles esse: quoniam amant quod amari merito potest, & quatenus expedit illud amari. Si autem in amandis iisdem rebus excedat aliquis, seu plus iusto amet; vituperabitur quidem quasi errans, vel à debitâ mensurâ excedens; non tamen veluti improbus, ac vitiosus: quoniam, sci licet, id peccatum non in substantiâ amoris, ut ita loquamur, sed solum in immoderatione aut excessu situm est. Actus enim amandi, tam ex specie suâ, quam ex obiecto & fine, bonus est: solumque evadit malus ab exuperantiâ, aut intensione.

13 EXEMPLVM Affert in amore filiorum, & parentum; qui naturâ suâ bonus est: verum si in eo excedatur mensura rationis, amor erit vituperabilis. Talem ait fuisse amorem filiorum, quo rapta Niobe cum Dijs ipsis pugnabat. Præferendos enim filios suos putavit, ipsis etiam filijs Latonæ; nimirum, Apollini, ac Dianæ, qui pro Dijs præcipuis celebrabantur. Verum Latona indignata, Apollinis & Dianæ sagittis filios Niobis interficiendos curavit, ipsamque Niobem sibi conviciantem rapuille dicitur iuxta Sipylum montem, & in saxum convertisse. Ita fabulatur, inter alios, Ovidius 6. Metamorph. Rei autem ipsius veritatem, qui scire voluerit, consulat Palæphatum lib. 1. & Pausaniam in Arcadicis. Vnde & exeat in Niobis tumulum elegiaca prosopopeia satis elegans, his versibus.

*Este procul lati: cernant mea funera tristes;
Non similis toto mæror in orbe fuit.*

*Bis septem natos peperit, bis pignora septem
(Me miseram!) Divum sustulit ira mihi
Dirigui demum lachrymis, & marmora
manant:*

*Sic mihi mors dolor est: sic mihi vita dolor.
Diserte, mortales, quia sit turgescere fastu,
Et quid sit magnos posthabuisse Deos.*

Et hæc quidem de nimio amore filiorum. De excessu autem ipso in amore parentum notat Aristoteles quemdam nomine Satyrum, qui quod patrem suum impotenter amaret, dictus est cognomento φιλέπατρις, id est, patris amator, sive parricola. Cuius res gestas nemo Veterum scripsisse invenitur, nisi Græcus Scholiastes Eustratius, sive Aspasius, quem tamen, ut sæpe alias, Obertus Giphanius irridet, nec fide dignum censet. Quidquid tamen de hoc sit,

Arist. notat Satyrum erroris & insaniam, quod adeo impotenter patrem suum amaret. Fortasse quia eum colebat, invocabatque veluti Deum. Sic enim legitur apud Paraphrastem Græcum: ἢ οὐ Σάτυρος ὡς θεὸν ἐπικαλεῖται τὸν πατέρα αὐτοῦ, aut Satyrus, qui tanquam Deum patrem invocabat suum.

14 ITAQUE Etiam in ijs rebus, quæ naturâ suâ bonæ, & per se expetendæ sunt, excessus & vituperatio esse potest: verum non turpis, qualiter in ijs rebus, quæ sunt materia incontinentiæ: ut voluptatibus corporis, quæ gustu tactuque percipiuntur. Hæc, nimirum, non eo dumtaxat nomine reprehenduntur, quod exuperantiam habeant; sed præterea quod turpes & scædæ sint, seu ferinæ, & natura suâ sylvestres: ut lib. 3. cap. 11. traditum est. Vnde demum colligit, incontinentiæ materiam non esse res illas, quæ per se expetibiles & honestæ sunt, ac solum ratione excessus vituperari possunt: sed dumtaxat voluptates corporis turpes ac scædas: quia, nimirum, incontinentia non solum detestabilis est propter excessum cupiditatis; sed quoniâ ipsa per se deformis & turpis est. Quare incontinentia non versatur in rebus naturâ suâ honestis, aut per se expetibilibus; ut honore, victoriâ, & bonâ valetudine, aut amore filiorum, parentumve, aut alijs eiusmodi; sed solum in voluptatibus corporis ad tactum gustumque spectantibus, ut dictum est.

15 VERVM Monet, id tantum intelligendum esse de incontinente simpliciter: non verò de illo, qui incontinens solum est secundum partem. Incontinentia enim secundum partem, seu improprie dicta, etiam in ijs rebus versari potest, quæ naturâ suâ bonæ & per se expetibiles sunt, & in quibus solum ob exuperantiam, sive defectum moderationis, peccari potest. Vnde & hoc modo incontinentes, solum dicuntur incontinentes cum addito, si ve per adiectionem: ut incontinentes honoris, aut amoris erga liberos, vel parentes: ideoque nec scædi aut turpes apparent; quamvis vituperabiles propterea sint, & mali plerumque dici soleant; sicuti cum medicum malum, aut malum histrionem nominamus. Non enim hos malos dicimus simpliciter, quasi improbi aut vitiosi sint: sed eo dumtaxat nomine, quod alter malè corporibus medeatur, alter malè fabulas agat; utroque, nimirum, errante in suâ arte. Quo pene sensu de Poggio cive Florentino & historico lepidè dictum fuit:

*Dum patriam laudat, damnat dum Poggius
hostem,*

Nec malus est civis, nec bonus historicus.
Incontinentes autem simpliciter, versantur in rebus turpibus: ideoque sine adiectione aut limitatione vllâ vitiosi & improbi audiunt.

VIDE D. Thom. 2. 2. q. 159. vbi agit de crudelitate, & feritate.

CAPVT QVINTVM.

Quòd circa delectabilia prater naturam non sit incontinentia, & eius dua sunt species.



V M Autem quaedam natura voluptatem efficiant, quorum alia simpliciter, alia generibus animalium voluptatem, atque hominum afferunt: quaedam non natura, sed partim ob morbos, partim ob consuetudinem, partim ob naturas pravas delectent: licet & circa horum singula similes habitus cernere. Dico autem ipsos immanes, ut mulierem illam, quam gravidas rescindentem, foetus devorare aiunt, aut quilibus ferunt nonnullos circa Pontum efferatos homines delectari, quorum alios inquirunt crudis, alios humanis carnibus gaudere, alios suos filios in convivij comedendos mutuo dare: aut id, quod de Phalaride dicitur. Atque hi quidem ferini habitus sunt. Alij autem quibusdam ob morbos, & ob insaniam fiunt: ut qui mactavit matrem, atque comedit, quique censervi iecur item comedit. Alij sunt ex morbo, vel ex consuetudine: ut evulsiones pilorum, & vnguinum esus, & carbonum, & terræ: & insuper venerorum habitus maribus. Alijs enim natura, alijs ex consuetudine accidunt: ut ijs, qui à pueritia cõsuescunt. Quibus igitur causa est natura, eos nemo dixerit incontinentes: quemadmodum neque mulieres, quod Venerem non agant, sed patiantur: pari modo neque eos, qui ob consuetudinem, morbove se habent. Igitur singula quidem hæc habere, extra fines est vitij, quemadmodum & ipsa feritas. Habentem autem vincere, aut vinci, non est ea, quæ absolutè est continentia, aut incontinentia, sed ea, quæ per similitudinem dicitur. Quemadmodum & is, qui circa iram sic se habet, dicens est cum affectu, & non incontinens absolutè. Omne nanque vitium exuperans, & dementia, & timiditas, & intemperati a, & acerbitas, aut est ferinum, aut ex morbo. Nam qui talis est natura, ut vniversa formidet, etiam si obstreperit forex, timidus est timiditate ferina. Quidam etiam felem ob morbum pertimescebat. Et dementium, qui natura quidem ratione carent, sensuque tantummodo vivunt, immanes sunt: quales nonnullæ nationes sunt longè habitantium Barbarorum. Qui verò non natura, sed ob morbos, aut comitiales, aut insaniam, ij sunt mor-

morbosi. Fieri autem potest, ut horum aliqua quispiam interdum habeat tantum, sed non superetur: ut si Phalaris puerum percipiens comedere, sese detineret, aut ab nefanda libidine abstineret. Fit etiam ut non solum habeat, verum etiam superetur. Ut igitur & pravitas ea quidem quæ est humana, absolute dicitur pravitas, alia vero cum additione, ferina, inquam, aut ex morbo, & non absolute: sic & incontinentia, alia est ferina, alia ex morbo. Absolute autem ea est sola, quæ intemperantiæ humanæ non egreditur fines. Perspicuum igitur est, incontinentiam, & continentiam in ijs esse dumtaxat, circa quæ intemperantia, temperantiaque versatur, & in cæteris speciem aliam incontinentiæ, quæ quidem non absolute, sed per translationem, incontinentia dici solet.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Quasdam delectationem esse iuxta naturam: quasdam præter, aut contra. Porro in ijs posterioribus non versari incontinentiam, sed feritatem: cuius execranda malitia expenditur multis liciter.



DICTVM Fuit capite præcedenti, voluptates corporis, nominatimque eas, quæ tactu gustuque percipiuntur, esse materiam, in quâ versantur Continentia & incontinentia. Nunc verò decernit, Arist. utrumque habitum non versari in ijs voluptatibus, quæ præter naturam sunt: quoniam id ad feritatis vitium spectat. Dividitur autem caput in duas partes. In primâ tradit, delectationem duplicem esse: alteram secundum naturam: alteram præter aut contra naturam. In secundâ docet, incontinentiam non versari in ijs delectationibus, quæ præter aut contra naturam sunt.

2 **CIRCA** Primam partem bipartitò dividit delectationes, ut quædam sint iuxta naturam, sive solitum naturæ usum: quædam autem præter, aut contra naturam. Dividit autem, occasione desumptâ ex capite præcedenti. Cum enim ibi docuerit, Continentiam & incontinentiam versari in voluptatibus corporis: posset quispiam inde colligere, nomine eorum voluptatum omnes prorsus intelligi, ut nulla omnino sit, circa quam non se exerceat vir continens aut incontinens. Verum ut eam existimationem falsitatis arguat, distinctionem iam indicatam utrarumque delectationum tradit: atque in prioribus solum, sive ijs, quæ secundum naturam sunt, ostendit versari continentem & incontinentem: non verò in ijs, quæ præter aut contra naturam sunt.

3 **PORRO** Voluptates secundum

naturam subdividit: ut quædam sint absolute simpliciterque incundæ, ac proinde omnibus animalibus: ut voluptas ex cibo & potu percepta. Nullum enim animal est, cui delectationem non pariat cibus & potus unicuique ipsorum idoneus, sive ferum animal sit, sive mansuetum. Quædam autem non sunt simpliciter incundæ: sed dumtaxat huic aut illi animalium speciei. Paleis enim equus & bos iucundo vescitur: glandibus sus: colubris aquila: capra oleastro: quorum tamen pleraque alijs animalium speciei sunt, & homini ingrata sunt. Itaque etiam ipsæ voluptates, quæ naturæ ductum sequuntur, quædam sunt omnibus naturales, quasi in genere: quædam autem aliquibus in specie solum consideratis.

4 **VOLVPTATES** Quoque præter aut contra naturam, dividuntur ab Arist. Aliquæ enim, licet naturæ ipsi repugnent, quibusdam iucundæ sunt *dicæ wnguas*, id est, propter debilitates, aut morbos, laesionemve appetitus sensitivi: quibus nonnunquam fit, ut res natura sua aptæ ad pariendam delectationem, fastidio sint; res autem naturæ repugnantes delectationem aliquibus pariant. Exemplumque affert Alpasius in infantis morbosisque, quibus ob vitiam facultatem gustandi, res acidæ sunt iucundæ dulcesque: res vero dulces, ingrati & insuaves fiunt. Accidit quoque, ut ex rebus naturæ humanæ advertantibus quædam alicui iucundæ reddantur propter inveteratam consuetudinem, quæ est veluti natura altera, & facit ut quis veluti humanum ingenium exuat, & alienum, aut etiam ferinum

induat. Vnde & illud tritum: *Profuit epoto Mithridates saepe veneno*. Quamvis enim venenum sit exitiale naturæ humanæ, & solum connaturale animantibus venenatis, potuit diuturnus eius usus quasi mutare Mithridatis naturam, & bonam valetudinem tueri; fortasse & iucunditatem parere. Quædam denique voluptates sunt abhorrentes à naturâ: quæ tamen aliquibus iucundæ sunt propter pravam corporis constitutionem, & perversam humorum complexionem, quæ pervertitur organum ipsum, sive sensorium, in quo illæ percipiuntur. Vbi autem organum & complexio humorum perversa est, nihil mirum quod delectatio prava sit & perversa. Habemus itaque tres formas seu rationes voluptatum naturæ adversantium: primam ex morbo ortam: secundâ ex inveterata consuetudine: tertiam denique ex perversa humorum complexione.

5 DEINDE Procedit ad illustranda exemplis tria prædicta genera voluptatum naturæ adversantium: ac primò quidem illud, quod ex perversa humorum complexione procedit, & postremo loco assignatum est. Docet prægitur, ea sinistra complexione præditos, esse similes belluis, præsertim feris, indeque ferinos nominari. Huic generi adscribitur feminam quandam circa Pontum truculentam, & foedam, quæ gravidarum uterum ferro scindebat, fœtumque repertum & extractum devorabat. Illam verò Aspasius hoc loco monet, appellatam fuisse Lamiam, quod postea quarundam sagarum, seu maleficarum nomen commune exitit, quod artem suam impiam in occidendis infantibus ponant: & addit, eò furoris devenisse, quod filios amisisset suos, neque aliud solarium inveniret, quam in occidendis & devorandis filiis aliarum matrum. Verùm si ita est, vix consonat doctrinæ Aristotelis, qui hoc loco non affert exemplum voluptatum naturæ adversantium, quæ ex furore aut insaniam oriuntur; sed earum, quæ ex perversa humorum complexione. Nisi dicatur, mulierem illam pessimæ complexionis eiusmodi fuisse, quæ occasione addita mortis filiorum, in id horrendum, & ferum scelus exorbitaverit.

6 ALIUD Exemplum similis immanitatis ex pessima humorum complexione ortæ affert in quibusdam populis immanibus, & truculentis ad eundem Pontum (Scythas Ponticos appellat idem Aspasius) quorum quidam carnibus crudis vescerantur, quidam etiam humanis, Ipsæque similes alios adiungit, qui adeo omnem humanitatem exuerunt, ut filios suos in epulas sibi muruo dare solerent. Quamvis autem nemo Interpretum exponat quinam isti fuerint, fortasse Heniochi sunt, aut Achæi: de quibus idem Aristoteles *lib. 8. Politicor. cap. 4.* allegit fuisse anthropophagos, sive hominivoros.

Quod idem vitium adscribitur quibusdam barbaris apud Æthiopiæ Regionibus, & alijs nostro pene ævo detectis apud Novum Orbem.

7 TERTIVM Denique exemplum profert de Phalaridæ Tyranno, quem insolita crudelitas famosum ubique fecit. De eo asserit Aspasius, ideo ab Aristotele memoratum hoc loco, quia filium suum comedit: ut idem Arist. infra satis indicat. Linconiensis addit, fuisse usque adeo immanem ac dirum, ut hospites domo exceptos, & in lecto locatos, si lecto longiores essent, detruncaret; si autem breviores, extenderet, ut lecto exæquarentur. Verùm hæc insolita crudelitas, non Phalaridis Agrigentini fuit, de quo Veteres nihil eiusmodi, sed Pæcullis latronis Alexandrini. Et quamquam id scelus commisisset Phalaris, opportunius ad exemplum feritatis doctrinæque Aristotelis est, quod nuper ex Scholiaste Græco indicavimus. Cui accedit quod apud Athenæum testatur Clearchus de eodem Phalaridæ, vesci voluisse infantibus avulsis ab uberibus matrum. Alioqui, & non habita ratione antropophagiæ, seu comestionis humanæ carnis, posset quoque in exemplum asserri crudelitates immanes Semiramidis, quæ tempore Aristotelem præcesserunt sicut & quæ postea sequutæ sunt, Tiberij, Neronis, Caligulæ, Heliogabali, Commodi, de quibus Suetonius: sicut & Diocletiani, & Maximiani, quibus sacræ historiæ plenæ sunt. Omnia autem exempla ex Aristotele producta denotant habitum, seu vitium feritatis, à ferina humorum complexione ortum.

8 ALTERVM Illud genus voluptatum naturæ contrariarum, supra *num. 4.* primo loco relatam, ex morbo aut insaniam procedens, illustrat seorsim exemplo illius, qui matrem Dijs immolavit, veluti victimam, immolatamque comedit: insuper & alterius, qui conservi sui voravit iecur. Divinat idem Aspasius, priorē illum fuisse Xerxem Persarum Regem: sed nullo Veterum testimonio probat, nec facile invenitur ab aliquo eorum traditum. De posteriori autem, neque ipse Aspasius, qui in rebus eiusmodi facile coniectare solet, verbum profert.

9 DEMVM Voluptatum ex inveterata consuetudine procedentium exemplum adhibet in ijs, qui pilos sibi carptim evellunt, aut ungues corrodunt, aut terram, carbonemque comedunt, indeque, quamvis reluctante natura, delectationem capiunt. Quamvis enim nonnihil cause sit in exuperantia atræ bilis, & acidi humoris; attamen consuetudo diuturna est, quæ potissimum invertitur naturæ ordo, & voluptuosum fit, quod per se insuave, imò & horribile est. Huic monstro

voluptati addit aliam, eamque nefariam, & prorsus naturæ excereabilem, in præpostera masculorum Venere sitam. Quod verò indicat, eam aliquibus naturalem esse, solùm denotat, quibusdam complexione in id quoddammodo propensam existere: quamvis consensus ipse & opus contra naturam sit. Quo sensu exponendū erit Problema 27. sect. 4. ubi etiam distinguit eos qui ex complexione, & eos qui ex impia consuetudine in scelus adeo simmane propensi sunt, præsertim ab ipsa pueritia. Consuetudini rodendi vngues, & evellendi capillos, quia immani, & contra naturam, adiungit Giphanius ex Pontano aliam cuiusdā hominis, qui semper intra aquas maris habitare consuevit: insuper & ex Averroë refert, puellam fuisse, quæ tota vita consueverit nullo alio cibo vesci, quàm napello, id est, quadam radice alic. Id enim videtur naturæ humanæ adversum.

10 CIRCA Secundam partem pronunciat, Continentiam & incontinentiā non versari in delectationibus naturæ repugnantibus, & ferinis: idque probat discurrendo per tria illa genera voluptatum eiusmodi recensitantum. 4. Ac primò quidem de ijs, quibus earum voluptatum quoddammodo causa est prava, & quasi belluina complexio humorum, pronunciat nec continentes, nec incontinentes simpliciter dici posse, aut solere. Idque probat exemplo fœminarū, quæ non dicuntur incontinentes. Quod sanè difficile intellectu est, præsertim propter varietatē Interpretum in exponendis illis verbis Græcis, quibus Arist. de fœminis ait, *ὅτι ὀπίσθιν, ἀλλ' ὀπίσθινται*. Quæ vetus Interpres apud D. Tho. ita vertit, *non ducunt, sed ducuntur*. Itaque iuxta mentem S. Doctoris 2. 2. *quest. 56. art. 1.* Aristoteles ijs verbis voluit denotare in fœminis imperfectionē iudicij, & rationis; cuius causa potius duci & regi debent à viris, quàm eos ducere, ac regere: ac proinde docuit, eas non esse simpliciter incontinentes. Quicumque enim simpliciter incontinens est, is ratione firmissima præditus est, cui tamen reluctatur victus cupiditate impotenti. Quod ipsum exponit Gualterus Burleus observando, belluas ideo non dici continentes, incontinentesve, quia non modò nesciunt principia generalia rationis, ex quibus dicitur cognitio in singulari eorum, quæ agere aut vitare oportet; sed præterea quia solùm habent phantasiam & memoriā singularium rerum, qua commoræ, necessario aut expetunt, aut irascuntur. Vnde nullam potestatem habent ut se contineant: quia carent ratione, & notitia principiorum universalium.

11 IUXTA Quem sensum ratio Arist. sub hanc formulā proponi potest. Quicumque præditi sunt levi cognitione principiorum universalium, instar fœminarū, ut prop-

terea idonei non sint ad resistendū fortiter cupiditatibus; ij simpliciter incontinentes non sunt. Quippe incontinens simpliciter is solus est, qui rationē validam & fortem habet: vincitur tamen immodica cupiditate. At qui pravam & quasi belluinam complexionē habent, præditi sunt levi cognitione principiorum universalium, instar fœminarū, ut propterea non sint idonei ad resistendū fortiter cupiditatibus. Ergo, ij simpliciter incontinentes non sunt. Cùm verò omne vitium, omneque peccatū, cuiuscumque generis sit, debeat esse voluntariū non solùm in re, & iuxta doctrinā Fidei, sed etiam opinione eiusdem Aristoteles in hoc Opere, præsertim *lib. 3. cap. 1.* consequens est, ut illa cognitio principiorum generalium rationis, quæ præditi sunt homines complexionis prave & belluine, sicut & fœminæ, quamvis non sit fortis & valida, sicut incontinentiū, sit tamen sufficiens ad dignoscendam malitiam voluptatum naturæ adversantium, & impediendam operationē turpem: suppositis tamen ad vincendam tentationē gravē auxilijs divinæ gratiæ, ignoratis ab Aristotele. Quæ ab Interpretibus hoc loco prætermitti non debent, ne Aristotelem sequamur inferentes quodquam præiudicium Fidei. Itaque nulla fœmina, nullus vir est cuiuslibet complexionis, etiam barbaræ, & belluine, qui, si præditus ratione sit, non valeat resistere cōplexioni effrenatæ, qua propendet ad peccandum, & indulgendum voluptatibus, tam ijs quæ iuxta, quàm quæ contra naturam sunt.

12 CÆTERVM Interpretes Recentiores, quotquot Græci sermonis peritissimi extiterent, longè aliter accipiunt verba illa Aristoteles docentis, fœminas haud dici incontinentes, quòd *ὅτι ὀπίσθιν, ἀλλ' ὀπίσθινται*: id est, *venerem non agant, sed patiantur*, ut vertit Argyropilus: aut *non incubent, sed succubent*, ut habet Turnebus: aut *non subigant, sed subigantur*, ut alij exponunt. Quæ omnes versiones in idem recidunt, & respondent germanæ significationi verbi *ὀπίσθιν*, quod non significat ducere, ut antiquus Interpres putavit, quamvis interdum significet vxorem ducere; sed tantùm sit impositum ad significandum actum illum, quo viri fœminis ineundis operam dare dicuntur. Quæ versione statuta, sensus Aristotelis est, eos qui delectantur voluptatibus naturæ adversis, propter belluinam complexionem humorum prave atque inordinate mistorum, nō esse incontinentes simpliciter: quia ratione adeo infirma præditi sunt, ut potius videantur pati instar fœminarū, quàm agere: cùm tamē incontinens simpliciter is solus sit, qui valida & firma ratione præditus agere & resistere potest, quamvis tandē cedat cupiditati urgenti. Quod tamē eadē ratione adhibita intelligendū est,

est, ac præcedens. Nimirum, nemo invitus peccat, nemo contra naturam delinquit, nisi sufficienti cognitione & arbitrio præditus ad resistendum: quamvis non in omnibus sit ille rationis vigor, qui in incontinente, dum reclamante conscientia, & fortiter dehortante à pravo opere, succumbit.

13 DEINDE Docet, nec incontinentes simpliciter esse eos, qui voluptates naturæ contrarias sequuntur ob pravam & inveteratam consuetudinem. Ratio est: Quia nemo incontinens simpliciter habet corruptum iudicium, æstimationemque rerum: cum satis clarè & patenter intelligat malum esse id quod agit. At qui voluptates naturæ contrarias sequuntur, ob pravam & inveteratam consuetudinem, planè habent corruptum iudicium æstimationemque rerum. Nimirum, vitio ipso effræni quasi induerunt belluinam naturam, & exuerunt rationem humanam. Ergo qui voluptates naturæ contrarias sequuntur ob pravam & inveteratam consuetudinem, non sunt simpliciter incontinentes. Scilicet, ij omnes, sicut & præcedentes, excedant limites viri, dum belluinis moribus sibi comparant, & incurunt feritatem, quæ omne vitium humanum prætergreditur.

14 VNDE Arist. appositè observat, eiusmodi homines ferinos ex consuetudine, esse similes aegrotis & morbois, quibus ex diuturna infirmitate complexio ipsa naturalis humorum iam corrupta est. Similiter enim ij, corrumpunt iudicium & rationem, ne attendant, aut expendant turpissimorum operum improbitatem, cuius intenta ac vivida consideratione alioqui possent ab ijs deterreri. Ergo ij non sunt simpliciter incontinentes: quia incontinens simpliciter est præditus inento iudicio, & consideratione mali quod agit, eo sensu, quo dictum fuit supra cap. 3. Quare solum incontinentes dici possunt cum addito, improprie, & per quandam similitudinem: vt cap. præced. num. 14. § 15. traditum fuit de incontinentibus itæ, honoris, & pecuniæ; qui non sunt simpliciter incontinentes, sed ex adiectione, & improprie, aut, vt ipse Arist. ibidem loquebatur: *κατὰ μέρους*, secundum partem. Ita & ij incontinentes belluinarum, aut ferinarum voluptatum dici possunt, similitudine quadam.

15 SED Quæcumque ex causa trium prædictarum orientur immanes eiusmodi delectationes, generatim probat Aristoteles eas non spectare ad incontinentiam simpliciter. Formula argumenti hæc esse potest. Quicumque in peccando prætergreditur limites improbitatis humanæ, incontinens simpliciter non est. At qui delectationes immanes & ferinas admittit, in peccando prætergreditur limites improbitatis humanæ. Ergo incontinens

simpliciter non est. Maior patet: quia esse incontinentem simpliciter est improbitas humana, seu propria hominis. Minor autem suadet: Quia admittere delectationes immanes, & ferinas, est quasi induere naturam feram, & humanam exuere. Ergo egreditur limites improbitatis humanæ. Vnde & infertur, nec continentem simpliciter dici debere habentem eiusmodi cupiditates, & illas vincientem: quia Continentia simpliciter dicta non est posita in frænandis cupiditatibus ferinis, sed humanis. Quare nec Continentiæ simpliciter laudem merebitur, nec denominationem sortietur, sed solum cum addito, & similitudine quadam, vt solum dicatur continentia immanium aut ferinarum voluptatum.

16 HVCVSQVE Arist. egit solum de feritate illa, quæ proprie spectat ad materiam Temperantiæ, positam in delectationibus gustus & tactus. Nunc iam procedit ad exponendam notionem quandam generaliore feritatis, vagantem per omnia illa vitia, in quibus summus quidam excessus, seu exuperantia invenitur. Sicut enim cap. 1. huius libri dictum fuit Virtutes illas, quæ summum apicem perfectionis attingunt, Heroicas appellari, quoniam excedunt communem mensuram improbitatis humanæ: ita etiam dicendum, vitia illa, quæ summam exuperantiam continent, & prætergrediuntur communem modum improbitatis humanæ, generatim ferina esse, mererique feritatis notam. Eiusmodi, inquit, est insignis amentia, timiditas, scævitia, & asperitas, ac denique omnis insolita exuperantia fines humanitatis excedens, sive ex prava complexione humorum, sive ex diuturna consuetudine, sive tandem ex morbo procedat. Sicut enim Achillis fortitudo, Vlysis prudentia, & Catonis constantia, Heroica dictæ sunt, propter excellum Virtutum earum ad communes aliorum hominum: ita & vitia quæque exuperantia modum humanam feritatis nomine insigniuntur.

17 DVPLEX Exempli genus tantummodo offert: alterum in nimia & insolita timiditate, sive ignavia; alterum in imprudentia, seu dementia. Circa primum ait, quosdam ita pavidos, vt vel musculi strepitu expavescant, & vt in *Politico. lib. 7.* inquit, vel muscas prætervolantes exhorreant. Quod & in proverbium abiit. Simileque est illud aliud, *ταὺς αὐτῶν οὐκ ἐπιβήσιν*, suam ipsius umbram metuere. Quod translatum est ab ijs, qui forte conspecta umbra corporis, subito expavescent. vel etiam a quibusdam melancholicis, qui iuxta eundem Aristotelem, propter imbecillos oculos spiritus, in aere proximo suam veluti imaginem contèplantes, existimant se suos videre Manes. Inde illud Socratis apud Platonem in *Phedone*: *Tu verò tuam, quemadmodum dici solet, metuis*

ombram, nimirum, tibi ipsi diffidis. Eodemque proverbio vivitur Cicero *de Consulato petendo*, & Plutarchus *Symposiacorum Problematum decade 7*. Simile etiam est aliud, *Timere ne cœlum ruat*: duciturque, ut idem Aristotel. observat *lib. 5. Physic.* à priscais illis & rudibus hominibus, quibus altè defixum animum erat, cœlum Atlantis robore & humeris sustineri. ideoque periculum esse, ne Atlante moro, aut defatigato, ruat.

18 SED Singularia quorundam hominum exempla sunt, quibus insignis & solitè longè maior timiditas fuit. Plutarchus *lib. de facie in orbe Lunæ* testatur, Pharnacem quemdam timuisse ne fortè Luna laboretur in terram: ideoque miserum eorum, qui Lunæ suppositi essent, ut Æthiopes, & qui Trapobanam incolunt. Anthenon quoque, iuxta Heraclidem Ponticum *in Eclogis*, semper galea connectus domo prodibat, & publice versabatur, insano timore cœli casuri. Celebris quoque fuit Pisander ille, meticulosorum idea, cuius causa proverbium fuit, *Pisando timidior*. Nimirum, de illo legitur, assidue pavidum fuisse, ne suam ipsius animam haberet obviam. Adagium quoque aliud est, *Timidus Plutus*: de quo Aristophanes, & Lucianus *in Timore*, asserunt, omnia formidasse, & nulli fidisse. Omnes igitur ij, & alij similes in ignavia, seu timiditate, excellerunt modum humanum, ideoque feritatis notantur, generali quadam acceptione. Et eos quidem Arist. meticulosos existimat ratione pravæ complexionis: alios verò ratione morbi, qualem fuisse asserit quendam, qui perzimescebat felem.

19 ALTERVM Exempli genus est in imprudentia aut dementia immani & ferina, partim ex natura, partim ex morbo. Natura enim, seu complexione humorum, quædam nationes sunt admodum immanes & barbaræ. quas hoc loco nominatim non exprimit: sed tamen *in Politicis* nominat Celtas, stultissimos sane populos, qui olim adversus maris fluctus pugnarunt: sicut & Pysillos in Africa adversus Austrum pugnasse, testantur idem Arist. Herodotus, & Alianus. Quibus merito accenset Giphanius Tartaros, apud quos scæminæ non decumbunt post partum, sed viri, qui postquam uxores pepererunt, se in lectum conijciunt: ibi

demque puerperis circumcursantibus, illa omnia officia excipiunt, tum gratulationum, tum & deliciarum, quæ apud eos impèduntur scæminis post emissionem scetus, res planè non modò barbara, sed & ridicula, cui plures Historici fidem faciunt. Similiter & ex morbo, ut comitiali, seu epilepticorum, aut insaniam, eundem mentis stuporèm, seu immanitatem, provenire ait. Legendus est idem Arist. *Problem. 1. sect. 30*. ubi de melancholicis, & epilepticis, seu caduco morbo laborantibus dicitur, de cetero, id in causa esse, ut homo exuat hominem: v. g. Plato, Pythagoras. Sic & Bellerophon adeo melancholicus fuisse dicitur, ut nollet versari inter homines, & vestigia agnorum lustraret. Ideoque de hominibus eiusmodi inquit, aut esse Deos, aut belluas; id est, prorsus diversos ab hominibus.

20 DE Omnibus ijs hominibus belluina indole laborantibus, sive illa ortum duxerit ex naturali humorum complexione, sive ex consuetudine, sive ex morbo, sive denique generatim ex insolita exuperantia, atque humanum modum excedente; pronunciat demum non esse incontinentes simpliciter: sicut nec propriè continentes eos, qui ab alijs immanitatibus abstinent. Non enim continens propriè erit si quis tactus ijs effrenatis cupiditatibus, resistat & vincat: ut si Phalaris, inquit, commoveri se sentiret ad devorandum puerum, aut ad libidinem nefariam, & tamen resisteret, propriè continens non esset: sicut neque incontinens simpliciter est, qui belluinis cupiditatibus excitatus succumbit, & turpe aliquid præter solitum naturæ ordinem committit. Sicut enim vitiositas alia dicitur absolute & simpliciter, qualis est propria hominis; alia autem solùm cum adiunctione, qualis est, quæ humanitatis fines prætergreditur, & feritas nominatur: ita etiam incontinentia duplex est; altera simpliciter & absolute, id est, humana, & limitibus intemperantiæ adstricta; altera autem cum adiunctione, ut ea quæ humanam vitiositatem supergreditur, & hominem quasi transformat in belluam. Sed de his nonnihil amplius cap. sequenti.

VIDE D. Thomam 2. 2. quæst. 159.

ubi de feritate,

(?)



CAPVT SEXTVM.

De incontinentia iræ, voluptatum differentijs, & vitio humano.

POST Hæc autem, & minùs esse turpem, iræ, quàm cupiditatum, incontinentiam ostendamus. Ira nanque aliqua ex parte, & non perfectè, rationem audire videtur: perinde atque veloces ministri, qui quidem antea, quàm totum id audirent, quod dicitur, excurrunt, deinde in agendo aberrant. Canes etiam antea, quàm considerent, si sit amicus, si tantùm pulsaverit ostium, latrant. Sic & ira propter caliditatem, celeritatemque naturæ, audita quidem ratione, non præcepto autem audito, ad ipsam properat ultionem. Ratio nanque, vel imaginatio contumeliam, aut paruipensionem esse ostendit: illa autem, ac si rationatione facta concluderit, oportere tali bellum inferre, statim insurgit. At cupiditas, si solùm dixerit ratio, aut sensus, hoc afferre voluptatem, pergit ad fruendum. Quare ira quidem sequitur quodam modo rationem: cupiditas autem non sequitur: turpior igitur est. Nam incontinens quidem iræ, à ratione quodam modo vincitur: cupiditatis autem, non à ratione, sed à cupiditate. Prætereà, magis est ignoscendum, si quispiam naturales appetitiones sequatur: quippe cùm & cupiditates tales sequenti, quæ sunt omnibus communes, & quoad communes sunt, venia magis detur. At ira, atque acerbitas, magis est naturalis, quàm hæc cupiditates, quæ exuperant, & quæ non sunt necessariae. Ut qui se excusabat quòd patrem pulsaret: & hic enim, inquit, suum patrem pulsabat, & ille suum: & hic etiam, ostenso puero, cùm vir fuerit, me pulsabit, est enim nobis gentile. Et qui trahebatur à filio, sistere iubebat in ostio, & se enim patrem eoufque traxisse dicebat. Prætereà iniusti magis sunt ij, qui magis occultè procedunt, ac insidias faciunt. Iracundus igitur non insidias facit, nec ira, sed est manifesta. Cupiditas autem contrà, quemadmodum Venerè aiunt, nam ipsam dolos noctere dicunt: & Homerus balthem ipsi tribuit, in quo fraudem etiam inesse dicit. Fraus quoque inest, quæ prudentè persæpe fefellit. Quare si cupiditas magis sit iniusta, quàm ira, & incontinètia, quæ est circa ipsam, turpior erit ea, quæ est circa iram: & absolutè incontinentia, atque quodam modo vitium. Insuper, nemo vitur libidine dolens: sed qui facit per iram, dolens omnis facit: qui verò exequitur libidinem, id facit cū voluptate.

Si igitur ea sunt magis iniusta, quibus irasci magis est, iustum & incontinentia profecto, quæ fit ob cupiditatem, magis erit iniusta, non est enim in ira, libido. Incontinentiam igitur circa cupiditates turpiorem esse incontinentiam circa iram, & continentiam, atque incontinentiam circa corporis cupiditates, voluptatesq; versari, ex ijs, quæ diximus, perspicuum evasit. Harum autem ipsarum differentiarum sunt sumendæ. Nam, ut ab initio diximus, aliæ sunt humanæ, ac naturales, & genere, & magnitudine: aliæ ferinæ, aliæ ob labefactatum principium, atque morbos emergunt. Circa autem harum tantummodo primas, temperantia, intemperantiaque versatur. Quapropter & feras, nec temperatas, nec intemperatas, nisi per translationem, dicimus, & si quod omnino aliud genus animalium ab alio differt petulantia, coitu, voracitateque. Non enim habent electionem, nec rationem, sed dimotæ sunt à natura perinde, atque homines ij, qui sunt mente capti, atque insani. Feritas autem minus est malum, quàm vitium, sed terribilius. Non enim corruptum est id, quod est optimum, ut in homine: sed non habet. Fit igitur perinde, atque si quispiam animatum cum animato compararet, utrum sit peius. Semper enim pravitas eius, quod non habet principium, minùs nocere potest, at mens est principium. Perinde est igitur, atque si quispiam iniustitiam ad iniustum hominem compararet. Est enim utrumque aliquo modo peius. Homo nanque malus millies plura mala, quàm fera, facere potest.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Incontinentiam iræ non usque adeò detestabilem esse, ac illam, quæ in cupiditate, & libidine versatur. Eam verò deteriore esse feritate, quamvis hæc horribilior sit.



DICTVM Fuit utroque capite præcedenti, incontinentiam simpliciter solùm versari in delectationibus spectantibus ad gustum & tactum, comprehensiq; sub obiecto intemperantiæ humanæ: atque adeò eos, qui in cupiditate iræ, honoris, aut pecuniæ, peccant, & rapi se sinunt, conscientia reclamante, non esse incontinentes simpliciter, sed solùm cum addito, & improprie; ut incontinentes iræ, honoris, avaritiæque. Nunc disserit Arist. de ea incontinentia iræ, quamvis impropria & similitudinaria: & summarim docet, incontinentias esse varias, multipliciq; modo inter se comparabiles. Dividitur autem caput in duas partes. In prima pronunciat, incontinentiam iræ minùs malam esse, quàm incontinentiam cupiditatis & libidinis, In secunda statuit, vitium

esse quidem feritate peius: verùm hanc horribiliorem esse.

2 CIRCA Primam partem docet, incontinentiam libidinis, seu voluptatum spectantium ad gustum & tactum, esse peiorem, quam incontinentiam iræ. Idque probat quatuor rationibus. PRIMA est huiusmodi. Illa incontinentia est turpior, quæ remotior à ratione. At incontinentia libidinis est remotior à ratione, quàm incontinentia iræ. Ergo incontinentia libidinis peior est, quàm incontinentia iræ. Maior patet: Quia illa incontinentia est turpior, quæ magis degenerat à natura rationali, seu propria hominis. At incontinentia illa, quæ remotior à ratione est, magis degenerat à natura rationali, seu propria hominis. Ergo & illa turpior est. Minorem pluribus probat Aristoteles ferè sic. Illa incontinentia remotior à ratione est, quæ

que minus rationem audit. At incontinentia libidinis minus rationem audit, quam incontinentia iræ. Imò prior illa nullo modo audit rationem, neque illam sequitur: sed cum primùm per sensus renuntiatur voluptas, rapit impotenter hominem, ut ea fruatur, absque ullo respectu rationis. Posterior verò quoddammodo & leviter audit rationis imperium. Quod eleganter exprimit Aristoteles dum inquit, iracundiam ἀκούει, ἀλλὰ παρακαταλείπει, *audire, sed leviter audire rationem*: sicuti eleganter diceremus, inquit Giphanius, imperfectè videntem, βλέπει μὲν, ἀλλὰ παραβλέπει, *videre quidem, sed malè videre*: quemadmodum aliqui syllogizant quidem dum argumentantur, sed paralogizant.

3 NEC Solum affirmat eà elegantè locutione, iracundiam audire, quamvis leviter, rationis imperium: sed præterea exponit duplici exemplo. Alterum est apparitorium, aliorumve servorum, qui ad aliquid raptim agendum mittuntur à dominis suis. Cum verò ardentes & iusto celeriores sint, non satis percepto dominorum mandato statim accurrent & advolant: ideoque illorum iussa non exequuntur, sed imò verò contraria præstant, quoniam non satis audierunt, seu auscultarunt. Alterum verò exemplum petit à canibus domesticis, qui propter iram celerem, ac faciliè mobilem, quæ fervent, ubi vel levem strepitum ad fores dominorum percipiunt, statim latrant, & prohibent ingressum cuicumque adventanti, etiam ignoto, quasi dominus ita iusserit; cum tamen vetuerit latratum. Similiter ergo incontinens iræ, quoties iniuriam sibi illatam sentit, aut suscipitur, monentem rationem audit quidem, quamvis leviter & in transitu: sed tamen statim quasi in latratum profilit, & ad vlciscendum dolorem suum impotenter rapitur, priusquam maturè deliberet, an irasci oporteat, necne. Ex quibus omnibus patet, incontinentem iræ ratione quadam, licet infirma, moveri, & concitari ad irascendum: quia ratio, quamvis depravata, aut insufficient, proponit ipsi, iniuriam esse vlciscendam. Incontinens autem libidinis sola voluptate movetur, in quo nulla est, vel apparens, ratio. Ergo bene & verè assumit Arist. incontinentem libidinis remotiorem esse ab audienda ratione, quam incontinentem iræ.

4 SECUNDA Ratio, qua idipsum probat, est huiusmodi. Illud minus turpe est, cui facilius venia conceditur. At incontinenti iræ facilius venia conceditur, quam incontinenti libidinis. Ergo incontinens iræ minus turpis, quam incontinens libidinis est. Ut autem eius syllogismi vis introspeciat, observare oportet, cibi potusque cupiditatem duplicem esse: alteram communem, & ci-

borum frequentium, quorum appetitus naturæ cuique insitus est: alteram peculiarem, ut ciborum non frequentium, & quæ in delicijs habentur, sive ob raritatem, sive ob exquisitum condimentum. Prior illa cupiditas est naturalis, sicut & ira: posterior autem quatenus peculiaris, non est naturalis, sed ex vitio, aut gulositate procedens. Ira autem, cum sit unicuique naturalis (quippe quæ & belluis competit) non comparatur cum hac posteriori cupiditate cibi, & potus exquisiti, sed cum illa priore & naturali. Incontinentia autem libidinis equiparatur posteriori cupiditati cibi, & potus delicati & pretiosi, quoniam utraque præter naturam est. Eo autem observato, suadet præcipua illa syllogismi propositio minor, in qua sola est dissidium. Id enim quod naturalius est, facilius obrinet veniam. At incontinentia iræ naturalior est, quam incontinentia libidinis. Ergo incontinentia iræ facilius obrinet veniam, quam incontinentia libidinis.

5 CONFIRMATUR Idipsum: nimirum, iram esse nobis magis naturalem, & cognatam, atque adeò incontinentiam iræ digniorem esse venia. Confirmat, inquam, duplici exemplo, seu vero, seu excogitato ab aliquo Poetarum. Primum est, quod quidam accusatus quia verberaverat patrem suum, excusavit se quòd is etiam patrem suum verberasset, & hic deinceps suum: insuperque addidit, se rursus à filio suo verberandum. Quo ipso veniam precabatur, quasi hereditarium esset illud scelus, & à natura quoddammodo: ideoque veniam mereretur. Secundum exemplum est, quendam à filio tractum, seu raptum fuisse ad fores usque domus suæ: ibique filio dixisse, Desine iam. hucusque enim, & non ultra patrem meum ego traxi. Quibus planè evincitur, quoddammodo venia digna esse, quæ non tam vitio, & prava cuiusque voluntate comparantur, quam origine, & natura quoddammodo habentur. Vbi supponit Aristoteles parentum indolentiam ad filios per generationem plerumque descendere. Quod multiplicitate eruditione hoc loco illustrari posset ex ijs, quæ observavimus tom. 1. Theologia Florulenta, Ludo V. nec repetere vacat.

6 TERTIA Ratio. Quicumque insidiantur, peiores sunt ijs, qui aperte agunt. At incontinentes cupiditatis insidiantur, incontinentes verò iræ aperte agunt. Ergo incontinentes cupiditatis peiores sunt, quam incontinentes iræ. Maior patet: quia agentes per insidias, sive dolum, magis contrarij sunt vitæ, & societati civili, quæ ingenuitatem animi exposcit, & ut omnia, quæ ad convictum spectant, prona & in aperto sint. Minor verò quò ad posteriorem partem, quæ est de iræ, experimento ad sensum comprobatur;

quoniam ira foras erumpit, & statim in apertum se profert. Quo ad priorem verò probatur ab Aristot. quia cupiditas est insidiatrix: ideoque Homerus Venerem *δολοπλοκόν*, id est, *dolos necentem*, vocat: & Iliad. §. de eadem accinit, cestro, seu cingulo suo mentem adimere, etiam quibusque prudentissimis. Carmina Homeri ab Aristotele allegata sic aliquantò liberius à Recentiore quodam Latine reddita sunt:

*Sic ait, & solvit de pectore textileorum
Picturatum, in quo lenimina cuncta ferebat.
Huic inerat desiderium, huic amor, huic mul-
tibus*

*Blandiloquentia, quæ & egregie sapientem
Furtivis adiuta dolis, fallitque, capitque.*

Eiusdem zonæ, sive cæstus Veneris, meminisse Theocritus in Adonidis epitaphio, dum accinit: *Σοὶ δ' ἀμακίστος ὄλωκε*. *Tecum una & cæstus perijt.* Et de iisdem artibus Veneris Virgilius: *At Cytherea novas artes, nova pectore versat.*

7 QVARTA. Is cui cæteri magis irascuntur, & merito succensent, peior est, quam cui minus. At incontinenti cupiditatis cæteri magis irascuntur, quam incontinenti iræ. Ergo prior ille peior est. Maior propositio patet: quia graviore culpæ debetur ac merito respondet indignatio graviore. Minor autem suadetur: Quoniam homines magis indignantur & succensent inferenti contumeliam, quam non inferenti. At incontinens cupiditatis contumeliam infert; non vero incontinens iræ. Cuius ratio est: quia cupiditas est coniuncta cum voluptate, ira autem cum dolore. At qui nemo cum dolore infert alteri contumeliam. Licet enim in irâ sua quoque voluptas sit, ut patet in ijs qui vlciscuntur; tamen & voluptas illa ex dolore procedit. Cupiditas autem nudam voluptatem parit: ideoque & contumeliam proprie dictam, ubi quis ex cupiditate alterum verbis in faciem provocat. Quare idem Arist. lib. 2. *Rhetor.* docet, contumeliam esse iniuriam quandam cum alterius dedecore, & pudore: sua verò cum utilitate, seu solius voluptatis petulantis explendæ gratia. Cum ergo contumelia proprie dicta ingentem pariat indignationem, consequens est, ut incontinenti cupiditatis cæteri magis irascantur, quam incontinenti iræ. quæ est illa præcipui syllogismi minor.

8 CONFIRMATUR Explicaturque amplius ratione quasi à priori. Maior indignatio debetur peccanti magis voluntarie. At incontinens cupiditatis peccat magis voluntarie, quam incontinens iræ. Prior enim ex voluptate peccat, quam maximè volūtas amat: posterior autem ex dolore iniuriæ acceptæ, quem voluntas fugit. Ergo maior indignatio debetur incontinenti cupiditatis, quam iræ.

9 CIRCA Secundam partem comparat vitiositatem humanam immanitati & ferocitati: & summam docet, vitiositatem esse peiorem feritate, quamvis hæc horribilior sit. Quod sanè videbitur immane paradoxon, nisi paulò attentius consideretur. Pro quo admonet, seu in memoriam nobis revocat divisionem cap. 5. traditam voluptatum, rerumque iucundarum: ut aliæ sint naturales, tam ex genere suo, quam ex mensurâ, seu magnitudine, proindeque humane, seu non abhorrentes ab homine: aliæ autem ferinæ, aut belluinæ: ideoque excedentes modum improbitatis humane, aut ex suâ formali ratione, aut ob insolitam exuperantiam. Similiter & memoria recolendum commendat, Continentiam & incontinentiam simpliciter, in priori dumtaxat delectationum genere positam esse: utpotè in quibus versantur Temperantia & intemperantia. Quod postremum ideo observare videtur, quia hoc loco non tam vitium & feritatem in genere comparat, quam vitium intemperantiæ in specie, cum ijs speciebus feritatis, quæ ni materia propria intemperantiæ positæ sunt; nimirum, in voluptatibus gustus, & tactus. Inde etenim deprehendetur, an vitium intemperantiæ sit peius vitio feritatis; an potius è contrâ.

10 SED Priusquam ad dirimendam eam controversiam accedat, digreditur ad questionem aliam incidentem: an, scilicet, belluæ temperantes, aut intemperantes sint. Videtur enim neutrum ijs concedendum: quoniam Temperantia & intemperantia, ex dictis, solum versantur in voluptatibus humanis. Cum igitur belluæ capaces non sint voluptatum humanarum, infertur, nec capaces esse Temperantiæ, aut intemperantiæ. Aliunde verò videtur id affirmandum: quia voluptates gustus & tactus, in quibus posita est Temperantia & intemperantia, sunt communes belluis.

11 HVIC Quæstioni respondet negando belluas temperantes aut intemperantes esse: idque dupliciter probat: *Primò*: Quia Temperantia & intemperantia, ut nuper dictum est, positæ solum sunt in voluptatibus competentibus homini, quæ homo est: ideoque capite præcedenti demonstratum fuit, eas non extendi ad ferinas voluptates, seu modum humanum excedentes. At belluæ capaces non sunt voluptatum competentium homini quæ homo est, sed ferinarum dumtaxat, & prætergredientium modum humanum. Ergo neque capaces sunt Temperantiæ. *Secundò*. Quicumque temperans aut intemperans est, operatur ex consilio & electione, utpotè ex habitu procedens ad opus. At belluæ non operantur ex consilio & electione. Ergo nec temperantes, nec intemperantes sunt.

12 VERVM Conceditur tandem bel-

belluis impropria quædam temperantia & intemperantia, seu per similitudinem, & catarchesim, siue abusionem vocabuli. Quod ut exponat, assignat tres animantium inter se differentias, seu affectiones diversas. Prima est *v'bspis*, id est, contumelia & vis: quamvis alias sepe pro libidine accipitur. Secunda *συναγωγία*, quæ licet alijs locis significet stultitiam, in presenti accipitur pro libidine effusâ, aut lasciviâ. Tertia est edacitas, seu voracitas. Itaque animalium quædam sunt alijs contumeliosiora, id est, nocentiora & truculentiora, ut leones, & dracones: alia turpiora & profusiora ad libidinem, ut sues, & capræ: alia demum voraciora & ad ingluviem ventris propensiora, ut lupi. Unde consequens est, ut ex ijs tribus belluarum generibus, quæ magis ad nocumentum aliorum, libidinem, aut voracitatem propensæ sunt, dicantur intemperantes, comparatione factâ ad ea belluarum genera, quæ minus nocent, lasciviunt, & comedunt. Ceterum totum id improprium & penes solam similitudinem est.

13 NINC Procedit ad dirimendam quæstionem supra institutam, & docet, feritatem esse minus malam, quam vitium humanum: esse tamen malum *ποβερωτερον*, *terribilius*, seu horribilius. Priorem resolutionis partem probat ferè sic. Id quod naturâ suâ inducit plura & maiora mala, peius est eo, quod pauciora & minora natum est asserre. At vitiositas humana intemperantiæ naturâ suâ inducit plura & maiora mala, quam feritas. Ergo peior quam feritas est. Minorem, in quâ est difficultas, probat: Quia vitiositas humana intemperantiæ, quamvis rationem pervertat, non tamen prorsus extinguit, nec intelligentiam excludit: quibus armatus homo vitiosus potest plurimis nocere modis, & gravissima damna inferre. Feritas verò nullum omnino rationi atque intelligentiæ locum relinquit, sed perinde eripit homini iudicium, ac si esset bellua. Unde non relinquit in homine principium aliquod ad machinandum alijs damna & nocumenta. Ergo vitiositas humana intemperantiæ naturâ suâ inducit plura & maiora mala, quam feritas.

14 POSTERIOR Asserti pars suatur, vel ex eodè principio: Quia licet vitiosus intemperans peior sit, quam ferinus; adhuc retinet rationem, & intelligentiam, licet perversam, quâ possit à maleficio desistere, & cohibere vitiositatem suam, ne alijs noceat. Qui autem efferatus est moribus, omnem à se rationis ductum expulit: ideoque nihil in eo manet, quo impediatur immanem illam nocendi vim. Ergo hic posterior est longè formidabilior seu horribilior: tanquam à quo certius & inevitabilius malum timeri possit. Quare merito iurisperiti, dum loquuntur de homine,

qui alienæ rei nocuit, ut alienis vineis, oliveis, aut prædijs; dicunt, eum fecisse damnum: ceterum dum de belluis nocentibus leges ferunt, non dicunt eas damnum intulisse, sed pauperiam fecisse. Unde epigrapha illa cuiusdam tituli Institutionum, *Si quadrupes pauperiam fecisse dicatur*. Quo ipso ostendunt, belluam, siue feram multo magis nocere, quam hominem. Hic enim, cum præditus ratione sit, videtur se cohibere, ne tantum afferat nocimenti, quantum posset. Bellua autem, cum ratione omnino careat, non habet aliquid, quo vires nocendi cohibeat: ideoque ex toto naturæ impetu proruens, pauperiam, siue vastitatem affert.


15 DEINDE Affert similitudinem ductam ex inanimis, & animatis: quæ propter ingentem distantiam vix admittunt comparationem mutuam. Sic ait, vitium & feritatem vix inter se comparationem admittere: quoniam habent se, vitium quidem instar inanimati, feritas autem instar animati. Sicut enim animatum est quod in se habet principium vitæ, quo caret animatum: ita etiam vitiosus homo habet in se principium nocendi pluribus & diversis modis, quod est ratio seu intelligentia, quâ possit excogitare & invenire plurima in damnum aliorum. Qui autem belluinos seu ferinos mores induit, expellit à se ductum rationis & intelligentiæ: ideoque caret principio illo multipliciter nocendi. Ergo quemadmodum in genere naturæ vix comparationem admittunt animatum & inanime; sic etiam in genere moris vitium & feritas vix comparari possunt. Quare sicut in genere naturæ animatum est longè melius inanimato, quia addit præ illo principium vitæ, quæ est aliquid bonum: ita in genere moris longè peior est homo vitiosus, quam ferinus: quoniam præ hoc addit principium plurium operationum noxiarum, quæ sunt aliquid malum.

16 DENIQUE Similitudine aliâ comparat vitiositatem humanam cum feritate, sicut iniustum cum iniustitiâ. Hæc enim caret principio illo adiuncto, quod appellari solet principium *quo*: ideoque non videtur per se lædere; sed solum quia est in homine iniusto; qui per se lædit; quoniam præditus est principio intrinseco nocendi. Ergo peior est homo iniustus, quam iniustitia. Arguit etiam vitiositas humana adiunctum habet sibi principium multipliciter nocendi, nimirum, rationem & intelligentiam, quamvis perversam, & obtenebratam: feritas autem id principium excludit, sicuti & rationem omnem. Ergo vitiositas humana multo peior quam feritas est. Itaque analogiâ quadam invicem comparantur vitiositas & feritas: atque invicem se excedunt sub diversâ inspectione. Feritas terribilior est, seu formidabilior, quia non habet sibi adiun-

Etum principium aliquod rationis, quo vires nocendi cohibeantur. Viriositas autem peior est, quia adiunctum habet quaecumque lumen, seu principium rationis, quo excogitare possit plures nocendi vias, & multiplex malum inferre. Ratio itaque, seu intelligentia hominis vitiosi prodest, tum ad augendam malitiam

vitiositatis, tum & ad minuendam eius terribilitatem: quæ duo, licet in speciem contraria videantur, re ipsa coherent sub aliâ & aliâ inspectione.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 155. art. 4. & q. 156. art. 4. & q. 159. art. 2. atque ipsius Interpretes.



CAPVT SEPTIMVM.

*De continente & incontinente, constante,
& molli.*



IT Autem vt circa voluptates, doloresque per tactum, gustumque, & cupiditates, ac fugas, circa quæ versari temperantiam, & intemperantiam prius est definitum, ita sese habeat quispiam, vt aut superetur ab ijs ipsis, quæ plerique superant homines, aut superet ea ipsa, à quibus plerique vincuntur. Atque si circa voluptates ea sese habeat, primo quidem modo incontinens est, secundo autem continens. Sin circa dolores, primo quidem modo mollis est, secundo autem constans. In horum autem medio plurimorum hominum habitus collocantur, & si ad deteriores magis declinant. Sed quoniam quædam voluptates sunt necessariae, quædam non necessariae, & vsque ad quendam terminum, exuperationes verò defectusque non sunt necessarij: & simili modo res sese habet, & in cupiditatibus, atque doloribus: qui voluptatum exuperationes, aut exuperantes voluptates ob electionem, atque ob ipsas, & ob nullam rem aliam inde proveniente[m] persequitur, intemperans est. Hunc enim non poenitere necesse est: quare est incurabilis. Quem enim non poenitet, is est incurabilis. Qui verò deficit, oppositus est. At qui inter hos medius collocatur, temperans est. Similiter intemperans est, & qui, non quia vincitur, sed ob electionem, dolores corporis fugit. Eorum autem, qui non eligunt, alius ob voluptatem, alius ob eius fugam doloris, qui à cupiditate provenit, ducitur. Quare inter se differunt. Cuilibet enim deterior esse videbitur, si quis non cupiens, aut remissè, quippiam ageret turpe, quàm vehementer cupiens: & si non iratus pulsaret, quàm concitatus ira. Quid enim ageret, si esset in perturbatione?

Qua-

Quapropter intemperans incontinente deterior est. At eorum, quos diximus, alter mollitiæ magis subijcitur speciei, alter est incontinens. Atque incontinenti quidem continens, molli verò constans opponitur. Constantia nanque in resistendo, continentia verò in superando consistit: suntque diversa resistere, ac superare, sicut non vinci, & vincere. Quapropter & continentia magis, quàm constantia, est expetenda. Qui autem in his, quibus plerique resistunt, deficit, is mollis est, & delicatus, (deliciæ nanque sunt mollitiæ quædam) qui quidem vestem trahit, ne subeat laborem tollendi: & cum imitetur ægrotantem, se non putat miserum esse, qui misero similis est. Similiter res sese habet & circa continentiam, & incontinentiam. Non est enim mirum, si quis à vehementibus, & exuperantibus, aut voluptatibus, aut doloribus vincitur: quin ignoscendum est, si resistens vincitur tandem: vt Theodecti poetæ Philoctetes à serpente morsus: aut Carcini Cercyon in Halope: & vt homines ij, qui detinere risum enitentes, accumulatum illum effundunt, vt accidit Xenophanto. Sed si quis ijs, quibus multitudo resistere potest, succumbit, & non adversari potest, non ob generis naturam, aut ob morbum, qualis est mollities, quæ regibus Scytharum inest ob genus, & vt mulier à viri distat natura. Videtur autem & is, qui est ad iocum propensior, intemperans esse: est tamen mollis. Nam iocus relaxatio est, siquidem requies est. Qui verò ad iocum proclivis est, ex ijs est, qui in hac exuperant. Atqui incontinentiæ alia est temeritas, alia infirmitas. Quidam enim deliberatione facta, non persistunt in ijs, quæ statuerunt ob perturbationem: quidam ex eo quia non consultarunt, à perturbatione ducuntur. Sunt enim qui antè sentientes, & providentes, ac se ipsos, rationemque excitantes, non superantur à perturbatione, siue voluptatem id, quod movet, siue dolorem efficiat: perinde atque pertillati non titillantur. Maximè autem celeres, ac biliosi atra bili, temeraria incontinentia sunt incontinentes. Illi enim ob velocitatem, hi ob vehementiam non expectant rationem, ex eo quia ipsius sunt imaginationes sequaces.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Comparatio habituum Continentiae cum Constantia & Tolerantia: item incontinentiae cum inconstantia & mollitudine, quò ad probitatem, improbitatemque. Incontinentia humana divisa in duplicem speciem.



COMPARAT Arist. hoc loco Continentiam & incontinentiam cum alijs habitibus, qui videntur valde affines utriusque: nimirum Continentiam cum Constantia, quae & tolerantia, & perseverantia dicitur: incontinentiam vero cum mollitie, seu mollitudine. Dividitur caput in tres partes. In prima traditur, Continentiam atque incontinentiam versari in materia communi Temperantiae & intemperantiae, Constantiae & mollitiei. In secunda decernitur, Continentiae atque incontinentiae esse suam probitatem & improbitatem, quae cum ijs habitibus conferri possit. In tertia denique dividitur incontinentia humana, seu propria hominis, in duas species, sive genera.

2 **CIRCA** Primam partem comparat praedictos habitus Continentiae & incontinentiae cum Constantia & mollitudine: ac primo pronuntiat, duos priores versari in voluptatibus corporis, quae ad gustum & tactum spectant: duos vero posteriores in doloribus corporis. Inter quos opportuna comparatio fit: quoniam Continentia & Constantia se habent per modum prosecutionis: incontinentia vero & mollitudo per modum fugae: simili sane modo, ac Continentia ipsa cum Temperantia, & incontinentia cum intemperantia confertur. Dupliciter enim observat versari homines in voluptatibus: aut enim vincuntur ab ijs, quae faciles superatu sunt, & quibus plerique hominum praevalent; ideoque sunt incontinentes: aut vincunt illas, à quibus plerique superantur, & sunt continentes. Similiter & circa dolores, aut vincuntur ab ijs, quos plerique hominum vincunt; & sunt molles: aut superant eos, à quibus plerique superantur; & sunt ac dicuntur constantes.

3 **QUATVOR** Itaque habitus, aut quasi habitus sunt Continentia & incontinentia, Constantia & mollitudo, quorum differentia desumitur in ordine ad voluptates & dolores. Praeter eos vero ait esse plures habitus intermedios, & eiusmodi, ut magis inclinēt in id quod deterius est, quam in id, quod honestum; omnesque ij in voluptatibus & doloribus positi sunt. Oportet enim circa vehementiores aut leviores, tum voluptates, tum & dolores, assignare plures habitus interceptos, ut Aspasius observat. Incontingens enim non solum superatur ab urgentibus cupiditatibus, sed etiā

à levioribus, quas plerique hominum superant: continens autem vincit magnas & vehementes cupiditates. Qui igitur mediocres cupiditates solum superat, inferior erit continente, & superior in continente: quia nec tantum probitatis habet, ac prior; nec improbitatis, ac posterior. Similiter constans superat ingentes dolores: mollis autem vel à levibus superatur. Ergo qui solum vincit mediocres dolores, erit inferior constante, & superior molli: atque adeo sicut inter Continentiam & incontinentiam, ita etiam inter Constantiam & mollitudinem debet esse aliquis habitus interiectus. Nimirum, ubi specialis difficultas est, oportet assignare peculiarem habitum ad victoriam. Cum igitur peculiaris difficultas sit ad vincendum mediocres voluptates & dolores; oportet esse in eum finem destinatos alios quos habitus intermedios.

4 **DEINDE** Assignat rationes quaedam differentiae inter eos habitus: ac primo quidem inter incontinentiam & mollitudinem id discriminis esse ait, quod licet utraque versetur in voluptatibus & doloribus; alio tamen, & alio modo. Incontingens enim magis studium suum collocat in prosequendis voluptatibus, quam in fugiendis doloribus; & ex amore voluptatum fugit dolores: mollis autem magis in eo est, ut fugiat dolores, quam ut prosequatur voluptates; & eas amplectitur, ut dolores vitet. Similiter quoque se habent Continentia & Constantia suo modo. Continentia enim praecipue vires exerit, ut voluptatibus & cupiditatibus contradicat: Constantia autem, ut vincat tristitias & dolores. Verum quia dolores saepe in causa sunt, ut minus resistatur voluptatibus; Continentia ex consequenti pugnat adversus dolores, ut voluptates vincat. Et quoniam voluptates saepe etiam impedimento sunt ad vincendum tristitias & dolores; inde est quod Constantia pugnat indirecte adversus voluptates, ut ex doloribus & tristitijs palmam seu victoriam reportet, quam directe quaerit.

5 **ALTERAM** Differentiam constituit inter eosdem habitus ductam ex comparatione illorum cum Temperantia atque intemperantia: sicut enim priori illarum similis est Continentia, ita & Constantia: ac quemadmodum posteriori affinis incontinentia est, ita & mollitudo. Temperantia enim conatur vincere animi tristitiam ortam ex desiderio voluptatum; quod etiam suo modo prestare

student Continentia & Constantia. Intemperantia eandem tristitiam fugit: quod suo etiam modo faciunt incontinentia & mollitudo.

6 VERVM Vt id luculentius exponat, observat, quod saepe alias docet in hoc Opere, varias esse corporis delectationes. Quaedam enim sunt necessariae, vt illae quae capiuntur generatim ex cibo: aliae autem non necessariae, quae solum ex cibo delicatiori aut exquisitiori habentur. Insuper & in ipsis voluptatibus quae necessariae sunt, ait esse definitam aliquam mensuram, intra quam fiat necessitas: quoniam cibum, etiam communem, accipere vltra quam par sit ad vitam corporis tuendam, & in proportione debitam conservandam, non censetur quid necessarium aut permillum, sed exuperans, & vituperio dignum. Ea vero distinctione statutam, pronunciat, illum verè & proprie intemperantem esse, qui sequitur exquisitas delicatioresve corporis voluptates, & fugit dolores seu tristitias oppositas. Insuper & illum qui in communibus delectationibus, quamvis ex genere suo necessarijs, vt in cibo & potu frequenti, quaerit quod nimium sive exuperans est, ex fine solius voluptatis. Neque enim aliud propositum habet intemperans in omnibus operationibus vtriusque generis assignati delectationem afferentibus, quam vt in ijs voluptatem quaerat ex animi consilio electioneque. Vnde infert Arist. intemperatos homines esse propemodum insanabiles, & qui difficile poenitentiam corrigi possint; quoniam in eo proposito quaerenda voluptatis penè immobiles haerent, & in voluptate ipsa non inveniunt amaritudinem aliquam poenitentiae; qua ad meliorem frugem revocentur.

7 EXINDE Igitur colligit opportunum discrimen inter intemperatum, incontinentem, & mollem. Intemperans enim ex animi consilio electioneque, delectationes sequitur, & ex earum amore tristitias ac dolores fugit. Incontingens vero id ipsum sequitur, non ex animi consilio, sed ex impetu perturbationis ad voluptatem inclinante. Mollis denique est, qui vinci se sinit a tristitia & dolore exiguo, ob desiderium voluptatis. Quare demum omnes praedicti habitus conveniunt in materia, quae communis est omnibus: & continentur intra voluptates ad gustum & tactum spectantes. Conveniunt quoque in eo, quod Temperantia, Continentia, & Constantia, vincunt cupiditates earum voluptatum: intemperantia autem, incontinentia, & mollitudo, vincuntur ab ijs. Differunt autem prout iam supra explicatum est.

8 SED Differentia haec illorum plenius innotescet, proposita vniuscuiusque definitione ad mentem Aristotelis, eaque in concreto tradita, quoniam sic melius explicatur. Itaque definiendus modo est temperatus

& intemperatus: continens & incontinens: constans & mollis. Temperatus est qui servat mediocritatem in voluptatibus vitae necessarijs ad gustum & tactum spectantibus, respuitque non necessarias, & satis resistit doloribus, quibus allicitur ad nimias & illicitas voluptates eiusmodi. Intemperatus e contra est, qui ex animi consilio & electione easdem voluptates sequitur, & fugit omnes tristitias, quibus impediri posset a voluptate alleguenda. Contingens est, qui non vincitur a vehementi cupiditate earum delectationum, sed resistit, nec abduci se patitur. Incontinens est, qui facile cedit cuilibet cupiditati gustus aut rerum venerarum, quamvis ea levis sit: vt qui turpis ac deformis feminae amore ducitur. Constans est qui non cedit magnis doloribus & tristitijs, sed forti atque immoto animo se habet circa eas omnes, vt famem, sitim, calorem, frigorem, orbitatem, bonorum iacturam, exilium, & alias ingentes calamitates: neque ijs trahi se patitur ad inconcellas voluptates gulae aut veneris. Mollis denique est qui doloribus exiguis, & tristitijs levioris notae vincitur; ideoque voluptatibus cedit. Quae definitiones, seu potius descriptiones, maxime notandae sunt: quoniam ex ijs attentius consideratis plures difficultates satis implexae praecoccupantur.

9 CIRCA Secundam partem comparat eisdem habitus quod ad probitatem & improbitatem vniuscuiusque. Ac primo quidem quaerit de intemperato, & incontinente, quinquam eorum deterior sit. Pronunciat autem, intemperatum peiorem esse, quam incontinentem: idque ferè sic probat: Quisquis levi cupiditate allectus succumbit & turpiter agit, peior est, quam qui vrgenti cupiditate, & impotenti perturbatione ductus. At intemperatus levi cupiditate allectus succumbit & turpiter agit: incontinens vero non, nisi vehementi cupiditate, & impotenti perturbatione ductus. Ergo intemperatus peior est, quam incontinens. Vnde & peior habetur qui ex qualibet levi occasione alium percutit, quam qui ex gravissimo impetu irae: & peior quicquid ex praeelectione, sive habitu vitioso, facile ducitur ad operandum malum, quam qui ex passione aut turbatione aliqua: quoniam in priori operatio est magis voluntaria, quam in posteriori. Patet vero intemperatum spectare ad primum ex ijs generibus: incontinentem autem ad secundum. Intemperatus ergo deterior est, quam incontinens.

10 DEINDE Comparat continenter cum constante, & deinde incontinentem cum molli. Ac circa primum probat continenter esse constantem meliorem: Quia melior est, per se loquendo, qui vincit, quam qui solum non vincitur: sicut melius est bonum, quam carentia sola mali. At contingens est qui

vincit voluptatum cupiditatem: constans verò, qui non vincitur à doloribus & tristitijs. Ergo melior est per se loquendo, continens, quam constans. Quò ad secundum verò docet, mollem esse peiorem incontinente. Probaturque: Quia peior est ille qui leuiori aduersario, siue cupiditati succumbit, quam qui cedit maiori & fortiori. At mollis leuiori aduersario, seu cupiditati succumbit, quam incontinens. Nimirum, vt Aspasius observat, mollis est, qui sinit se vinci à leuissimis doloribus & tristitijs, quibus nec incontinens quidem cederet. Ergo mollis peior est, quam incontinens. Quare mollis ab Arist. dicitur *τρυφῶν*, id est, *delicatus*, à verbo *τρυφᾶω*, quod significat delicate vitam agere. Vnde & *τρυφῶγος*, *delicatulus*, siue *tener*. De molli igitur, seu delicato, docet esse eum, qui omnem fugit tristitiam ex quolibet leui labore proveniente: exemplumque affert in eo, qui lutulentâ incedens viâ pertrahit vestes fluxas & defluentes per lutum, ne leuissimam molestiam subeat in ijs attollendis, quo defectu notatus fuit in pueritiâ Iulius Cæsar, quoniam malè præcinctus incedebat. Addit deinde, delicatos esse similes miserè laborantibus: quoniam superveniente gravi labore ingentem afflictionem sentiunt præ alijs: sicut qui fluxis vestibus cœnum collogit, vt minimam molestiam vitaret, postea maiori cum labore cogitur eas purgare atque eluere.

11. VT Autem tacitam objectionem præoccupet, admonendum putat, non omnem hominem qui voluptatibus vincitur, esse incontinentem; neque omnem illum, qui doloribus superatur, esse mollem. Si enim voluptates aut dolores ingentes sint, & nimium proinde alliciant, aut deterreant; qui ab ijs superatur, neque incontinens erit, neque mollis. Quòd hac ferè ratione demonstrat. Nemo incontinens aut mollis, veniam dignus est. At qui vincitur ab vrgentissimâ cupiditate, aut acerbissimo dolore, veniam dignus est. Ergo qui vincitur ab vrgentissimâ cupiditate, aut acerbissimo dolore, non est incontinens, neque mollis. Consequentia est in tertio modo secundæ figuræ. Maior constat: quia neque in incontinente, neque in molli est vlla excusationis ratio, aut commiserationis: cum à leui inimico vincantur, cui facile resistere possent. Minorem verò probat Arist. triplici exemplo. PRIMVM est Philoctetes apud Theodectem, Poetam Tragicum, & ipsius Arist. auditorem: in cuius Tragediâ quadam Philoctetes à viperâ ictus lethifero mortu, & post maximam dolorum tolerantiam exclamans, dixisse fertur: *Κόψατε τὴν ἐμὴν χεῖρα*. *Abscindite meam manum*. Quòd ita refert Aspasius, & confirmat Sophocles in Tragediâ illâ, quæ *Philoctetes* inscribitur, & *Homerus* multo antea accine-

rat Iliad. β. ac denique Cicero 2. Tuscul. QQ. commemorat illis verbis: *Aspicite Philoctetem, cui concedendum est gementi*. Ergo qui acerbissimo dolore victus tandem prorumpit, & cedit dolori, dignus est veniâ.

12. SECUNDVM Exemplum affert ex Carcino, Poetâ item Tragico, & Agrigentino: qui, dum fabulam meditaretur, à serpente ictus interiit, vt Suidas testatur. Is ergo in Tragediâ, quam Alopem inscribit, fabula ut Alopem ipsam deprehensam a Cercyone patre suo vterum ferentem. Cumque pater ipse sciscitaretur ab eâ quisnam fuisset eius turpi iudicis auctor, & deprehenderet fuisse Neptunum; statim in miseris eiulatus prorupit, & eo dolore correptus fuit, vt vitam acerbissimam duceret. Sanè in tantâ doloris causâ, inquit Arist. Cercyon veniam & commiseratione dignus fuit, longeque à mollium conditione positus. Hi enim, vel leuissimis doloribus cedunt, & impatienter se habent in ijs, quibus communiter ceteri hominum resistunt: ideoque nullam condensationem merentur. Philoctetes autem & Cercyon non, nisi acerbissimo & insolito dolore commoti, in clamores proruperunt: ideoque veniam digni habiti sunt.

13. TERTIVM Exemplum petit ab ijs, qui diu multumque reprimentes risum, nec iam potentes amplius illum cohibere, tandem repente totum effundunt, & solvuntur in cachinnum. Ita Arist. olim Xenophanto accidisse inquit, & exempla ferè obvia sunt. Ac quò admodum veniam dignus est qui diu fortiterque cohibuit risum, quamvis postea immodicâ rei iocositate victus in cachinnum prorumpat: ita etiam condonationem aliquam meretur, seu excusationem videtur habere, qui aut impotentis perturbatione, aut dolore nimium acerbò motus, cedit tandem, & vinci se sinit à cupiditate. Ergo is, neque incontinens, neque mollis est.

14. SICVT Autem non omnes qui cedunt cupiditati aut dolori, sunt incontinentes aut molles, nisi vbi cupiditas nimium vrgens est, aut dolor maximè acerbus; ita etiam addit, neque omnes eos qui communibus & vlitatis cupiditatibus ac doloribus cedunt, seu vinci ab ijs patiuntur, esse incontinentes & molles. Aliqui enim sunt, qui incontinentibus & mollibus accenseri non debent: quoniam eiusmodi cupiditatibus doloribusque se superari sinunt, propter solum generis vitium, aut morbum. Quibusdam enim accidit ex complexione hereditaria humorum, aut ex naturâ totius gentis, civitatis, provinciae ve, vt vel levibus delectationibus tristitiisque repugnare aut prevalere facile nequeant, vt fieri videmus in filijs Principum, Regumque, molliter educatis, & observat Arist. siue in Regibus Scytharum, vt Florentini & Parisienses codices habent: siue

sive in Regibus Persarum; ut Aspasius quondam legit, & Lambinus, alijque legendum putant. Et merito quidem: quoniam Scythæ apud Historicos nusquam molles, sed barbari & immites audiunt: Persarum vero Reges, quamvis initio severissimi fuissent, postea labente imperio, & soluta disciplinâ, in luxus & delicias abierunt, ut plures tradunt, & observat Polinaeus lib. 4. *Stragtagematum*. Quamvis Giphanius id de Scythis accipiat, & probare conetur ex Herodoto lib. 1.

15 SIMILES Scytharum, sive Persarum Regibus fuere, & forte molliores, Sybaritæ: de quibus Athenæus lib. 12. testatur ita delicatos extitisse, ut omnes opifices, in quorum officinis strepitus aliquis edi posset, ut fabros, textores, alioque eiusmodi, ino & gallos gallinaceos, ex urbe depulerint, ne somnum inturbarent. Smindydes, eiusdem civitatis Princeps, teste eodem Athenæo, ac Senecâ, usque adeo mollis & delicatus fuit, ut videns quemdam forte terram fodientem, & rastrum altius elevantem, conquestus fuerit propterea de istu capitis, & dolore lateris, hominemque coegerit ab eo exercitio cessare. Sæpe etiam conquestus dicitur, bilem sibi concitatam, & stomachum, quod rosarum folijs complicatis incubuisset. Omnes eos igitur Arist. molles quidem fatetur, nisi forte id acceperint ab origine, parentum hæreditario vitio, aut gentis, vel civitatis peculiari complexione. Tunc enim non tam vitium est, quam defectus naturæ, & imbecillitas.

16 PRÆTEREA Et à mollium atque incontinentium numero excludit morbosos, qui propterea ægre ferunt molestias & dolores, atque ab ijs se superari patiuntur: quales sunt apoplectici, & podagrâ laborantes, quibus omnis motio est admodum molesta. Ijs accenset fœminas, quæ propter debilitatem & imperfectionem sexus deliciares sunt ad ferendos dolores. Quare ij omnes non sunt dicendi simpliciter molles, incontinentesque; sed solum relatè, sive comparatione factâ ad alios similis conditionis aut sexus. Si enim aliquis ex Regum filijs, aut morbosus, aut fœminis, non sustineat eos dolores, quos perferunt communiter cæteri filij Regum, aut morbosus, aut fœminæ; is, comparatione cum ijs factâ, merito censetur mollis, aut incontinens; quamvis cum adiectione, ex genere, aut morbo, aut sexu. Similiter & molles cum adiectione dicendos existimat iocosos, propter similitudinem quandam: quamvis eos intemperantes appellet Cicero lib. 1. *Offic.* Verùm præstat eos molles dicere: quoniam iocositas est nimia propensio ad remissionem seu relaxationem animi in ludis sive iocis positam, ut hoc loco ait Arist. & iam docuerat lib. 4. cap. 8. ubi plura de hoc. Cum ergo nimia remissio,

sive relaxatio animi, sit valde affinis mollicudini; consequens est, ut qui plus iusto indulgent iocis, similitudine quadam molles dicantur. Proprie tamen molles non sunt, cum iocositas non versetur in voluptatibus gustus & tactus; in quibus solis posita est mollicudo, sicut & incontinentia, & intemperantia, atque habitus ijs contrarij, ut sæpe dictum est.

17 CIRCA Tertiam partem dividit incontinentiam bipartitò: ut quædam sit temeraria, effrænis, & præceps: alia infirma, seu imbecilla. Prior est propria illorum, qui statim ac cupiditatis impetum aliquem sentiunt, absque vllâ deliberatione consiliove, ducuntur ab ipsâ cupiditate, & veluti in præceps feruntur. Posterior ijs comperit, qui ingruente cupiditatis illice, consilium capiunt, deliberantque, an ipsi parendum sit, an potius contradicendum: atque in eâ pugna rationis & voluptatis positi, licet sæpe vincant, sæpius tamen vincuntur. quod potius infirmitatis, quam temeritatis est. Quare prius illud incontinentiæ genus est minus voluntarium, ratione vrgentioris causæ; ac proinde excusatione dignius. Cæterum, hoc posterius, minus frequentem lapsum affert. Qui enim deliberant & consilium capiunt, vincere possunt & solent cupiditatem, quamvis sæpe ab eâ vincantur: quæ sane est imbecillitas humana. Ideoque vitæ ad præscriptum honestatis instituendæ plurimum prodest, ut quis secum consulat deliberetque, quid in qualibet occasione facere oporteat, aut quomodo ea fugienda seu declinanda sit; quod sane tutius est. Is enim facit, ut Arist. loquitur, non aliter ac ij, qui cum seipsum titillaverint, postea ab alijs titillati non commoventur. Qui autem absque consilio aut deliberatione vllâ se gerunt, longè fragiliores sunt, quoniam absque vilo rationis fræno in præceps rapiuntur, & rejiciunt à se rationis ducum, quo possent à voluptatibus cohiberi.

18 HUIUS Generis esse ait plerumque homines acutos, & melancholicos. Acutorum appellatione eos intelligit, qui acutabile præditi sunt & cholericis vulgo dicuntur. Ij enim celeriter huc atque illud commoveri solent, ideoque non expectare consilium & deliberationem ad operandum. Melancholicis quoque id incontinentiæ præcipitis genus tribuit: quoniam ijs propter excessum iræ bilis accidunt vehementissimi motus, tanquam amentibus & furiosis, ut idem Arist. observat problem. 30. sect. 1. Malè autem Gallus docet, incontinentes præcipites esse deteriores, quàm imbecillos, & consilium capientes: cum nihil eiusmodi doceat hoc loco Arist. quin & palam oppositum tradat cap. sequenti. Vide ibi num. 5. Prodest illustrandæ doctrinæ traditæ illud Livij 22. *Omnia non properanti clara cernuntur: s. sinatio im-*
pro-

provida est & caeca. Et lib. 13. Nihil magni
discriminis consilij tam inimicum, quam ce-
leritas. Denique illud Herodoti lib. 8. præ-
oculis habere oportet: ἀνὴρ ἄρα εἴη ἐν ἀγί-
στοις.

οἷον, &c. Vir ea ratione fiet optimus, si in de-
liberando quidem cunctetur, & pratineat
quidquid potest contingere: in agendo autem
confidat.

CAPVT OCTAVVM.

Discrimen incontinentis ab intemperato.



T Vero intemperantem quidem non poenitet, ut
est dictum. In electione nanque persistit. Inconti-
nens autem facilis est omnis ad poenitentiam: quo
circa non ita res sese habet, ut dubitavimus: sed ille
quidem incurabilis, hic autem est curabilis. Vitium
enim morbis est hisce persimile, aquæ intercuti,
inquam, & tabi: incontinentia verò morbo comitiali. Etenim illud
continua, hæc non continentia est improbitas. Atque omnino diver-
sum est genus incontinentiæ, atque vitij. Vitium enim latet, inconti-
nentia verò non latet. Horum autem ipsorum ij, qui ante rationem
ducuntur, meliores ijs sunt, qui rationem quidem habent, non autem
persistunt in ea. A minore nanque perturbatione vincuntur, & non abs-
que deliberatione, ut illi. Incontinens enim similis est ijs, qui citò
fiunt ebrij, & paucò vino, & pauciore, quàm plerique. Patet igitur,
incontinentiam, vitium non esse, nisi aliqua ex parte fortasse. Nam hæc
quidem est præter electionem, illud autem cum electione. In actio-
nibus tamen est similitudo, ut Demodocus in Milesios dixit. Milesij
nanque insipientes quidem non sunt, ea tamen faciunt, quæ agunt insi-
pientes. Et incontinentes iniusti quidem non sunt, iniuriam tamen fa-
ciunt. Cùm autem alter sit talis, ut non ex eo quia est ipsi persuasum,
exuperantes corporis voluptates, præterque rationem rectam sequa-
tur: illi quidem dissuaderi facilè, huic autem haud facilè potest. Princi-
pium enim ipsum, virtus quidem conservat, vitium verò corrumpit. Id
autem gratia cuius, principium est in actibus, perinde ut suppositiones
ipsæ in mathematicis. Neque igitur ibi docendorum principiorum
est ratio, nec hic. Sed virtus aut naturalis, aut assuetudine parta, causa
est opinandi circa principium rectè. Talis igitur homo temperans est:
at contrarius est intemperans. Est autem quidam alius ob perturba-
tionem à recta ratione discedens, quem perturbatio, ut non agat qui-
dem ut recta ratio iubet, superat: ut sit autem talis, ut ipsi sit persuasum,
opor-

oportere persequi voluptates liberè, tales non vincit. Atque hic est incontinentis, qui quidem intemperante melior est. Nec est autem absolute pravus. conservatur enim id in ipso, quod est optimum, principium, inquam, ipsum. Alius autem est huic contrarius, qui persistit, & non ob perturbationem à ratione discedit. Ex his igitur patet, hunc quidem studiosum, illum autem improbum habitum esse.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Intemperatum multò deteriorem esse incontinente. Quo differant & conveniant inter se intemperantia & incontinentia.



VEMADMODVM Superiori capite instituta fuit comparatio inter continentem & constantem, propter quandam utriusque similitudinem: ita & nunc comparantur incontinentis atque intemperatus, quoniam valde sibi affines videntur. Dividitur autem caput in duas partes. Prior illarum decernitur, intemperatum esse peiorem incontinente. Posteriori parte traditur multiplex similitudo & dissimilitudo inter incontinentiam & intemperantiam.

2 CIRCA Priorem partem pronuntiat, intemperatum esse peiorem incontinente. Idque quatuor rationibus probat, quamvis subobscurè & breviter pertractis, pro more suo. **PRIMA** sub hac formula proponi potest. Quicumque ita peccat, ut non facile pœnitere possit, peior est illo, qui ita peccat, ut facile possit pœnitere. At intemperatus ita peccat, ut non facile pœnitere valeat: incontinentes autem ita, ut facile possit pœnitere. Ergo intemperatus peior est, quam incontinentis. Maior patet: nam qui ita peccat, ut vix præstet locum remedio, peior est, quam qui ita delinquit, ut remedio locum præstet. Minor autem suadetur ex constitutis præcedenti capite. Intemperatus enim peccat ex animi consilio, electioneque, & in ea permanet secundum habitum: quo ipso excludit à se dolorem seu pœnitentiam malefacti. Incontinentis verò solum peccat instante cupiditate ac perturbatione: qua postmodum refrigerante facile potest cognoscere suum erratum, & displicere sibi in illo. Ergo prior longe difficilius pœnitere potest, quam posterior.

3 SECUNDA Ratio, & veluti confirmatio præcedentis est, quod instituta comparatione inter duo mala, illud sit deterius, quod diuturnius: sicuti & inter bona melius illud habetur, quod magis durabile est. At qui intemperantia est malum diuturnius, quam incontinentia. Ergo instituta inter utramque comparatione, intemperantia deterior est. Assumptio, sive minor syllogismi, suadetur ab Aristotele similitudine morborum corporis. Intemperantia

enim est habitus, seu vitiositas quædam natura sua stabilis & perpetua, instar tabis, aut hydrophis; quæ, ubi semel corpus humanum possederint, immobiliter hærent, & usque ad sepulchrum comitantur. Incontinentia autem est vitiositas non continua, sed interrupta, & similis epilepsie, seu morbo comitiali, qui modo abit, modo revertitur. Nimirum, intemperantia est vitiositas per modum habitus, atque adeo permanens instar eorum morborum, qui vulgò habituales dicuntur: incontinentia autem potius se habet instar dispositionis, quæ facile fluit, seu accedit, & recedit. Ergo intemperantia est malum diuturnius, quam incontinentia.

4 TERTIA. Omne malum occultum & latens, peius est quam apertum & manifestum. At intemperantia est malum occultum & latens: incontinentia autem malum est apertum & manifestum. Ergo intemperantia peior est, quam incontinentia. Maior videtur per se nota: & suadetur insuper: quia malum quod periculosius est, & difficilius vitari potest, proculdubio deterius est malo illo, quod minus periculi affert, & vitari potest facilius. At malum occultum est periculosius, & vitari difficilius, quam apertum & manifestum, ut palam est. Minor autem probatur, quia intemperatus habet iudicium corruptum, ac proinde non attendit, nec considerat malitiam operis quod agit. Unde pravitas operis occulta quoddammodo est, & quæ decipit sub speciosa voluptatis forma. Incontinentis verò antequam turpiter agat, deliberat secum, & consulit an exequatur opus, quia iucundum est; an ab eo se cohibeat, quia malum est. Ergo intemperantia malum est occultum, incontinentia verò apertum & manifestum.

5 QUARTA. Quicumque vincitur à minori cupiditate, & leviori commotione, peior est illo, qui superatur à graviore, & vehementiori. At intemperatus vincitur à minori cupiditate, & leviori commotione: incontinentis verò à graviore & vehementiore. Ergo intemperatus peior est incontinente. Maior patet:

h nam

nam qui minorem excusationem habet de peccato suo, peior est illo, qui maiorem excusationem habet. At quisquis vincitur à minori cupiditate & commotione, minorem etiam excusationem habet de peccato suo, quam qui superatur à maiore & vehementiore, ut patet. Ergo peior est. Minor autem suadetur quò ad priorè partem: quoniam intemperatus quolibet levi impulsu aut commotione tangatur, facile labitur, ratione habitus vitiosi in ipso residentis: sicut ille qui ebrietatis habitu imbutus, per exiguo vino tentatur, facile in ebrietatem cadit. Quò ad posteriorem verò partem suadetur eadem minor, supponendo distinctionem incontinentium traditam *cap. preced. n. 17.* ut quidam illorù sint precipites temerarijque, neque vllum expectantes consiliù, deliberationem ve, quoniam vehementi commotione flava aut atra bilis rapiuntur ad cupiditatem. Flava enim bilis sive acrimonia, humores corporis pungit, & stimulat, ut in febris tertianà cernitur: alios verò atra bilis concitata vehementi calore, ita commoveri, ut interdum in furorè agat. Alij autem incontinentiù sunt, qui circa agenda consiliù & deliberationè capiunt: sed tamè voluptate incitati consiliù & propositù susceptum deserunt. Et hi peiores videntur præcedètibz, quoniam libentius peccant, & à leviori commotione vincuntur. Ratio autè Arist. procedit de incontinentibus prioris generis: quos constat vinci à commotione vehementiore & graviore, quàm sit illa, à qua intemperati vincuntur. Ergo intemperati peiores sunt, quàm ij incontinentes precipites & temerarij.

6 CONFIRMATUR, seu declaratur amplius. Ideò incontinens imbecillus, seu cedens cupiditati post consiliù & deliberationè, est peior quàm incontinens temerarius & præceps, quoniam hic à potentiori causa vincitur, & minori præditus est libertate; ille autè à leviori causa vincitur, & maiori libertate præditus est. At intemperans à leviori causa vincitur, & maiori præditus est libertate, quàm incontinens: quia operatur secundùm habitù, ac proinde ex certo còsilio, electioneque. Ergo intemperatus longè deterior est incontinente.

7 CIRCA Secundam partem comparat intemperantiam cum incontinentia ex quibusdam alijs capitibus, penes quæ similes, aut dissimiles sunt inter se. Ac primò similes esse docet, quatenus utraque earum sit aliqua ratione vitiositas quædam: cum hoc tamen discrimine, quòd intemperantia sit vitiositas simpliciter: incontinentia verò solùm certa aliqua ratione, sive quoddammodo; nò autè simpliciter. Ratio huius doctrine hæc est: Quia vitiositas simpliciter solùm est & dicitur illa, quæ inclinatur ad malè operandù ex consilio & electione. Debet enim esse habitus còtrarius Virtuti morali, quæ est habitus inclinans ad rectè operandù ex cò-

filio electioneque. At incontinentia non inclinatur ad malè operandù ex consilio & electione, sed solùm ex perturbationis impetu: ut saepe ostentum est superioribus. Ergo incontinentia neque est, neque dicitur vitiositas simpliciter. Hoc enim soli intemperantiæ competit, quoniam est habitus còtrarius Virtuti morali: operantiq; proinde ex consilio & electione. Quare restat ut incontinentia sit solùm vitiositas certa quadam ratione, prout animum inclinatur ad operandum turpiter ex perturbatione; idque non permanentè, aut assiduò, sed per intervalla, atque interrupto quodam modo: ut *cap. præcedent.* dictum est.

8 SECUNDO Similes esse docet in actionibus, & materia utriusque communi. Quamvis enim intemperatus ex consilio & electione agat, incontinens autè ex passione sive perturbatione; uterq; tamè turpiter agit circa delectationes, sive voluptates gustus & tactus. Unde est, ut incontinens dici nequeat vitiosus simpliciter, sed solùm vitiosè operans: sicut *lib. 5.* dictum est, quosdà iniuste operari, non tamen esse iniustos simpliciter: quia nondùm imbuti sunt habitu iniustitiæ, seu quia non operantur iniuste ex consilio electioneque. Quibus proinde adaptatur dictum illud Demodoci adversus Milesios: *Milesij bebetes, seu stulti certè non sunt: faciunt tamen ea, quæ habetes & insipientes faciunt.* Affineq; quoddammodo illud Laconis de Atheniensibus, nosse illos quæ recta sunt, sed tamen obliquè agere, quod commemorat Cicero *lib. de Senectute*, & addit valde ad rem nostram: *Cadit Aristotelis hoc dictum in incontinentes: qui non sunt mali simpliciter, non iniusti, nec intemperati, quia nondum habitum contraxerunt. Sed quia malorum, iniustorum, intemperatorum operibus similia faciunt opera, malè, iniuste, intemperanter agere dicuntur.*

9 HVCVSQVE Dicitur est de similitudine dissimilitudineq; incontinentis & intemperati, neque de altera eorsim ab altera. Iam verò solùm differit de differèntia utriusque in eoposita, ut incontinens longè aliter iudicium ferat de voluptatibus, quàm intemperatus. Incontinens enim non iudicat esse vivendum incontinentè: nec delectationes gustus tactusque censet quærendas, veluti honestas aut utiles: sed eo ipso tempore, quo consultat & deliberat, an sit parendum cupiditati, necne; agnoscit voluptates eiusmodi esse pravas, & fugiendas; quamvis tandem vincatur à superveniente perturbationis impetu, & eligat amplectaturque in singulari quod immediate antè damnaverat, malumque consuevit in genere. Itaque retinet saltem habituale iudicium rectum, quod paulò antè præcessit, de turpitudine & malitia operis: & sedato perturbationis impetu identidem redit ad iudicandum in singulari, pravyum esse quod fecit. Est enim accommodatus ad

ad persuasionem eiusmodi, inquit Aristot. quoniam solum ex perturbatione peccavit. Intemperatus autem corruptum habet iudicium, & perversum propositum, adhuc in genere, circa prosequendas corporis voluptates: quia licet speculative & velut in abstracto iudicet eas pravas esse & contrarias rationi; practice tamen iudicat & decernit, etiam in genere, esse amplectendas, quasi reipsa viles essent, & honestæ. Operatur enim ex pravo habitu, qui ad omnem pravam operationem inclinat intra materiam suam, & ex pratico iudicio pervertit. Sic videtur exponi debere sensum Arist. circa intemperatum: quoniam alioqui oporteret dicere, iudicium ipsius, etiam speculative, esse corruptum circa voluptates turpes, existimareque eas esse honestas, & amore dignas. Quod certe non iudicat intemperatus, nisi infidelis, sit: imò non solum infidelis, sed atheus, & destitutus lumine naturalis rationis. De quo latè in *Disput. Ethicis*.

10 HINC Differentiam alteram vtriusque colligit: quod, nimirum, sanabilis sit incontinentis, & ad poenitentiam idoneus: intemperatus vero non item, sed longè difficilius. Quisquis enim errat in rerum agendarum principiis, valde difficulter corrigi, seu sanari potest: secus vero ille qui rectum de principiis iudicium habet. Quod probat similitudine petita ex disciplinis Mathematicis: in quibus si fortè quis circa principia certa explorataque errorem patiat, vix corrigi potest, facile autem, si rectum de principiis iudicium habens, committat erratum aliquod in singulari. At intemperatus habet corruptum iudicium circa principium operandi: nimirum, circa finem agendorum, qui in rebus moralibus habet rationem principij. Iudicat enim in genere, & practice saltem, quiescendum sibi esse in voluptatibus, ac si essent ultimus finis, seu felicitas ipsius. Incontinentis autem retinet, in habitu saltem, rectum de fine iudicium, & ad illud identidem redit, sedato impetu perturbationis. Ergo intemperatus multò insanabilior est, quàm incontinentis.

11 ADDIT Deinde coniecturas aliquot, ut incontinentis existimeretur sanabilis, & idoneus ad poenitentiam errati animo concipiendam. Prima earum, quæ iam paulò antè indicata fuit, sub hac formulâ instaurari am-

plius potest. Quisquis de fine universè & habitualiter saltem rectum iudicium habet, quàmvis semel aut iterum contra rationem operetur ex impotenti perturbatione, sanari corrigique potest. Cum enim cessante causa, cesset effectus, languetente perturbationis impetu, qui fuit causa eius pravi operis, ipsum quoque operans sanari & corrigi poterit. At incontinentis de fine universè, & habitualiter saltem, rectum iudicium habet. Scit enim, in habitu saltem, & sæpe practice considerat, finem, sive bonum honestum non esse situm in voluptatibus gustus & tactus. Ergo quàmvis semel aut iterum contra rationem operetur ex impotenti perturbatione, sanari corrigique potest.

12 DENIQUE Ratione aliâ demonstrat, quod ab initio tradiderat, incontinentem minus malum esse, quàm intemperatum. Facta comparatione inter duos malè agentes, minus malus est qui retinet in se quod optimum censetur in homine, & quasi origo cæterorum bonorum, quàm qui illud non retinet. At dum incontinentis & intemperatus malè agunt, incontinentis retinet in se quod optimum censetur in homine, & quasi origo cæterorum bonorum; nimirum, rectum iudicium de fine, quod est veluti origo rectarum operationum: intemperatus autem illud non retinet, nisi perversum aut corruptum. Ergo facta comparatione incontinentis minus malus est, quàm intemperatus.

13 DE Contiente autem nihil addendum arbitratur, quoniam ex dictis circa incontinentem ipsi contrarium dignosci potest, quid de illo cõsendum sit. Perspicuum enim ait ex ijs esse, Continentiam esse probum habitum, incontinentiam autem pravum. Habitum, inquam, solum inchoatum, & imperfectum: quoniam, ut sæpe aliàs monet, nec Continentia in bono, nec incontinentia in malo radices figit, aut stabiliter perducit in operationem, ut oportet ad rationem habitus perfecti: sed per intervalla solum, modò resistentem cupiditati hominè, modò cedente, in bonum aut malum inclinat, quod potius ad naturam dispositionis, quàm habitus, videtur spectare.

VIDE D. Thomam 2. 2. quest. 155. art. 4. & q. 156. art. 4. atque illius Interpretes.

(?)




h 2

CA.

CAPVT NONVM.

De continentis, & pertinacis convenientia, & differentia.



QVÆRENDVM Est autem, vtrum is sit incontinens, qui quavis in ratione, electionevè perstat, an is, qui in recta persistit. Et vtrum is sit incontinens, qui nō permanet in quavis electione, rationevè, an is, qui non persistit in ratione falsa, & electione non recta: quemadmodum antea dubitavimus. An per accidens quidem in quavis, per se autem in ratione vera, rectaque electione alter perstat, alter non perstat? Nam si quispiam hoc ob hoc expetit, aut sequitur, per se quidem hoc expetit, aut sequitur, per accidens autem, ipsum prius. At quod est per se, id simpliciter esse dicimus. Quare fit, vt aliquo quidem modo quavis in opinione, absolutè autem in vera alter persistat, alter non persistat. Sunt autem quidam in opinione persistentes, quos pertinaces appellant: hi non nisi cum difficultate dimoveri à sua sententia possunt. Et simile quidem qui habent cum continente, sicut & prodigus cum liberali, & audax cum confidente. Sunt autem in multis ab illo diversi: continens enim non mutat sententiam ob perturbationem, atque cupiditatem. Nam cum acciderit, facilem sese offert recta persuadenti. Illi verò non à ratione mutantur: nam cupiditates cupiunt, atque à voluptatibus plerique ducuntur. Sunt autem ij pertinaces, qui suæ sunt sententiæ: & qui sunt indocti, ac rustici. Atque suæ sententiæ homines, ob voluptatem, atque dolorem sunt pertinaces. Gaudent enim vincentes, si non è sua sententia dissuasione vlla dimoveantur: & dolent, si sua sint irrita vt decreta. Quare potius sunt incontinenti, quàm continenti, similes. Sunt etiam qui non ob incontinentiam in sententia non persistunt, vt Neoptolemus apud Sophoclem in Philoctete: quanquam ob voluptatem nō persistit, sed honestatem. Erat enim honestum illi, vera loqui: ab Vlyssè autem fuerat illi persuasum mentiri. Etenim non omnis, qui propter voluptatem quippiam agit, intemperans est, aut pravus, aut incontinens: sed qui agit ob turpem. Cum autem sit & quidam talis, vt minus, quàm oporteat, corporis gaudeat voluptatibus, non persistens in ratione: inter hunc, & incontinentem, medius ipse continens collocatur. Incontinens enim non persistit in ratione: quia magis, quàm oportet, voluptatibus delectatur. Hic verò non permanet, quia minus, quàm oportet, eisdem gaudet. At continens perstat, & ob neutrum sententiam

mu-

mutat. Oportet autem, si continentia sit studiosum, habitus hos utroque contrarios improbos esse, quemadmodum & videntur. Sed quia per paucis alter hominibus inest, raroque admodum fit temperantia, soli contrarium intemperantiae esse videtur, sicut & continentia soli incontinentiae adversari putatur. At verò cum ob similitudinem multa dicantur, factum est ut temperans per similitudinem continens dicatur. Continens enim talis est, ut nihil praeter rationem ob voluptatem corporis agat: & temperans etiam talis est. Sed ille quidem habet pravas cupiditates, hic autem non habet. Et hic quidem est talis, ut non delectetur praeter rationem: ille verò talis, ut delectetur quidem, sed non ducatur. Similes etiam sunt incontinens, & intemperans, qui quidem diversi sunt: uterque enim corporis sequitur voluptates: sed alter & oportere putat, alter non putat.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Quibus inter se conveniant ac differant continens, & pertinax. Qualiter oporteat deservere opinionem semel susceptam. Continentiam pro vero, quamvis pro re virtus non sit, ipsi affinem esse, & Studere mediocritati.



SCOPVS Aristot. hoc loco est ostendere, in quibus conveniant & dissideant continens ac pertinax. Dividitur caput in tres partes. In prima traditur continentem per se quidem in recta ratione consilioque permanere: contra vero incontinentem. In secunda docet, pertinaces nec opinionem semel susceptam deponere, nec pati ut sibi quidquam in oppositum persuadatur: habere tamen aliquid Continentiae simile, plus autem incontinentiae. Vbi & praestribitur rectus modus deponendi opinionem semel susceptam. In tertia denum asseritur, Continentiam tuam quoque medium habere iustarum Virtutis, quamvis proprie Virtus non sit.

2 CIRCA Primam partem inquit initio, virum sit incontinens ille, qui in quacumque opinione & electione permanet, sive recta sit, sive erronea, sive turpis, seu honesta, sive vera, seu falsa: virum verò sit incontinens, qui omnem prorsus opinionem electionemque deponit & mutat, rectam aut erroneam, turpem aut honestam, veram aut falsam. Respondet verò huic questioni soluta illa distinctio, iuxta quam dicuntur quaedam esse aut fieri per se, quaedam autem per accidens, aut ex eventu: id est, aut simpliciter & proprie, aut secundum quid & improprie. Priori modo se habere inquit illud, quod sui gratia expetitur, & cuius gratia expetuntur alia. Posteriori autem, quod solum gratia alterius expetitur. Exemplum commune est

in sanitate, quae per se quaeritur; & in medicamento, quae per accidens expetuntur, nimirum, ratione & gratia salutis.

3 EA Verò distinctio praescripta, docet continentem per se esse in opinione vera, & electione recta, atque in ijs constantem permanere: per accidens tamen in opinione falsa, & electione prava esse. Si enim quis putaret non esse turpe scortari, ut putalie videtur in *Adelphis* Demea, atque in ea opinione persisteret, per se quidem persisteret in opinione vera, & in falsa solum per accidens, ut hoc loco exponunt Gualterus & Iavellus: quoniam consilium ipsius, sive finis, non esset adherere falsae opinioni, sed verae: quemadmodum qui eligit fel, quod propter coloris similitudinem existimat mel, atque adeo dulcem gustui, per se quaerit mel, & fel solum per accidens.

4 CONTRA Autem incontinens per se in opinione vera non persistit, sed descendit ab ea, dum deserit illud rectum iudicium, quo existimabat, non esse turpiter operandum. Virgēte enim perturbatione solum accedit ad voluptatem, ab eaque se rapi sinit in singulati; quamvis paulo antea recte in universum iudicaret, omnem turpem delectationem esse fugiendam. Fieri autem potest ut idem incontinens sit in vera rectaque sententia per accidens, & ab ea discedat quando agit incontinenter. Potest enim per accidens evenire, ut incontinens opinione falsa sit imbutus, quae existimat vera: & tamen eam opere ipso deserat quando incontinenter agit. Tunc enim per se,

sive in existimatione sua deseret opinionem veram, quæ in re falsa est: ideoq; per accidens sequetur opinionem veram in re, quam existimabat falsam. Ut si quis falso existimans non licere sibi cum vxore dare operam liberis, tandem urgente cupiditate id faceret. Quæ omnia ideo de incontinente dicuntur, quoniam, ut sæpe in hoc libro traditum est, incontinens, prout distinctus ab intemperato, non habet corruptum iudicium: sed vniversè censet, omnem turpem delectationem esse fugiendam, quamvis interdum perturbatione impotenti excitatus aliter operetur, & deserat illud rectum dictamen, aut non attendat, nec consideret satis in singulari, quod in genere iudicaverat.

5 CIRCA Secundam partem docet, nō omnes eos qui in suo iudicio electioneque persistunt, esse continentes. Sunt enim aliqui, quos *ἰσχυρογνώμονας* vocat; id est, pertinaces, seu fortis duræq; cervicis homines, qui vbi semel opinionem aliquam propositumve susceperint, nulla ratione aut via ab ijs dimoveri possunt. Id verò accidit plerumq; melancholicis, qui quàm difficile aliquid in animū inducunt, tam sgrè illud deponunt: quoniã terreus ille humor atræ bilis in ijs prædominatur, atq; adeo instar terræ difficile recipiunt, & difficile deserunt quod semel acceperunt. Ij igitur similes quidē continentibus sunt, quatenus cū ijs conveniunt in hærendo opinionibus, ac propositis. Verùm aliunde disident, quoniam per exuperantiam peccant in eo ipso, quod continens in gradū medioeri & moderato habet. Itaque hæc prima eorum differentia est, quod pertinaces plus iusto & tenaciùs, quã oporteat, suis adhæreant opinionibus & decretis: continentes verò solū ad moderationis præscriptum.

6 HINC Aliud discrimen assignat inter eos: quod continens in iudicio suo & proposito persistat, non propter imperum alicuius perturbationis, sed ob rationē aliquā urgentē, quã cogitur ad permanendū in opinione suscepta. Quod si verò alia urgentior ratio occurrat, non dubitat, nec erubescit mutare consiliū; sed dociliter & ingenuè illud deponit: idq; nō sine magna laude. Pertinax autem adhæret sententiæ & decreto suo, non ob rationem aliquā verè urgentem, sed ob vehementiã alicuius perturbationis, quæ ita opinari facit. Quare nullã rationem in oppositū admittit: sed tunc solū mutat sententiam, cū sedata illa perturbatione supervenerit alia dissimilis, quæ in oppositū inclinēt. Vnde aut semper immobilis hæret in opinione suã: aut si illam fortè deserit, non deserit propter aliquod rationabile motivum, sed ob imperum novæ passionis. quod sanè vituperio dignum est.

7 DEINDE Pertinacem ipsum incontinenti confert: ut similes aliqua ratione sint, & aliqua dissimiles. Conveniunt namque in eo,

quod sicut incontinēs querit voluptates gustus & tactus, doletq; si forte ab ijs assequendis impediatur; ita etiã pertinax querit voluptatem illam, quam percipit in adherendo suæ sententiæ; & dolet si videat eam à cæteris non excipi, aut rejci in disputationibus, vel colloquijs. Quidã enim eius genij sunt, ut quaecumq; paradoxon excogitaverint, aut quæcumq; decreta eorum animo infederint, ardentissimè deprecant, & quasi filiolos mentis suæ exosculantur. Vnde & voluptatē suam in ijs retinendis collocaunt, & dolorē acerbum patiuntur, si sua ipsorū quasi decreta evadant irrita. *Quasi decreta*, inquam, *ὡς περ ἄρισματα*, ut loquitur Arist. quoniam vellent sua ipsorū effata, sive opiniones, haberi & excipi, veluti quædã Senatūconsulta, aut plebiscita, aut, si placet, oracula: ideoq; vbi viderint ab alijs rejci, nimium dolent. Ij verò ab ipso *ἀμαθείς καὶ οἱ ἀγροῖνοι*, *imruditi & rusticici* dicuntur: quoniã indoctorū & agrestium hominum est, nimis adhæreere existimationi suæ, neque qualibet ratione in oppositū à sententia dimoveri. Cui Arist. locutioni respondet frequens illa, qua dicitur, nihil stultius pertinaci; & Hispanicè adhuc exaggeratiùs, *Mas vale ser necio, que persuado*. Ijs, nimirum, epithetis pervicacia cohonestatur, & satis digna est. Nec tantum pertinaciæ notantur qui in opinione sua, sed etiam qui in aliena, seu ab alio accepta, plus iusto tenaces persistunt. quo nomine Plato in Theæteto reprehendit discipulos Heracliti: quoniã omnia illius effata mordicus tuebantur, quæcumque vrgeret ratio in oppositū.

8 ADDIT Tamen, quod supra inditatum fuit, aliquos esse qui cum laudē opinionem semel susceptam deserant, & acquiescant aliorum placitis: eos verò esse, qui non ob incontinentiam, sive ratione alicuius perturbationis supervenientis, sed amore honestatis Virtutisque, sententiam & consiliū mutant. Quod illustrat exemplo Neoptolemī apud Sophoclem in *Philoctete*. Neoptolemus enim persuasus ab Vlyse ut Philoctetē seduceret, ac per fraudem traheret impositum navi ad Duces Græcorum, vbi animadvertit turpe esse mentiri, & fraudibus agere, consiliū mutavit, & palam Vlysi dixit, se ijs artibus uti nolle, quod indignæ essent probo viro. Vnde & sic eo loco ad Vlysem locutus dicitur:

Onate Laertis, ea facta turpia

Mibi esse iudico, atque insuavia.

Is namque non sum, ut fraude quidquam agam malè.

Vbi planè Neoptolemus nullo alio fine ductus videtur ad illud propositum deserendū, quàm amore honestatis, odioque turpitudinis, quæ in mendacio & fraude est. Neque obstat, inquit, Aristor. quod quis in ea mutatione sententiæ voluptatem aliquam, seu delectationem habeat.

IIIa

Illā enim voluptas est honesta, & longē alia ab ea, propter quam homo improbus, aut intemperans, aut incontinens, quandoq; opinione mutat. Hęc enim delectatio turpis est, ideoque & variatio sententię vituperio digna habetur, dum ex pravo fine concipitur.

9 CIRCA Tertiā partem docet, Continentię suam mediocritatem esse, sicut & Temperantię: atque adeo etiam in hoc alteram alteri similem videri, sicut & incontinentiam intemperantięque. Porro Continentiam esse sitam in mediocritate, sic ferē probat. Vbi enim est nimium & parum, sive exuperantia & defectus vituperabilis, ibidem quoque mediocritas laudabilis intercedat, necesse est. At in materia Continentię, nimirum, in voluptatibus gustus & tactus, est nimium & parum, sive exuperantia & defectus vituperabilis. Ergo in materia Continentię mediocritas laudabilis est. Maior patet ex ijs, quę lib. 2. 3. & 4. constituta sunt circa Virtutum mediocritatem, tum in genere, tum & in specie. Minor autem suadetur: Quia sicut fieri potest, soletque passim, ut quis non persistens in recto iudicio & proposito, nimium indulgeat ijs corporis voluptatibus ex impetu perturbationis, ideoq; incontinens sit, & peccans per excessum: ita etiā potest accidere, ut quis habens rectum iudiciū circa delectationes eiusmodi moderate capiendas, adhuc ex perturbatione aliqua illas rejiciat, & accipere nolit quando oporteret accipere, sicque peccet per defectū. Quamvis enim rarus sit eius conditionis homo, & proprio careat nomine, solumq; dicatur ab Arist. *αρισθης*, *vacuus sensu*, ut lib. 3. cap. 11. vidimus; tamen id absolute fieri potest, ut homo eiusmodi inveniat. Ergo in materia Continentię, seu in voluptatibus gustus, & tactus, est nimium est parum, sive exuperantia & defectus vituperabilis.

10 ADDIT, Continentiam non esse incomponibilem cum Temperantia, quamvis ab ea differat: quia utraque est bona qualitas animum inclinans ad actum honestum: & nullum bonum contrariatur alteri bono, nec incomponibile cum eo est. Addit intuper, eam esse similitudinem continentis cum temperato, & incontinentis cum intemperato, ut saepe continens dicatur temperans, & incontinens appellatur intemperans. Verū licet similes sint, dissimilitudinē etiā habent: quia continens nondū habet cupiditates bene subactas: ideoq; ab ijs fortiter imperitur oppugnaturq; quamvis tandem prævaleat & vincat. Temperatus autē subiectas & debellatas habet cupiditates, perturbationesque, ideoq; ab ijs nullā aut exiguam oppugnationē subit. Intuper & est instructus eo Virtutis habitu, ut non delectetur præter rationē in voluptatibus corporis, sed delectationē, capiat in mediocritate, seu moderatione illarū,

Continens autem à suo illo qualicumq; habitu, solum habet ut non vincatur à cupiditatibus. Addit denique, incontinentē ab intemperato eodem nomine differre, quod ille prior retineat iudiciū rectum circa voluptates corporis mediocritati adversantes, tanquam fugiendas & turpes, quamvis perturbationis impetu victus interdū turpiter operetur. Intemperatus verò ratione habitus vitiosus habet corruptum iudiciū, & animum obfirmatum in quærendis voluptatibus corporis extra moderationē, ijsque permanenter eligendis. Vbi an tribuat intemperato errorem speculativum circa voluptates in genere, sicut & incontinenti circa delectationem turpem in singulari, iam insinuavimus cap. præced. num. 9. & apparebit ex Disputationibus Ethicis in hunc lib. 7.

11 PLACET Verò in summam redigere cum Giphano & Gallutio quę hactenus toto ferē libro dicta sunt circa differentias continentis à temperato, & incontinentis ab intemperato. Modò enim docuit Arist. continentem oppugnari perturbationum impetu, quo tamen caret temperatus. Continens voluptate turpi & inconcessa delectatur, quamvis eam vincat: temperatus autem, ne delectationem quidem sentit: ut cap. 2. statutum fuit. Unde & colligitur, Continentiam esse imperfectam Virtutem, seu propriē non habere rationem Virtutis: quod tamen competit Temperantię. Loquendo autem de differentijs intemperati ab incontinente, prior ille corruptum habet iudiciū, quo voluptates absque discrimine sequendas arbitrat, & sibi persuasum habet posterior verò neque ita arbitrat, nec persuasum habet sibi: ut traditum est, tam hoc capite, quam tertio & octavo. Intemperantia est cum præcelsi, seu præelectione, & consilio deliberato: incontinentia autem non habet antecedentem electionem, sive præcelsum, sed solum perturbationis impetum, à quo vincitur. Prior illa in allocatione voluptatum ita se exercet, ut de ijs iam obtentis, imò & tranactis, lætitiā capiat, ideoque penitentię locum non tribuat. Posterior ē contra, ex parvis voluptatibus amaritudinem, & penitentiam colligit. Rursus incontinentia melior est, seu non ita mala, ac intemperantia: ideoque illa sanari facilius potest, hæc autem difficilius: ut constat ex cap. 7. & 8. ubi & traditum fuit, intemperantiam esse quoddammodo immutabilem, quoniam obtinet rationē habitus vitiosus: incontinentiam verò facile mobilem & fluxam esse, quoniam ex causa instabili procedit, quę est impetus perturbationis, nec tam rationē habitus obtinet, quā dispositionis; nec tam vitij perfecti, quā inchoati, quod præterea cap. 9. vidimus. Rursus, intemperantia est orbata principio recte agendi, nimirum, recto rationis iudicio, quod corrumpit: incontinentia verò non

est eo principio destituta: cum rectum iudicium conservet incorruptum: vt cap. 6. & 8. probatum est.

12 DENIQUE Norandum est discrimen Temperantiæ à Continentia ex Plutarcho libello de morali Virtute: vbi docet, Temperantiæ habere coniunctam rationem, quæ dominetur perturbationibus, vtrò, sive absque

contradictione obtemperantibus: Continentiam verò sociam habere rationem, dominantem quidem eisdem perturbationibus; sed tamen contradicentibus, veluti equis indomitis; quibus continentis in officio, seu mediocritate, opus sit chamo & freno. Quam ipsam vtriusque distinctionem supra num. 10. satis ex Arist. indicavimus.

CAPVT DECIMVM.

Quòd Prudentia & incontinentia simul in eodem non sint.



TQui neque fieri potest vt idem sit prudens, atque incontinens simul. Est enim demonstratum, prudentem simul, & more studiosum eundem esse. Præterea, non solum ex eo quia scit prudens est, sed ex eo etiam quia idoneus est ad agendum. At incontinens non est idoneus ad agendum: habilem autem nihil prohibet esse incontinentem. Quapropter & interdum nonnulli prudentes esse videntur, atque incontinentes, quia differt habilitas à prudentia eo modo, quem supra diximus: & sunt ratione quidem propinqua, electione verò diversa. Nec incontinens sese habet vt is, qui scit, ac contemplatur, sed vt is, qui dormit, aut est vinolentus: & sponte sua quidem agit, scit enim quodam modo, & quid, & cuius gratia facit. Malignus tamen non est: electio nanque est bona. Quare semimalignus est, & non iniustus: non est enim insidiator. Nam ipsorum alter quidem non persistit in his, quæ statuit consultando. Biliosus autem atrabili, nec ad consultandum omnino est aptus. Et similis est igitur incontinens civitati, quæ decernat quidem omnia, quæ sunt agenda, & leges habeat bonas, sed non vtatur: vt Anaxandrides facetè dixit:

Vrbs consultabat, leges quæ negligit almas: malignus autem civitati, quæ legibus quidem vtatur, sed pravis. Est autem continentia, atque incontinentia circa id, quod multitudinis exuperat habitum. Alter enim magis, alter minùs persistit, quàm plurimi possunt. Faciliùs autem ea curari potest incontinentia, qua biliosi atrabili incontinenter agunt, quàm eorum, qui deliberant quidem, sed non persistunt. Et ij faciliùs curari possunt, qui per assuetudinem, quàm ij qui natura incontinentes sunt. Est enim faciliùs consuetudinem, quàm naturam, mutare. Ideo enim & consuetudinē mutare difficile est, quia similis est naturæ, quemadmodum & Evenus poeta dixit:

Vsus, longus mos est, ac meditatio crebra:
Hunc tandem assero naturam mortalibus esse.

Quid igitur continentia sit, & incontinentia, & quid constantia, mollitiaque, & quomodo inter sese habeant habitus hi, iam diximus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

An possit quis simul prudens esse, & incontinens? Nullum incontinentem ex consilio incontinenter agere: ideoque sanari posse eo defectu laborantem, praesertim ubi peccat precipitanter, seu ex abrupto.



IVONIAM Incontinentia, de qua haecenus toto fere libro disceptatum est, videtur nihil aliud esse, quam intemperantia quaedam inchoata; ideo quaerit Arist. utrum Prudentia & incontinentia simul esse non possint, quemadmodum lib. 6. cap. 12. & 13. quaesivit, utrum Prudentia & intemperantia simul esse possint. Dividitur autem caput in duas partes. Priore illarum docet, esse prudentem & incontinentem simul, ex aliquo capite componi posse: aliunde tamen ita differre & contrariari inter se, ut idem homo simul prudens & incontinens esse non possit. Posteriore vero parte tradit, nullum incontinentem ex consilio incontinenter agere: ideoque omnem incontinentem esse sanabilem, sive correctionis capacem: praecipue autem illum, qui precipitanter & temere agit, ante omnem deliberationem.

2 CIRCA Priorem partem dirimit controversiam praecipuam hoc loco excitatam, & docet, eundem hominem simul prudentem & incontinentem esse non posse. Idque dupliciter probat. PRIMO: Quia incontinentens ille est, qui a perturbationibus, affectibusque animi turbidis vincitur, & prosternitur. Atqui nullus homo prudens a perturbationibus affectibusque animi turbidis vincitur & prosternitur. Nullus igitur homo prudens, simul incontinens est. Consequentia est optima in secundo modo secundae figurae. Maior constat ex dictis toto fere hoc libro circa incontinentem, quatenus differt a continente, & ab intemperato. Minor autem probata satis est lib. 6. cap. 13. ubi ex professo traditum fuit, hominem Prudentiam, & qualibet aliam Virtute perfecte praeditum, necessario instructum esse debere omnibus Virtutibus propter mutua eorum omnium connexionem. Hinc autem illa propositio suadet sub severiore arguendi formula. Nullus homo praeditus omni Virtute, a perturbationibus, affectibusque animi turbidis, vincitur aut prosternitur. At omnis homo prudens est praeditus omni Virtute:

ut eo loco probatum est. Ergo nullus homo prudens a perturbationibus, affectibusque animi turbidis prosternitur. Qui sane syllogismus est in figura & modo perfecto: ac praemissarum prior evidens, posterior autem probata iam suo loco.

3 SECUNDA Ratio. Omnis & solus ille prudens dicitur, & est, qui non solum intelligit & scit res agendas, sed etiam idoneus est ad eas practice praecipendas & exequendas. Nimirum, ut eodem lib. 6. cap. 8. dictum fuit, tres Prudentiae partes sunt, deliberativa, critica, & aetiosa, quae modo praecipitrix, modo executiva dicitur. Quare ut prudens aliquis sit, non satis est, ut partem deliberativam habeat, qua sciat inquirere media idonea fini assequendo; nec praeterea criticam, qua de eisdem medijs optime iudicet, & discernat, quanam magis aut minus opportuna sint; nisi praeterea habeat partem aetiosam, quae dicitur praecipitrix, aut executrix: cum parum referat nosse quae fieri debent, nisi ea executioni mandentur. Itaque in summa, omnis vir prudens recte deliberat, iudicat, & simul exequitur res agendas. At nullus incontinens recte deliberat, iudicat, & exequitur res agendas: imo male illas exequitur, cum turpiter operetur, & contra praescriptum rationis. Nullus ergo incontinens, simul prudens est.

4 ADDIT Verò, ex dictis eodem lib. 6. esse quosdam nullatenus probos viros, seu omni solida Virtute vacuos, qui prudentes apparent; ceterum vere proprieque prudentes non sunt, sed *Δυνολοί*, id est, solertes & sagaces, sive industrij ingeniosique; atque adeo natura bene dispositi ad Prudentiam comparandam. Ergo fieri potest, ut aliqui prudentes videantur, & tamen vere proprieque prudentes non sint. Unde & similiter fieri potest, ut aliqui omni solida Virtute carentes, & interdum turbidis affectionibus victi, quales sunt incontinentes, videantur quidem prudentes, sive proprieque prudentes, sive ob aliam causam, & tamen vere proprieque prudentes non sint. Nimirum, vera & propria Prudentia non

non est posita in illa sagacitate naturalis, quæ sæpe cum pravis moribus, & sordida vittorum colluvie componitur: sed in solertia illa, quæ consilio ac multiplici rerum experimento comparatur, semperque in honestum contendit finem, per idonea media, & rationi consentanea. Quam differentiam sagacis hominis à verè prudente se tradidisse monet Arist. eo loco.

5 NEQVE Inde tamen existimari vult, periinde differre prudentem ab incontinente, ac ibidem dictum fuit, prudentem differre à vitioso. Quippe incontinens minùs differt à prudente, quam vitiosus. Quod fere sic probat. Ille minùs à prudente differt, qui magis cù illo convenit, sive maiorem cum eo similitudinem habet. Atqui incontinens magis cum prudente convenit, seu maiorem cum eo similitudinem habet, quam vitiosus. Ergo incontinens, minùs quam vitiosus, differt à prudente. Minor, in quâ solâ est dissidium, probatur. Incontinens enim convenit cum prudente, quatenus uterque rationem habet rectam. Incontinens quippe, sicut & prudens, rectè ac verè iudicat, nihil improbè faciendum esse; nulli voluptati illicitæ & turpi indulgendum esse: quamvis aliunde differant in eo, quod vir prudens, quoniam sedatas habet perturbaciones, nullâ earum impellitur ad operandum turpiter, & eligendum in singulari, quod in genere iudicaverat prævum: incontinens verò perturbacionum impetu trahitur ad eligendum & operandum in singulari, quod paulò antè censuerat malum, & fugiendum. At vitiosus utroque ex capite differt à prudente, atque in nullo eorum convenit. Non enim solum turpiter operatur, sicut & incontinens: sed præterea etiam corruptum habet iudicium, quo censet, saltem practicè, vivendum esse secundum voluptatem. Ergo incontinens magis cum prudente convenit, seu maiorem cum eo similitudinem habet, quam vitiosus.

6 HINC Colligit, incontinentem non esse simpliciter malum, & vitiosum: sed solum semipravum, semivitosumque: & probat hæc pene ratione. Quisquis pravus & vitiosus simpliciter est, non solum habet perversum appetitum, sed etiam iudicium corruptum. Ergo qui solum habet perversum appetitum, iudicium tamen servat incorruptum, is non est pravus, seu vitiosus simpliciter; sed ex parte solum. At incontinens est eiusmodi: quamvis enim impetu perturbacionis eò trahatur, ut appetat turpiter, sequaturque illicitas voluptates; adhuc retinet iudicium incorruptum: ut sæpe dictum fuit superioribus. Ergo incontinens non est simpliciter pravus, seu vitiosus; sed ex parte solum. Nimirum, ex duobus ijs, quæ ad plenam vitiositatem exiguntur, alterum dumtaxat habet: ideoque solum semipravus, & semivitosus est. CONFIRMAT

Arist. quia si incontinens esset simpliciter iniustus, ageret certè per insidias, qualiter ij omnes, qui iniustitiæ notantur. At incontinens non agit per insidias, sed palam. Habet enim rationis iudicium rectum, secundum quod nullo dolo malo agit, & solum turpiter agit ex perturbacione animi. Ergo non est simpliciter iniustus.

7 CIRCA Secundam partem docet, nullum ex incontinentibus pravè agere ex consilio deliberationeque. Id autem ut probet, supponit ex dictis cap. 7. num. 17. incontinentes bifariam dividi. Quidam enim illorum dicuntur pravolantes, seu præcipites, & temerarij: quoniam ante consilium & deliberationum rapiuntur perturbacionis impetu ad agendum incontinenter: alij autem non, nisi post consilium, deliberationemque, ex eodem impetu perturbacionis turpiter agunt, quia nõ persistunt in illo iudicio firmo, sed abducuntur illo impotenti passionis actu ad voluptatè explendam, ideoque infirmi, seu imbecilles dicuntur. Hoc supposito, ratio Arist. sic procedit. Omnis incontinens, aut est præceps, aut imbecillus. At neuter eorum ex consilio & deliberatione turpiter agit. Ergo nemo incontinentium ex consilio & deliberatione turpiter agit. Minor, quæ sola probatione eget, suadet. Præceps enim, nullum expectat consilium, deliberationemve, sed temerè rapitur ad operandum incontinenter. Imbecillus autem, quamvis deliberet, & rationis iudicium consulat, tamen accedente perturbacionis impetu, non persistit in eo iudicio consilioque. Ergo neuter eorum peccat ex consilio & deliberatione.

8 DEINDE Id ipsum exponit pulchrâ similitudine civitatis, in quâ deliberatur quidem, & non, nisi maturo iudicio præcedente, leges ac placita formandis moribus opportunè feruntur, atque ad felicem Reipublicæ statum idonea. At postea nulla earundem legum observantia est, sed summa negligentia in ijs exequendis. Quare civitas eiusmodi digna est convicio illo, quod in Atheniensibus protulit Anaxandrides trimetro iambico.

ἡ πόλις ἐβόλει ἢ νόμον ἢ δὲν μέλει.

Sancibat urbs, cui nulla legum cura erat.

Fuit verò is Anaxandrides, ut est apud Athenæum, & Lilius Gyraldum Dialog. 6. Comicus Poeta celebris: cuius tamen fabularum sola extabat, quæ *Tereus* dicebatur, quod cæteras ipse igni tradidisset, quia non placebant. Fuisse etiam dicitur formâ pulcherrimus, staturâ procerus, bene comatus, veste purpureâ viens, & fimbrijs aureis: sed asperis moribus notatus: & qui, ubi fortè ab æmulis Poetis vincebatur, carmina sua dilaceraret. Inter alia verò Dithyram-

ram-

rambum scripsit, eiusque partem Athenis equo infidens recitavit: & in eo, siue forte in alio Opere, versum illum in Athenientes protulit, quali nimum deliberarent circa condendas leges, quarum tamen nihil opere fervarent. Verum cives eius urbis usque adeo indignati sunt, ut Anaxandridem in vincula coniectum pudore & fame consumpsent.

9 ID Igitur conviciam Arist. opportunè adaptat incontinentibus illis, qui post maturam deliberationem consiliumque de fugiendis voluptatibus pravis, tandem superveniente perturbationis impetu, id totum obliviscuntur, & cupiditati obediunt. Verum adhuc docet, improbum vitiosumque, ac nominatim incontinentem, longè peius se habere eiusmodi civitate: quoniam nec rectas quidem leges habet, quas prætergrediatur, sed iniquas, iuxta quas turpiter agat. Cum enim vitiosus quisque, & intemperatus, corruptum habeat iudicium, non solum contra rationem operatur, sed etiam sentit, siue opinatur. veluti qui sibi ipsi leges pro ratione arbitrij, & solius voluptatis præscripserit, omni restâ ratione posthabitâ.

10 CÆTERVM, Licet docuerit, incontinentem esse qui à consilio & deliberatione præcedenti discedit, ut voluptatem ex impetu perturbationis sequatur; adhuc monet, non omnem illum, qui rationis limites prætergreditur, incontinentem dici debere. Quod probat à simili: Quia non dicuntur continentes ij, qui qualitercumque in ratione persistunt, sed qui perstant in ratione ijs cupiditatibus superandis, quas plerique hominum non vincunt. Ergo neque incontinentes ij dicendi sunt, qui utcumque desistant à rectitudine rationis, sed ij solum qui ab eâ recedentes superantur ab ijs cupiditatibus, quas plerique hominum superant. Quemadmodum ergo continentis appellatione non insignitur, qui leves & exiguas cupiditates vincit, quas alij frequenter superant; sed is dumtaxat, qui magnas, & urgentes, quibus cæteri plerumque cedunt: ita qui cedit ijs non meretur probrosam incontinentis notam; sed ille solus, qui levibus cupiditatibus, & parum urgentibus, quibus alij communiter resistunt, ignaviâ quadam & nimia fragilitate cedit. Verum hoc intelligendum est de appellatione strictâ & maximè propriâ, tum continentis, tum & incontinentis. Alioqui enim, & verè, quamvis non usque adeo pressè, continens etiam est qui persistit in ratione superandis ijs cupiditatibus, quæ non nimum, neque graviter urgent, & quas plerique superant: incontinens verò, qui cedit urgentibus & gravibus cupiditatum commotionibus, quibus plerique superantur. Quod ex toto ferè libri progressu satis colligitur. Cæterum sicut in Virtutibus & vitijs inæquales gradus sunt, ita

etiam in Continentiâ atque incontinentiâ: & proinde Continentia excellentior superat cupiditates, quas pauci superant: incontinentia autem deterior vincitur ab ijs cupiditatibus, quibus plerique prævalent.

11 DENIQUE Assignat differentiam illorum incontinentium, qui præcipites & temerarij sunt, atque hoc loco prævolantes melancholici dicuntur, ab ijs qui debiles & imbecilli: quod priores longe facilius sanari, siue corrigi possint, quam hi posteriores. Ratio autem, quæ id probat, non est quam Gallutius proponit, petitam ex eo quod posteriores præprioribus rationem habeant admonentem, quæ facilius vitare malum possent, quam incontinentes melancholici, qui nullo modo deliberant, nec à ratione admonentur. Hinc enim potius colligitur oppositum: ut evincitur hoc syllogismo. Quisquis rationem habet admonentem, facilius potest vitare malum, quam qui eam admonentem non habet: ut idem Author assumit. At incontinens debilis rationem admonentem habet: incontinens autem melancholicus non habet rationem admonentem: quæ propositio est Gallutij cum Arist. Ergo incontinens debilis facilius potest vitare malum, quam incontinens melancholicus. At sanabilior ille est, qui facilius potest vitare malum. Ergo sanabilior est incontinens debilis, quam incontinens melancholicus. Quæ sanè consequentia est contradictoria, seu contraria Aristoteli, palam docenti, sanabiliorem esse incontinentem melancholicum incontinente debili.

12 ALIUNDE Igitur probanda est ea Aristotelis propositio: Quia sanabilior ille est, qui comisit aliquod erratum, nullâ consideratione habitâ malitiæ ipsius, quam qui eâ oprime & plene perspectâ, non abstinuit à pravo opere. Huic enim non potest occurrere nova aliqua deformitas in opere, quam non prævidisset ante lapsum: ideoque fieri potest, ut nulla ratione moveatur ad corrigendum illud erratum prius. Qui autem nullâ consideratione habitâ malitiæ operis, illud admisit, poterit ab eo repetendo facilius cohiberi, superveniente cognitione malitiæ, quæ non præcessit. Ergo sanabilior ille est, qui comisit erratum, nullâ consideratione habitâ malitiæ, quam qui eâ probe perspectâ non abstinuit à pravo opere. At incontinens præceps, siue melancholicus, committit erratum, nullâ consideratione habitâ malitiæ operis: incontinens autem debilis, malitiâ probe perspectâ non abstinuit à pravo opere. Ergo sanabilior est incontinens præceps, siue melancholicus, quam incontinens debilis. Nimirum, prior ille, superveniente iudicio rationis, & notitiâ deformitatis, quæ in opere est, poterit præmuniri sufficienti modo, ne vincatur ab impetu atque bilis su-

perveniente, & in malum impellente.
 13 SIMILITER Docet, inconti-
 nentes ex consuetudine sanabiles esse ijs,
 qui incontinentes sunt per naturam, sive ex
 complexione humorum naturali: Quoniam
 prava consuetudo, quamvis non facile, simpli-
 citer tamen deleri potest mutatione iudicij,
 voluntatisque, in consuetudinem oppositam.
 Qui autem ex naturali humorum complexio-
 ne incontinentes sunt, longè difficilior sanari
 possunt, quia natura vix, aut ne vix quidem
 mutari potest. Imò tota difficultas quæ est in
 mutanda consuetudine, exinde oritur, quod
 consuetudo naturam imitetur, quæ immuta-

bilis est. In quod illustrandum affert versus
 duos Eveni Poetæ Elegiaci, quos ita Latinè
 vertit Adrianus Turnebus:

*Esse mihi meditatio longa videtur, amice,
 Ac tandem vim natura progressa subire.*

Et hætenus quidem Arist. se egisse ait de Con-
 tinentiâ & incontinentiâ, Constantiâ & mol-
 litudine, ac de propriâ ratione eorum habi-
 tum, ac distinctione inter se.

VIDE D. Thomam 2.2.9.47. art. 13. ubi
 querit, an prudentia inveniat in malis, &
 illius Interpretes.

CAPVT VNDECIMVM.

De Voluptate.



D Iplum autem civilem Philosophum pertinet de
 voluptate contemplari, atque dolore. Hic enim ar-
 chitectus est finis, ad quem respicientes, vnum-
 quodque aut malum, aut bonum simpliciter dici-
 mus. Insuper & necessarium est de ipsis conside-
 rare. Et virtutem enim morum, & vitium, circa
 dolores, voluptatesque posuimus. Et felicitatem
 plurimi cum voluptate asserunt esse. Quibusdam igitur nulla volup-
 tas aut per se, aut per accidens, bonum esse videtur. Non enim idem
 bonum esse putant, ac voluptatem. Quibusdam nonnullæ quidem
 bonæ, pleræque autem pravæ esse videntur. Sunt & qui tertio cen-
 sent, & si omnes sunt bonæ, summum tamen bonum voluptatem esse
 non posse. Non bonum igitur omnino esse putatur: quia omnis volup-
 tas, generatio est sensibilis ad naturam. Generatio verò nulla genus
 idem subit, quod finis: nulla enim ædificatio domus est. Præterea,
 vir temperans fugit ipsas voluptates, Præterea, prudens persequitur
 vacuitatem doloris, non id, quod afficit voluptate. Præterea, vo-
 luptates impedimento prudentiæ sunt: atque quò magis hisce quis-
 piam gaudet, eò magis impeditur: vt in Venerea fit voluptate. Ne-
 mo nanque dum est in illa, mente quicquam perspicere potest. Præ-
 terea, ars nulla est voluptatis: & tamen omne bonum artis est opus.
 Insuper & pueri, & feræ ipsas voluptates sequuntur. Non esse autem
 omnes studiosas, existimatur: quia sunt & turpes, atque infames: &
 quia afferunt detrimentum. Eorum enim, quæ voluptatem efficiunt,
 non-

nonnulla pariunt morbos. Ex eo verò voluptas summum bonum non esse putatur, quia non est finis, sed generatio. Hæc igitur ferè sunt, quæ de voluptate dicuntur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

Philosophi Moralis esse differere de Voluptate. Opiniones Veterum illam probantium, aut improantium, & earum fundamenta.



POSTQUAM Aristoteles egit de Virtutibus, tum perfectis, tum & inchoatis, aggreditur tractationem de Voluptate; sive, ut habetur initio huius capituli, *περί ἡδονῆς καὶ λυπῶν*, de voluptate & dolore. Cum enim supra egerit de Continentia & incontinentia, Constantia & mollitudine, aliisque eiusmodi habitibus, qui versantur in voluptate & dolore, tanquam in propria materia; nunc ex instituto id ipsum illustrat: & exponit quot & quales circa voluptatem opiniones fuerint apud Philosophos Veteres. Et merito: quoniam ad plenam notitiam cuiuslibet habitus, necessaria est cognitio obiecti, circa quod versatur: ideoque prædictorum habituum, sicut & Temperantiaæ atque intemperantiaæ, tractatio exigat, ut de obiectis ipsorum, consistentibus in voluptate & dolore, disseratur. Quare in explicanda voluptate impendit Arist. quidquid reliquum est huius libri, similiter & quinque priora capita libri decimi, præter ea quæ tradit in Magnis Moral. lib. 2. cap. 7. Dividitur autem caput hoc in duas partes. In prima discernit, tractationem, de voluptate ac dolore esse proprium argumentum huius Operis: idque dupliciter probat. In secunda tres Veterum opiniones recenset circa voluptatem & dolorem, præsertim verò circa voluptatem, ut bona censei debeat, aut mala, sive ex natura sua, sive ex adiuncto: atque uniuscuiusque opinionis fundamenta breviter & suo ordine profert.

2 CIRCA Primam partem statuit Arist. ad Civilem Philosophum spectare considerationem de voluptate ac dolore: idque probat triplici ratione. PRIMA hæc ferè est. Ad illum spectat tractatio de voluptate ac dolore, ad quem pertinet, tanquam ad architectum, considerare finem humanum. At Philosophus civilis est huiusmodi. Igitur ad ipsum spectat tractatio de voluptate ac dolore. Maior patet: Quia ad architectum attinet considerare ea, quæ conducunt ad finem consequendum, aut ab eo divertunt: voluptas autem & dolor, aut conducunt ad finem vitæ humanæ consequendum, aut ab eo dimovent. Minor autem non sic accipienda est, ut intelligatur

de Philosopho Civili, qui moralis non sit: nam reverà procedit de eo, qui simul & Moralis, & Civilis, seu politicus est: quoniam Moralis Disciplina continet prima elementa Doctrinaæ Civilis, seu Politicæ; & ad illam sternit viam, sicuti libri Physicorum ad Philosophiam Naturalem. Quare tum hoc loco, tum & alijs, Philosophus Civilis ac Moralis pro eodem viurpatur, sicuti Physicus, & Philosophus Naturalis. De quo vide quæ diximus in Introductione cap. 5. SECUNDA ratio est. Ad eum spectat consideratio voluptatis & doloris, ad quem attinet differere de Virtutibus & vitijs: quoniam voluptas & dolor sunt materia circa quam Virtutes vitiaque versantur. At differere de Virtutibus & vitijs attinet ad Philosophum Civilem & Moralem, sive Ethico politicum. Ergo ad eundem pertinet consideratio voluptatis ac doloris. TERTIA. Illius est agere de voluptate ac dolore, cuius est disquirere in quo sit posita felicitas vitæ humanæ: quoniam multi ex Philosophis illam posuerunt in voluptate & absentia dolorum. Quare *beatus*, *μακάριος* dicitur Græcè, quasi gaudens, *ἀπὸ τῆς χαίρειν*. Cum igitur Philosophi Ethico politici sit agere de felicitate, eiusdem quoque est differere de voluptate ac dolore. Præter ea verò quæ hoc loco, & infra lib. 10. dicuntur de Voluptate, oportet legere quidquid de illa scite & eleganter scripserunt peculiaribus libris Marsilius Ficinus, Vincentius Magius, & Flaminius: ut alios omittam.

3 CIRCA Secundam partem refert varias Veterum opiniones circa Voluptatem & dolorem. Prima est existimantium, nullam voluptatum esse bonam, nec per se, sive ex naturâ suâ, nec per accidens, sive ex consortio alterius boni: quin potius facere, ut bonum illud ex admistione voluptatis habeat rationem mali. Secunda eorum, qui putarunt, quamvis plures delectationum sint malæ, aliquas tamen habere rationem boni. Tertia demum existimantium, omnes quidem delectationes habere rationem boni, non tamen summi boni humani. Deinde singularum opinionum fundamenta affert ordine suo.

4 PRIMA Opinio multipliciter probat, voluptatem nullatenus habere rationem

nem boni. PRIMO: Quia nulla generatio sensibilis ad naturam est bona (generatio, inquam, quidquid Ciphanius repugnet, qui γενεσιον, iuxta Cicronem, non generationem, sed ortum dicendum contendit, adversus antiquam innumerabilium Philosophorum phrasim.) At omnis voluptas est generatio sensibilis ad naturam. Nulla igitur voluptas est bona. Maior pater: Quia solus finis habet rationem boni: nulla autem generatio sensibilis ad naturam est finis, nec de genere finis, sed motio ad finem, ut edificatio ad domum. Nulla igitur generatio sensibilis ad naturam est bona. Minor vero suadetur: Quia omnis voluptas, de qua procedit questio, est motio quedam sensibilis, sive sensu aliquo perceptibilis, ad naturam delectandam, sive replendam, ut comestio, & potatio cum voluptate. SECUNDO probant. Omne id quod exosum est viro temperanti & sobrio, malum est omnino. At voluptas cuilibet temperanti ac sobrio viro exosa est. Ergo prorsus mala est. TERTIO. Vir prudens quamvis fugiat dolores, non ideo appetit voluptatem. Ergo quia voluptas nullatenus bona est. QUARTO. Nullum bonum est impedimento prudentiae: quia nullum bonum alteri bono contrarium est, ideoque omnes Virtutes possunt esse simul. At voluptas est impedimento prudentiae: quia pervertit aut corrumpit iudicium rerum agendarum, sicuti temperantia ipsi opposita illud conservat, indeque Graece etymon trahit, ut superiori libro traditum est. Ergo nulla voluptas habet rationem boni. Quod idem confirmat Philosophus exemplo rei venerae, quae totam intellectus aciem obtenebrat: & Cicero in Ca-
 », tone Maiore, dum ait: Cum homini Deus
 », nihil praestabilius mente dedisset, huic di-
 », vino muneri nihil tam inimicum est, quam
 », voluptas. Neque enim libidine dominan-
 », te, est temperantiae locus, neque omnino
 », in voluptatis regno potest virtus consiste-
 », re. Haecenus ille. Similiter & Augustinus
 dum ait: Commisceri facit animum vis in-
 », gens libidinis cum ipso corpore, & unum
 », cum ipso quoddammodo agglutinari, &

», devinctum esse in tantum, ut nihil aliud ip-
 », so momento & experimento huius tam mag-
 », ni flagitij cogitare homini liceat aut inten-
 », dere. Quare Hippocrates coitum appellat
 parvam quandam epilepsiam, seu morbum
 quandam comitalem, ut Gellius interpreta-
 tur. QUINTO. Omne bonum est opus ar-
 tis: ut potè proficiscens à recta ratione, quam
 ijdem Philosophi aiebant, aut esse artem, aut
 cum arte. At nulla voluptas est opus artis, sed
 appetitus tantum. Nulla igitur voluptas, ha-
 bet rationem boni. SEXTO. Id quod pue-
 ri ac bestiae sequuntur, non est bonum, quia
 reguntur solum appetitu sensitivo. At pueri &
 bestiae sequuntur voluptatem, ut patet. Volup-
 tas igitur bonum non est.

5 SECUNDA Opinio duobus niti-
 tur, ut probet non omnes voluptates esse bo-
 nas. PRIMVM est. Eo ipso quod aliqua vo-
 luptates sint pravae, non omnes voluptates bo-
 nae sunt: alioqui duae contradictoriae propo-
 sitiones essent simul verae. Atqui voluptatum
 aliqua sunt pravae, quae propterea merito vi-
 tuperantur. Ergo non omnes voluptates sunt
 bonae. SECUNDAVM. Nihil habens ratio-
 nem boni natum est afferre detrimentum. At-
 qui voluptatum aliqua natae sunt afferre detri-
 mentum: ut patet in morbis, quos sepe afferunt.
 Ergo aliqua voluptatum non habent ratio-
 nem boni.

6 TERTIA Ita probat nullam vo-
 luptatem, quamvis bona sit, habere rationem
 summi boni. Id enim quod nequit habere ra-
 tionem finis, non potest esse summum bonum;
 quoniam in hoc sita est ratio finis vitae huma-
 nae. At voluptas nequit habere rationem fi-
 nis. Ergo neque esse summum bonum. Pro-
 batur minor: Quia omnis voluptas est gene-
 ratio quedam: nulla autem generatio habet
 rationem finis, sed tantum mediij ad finem.
 Nulla igitur voluptas rationem finis ha-
 bet.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 31. quae
 est de delectatione secundum
 se, & illius Inter-
 pretes.

(?)



CAPVT DVODECIMVM.

Improbatio rationum de voluptate.

NON Effici autem ob ea, quæ dicta sunt, ut voluptas bonum non sit, nec id, quod est optimum, ex hisce sanè constabit. Primum namque cum bonum sit duplex, (est enim aliud absolute, aliud alicui bonum) & naturæ ipsæ, & habitus hæc sequentur: quare sequentur & motus, & generationes. Atque earum, quæ quàm pravæ videntur esse, quædam sunt, sed expetibiles huic: quædam nec huic, sed nonnunquam & tempore paruo: expetibiles verò non sunt: quædam neque voluptates sunt, sed videntur, quæ sunt cum dolore, & medicaminis gratia, quales sunt ægrotantium. Præterea, cum bonorum aliud sit operatio, aliud habitus, operationes, quæ naturalem constituunt habitum, per accidens afficiunt voluptate. Est igitur operatio in cupiditatibus indigentis habitus, atque naturæ. Nam & sine dolore, cupiditateque, sunt voluptates, ut operationes contemplandi, non deficiente natura. Signum autem est, quod non eisdem gaudent homines, cum repletur, & cum est constituta natura: sed cum est constituta his, quæ simpliciter afficiunt voluptate, cum repletur & contrarijs. Nam & acris gaudent, & amaris, quorum nihil prorsus aut natura, aut simpliciter afficit voluptate: quare nec voluptates. Nam ut ea quæ voluptatem efficiunt, inter sese distant, sic & voluptates eæ, quæ ab illis proveniunt. Atqui non necesse est, aliquid aliud esse præstabilius voluptate, ut quidam inquit generationis ipsius finem. Non enim generationes sunt voluptates, neque cum generatione sunt omnes, sed operationes, & finis. Nec eveniunt dum fiunt, sed cum fit usus: nec omnium est finis aliud quicquam, sed earum, quæ ducunt ad perfectionem naturæ. Quapropter & non bene sese habet, voluptatem dicere generationem esse sensibilem: sed dicendum est potius, operationem eius habitus esse, qui est secundum naturam, & pro hoc insensibilem, sine impedimento. Videtur autem ex eo generatio quædam esse, quia est propriè bonum. Operationem enim generationem esse existimant: est autem diversum. At verò si voluptates esse pravæ ex eo censent, quia nonnullæ rerum afferentium voluptatem morbos efficiunt, idem & in salubribus rebus censebunt.

Non-

Nonnullæ nanque obsunt pecuniariæ rei: hoc igitur modo pravæ sunt ambæ. At non sunt ob id ipsum pravæ: nam obest interdum ad sanitatem, & contemplatio. Impedit autem neque prudentiam, neque habitum vllum voluptas ea, quæ ab vnoquoque prodit, sed alienæ. Nam eæ voluptates, quæ à contemplatione emergunt, & disciplina, conferunt potius ad contemplandum, atque discendum. Id præterea, quod dicitur, nullam vllius artis opus voluptatem esse, cum ratione accidit: nec enim vlla alia operatio artis est, sed potentiæ: quamquàm & vnguentaria ars, & coquinaria, voluptatis esse videntur. Temperantem autem fugere voluptatem, & prudentem sequi vacuitatem doloris, pueros denique persequi, belluasque, afficientes res voluptate, eodem omnia modo solvuntur. Nam cum voluptatum, vt dictum est, aliæ sint absolutè bonæ, aliæ non bonæ, tales voluptates tam pueri, quàm belluæ, persequuntur: & harum indolentiam prudens, quas cupiditas comitatur, & dolor, quæque corporis sunt. Hæ nanque tales sunt, & harum exuperationes, quibus intemperans, intemperans est. Quapropter has temperans fugit. Nam sunt voluptates & temperantis.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Opinionum capite precedenti recensitarum circa Voluptatis bonitatem aut malitiam, consutatio, & solutio argumentorum, quibus illæ nitentur.



N Hoc capite refelluntur rationes opinionum nuper relatarum circa voluptatem: dividiturque illud in quatuor partes. In prima earum refellitur prima opinio, docens nullam voluptatem esse bonam, nec per se, nec per accidens, & potissima eius ratio præcluditur. In secunda impugnatur ratio tertie opinionis, excludentis omnem voluptatem à ratione finis, & summi boni. In tertia rejicitur ratio secundæ opinionis probantis, aliquam saltem voluptatem esse pravam. In quarta denique diluuntur cætera argumenta primæ illius opinionis, excludentis omnem voluptatem à ratione boni.

2 **CIRCA** Primam partem improbat rationes primæ opinionis; quæ allebatur nullam delectationem, sive voluptatem, esse bonam, nec per se, nec per accidens: arguitque ferè in hunc modum. Aliquæ voluptates sunt simpliciter bonæ. Quemadmodum enim se habet bonum, ita etiam natura & habitus, atque adeo & voluptates, quæ naturam & habitum consequuntur. Atqui bonorum quoddam est simpliciter bonum, quoddam non simpliciter,

sed alicui tantum. Ergo similiter natura & habitus, ac proinde & voluptates, quæ consequuntur virumque, erunt quædam simpliciter habentes rationem boni, quædam verò non simpliciter, sed alicui tantum. Aliquæ igitur voluptates sunt simpliciter bonæ. Illustrat Phil. hanc rationem à pari voluptatum praværum, quarum quædam sunt simpliciter sive naturâ suâ pravæ, quædam tantum alicui & secundum quid: ac præterea voluptatum simpliciter praværum aliquæ à nullo expectantur, quædam verò ab aliquo: quædam item apparentes, quædam autem veræ. Cum igitur, iuxta Auctores eius opinionis, voluptates sint generationes & motiones ad naturam & habitum, quæ duo, sicut & bonum, dicuntur simpliciter & secundum quid; consequens est, vt etiam voluptates sint bonæ vel pravæ, aut simpliciter, aut secundum quid. Ergo non omnis voluptas est prava simpliciter, sed aliqua bona, contra opinionem relatarum.

3 **DEINDE** Rejicit rationem illam, quæ prædicti Philosophi probabant, nullam voluptatem esse bonam: quia, nimirum, omnis voluptas est generatio sensibilis ad naturam. Quod vt improbet, duas assertiones statuit.

Præ

Prima est: *Operatio constituens naturam, nō est voluptas simpliciter & per se, sed per accidēs.* Secunda: *Operatio procedens à natura vel habitu, est voluptas simpliciter ac per se, & non per accidēs.* Primam probat hoc pacto. Nulla operatio coniuncta cum dolore, est simpliciter voluptas: quia hæc simpliciter accepta, excludit omnem dolorem. At operatio constituens naturam est coniuncta cum dolore: ut patet in operatione comedendi ac bibendi, quæ constituit naturam, sive tendit ad subveniendum ipsi, cum aliquo dolore adiuncto famis ac sitis. Ergo operatio constituens naturam, non est simpliciter voluptas. Secunda assertio sic suadetur. Omnis operatio procedens à principio non deficiente, sed plenè atque optimè constituto, in rebus cognitione atque appetitu præditis, est voluptas simpliciter & per se, non autem per accidēs. Atqui operatio procedens à natura, vel habitu, est huiusmodi. Ergo est voluptas simpliciter & per se, nō autem per accidēs. Maior patet: quia operatio ab eiusmodi principio procedens, nihil impedimenti habet ex aliquo capite ut voluptuosa sit. Minor autem suadetur: Quia nomine naturæ, vel habitus, in præsentī intelligitur principium omnino connaturale operationis, ac proinde cuius operatio fit absque dolore, & cū facilitate. Operatio autem à principio omnino connaturali procedens, oritur à principio non deficiente, sed plenè atque optimè constituto. Iam verò statuta utraque assertione, rejicitur illa ratio primæ opinionis, qua assumebatur, omnem voluptatem esse generationē sensibilem ad naturam. Quamvis enim id locum habeat in voluptate operationis tendentis ad constituendam, sive reficiendam naturam indigentem, iuxta primam assertionem; non tamen in voluptate operationis procedentis à natura plenè constituta & instructa per habitum, ut in secunda conclusione ostensum est. Hæc enim voluptas non est generatio sensibilis ad naturam, sed operatio naturæ perfectæ: ideoque potest esse voluptas simpliciter, ac bona per se.

4 CIRCA Secundam partem, impugnat similiter rationem illam tertie opinionis, qua asserbatur, etsi omnis voluptas sit bona, nullam tamen esse summum bonum, quia summum bonum est finis, nulla autem voluptas est finis, sed ad finem, cum sit generatio: ac proinde nulla voluptas est summum bonum. Respuit verò Aristot. probationem hanc: Quia falsò in ea assumitur, omnem voluptatem esse generationem. Quamvis enim id verum sit de voluptate quæ est operatio ad naturam fovendam, reficiendam, vel constituendam, ac proinde voluptas secundum quid, quoniam non fit sine dolore ac difficultate, falsum tamen est de voluptate quæ est operatio naturæ

iam perfectæ per habitum Virtutis. Hæc enim non est generatio, sed operatio perfecta, & omnem dolorem ac difficultatem excludens. Ergo ex capite generationis perperam excluditur à ratione finis, ac proinde à ratione summi boni. Unde & reprehendit Aristot. definitionem voluptatis ab ijs Philosophis traditam per hoc, ut voluptas sit *generatio sensibilis ad naturam*. Nequit enim convenire voluptati procedenti à natura plenè constituta per habitum: quoniam illa non est generatio, sed actio tantum; nec sensibilis, sive passionem sensibilem excitans, sed potius facilis & libera ab impedimento. Quare voluptas simpliciter talis, potius definiti debet: *Operatio natura iam perfectæ per habitum, sive carentis impedimento*. Solum ergo habere potest locum definitio illa in voluptate secundum quid, tendente ad naturam constituendam, sive ab imperfectione extrahendam. Insuper, & consequenter, refellit eosdem Auctores, quod in definitione præiacta pro eodem acciperent generationē & operationem, quasi omnis operatio sit generatio, ac proinde operatio voluptuosa, sit generatio voluptatem afferens. Hoc enim & falsò, & inconsequenter dicitur. Falsò, quia licet omnis generatio sit operatio, non tamen è converso. Voluptas enim procedens à natura iam perfectæ per habitum, quamvis sit operatio, non tamen generatio, ut nuper probatum est. Inconsequenter etiam: quia si omnis operatio est generatio; ergo cum aliqua operatio sit finis ultimus, & summum bonum, aliqua generatio habebit tandem rationem summi boni & ultimi finis. quod non modò falsum est, sed & repugnans immediatè eidem opinioni. Superest igitur ut non omnis operatio sit generatio: quoniam generationi omni repugnat ratio finis, cum necessario sit ad finem: aliqua tamen operatio possit esse finis, immò & finis ultimus: illa, scilicet, quæ præsupponit naturam perfectam, & constitutam per habitum.

5 CIRCA Tertiam partem impugnat secundam Veterum opinionem, cap. præcedenti relatam, qua asserbatur, non omnem voluptatem esse bonam, sed aliquam pravam; quia aliqua est efficientia voluptatis afferens detrimentum vel morbum; & omne quod affert detrimentum vel morbum, est pravum. Hunc verò discursum rejicit, veluti nimium probantem, ac proinde nihil. Probat enim primò, etiam res salubres, sive sanitatem corpori afferentes, esse pravas: quia interdum aliqua illarum afferunt detrimentum rei pecuniariæ. Probat secundò, etiam contemplationem esse pravam, quia sæpe detrimentum salutis, sive morbum affert, quoniam interdum assumit atque in cerebrum rapit spiritus, illos, qui

qui impendi deberent in alijs partibus corporis, ad fovendum illud. Consequens autem quò ad utramque partem absurdum est: cum prout & in aperto sit, medicamenta salubria esse bona, & contemplationem optimam, ac prestabilissimum opus hominis. Absurdum ergo est quod in ea ratione assumitur, nempe, malum esse omne id, quod detrimentum vel morbum avertit. Non ergo rectè colligitur aliquas voluptates esse malas, quoniam quaedam illarum avertunt morbum, vel detrimentum.

6 CIRCA Quartam partem revertitur ad impugnandam denuo primam illam opinionem superius reiectam, ac singillatim improbat quartam rationem, qua nitebatur: deinde & reliquas. Porro quarta illa ratio inde probabat, omnem voluptatem esse malam, quia omnis voluptas est impedimento prudentiæ; & omne quod prudentiam impedit, malum est. Hunc verò discursum rejicit Aristot. quoniam licet aliquæ voluptates sint impedimento prudentiæ, non tamen omnes: nam voluptas procedens ab operatione prudentis, nullum prudentiæ impedimentum affert, sed potius perficit illam: similiter & voluptas consequens operationem omnem consequentem ad actum perfectæ Virtutis, non impedit habitum Virtutis ipsius, sed potius illum perficit, proindeque & ipsam prudentiam: tandemque voluptas contemplationis, & disciplinæ nihil obest, imò & plurimum prodest ad contemplandum & discendum. Et ratio à priori est: Quia licet voluptas extranea atque innaturalis sit impedimento prudenti, non tamen illa quæ propria est & connaturalis habitui prudentiæ ac reliquarum Virtutum, quoniam per eam perficiuntur, & subiectum promptius redditur ad earum operationes. Ergo licet voluptas extranea sit mala non tamen propria; ideoque perperam assumitur, omnem voluptatem esse impedimento prudentiæ, ac proinde malam.

7 SEXTA Ratio eiusdem opinionis in eo nitebatur, quod malum sit quidquid pueri & bestiae sequuntur: manifestum autem est, pueros & bestias sequi voluptatem. Hanc verò probationem enervat Philosophus recurrendo ad distinctionem superius statutam inter voluptates, quarum quaedam sunt simpliciter bonæ, quaedam secundum quid, vel respectu alicuius tantum. Et has quidem concedit pueris & bestiis, priores autem negat. Non enim pueri & bestiae voluptatem perfectam asequuntur, quoniam illorum operationes & sentiones non procedunt a natura perfecta, sive instructa habitu Virtutis: sed potius tendunt ad naturam perficiendam & reficiendam, idque cum dolore aliquo ex indigentia, aut difficultate orto, qui alienus est à perfectâ voluptate. Quare ad summum illa

ratio probare potest, voluptates aliquas, quales sunt puerorum & bestiarum, non esse bonas simpliciter: non tamen omnes voluptates.

8 TERTIA Ratio prædictæ opinionis ex eo procedebat, quod vir prudens non sequatur voluptates, quamvis dolores fugiat; ideoque omnes voluptates videantur malæ. Hanc verò difficultatem expedit Philosophus asserens, prudentem virum non sequi voluptates corporis, quoniam proprie & simpliciter voluptates non sunt, ut potè doloribus permixta: sed tantum sequi, sive amare indolentiam, seu absentiam illius doloris, qui procedit ex absentia talium voluptatum corporearum. Si enim eiusmodi dolorem haberet, eo ipso non esset prudens. Quare ad summum sequitur, eas voluptates non esse bonas simpliciter, sicut neque amabiles prudenti. Cum hoc tamen cohereret quod aliæ voluptates simpliciter bonæ sint, & amabiles: illæ, scilicet, quæ prudentis propriæ sunt ex operatione perfectæ Virtutis, quas vir prudens merito & rationabiliter amat.

9 SECUNDA Ratio eiusdem opinionis vix differt à tertia iam soluta, & solum concludit, delectationes turpes, seu rationi adversantes, esse viro sobrio & prudenti exosas: non autem illas, quæ consequuntur naturam plenè constitutam habitu Virtutis. Hæ namque amabiles & honestissimæ sunt, sicut & operationes ipsæ Virtutum, quas naturaliter consequuntur, ut passiones vel accidentia illarum. Consequuntur, inquam: quia reverà operatio virtutis perfectæ non est ipsa voluptas, sed subiectum ex quo voluptas emanat, & resultat, sicut pulchritudo ex bona cõplexione & compositione partium. Unde fit, ut propter connexionem hanc solius resultantia, voluptas ipsa sæpe accipiatur ab Arist. nomine operationis, quæ secundum perfectam Virtutem est.

10 QUINTA Denique eiusdem opinionis ratio inde sumebatur, quod omne bonum sit opus artis, ac proinde procedens à recta ratione, quæ vel est ars, vel simul cum arte: nulla autem voluptas est opus artis, quia nulla voluptas procedit à ratione: ergo nulla voluptas habet rationem boni. Huic verò argumento respondet Arist. negando maiore: quia operatio habens rationem boni non est proprie opus artis, sed potentia prædicta habitu artis, quæ est principium efficiens operationis. Deinde, si ars est recta ratio, est utique recta ratio factibilem, & eorum quæ aguntur à nobis. Unde & negat minorem: quia voluptas est opus alicuius artis: ut patet exemplo artium coquinariæ & vnguentariæ, quæ sunt effectrices voluptatum. Nihil itaque prohibet voluptates ab arte procedere: & tanè ita contingit in artibus, seu disciplinis mathematicis, quæ ingentem voluptatem pariunt in ijs, qui lo-

longo ac pertinaci studio illas plenē affecti sunt. Idemque est de quibuslibet Virtutibus: quoniam, ut initio libri secundi traditū est, nō sunt opus naturæ, sed artis, scilicet, industria, & voluptarij exercitij: ideoque illarum actiones, voluptatē afferentes, possunt dici opus artis. Patet igitur, nullo ex argumentis primæ opinionis probari, omnem voluptatē esse malam, & à ratione boni excludendam.

11 NOTANDVM Vero est circa priorē & præcipuam capituli partem Arist. revera hoc loco dixerisse aduersus Platonem, quamvis illius nomen dissimulet, ac rejicere definitionē voluptatis, quam ille tradiderat per hoc, ut sit, *γενεσις τῆς ψυχῆς ἀπο τῆς φύσεως*. generatio in naturā sensilis, sive ut Giphanius interpretatur, *ortus ad naturam, sub sensum cadens*. Rejicit, inquam, ex eo potissimū quod plures sint voluptates, quæ tamen generationes non sunt: ut ostensum est supra n. 3. circa finē, & infra lib. 10. c. 3. & 4. vberius explicabitur. Itaque voluptatis genus Arist. non in generatione, sive ortu, sed in actione situm vult duntaxat. Similiter eum

Plato differentiā voluptatis in eo constitueret ut generatio illa sit sensilis, sive sub sensum cadens; Arist. id negat, & asserit in eo sitā esse, ut actio, sive operatio sit *non impedita*. Non enim omnis voluptas sub sensum cadit, ut patet in ea quæ percipitur ex theoreticis disciplinis, & videri veritatū contemplatione. Exinde obiter rejicitur definitio alia voluptatis à Cicer. tradita lib. 2. de Finib⁹, ubi inquit: *Voluptas est ite- ralis motus, quo sensus hilaratur*. Patet enim ex dictis, id nō cōvenire omni voluptati. Mitto aliam definitionē Stoicorum ab eodē Cicerone memoratam, & quædam alias apud Alexandram lib. 2. Topico. Præferenda itaq; est Aristotelica voluptatis definitio, ut sit *operatio, sive actio eius habitus, qui est secundū naturā, nullatenus impedita*. Sive, ut brevius perstringit Giphanius, *actio quædam habitus optimè affecti, non impedita*. Seu paulo aliter, *actio habitus nature consentanei, non impedita*. Cui⁹ definitionis bonitas ex dictis facile appareat. VIDE D. Th. 1. 2. q. 31. quæ est de delectatione, & illius Interpretes.

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De Voluptatum speciebus.

TQVI malum & ipsum dolorem esse, ac fugiendum, conceditur. Alius enim est simpliciter malum. Alius aliqua ex parte, ex eo quia affert impedimentum. At contrarium fugiendo, quo fugiendum quid est, atque malum, est bonum. Igitur voluptatem bonum quid esse, necesse est. Eo namque modo, quo Speusippus solvebat, non convenit solutio: ut minori maius, & æquali voluptatem, contrarium esse. Non enim sub malo voluptatem ipsam, ut speciem dixerit sub genere collocari. At verò nihil prohibet, voluptatem aliquam optimum esse, si nonnullæ voluptates sunt pravæ: quemadmodum & scientiam aliquam, si sunt nonnullæ scientiæ pravæ. Quin potius forsitan & necesse est, expectibile esse aliquam summè. Si sunt uniuscuiusque habitus operationes sine impedimento, sive omnis operatio sit felicitas, sive unius cuiuspiam ipsorum vacans impedimento: hoc autem est voluptas. Quare fit ut aliqua voluptas, ipsum sit summum bonum, etiam si forte pleræque voluptates sint simpliciter pravæ. Atque ob id ipsum felicem vitam iucundam esse omnes arbitrantur, ne stantque ipsam voluptatem: cum felicitate, non absque ratione. Nulla namque operatio perfecta est, si impediatur. At felicitas, operatio est perfecta. Quapropter felix indiget bonis, & corporis, & externis, ipsaque fortuna, quo non hæc impediatur. Quia at-

tem aiunt, eum, qui rota torquetur, & magnis in calamitatibus est constitutus, felicem esse, si modò sit bonus, nihil profectò dicunt, aut sua sponte, aut inviti. Quia verò felix indiget & fortuna, ideo quibusdam fortunæ prosperitas, & felicitas idem esse videtur, quod non est ita. Nam & ipsa, si exuperet, impedimentum affert, atque fortasse iure tū non est prosperitas appellanda. Definitio enim ipsius, est ad ipsam felicitatem. Illud etiam, belluas, hominesque persequi voluptatem, indicat ipsam esse quodammodo summum bonum.

Quam populi celebrant, omnino fama perire,

Nulla potest. Sed quoniam eadem natura, habitusque optimus neque est, neque videtur, nec voluptatem eandem omnes sequuntur. Voluptatem tamen omnes sequuntur, Fortasse autem & persequuntur, non eam, quam putant, neque quam dicerent, sed eandem. Omnia namque divinum quid habent natura. Sed corporis voluptates ex eo sibi nomen hoc vindicarunt, quia sæpissimè occurrunt, & omnes sunt ipsarum participes. Solas igitur has esse putant, quia solæ sunt notæ. Patet etiam, nisi voluptas, & operatio sit bonum, felicem vivere cum voluptate non posse. Cuius namque gratia ipsa est opus, si bonum non est? At simul & cum dolore ipsum vivere contingit. Dolor enim neque malum est, neque bonum, si neque voluptas. Curnam itaque fugiet? Neque igitur studiosi ipsius vita iucunda erit, si nō sint & operationes ipsius iucundæ.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI TERTII.

Voluptatem esse aliquod bonum: aliquam item voluptatem esse comitem summi boni. Confutatio Speusippi oppositum assertentis. Neminem esse posse felicem sine presidio bonorum corporis & fortunæ: nec tamen ideo Felicitatem esse unum atque idem cum prosperitate.



POSTQVAM Aristoteles reiecit aliorum opiniones circa voluptatē, aut certè rationes illarum, nunc pergit ad probandum voluptatem esse quid bonum, immò & aliquam voluptatem esse summum bonum humanū. Quod non est intelligendum ita vt ex mente Arist. aliqua voluptas sit essentialiter seu constitutive summum bonum: hoc enim expressè negat infra lib. 10. sed comitanter tantum, quatenus aliqua voluptas comitatur summum bonum, ex eoque naturaliter resultat: sicut cap. præcedenti diximus, voluptatem appellari operationem perfectæ Virtutis, quatenus ex ea pululat naturaliter, & est idem subiecto cum illa, quamvis non constitutive. Hoc itaque præsupposito, in quo aliqui Auctores capitale videtur, dividitur caput præfens in duas partes. In

prima decernit, voluptatem esse aliquod bonum, idque probat, & refutata solutione Speusippi confirmat. In secūda statuit vterius, aliquam voluptatem habere rationem Felicitatis, siue summi boni: idque probat triplici ratione, & vnica confirmatione. Interim verò corollaria aliquot infert, difficultates emergentes solvit, & quasdam aliorum opiniones obiter impugnat.

2 CIRCA Primam partem statuit præcipue, voluptatem esse aliquid bonum: idque probat hoc ferè pacto. Quidquid adversatur rei malæ & fugiendæ, est bonum. At voluptas adversatur dolori, qui est res mala & fugienda. Ergo voluptas est aliquid bonum. Maior patet: quia malo, & fugiendo nihil aliud adversatur, nisi quod bonum est. Minor autem statim innotescit: quoniam voluptati nihil æquè contrarium, ac dolor, & dolor ab omnibus

bus malus habetur, ideoque & nemo est, cui exolus non sit. Monet vero Phil. dolorem aliū esse simpliciter malum, qualis est qui in hominibus vitiosis oritur ex absentia voluptatum: alium verò solum ex aliqua parte malū, quatenus impedit operationes perfectę Virtutis; qualis est dolor ex absentia aut obitu amici, qui non videtur simpliciter malus, sed secundū quid tantum, quatenus impedimento est nobilioribus Virtutum operationibus. Qualiscumque autem dolor ex ijs duobus sit, aduersatur voluptati.

3 VIDIT Rationem hęc Speusippus, Platonis ex sorore nepos, atque hęc doctrine ipsius, asserentis voluptatē, saltem corporis, esse pravam: atque ut avunculi opinionē tueretur, respondit, voluptatē aduersari quidē malo, sed tanquam extremū quoddam: ideoque nō rectē inferri voluptatem esse bonam, ex eo quod dolor ipsi contrarius sit malus. Optime enim coheret quod aliquid opponatur alicui bono tanquam extremū, & tamen nō propterea malum sit: ut patet in prodigalitate, quę extremē opponitur avaritię, & tamen bona non est, quāvis avaritia sibi contraria sit mala. Itaq; Speusippus, ut eam doctrinā tueretur, ponebat dolorem & voluptatem, veluti duo extrema contraria; & tanquam medium, vtriusque absentiam, seu indolentiam: sicut prodigalitas & avaritia extremē sibi aduersantur, & liberalitas est medium inter vtrāque. Quare sicut prodigalitas non est bona, quāvis avaritia extremē opposita sit mala; ita etiā nec voluptas bona est, quāvis dolor, extremē ipsi oppositus, malus sit. Malo enim aduersatur, non modō id quod bonū est, sed etiam aliud malum, si habeat rationem extremi, ut voluptas relatē ad dolorem.

4 VERVM Hanc solutionem Speusippi refellit Arist. argumento ad hominem desumpto. Ipse enim fatebatur, aliquam voluptatem esse bonam in specie determinata. Ergo voluptas non est sub genere mali: nam si voluptas esset sub genere mali, omnis voluptas in specie determinata, esset mala, nullaque proinde bona. Ergo voluptas non opponitur malo doloris tanquam aliud malum extremum: quia omne malum extreme oppositum alteri malo, debet esse sub genere mali, ut patet in prodigalitate. Restat igitur, ut voluptas opponatur malo doloris, non tanquam extremum, sed tanquam medium: ac proinde quod si dolor est malus, voluptas bona sit. Habent enim se voluptas & dolor sicuti egritudo & sanitas, inter quas nullum datur medium, iuxta Philosophos, quamvis Medici illud assignare conentur in corpore neutro, id est, nec sano, nec agro. Non autem se habent, ut prodigalitas & avaritia, inter quas mediat liberalitas; neque ut timiditas & audacia, quibus media interiacet Fortitudo; ne-

que ut album & nigrum, quorum intermedia sunt colores alij: sed tanquam continentia & incontinentia, iustitia & iniustitia, alijque habitus eiusmodi, quorum si vnus est malus, alter necessario sit bonus. Et quemadmodū hoc non obstanti accidere potest, ut quis, saltē actu (ut vulgo in Scholis loquimur) atque in exercitio nec sit continens nec incontinens, nec iustus nec iniustus; ac proinde nec actu bonus nec malus, quāvis habitu debeat esse alterū e duobus: ita etiam licet voluptas dolorque absque villo medio opponantur, tanquā bonum & malū, fieri potest ut quis actu & in exercitio nec sentiat voluptatē, nec dolorem, sed sit in statu indolentię, seu absentię vtriusque affectus. Verum quotiescumque sentierit dolorem, ille debet esse malus: ac proinde voluptas ipsi contraria, necessario erit bona.

5 CIRCA Secundam partē statuit, aliquā voluptatem esse summū bonum, & felicitatem ipsam: scilicet, comitanter, ut supra observatum est, & per modū accidentis cuiusdam resultantis ex operatione secundū perfectā virtutē, in qua consistit essentialiter summū bonū ac felicitas hominis. Assertū verò probat dupliciter. *Primō*. Eo ipso quod voluptas procedat ab habitu perfecte operante, aliqua voluptas erit summū bonum humanū. At voluptas procedit ab habitu perfecte operante. Ergo aliqua voluptas erit summū bonum humanū. Consequentia patet, & minor similiter: quia voluptas procedit ab habitu operante cū facilitate, & absque villo impedimēto. Ergo ab habitu perfecte operante. Maior autē tuaderur: Quia habitū perfecte operantiū est aliqua coordinatio, ita ut vnus sit perfectior alio, & aliquis illorū perfectissimus omnium. Ergo aliqua voluptas, scilicet, procedēs ab eiusmodi habitu perfectissimo, & perfectissime operante, erit voluptas perfectissima, ac proinde summa, ideoq; & summū hominis bonū. Quippe sicut voluptas habet rationē boni, ut supra probatum est; ita etiā summa voluptas rationē summi boni. *Secundō* probat idem assertū a signo, quia homines existimāt summū bonum, sive felicitatē, illam vitā, quę est omnino iucunda, seu voluptate plena: indeq; colligit, aliquā voluptatem esse summū hominis bonū, aut cū summo bono connexam. Omnis enim operatio perfecta caret impedimēto. At felicitas est operatio perfecta. Ergo caret impedimēto. Modo sic. Omnis operatio carēs impedimēto est voluptas, aut voluptatem asserit. At felicitas est operatio carēs impedimēto. Ergo felicitas est voluptas, aut voluptatē asserit. Ergo cū felicitas sit summū bonum humanum, est etiam summa voluptas, aut summam voluptatem asserit. Aliqua igitur voluptas est felicitas, & summum bonum humanum; quatenus, scilicet, ipsum comitatur.

6 HINC Infert corollarium quoddam: scilicet, felicem non posse consistere sine ijs bonis, quæ corporis & fortunæ celesentur: idque probat ex præiactis: Quia felicitas est operatio sine impedimento. At si bona corporis & fortunæ delint, non erit operatio sine impedimento. Ergo nec felicitas. Unde refert & refellit sententiam Stoicorum asserentium, felicitatem in sola Virtute ac probitate consistere, quamvis delint cætera bona corporis & fortunæ; immo & quis sit in tormento rotæ, aut intra Phalaridis taurum æneum. Refellit inquam, existimationem hanc: quia si bona corporis & fortunæ delint, & multo magis, si quis æcumas & tormenta patiat, impedimentum subit ad operandum, ex defectu instrumentorum, quibus indiget ad operationem. Ergo quanquam Virtutes in animo habeat, nõ tamen est felix: quia felicitas consistit in operatione absque impedimento. Quare Auctores prædicti, siue sponte sua, siue inviti, fateri debent, in ijs ærumnis corporis, ac bonorum fortunæ indigentia, neminem felicem esse posse. Unde paradoxon censetur dictum illud Stoicorum, *sapientem etiam inter tormenta beatum esse*. Ijs subscripsi videtur Cicero lib. 3. de Finibus, dum ait: *Fortunæ, qui dolorem in malis non habent, ratio certè cogit, ut in omnibus tormentis conservetur vita beata*. Ac lib. 5. id declarat exemplo Attilij Reguli, ac Metelli: quorum prior propter fidelitatem erga patriam crudelissimis vexatus fuit supplicijs apud Carthaginem: posterior ex iisdem Pænis insignem reportavit triumphum, ductis secum Romam tredecim hostium ducibus, ac centum viginti elephantis. Aitque, Zenonem Stoicorum Antesignanum, si rogaretur, vter eorum felicior esset, an Metellus in triumpho, an Attilius in tormentis, arbitraturum eos pares. Quin & Epicurus, alioqui voluptatum magister, apud eundem Ciceronem 2. Tuscul. inquit: Si vratur sapiens, si crucietur, in Phalaridis tauro si erit, dicet, *Quàm suave est hoc, quàm hoc non curo*. Et de eodem! Epicuro in gravissimis vrinæ doloribus posito testatur Seneca, dixisse: *Beatissimum hunc & ultimū diem ago*. Hanc itaque opinionem refellit Aristor. velut longè à vero & ratione alienam. Quod autem docet de necessitate subsidiorum fortunæ, intelligendum quidem est de felicitate civili & activa, quæ est in ordine ad alios, ijsque propterea subsidijs, seu instrumentis eger. Nam alioqui, & loquendo de felicitate speculativa, quæque inter fagos & quercus haberi potest, extra omnem humanum convictū, certum est non egere bonis externis, nisi paucissimis: vt lib. 1. cap. 8. dictum est.

7 INFERT Secundò, falsam esse opinionem eorum, qui existimarunt idem esse felicitatem ac prosperitatem. Id enim, quod af-

fert impedimentum felicitati, non est felicitas: quia nihil potest esse impedimento sibi ipsi. At prosperitas, si immodica sit, affert impedimentum felicitati. Ergo prosperitas, saltem si immodica sit, non est idem ac felicitas. Maior cum consequentia patet. Minor probatur. Omne instrumentum ad aliquid consequendum, vel efficiendum, si immodicum, siue excedens sit, impedimento est: vt patet in instrumentis artis cuiuslibet. At prosperitas, scilicet, bonorum externorum, est quoddam instrumentum ad felicitatem consequendam, vt patet. Ergo prosperitas, si immodica, siue excedens sit, impedimento est felicitati consequendæ.

8 CONFIRMAT Philosophus superius illud assertum hac ratione. Id quod omnia animalia exoptant, & votis persequuntur, est quoquomodo summū bonum. Atqui voluptatem omnia animalia, siue homines, siue bellig, exoptant, & in votis habent. Voluptas igitur quoquomodo est summum bonum. Minor experimento patet. Maiorem probat testimonio illo Heliodi accinentis:

Φήμη δὲ ὅτι γε πάμπαν ἀσύνταται, ἢ
τινα λαοί

Πολλοὶ φημιξωσιν.

Nec verò in totum vanescit fama per orbem,

Quam populi multi celebrant.

Quo spectat aureum illud Plinij in Panegyrico: *Singuli & decipere, & decipi possunt: nemo omnes, neminem omnes se felle runt*. Omnes autem populi, gentesque, felicitatem in eo sitam censent, quod generatim appetunt, atque in votis habent. Ergo, ne omnium existimatio vana sit, in illo ipso sita est felicitas.

9 VERVM Difficultas statim occurrit circa hanc doctrinam: Quia licet pueri & bestię sequantur voluptates, non tamē illas que simpliciter voluptates sunt, & ad animū spectant; sed eas tantum, quæ alicui solū, & secundum quid voluptates censentur, atque ad corpus attingunt. Ergo voluptas ab ijs expetita non est summū bonum vlllo pacto: quoniam voluptas summi boni comes, est simpliciter voluptas, non ad corpus spectans, sed ad animā. Respondet idem Phil. huic obiectioni, ex optima solū natura, & optimo habitu, proficisci optimā operationem, in qua cōsistit felicitas & summum bonum hominis. Cū autem pueri & bestię non cōstent optimā natura, & optimo habitu, consequens est vt nequeāt elicere optimā operationem, ideoq; nec habere nec solidam felicitatem, & summū bonū, quod sit tale simpliciter. Tantum itaque assequi possunt illā felicitatem, illudque bonū; quo maius aliud consequi nequeunt, & quod relate ad illos summum appellari potest, in corporis voluptate consistens, quamvis absolute nec summum bonum sit, nec felicitas, nec voluptas simpliciter.

Hoc

Hoc autem sufficit ut ratio illa in confirmationem adducta sit efficax: Quia omnia animalia, siue irrationalia, siue ratione utentia, appetunt voluptatem, veluti felicitatem suam: irrationalia quidem, voluptatem corporis; rationalia vero animi. Ergo quia aliqua voluptas pertinet ad felicitatem, siue ad summum bonum, qualecunque sit illud, quod atsequi possunt creaturae rationales, aut irrationales. Verum quidem est, voluptatum nomen communiter accipi solere de ijs tantum quae corporis sunt, & sibi rapuerunt nomen, veluti magis nota: ideoque exultatione digni sunt Philosophi illi, qui supra cap. 11. dixerunt, voluptates omnes esse pravas, quoniam videntur locuti de corporeis voluptatibus, iuxta communem acceptionem. Hoc enim sensu videtur locutus Seneca, eiusdem opinionis praecipuus sectator, dum ait Epist. 93. *Voluptas bonum precoris est.* Similiter & de Vita Beata cap. 7. ubi hanc voluptatis & virtutis antithesim instituit: *Quid dissimilia, imò diversa compositis? Altum quiddam est Virtus, excelsum, & regale, invictum, infatigabile: voluptas, humile, servile, imbecillum, caducum, cuius statio ac domicilium fornicee & popinae sunt. Virtutem in templo invenies, in foro, in curia, pro muris stantem pulverulentam, coloratam, callosas habentem manus: voluptatem latitantem, apertis, ac tenebras captantem circa balnea & sudatoria, ac loca adilem mententia, mollem, enervecem, mero atque unguento madentem, pallidam, aut fucatam, & medicamentis pollutam.* At hoc non prohibet, quin & animi voluptates sint, multo maiores, ac melioris notae, quarum proinde aliqua esse possit optima, ac summum bonum. Quare & idem Seneca aliquas eiusmodi voluptates probat laudatque. Nam Epist. 2. & lib. 2. de Benef. cap. 22. ait: *Iusta causa letitiae est latum amicum videre: iustior fecisse.* Et Epist. 23. *De tuo gaude. Quia est hoc de tuo? Te ipso, & optima tui parte.* Expressius adhuc Epist. 4. *Ula*

voluptas est, quae percipitur ex contemplatione mentis, ab omni labe pura & splendida. Quasi diceret, ceteras quae ad corpus spectant, non esse voluptates, quamvis ita appellentur: illam autem dici merito esseque voluptatem. Denique tota Epist. 60. est de vera voluptate & vero gaudio. Vbi plane emollit rigidam illam opinionem, quae omnes universe voluptates improbat, & proseribit.

10. VLTIMO Probat idem assertum, scilicet, aliquam voluptatem habere rationem boni, ac proinde voluptatem optimam, siue summam, in summo bono ac felicitate inveniri. Probat vero ab inconuenienti, siue absurdo: idque dupliciter. P. I. MO. Si voluptas non sit bonum, felix non vivet cum voluptate, ac proinde nec cum iucunditate. Consequens est absurdum. Ergo & illud ex quo sequitur. Absurditas consequentis facile constat, cum ipsa felicitatis notio statim praesferat vitam voluptuosam ac iucundam. Sequela autem probatur: quia felicitas solum importat affluentiam perfectam bonorum; non vero eorum, quae bona non sunt. Ergo si voluptas non est bonum, felix non vivet cum voluptate, ac proinde nec cum iucunditate. SECUNDO: Si voluptas non est bonum, felix vivet, aut vivere poterit cum dolore, quod absurdum esse, nemo non viderit. Sequela probatur. Si enim voluptas non est bonum, nec dolor erit aliquod malum: quippe contrariorum eadem ratio est. At felix vivit, aut vivere potest cum eo, quod non est malum. Ergo aut vivit, aut vivere poterit cum dolore! Cum igitur haec duo illata sint absurda, consequens est, ut voluptas sit bonum, & aliqua voluptas optimum, siue summum bonum, quod est hominis felicitas. A quo loquendi modo nec rigidus Seneca discedit: siquidem Epist. 125. ait: *Tunc beatum te iudico, cum tibi ex te gaudium nascetur.*

VIDE D. Thom. 1. 2. q. 32. quae est de causa delectationis, & illius Interpretes.

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

De corporeis Voluptatibus.



DE Corporis voluptatibus considerandum est eis, qui dicunt, nonnullas voluptates expetibiles esse valde, ut honestas, sed non corporis, & in quibus intemperans ipse versatur. Cur igitur contrarij dolores sunt pravi? Malo nanque bonum contrarium est. An necessariae voluptates sic

sunt bonæ, quia & id, quod est non malum, est bonum? An vsque ad aliquem terminum bonæ sunt? Habituum enim eorum, ac motuum, quorum non est melioris exuperatio, neque voluptatis est. Eorum autem, quorum est, est & voluptatis exuperatio. At bonorum corporis est exuperatio, & pravus in persequendo exuperationem, sed non necessarias voluptates, consistit. Omnes enim gaudēt quoddammodo, & epulis, & vino, & Venere, sed vt oportet. Contra autem in ipso dolore facit. Non enim exuperationi dolor contrarius, nisi ipsi persequenti exuperationem. At enim cū non solum ipsum verum sed etiam falsi causam oporteat dicere, (hoc enim ad faciendam fidem conducit: nam cū id rationi consentaneum fuerit visum, ob quod verum esse videtur, quod non est verum, faciat vt ipsi vero magis assentiamur) dicendum est, cur corporis voluptates expetibiliores videntur. Primum igitur, ex eo quia pellunt dolorem, atque ob exuperationes doloris, voluptatem exuperantem, vti medelam, & omnino voluptatem corporis persequuntur, ipsæ autem medelæ vehementes fiunt. Quapropter & ipsas sequuntur, qui tales vidētur, cū contrarium adest. Et propter hæc igitur duo, sicut dictum est, voluptas non studiosum esse videtur: quia aliæ pravæ natura sunt operationes: aut ab ortu, quemadmodum feræ: aut & ob cōsuetudinem, quales pravorum sunt hominum. Aliæ sunt medicamenta, quia sunt indigentis, & melius est habere, quàm fieri. Aliæ accidunt dum perficiuntur: per accidens igitur sunt studiosæ. Prætereà, ipsas, quia sunt vehementes, ij persequuntur, qui alijs nequeunt gaudere. Ipsi itaque fitim quandam comparant: quæ cū sine quidem nocimento fit, nō est increpandum: cū verò cum detrimento, perpravum est. Neque enim habent alia, quibus gaudent, & nec aliud habere plerisque permolestum est ob naturam. Nam animal semper laborat, vt naturales etiam sermones testantur, videre, ac audire, dolorem inferre dicentes: sed consueti iam sumus, vt aiunt. Similiter in iuventute quidem ob incrementa, perinde disponuntur, ac vinolenti. Et iuventus ad voluptates propensior est. Biliosi autem atra bili natura semper egent medicamento, semper enim corpus ob complexionem mordetur, & semper in appetitione sunt vehementi. Voluptas autem contraria, & quævis etiam, modo sit vehemens, pellit dolorem. Et propterea intemperantes homines, pravique fiunt. Voluptates autem eæ, quæ sine dolore sunt, exuperationem non habent. Atque hæ proficiuntur ex ijs, quæ natura, & non per accidens afficiunt voluptate. Ea verò dico per accidens afficere voluptate, quæ medentur. Etenim

quia

quia fit vt homini medeatur, eò quòd sanum permanet, aliquid agēte, ideo talia afficere voluptate videntur. At ea natura voluptate afficiunt, quæ faciunt operationem talis naturæ. Nulla autem res eadem ex eo nos semper delectat, quia non est simplex nostra natura, sed inest & aliquid aliud, quo corruptibiles sumus. Quare si quipiam agat alterum, id est alteri naturæ præter naturã. At cum æquatur, neque molestum, neque iucundum videtur quod agitur. Quòd si alicuius natura sit simplex, semper eadem operatio iucundissima erit. Idcirco Deus vna semper, simplicique gaudet voluptate. Non enim solùm motionis est operatio, sed & immobilitatis: & voluptas in quiete potius, quàm in motu consistit: mutatio verò omnium dulcissimum est secundum poetam, ob pravitatem quandam. Vt enim homo pravus, facilè est mutabilis, sic & natura prava est ea, quæ indiget mutatione. Non est enim simplex, nec bona. Sed de continentia quidem, atque incontinentia, & de voluptate, doloreve, & quid vnumquodque ipsorum est, & quonam modo alia ipsorum sunt bona, alia mala diximus. Deinceps autem de amicitia dicemus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI QVARTI.

An omnes corporis voluptates sint mala: & cur, aut quo sensu sint cæteris expetibiliores. Cur ea ipsa, quæ modò voluptatem afferunt, postea fastidium, aut etiam dolorem ingenerent. Deo summam voluptatem esse, sed totius mutationis expertem.



VM Philosophus capitibus precedentibus ita uillet non omnem voluptatem esse malam, sed aliquam bonam, immò annexam felicitati, siue summo bono hominis; nunc iam determinatè disserit de voluptatibus corporis, dividitque hoc caput in tres partes. In prima proponit quandam rationem dubitandi pro bonitate voluptatum corporis, eamque dupliciter solvit, pluribus interim observatis. In secunda quærit causam, cur voluptates corporis expetibiliores videantur, quàm animi, quamvis hæc ipsa sint præstantiores: illamque multipliciter assignat, & illustrat. In tertia denique infert quædam corollaria circa vicissitudinem voluptatum in hominibus, quatenus natura composita præditi sint, & à Deo dissident.

2 CIRCA Primam partem proponit quandam difficultatem in hunc ferè modum. Dicitur est superioribus, quasdam voluptates esse simpliciter tales, & omnino liberas à dolore, diuersasque à corporeis, quo-

niam corporeæ semper sunt dolori permixtæ. Ex hoc autem colligi videtur, omnes corporis voluptates esse pravas. Ergo & dolores corporis eisdem contrarij erunt boni: siquidem malo non opponitur, nisi quod bonum est. Absurdum verò apparet dicere, dolores corporis esse bonos, cum ab omnibus odio habeantur. Ergo & absurdum est asserere, omnes corporis voluptates esse malas, vt dixisse videtur Aristot. in precedentibus. Vnde & formulam hanc subducit Giphanius. Contrariorum alterum si est malum, alterum certè, vel est bonum, vel certè non malum. Atqui dolor, cui contraria est voluptas, est in malis. Ergo voluptas corporis non est in malis.

3 HANC Difficultatem enervat Aristot. duplici solutione. PRIMA est, voluptates illas corporis, quæ naturales, siue necessariæ sunt, quales habentur ex victu moderato, nò esse malas, immò & esse bonas quatenus malæ non sunt: quippe in ijs est medium inter malum & bonum, vtpotè necessarijs in quibus nec vitium, nec Virtus est.

Vn-

Vnde non inferitur, dolores ipsis oppositos, scilicet, necessarios, esse malos, nisi quatenus boni non sunt, & negative tantum. Quippe cum contrariorum eadem sit ratio, ut in ipsa difficultate tangitur; sicut voluptates necessarier non sunt bonæ, nisi quatenus carent malitia; sic nec necessarii dolores, ijs oppositi, mali sunt, nisi quatenus carent bonitate. Quod autem alijs locis indicavit Aristot. voluptates corporis esse malas, accipiendum non est de naturalibus necessariisque, sed de alijs, in quibus aliquid libertatis deformitatisque invenitur, infra explicandis.

4 SECUNDA solutio est, Voluptates corporis, scilicet, resultantes ex cibo & potu, esse bonas vsque ad aliquem terminum intra fines mediocritatis. Quod ut luculentius exponat, observat habitus & motus esse in duplici differentia. Quidam enim non suscipiunt excessum melioris, ut cõtingit in Virtutum operationibus; quidam autem excessum suscipiunt, ac proinde etiam excessum voluptatis. Nam si non suscipiant excessum, nec excessum voluptatis suscipere nata sunt. Exemplum priorum est in speculationibus & operationibus Virtutum; quæ sicut non suscipiunt excessum melioris, sic neque excessum voluptatis; ideoque nullam pariunt voluptatem, quæ prava sit. Exemplum posteriorum est in usu cibi & potus, quorum excessus est vituperabilis, ideoque & immoderata voluptas ex eo resultans. His positis docet Aristot. voluptates corporis excedentes esse pravas, idque probat: Quia quoties excessus operationis est pravus, etiam excessus voluptatis inde confurgens pravus est. Atqui operationum corporis excessus in cibo & potu est pravus; ideoque excedentes in cibo & potu pravos appellare solemus. Ergo & voluptatis excessus inde confurgens pravus est.

5 ADDIT Verò quædam alia in eiusdem doctrinæ exornationem. PRIMVM est, omnes quidem homines gaudere victu & venere; sed plerumque nimis, & irrationabiliter, quia excedunt, & excessus in ijs est vituperanda, sicuti è contra mediocritas in cibo & potu est laudabilis, quoniam vitæ individui necessaria est. De venere autem alia videtur esse ratio, quia non est necessaria vitæ individui, aut ipsius conservationi, sed tantum multiplicationi, seu propagationi intra eandem speciem, ut alio loco dictum est. Quare intemperantes peccant, tum quia excedunt in usu rerum ad corpus spectantium, tum quia non servant mediocritatem in voluptatibus inde ortis, tum denique quia dolent si ijs immodicè non potiantur. ideoque in ijs & voluptas mala est, & dolor pravus. SECUNDA M est, excessum voluptatis non esse contrarium dolorem eiusmodi, sed alium

longè dolorem, voluptati oppositum: quia dolor conceptus ex absentia voluptatum, est amor illarum, cum odio habeat ipsarum absentiam. Quibus sic statutis, responderet objectioni, in qua colligitur si voluptates corporis malæ sunt, dolores fore bonos; responderet, inquam, voluptates corporis excedentes, & non necessarias, esse malas; ac proinde dolorem ijs contrarium, seu voluptatibus repugnantem, esse bonum: in quo nihil est absurdum. Non enim absurdum est, sed immo necessarium, ut si voluptas excedens prava est, dolor ipsi repugnans bonus sit. Si autem obiectio procedat de voluptatibus corporis necessarijs, & ad mediocritatis præscriptum: dicendum est, dolorem ijs repugnantem esse malum, quoniam illæ non sunt pravæ; & nihil inconvenit pravum esse id, quod extremo non pravo contrarium est. Idque adhuc facilius intelligitur iuxta secundam solutionem supra assignatam. Si enim, iuxta illam, voluptates necessariæ & moderatæ corporis bonæ sunt, dolor ijs contrarius erit plane malus, vipotè impeditivus debiti ac necessarii boni. Quod tamen intelligendum est à Catholicis, nisi adsit urgeatve in oppositum sublime aliquod motivum, ex quo oporteat aliquid subtrahere corpori de voluptatibus necessarijs, ijsque contradicere: ut de sanctis viris legitur, & multi hodie exequantur, iuxta propositum severioris vitæ. Verùm hæc maceratio corporis potius conformatur Philolophiæ Christianæ, quam Ethicæ Gentilibus notæ, ac solius naturalis rationis legibus comprehensæ.

6 CIRCA Secundam partem quærit rationem, cur voluptates corporis videantur magis experibiles, quamvis pravæ sint, & de facto expectantur ab hominibus magis, quam voluptates animi, quæ bonæ sunt, & natura sua experibiliores. Respondet verò huic interrogationi dupliciter. PRIMO, voluptates quæ expellunt dolorem sensibilem, apparere experibiliores ijs, quæ eiusmodi dolorem non pellunt, quamvis revera experibiliores sint. At voluptates corporis præ voluptatibus animi expellunt dolorem sensibilem, ut famis, sitis, ægritudinis, &c. Ergo mirum non est quod voluptates corporis experibiliores, quam animi, appareant, quamvis revera non sint. Porro non esse reipsa experibiliores voluptates corporis, sed solum apparenter, probat: quia quædam illarum sunt natura sua pravæ, ideoque nullatenus experibiles, nisi contra rationis præscriptum: quædam necessariæ ad naturam reficiendam, sive sanandam, ut voluptates vitæ necessarii, & medicinæ opportuna. Hæc autem non sunt bonæ simpliciter, sed alicui, scilicet, indigenti aut ægrotanti; nec studio-

se per se nisi per accidens, cum precedant habitum & completionem naturæ. Voluptates autem animi sunt simpliciter bonæ, & studiosæ, cum omnibus bonæ sint, & præsupponant habitum, naturamque plene constitutam. Ergo re ipsa meliores sunt & appetibiliores quibuslibet voluptatibus corporis.

7 **SECUNDO** respondet interrogationi eadem, ideo corporis voluptates apparere appetibiliores, & frequentius appeti, quia cum homines assiduis penè doloribus & ætumnis affligantur, ideoque ardentè optent ab ijs liberari; confugiunt statim ad voluptates corporis quæcumque præsentaneum & sensibile subsidium afferre possunt. Omnes etiam ij, quibus assiduus pene dolor aut defatigatio est, indigent confugio ad sensibilem aliquam voluptatem. At eundem fere hominibus assiduus pene dolor aut defatigatio est: nam non modò ægri, sed etiam ij, qui sani habentur, assiduo sensuum exercitio passionem subeunt, ideoque & absque intermissione vlla defatigantur, præsertim in tactu à nimio calore aut frigore, fame aut siti, somno aut vigilia, motu aut quiete. Vnde illud commune Philosophorum estatum ex Aristot. *Omne agens agendo repetitur.* Ergo cum perpetuas non habeant honestissimas animi voluptates, quæ paucis & cælo probatis viris in experimento sunt, indigent conversione frequenti ad voluptates corporis sensibiles, quibus citò ac facile suam afflictionem leniant, aut ex toto auferant. Idque confirmat experimento in iuuenibus præcipue ac melancholicis. Iuvenes enim sunt similes ebrijs propter exagitationem assiduam partium corporis, humorumque, qui irrequieto ac vario augmento sui perturbant corpus: ideoque ij confugiunt ad sensibiles voluptates. Similiter & melancholici assiduo morfu atræ bilis nimium punguntur, & excitantur, ut in eadem voluptates eant. Hæc igitur causa est, ut voluptatum corporis, quam animi, frequentior sit prosequutio, & crebrior usus.

8 **CONFIRMAT** Præstantiam superius indicatam voluptatum animi ultra voluptates corporis in re loquendo, quamquam non in speciem, duplici argumento. **PRIMUM** est huiusmodi. Illæ omnes voluptates, quæ non habent excelsum vituperabilem, præstantiores re ipsa sunt, quam quæ habent. At prioris generis sunt voluptates animi, posterioris verò voluptates corporis. Ergo voluptates animi præstantiores re ipsa sunt, quam corporis. Maior patet: quia illæ omnes voluptates quæ non habent excelsum vituperabilem, ita bonæ sunt, ut quantò magis de ijs fuerit, tantò magis de bonitate habeatur: illæ autem voluptates quæ habent excelsum vituperabilem, non ita bonæ sunt, ut

quantò magis de ijs fuerit, eo plus habeatur de bonitate. At quæcumque priori modo se habent, præstantiores sunt ijs, quæ posteriori modo, ut patet. Ergo illæ omnes voluptates quæ non habent excelsum vituperabilem, præstantiores re ipsa sunt, quam quæ habent. Iam minor illa præcipua suadetur: Quia voluptates animi natura sua ac simpliciter bonæ sunt, ut iam ante constitutum est, ac proinde quanto maiores fuerint, eo plus habeant de bonitate: ideoque excelsum vituperabilem subire nequeunt. Voluptates vero corporis non sunt tales natura sua, nec simpliciter, sed per accidens, & respectu naturæ indigentis, cui subveniunt. Vnde earum excelsus est vituperabilis, quia transgreditur metas necessitatis, ideoque potius est oneri, quam subsidio naturæ. **SECUNDUM** est. Voluptates provenientes à natura perfecta & completa per habitum præstantiores re ipsa sunt, quam quæ tendunt ad naturam complendam & perficiendam: utpote provenientes à nobiliori principio. At prioris generis sunt voluptates animi, ut contemplationis, & operationis perfectæ in materia Virtutum, provenientes à natura iam completa per habitum; posterioris vero voluptates corporis, ut cibi, potus, aut medicinæ, tendentes ad naturam reficiendam, sanandamve. Ergo voluptates animi præstantiores sunt re ipsa, quam corporis.

9 **CIRCA** Tertiam partem infert quædam corollaria ad voluptates spectantia. **PRIMUM** est, hominibus non semper idem esse iucundum, siue voluptatem afferens, sed modò vnum, modò aliud. Ratio autem huius vicissitudinis in affectibus oritur ex eo, quòd natura humana non sit simplex, sed composita ex animo, & corpore; atque immortalis quidem ex priori capite, mortalis autem ex posteriore, ideoque iubiæens affectibus rerum contrariarum, quarum quædam delectant animum, quædam corpus, etiam contra alterius partis inclinationem. Cum verò corpus ipsum ex contrarijs quatuor elementorum qualitatibus coalescat, & modò in eo prævaleat frigus, modò calor, modò siccitas, modò humiditas, propter assiduam illarum pugnam; consequens est, ut nec corpori eadem temper placeant, sed diversa, iuxta variam eius dispositionem. Si autem natura hominis simplex esset, & dissidio primarum qualitarum carens, sicut cælum, profectò ijs mutationibus non subiaceret.

10 **SECUNDUM** est, Deum semper vna ac simplici voluptate gaudere, idque ex opposito fundamento: quia, nimirum, constat natura simplici, ac totius compositionis experte: proindeque nulli voluptatum varietati subiaceret, sed vna & constanti voluptate gaudet. Quod si verò quis obijciat, omnem

nem voluptatem esse aliquem motum, ac proinde repugnare Deo, quoniam ille omnino immobilis est; Respondet Arist. non omnem voluptatem esse motum, quia non omnis operatio afferens voluptatem est motus. Operatio enim naturæ perfectæ non est motus, & quæ habeat unam partem post aliam; sed est actus perfecti, & veluti quies, ac proinde tota simul. Quare ex eo quod Deus voluptatem aliquam, eamque unam & constantem, habeat, minime inferitur, motum aliquem Deo inesse. Aut certè si motus aliquis Deo est, profectò non ille, qui mutationem arguit, sed qui denotat actionem immanentem, actumve mentis & voluntatis complacentiamque iucundissimam & æternam in seipso, quam expressit idem Philosophus lib. 12. Metaph. cap. 6. & 7. ac 2. de Cælo cap. 3. illis præsertim verbis: *Θεὸς δὲ ἐτέργει, ἀθάνατος. τὸτο δὲ ἐστὶ ζῶν ἀίδιος, ὃ σὲ τῷ Θεῷ κίνησιν ἀίδιον ὑπάρχειν.*
Dei actio immortalitas. Hoc autem est perpe-

tua vita: ut necessum sit Deo motum perpetuum in esse.

11 TERTIVM est, humanis voluptatibus, eo ipso quod humanæ sint, competere mutationem & varietatem quandam: quia hæc est imperfectio humanæ naturæ, ut mutabilis sit, ac proinde similes affectiones pariat. Verùm hæc ipsa voluptatum vicissitudo, hominibus placet, quoniam neque simplicis naturæ sunt, neque omnino perfectæ. Unde & Poetam allegat, qui cecini: *μεταβολὴ πάντων γλυκύτατον.* *mutatio omnium rerum dulcissima est.* Quibus ita discussis, Arist. tractationem suam de continentia, & incontinentia, voluptate & dolore, ac denique totum septimum librum absolvit.

VIDE D. Thom 1.2. quæst. 31. art. 5. & 6. & quæst. 35. vbi de tristitia seu dolore; opposito delectationi, & illius

Interpretes.



LIBER

LIBER OCTAVVS ETHICORVM ARISTOTELIS.

AD ILLUSTRISSIMVM ET LITTERATISSIMVM
D. D. BENEDICTVM DE TRELLES VILLAAMIL,
IACOBÆVM EQVITEM, MARCHIONEM DE TORRAL-
BA, SVPREMORVM SENATVVM IVSTITIÆ AC REGI CVBICVLI CON-
SILIARIVM, OLIM SALMANTICÆ INSIGNEM IVRIS CÆSAREI
PROFESSOREM, ET MAIORIS COLLEGH QVETEN-
SIS TOGATVM, &c.

SVMMA LIBRI.



QVEMADMODVM Arist. præcedenti libro egit de quibusdam habitibus, sive affectionibus animi, quæ licet non habeant rationem Virtutis præsertim sumptæ, attamen exhibent quandam illius speciem, similitudinemvè, & non parum conferunt ad Felicitatem perfectam, omnibusque numeris absolutâ: ita hoc libro disserit de Amicitia, quæ, si Virtus propriè non est, certè similis est Virtuti, & cum ea connexa, nec parum conferens præsidij, sive adiuventi in plenam & integram hominis Felicitatem. Nemo enim mortalium, quibuslibet naturæ aut fortunæ bonis instructus, se felicem existimat, si amicorum ope aut vinculo destitutus sit. Ne ij quidem, quos amor contemplationis in solitudinem defert, possunt ea mentis tranquillitate ad diuturnum tempus perfrui, sine aliquali cæterorum mortalium cõsuetudine, amicitia vè: cum ijs vt minimum egeant ad salutem ipsam corporis, vitamque tuendam. Dico *aliquali*: quoniam Amicitia nomine non solùm comprehenditur illa, quæ stricta est; sed etiam quælibet humanæ vitæ necessitudo innumeris ferè modis contingens, quibus recensendis exponendisque non dubitavit Philosophus totum hunc librum, & sequentem ferè integrum destinare. Porro liber hic potissimum impeditur circa explicandum illud genus Amicitia, quod est inter privatos & singulos inter se: vt cives eiusdem Reipublicæ, aut incolæ eiusdem domus. Idque eo ordine digeritur, vt primùm agatur de illo amicitia genere, quod est inter æquales: deinde inter inæquales. Demum disseritur de querimonijs accusationibusque, quæ sæpe excitantur inter amicos, & quolibet necessitudinis genere illigatos inter se.

CA-

CAPVT PRIMVM.

*De Amicitia.*ARISTOT. META' *ἀιταύρα*, &c.

OST hæc consequens est de amicitia pertractare. Est enim quædam virtus, aut est cum virtute. Res est præterea summè necessaria in vita. Nemo enim habens cætera omnia bona, sine amicis expeteret vivere. Nam & locupletes, & in principatu, potestateque constituti, plurimùm amicis indigere videtur. Quid enim prodest talis prosperitas beneficio sublato? quod quidè maximè fit in amicos, ac maximè commendatur. Aut quonam modo sine amicis custodiri, conservarique potest? Quo namque magis abundat, eò magis periculis subiacet. In paupertate quoque, cæterisque calamitatibus, vnicum esse confugium amici putantur. Iuuenibus etiam conferunt ad compescenda peccata: & senibus ad obsequium, atque ad eos actus perficiendos, quos ob imbecillitatem ipsi peragere nequeunt. Et ijs item, qui sunt in statu, ad actiones honestas. Etenim si duo simul eant, intelligere magis, atque agere possunt. Inesse etiam amicitia videtur natura ei, quod genuit, ad id, quod est ortum ab eo: non in hominibus solum, sed in plurimis etiam animalibus, & ijs inter sese, quæ sunt eiusdem generis, & hominibus maximè. Quapropter amatores hominum laudamus. Cernere etiam quispiam potest & in ipsis erroribus, familiarem omnem hominem homini, atque amicum esse. Civitates etiam amicitia continet. Et legumlatores circa hanc magis, quàm circa iustitiam student. Concordia namque simile quid amicitia esse videtur. Hanc autem maximè affectant: seditionem autem, vt inimicam, maximè expellunt. Et si sint quidè amici, iustitia non est opus. Sin verò sint iusti, indigent amicitia. Et id quod maximè iustū est, ad amicitiam attinet. Non solum autem necessarium est, sed & honestū. Laudamus enim eos, qui amant amicos, copiaque amicorum honestum esse putatur: & quidem eosdè viros bonos esse, atque amicos putant. Est autem controversia de ipsa non mediocris. Quidam enim similitudinem quandam ipsam esse posuerunt, & similes esse amicos. Vnde & similem ad similem pergere inquirunt, & monedulam ad monedulam, & similia. Quidam cōtrà singulos inter sese omnes tales inquirunt esse, & de his ipsis altiùs, naturaliusve perquirunt. Euripides quidè inquires:

Cùm

Cum est sicca tellus, ipsa certè tum imbrem amat:
Cum turget aether, imbre cum coelum tumet,
Affectat vt telluris in sinus cadat.

Heraclitus autem contrarium dicens esse conducens, & ex differentibus pulcherri mum concentum oriri, & per discordiam omnia fieri. Sed his contraria complures alij sentiunt, & Empedocles, qui quidè simile appetere simile dicebat. Naturales igitur dubitationes omitamus. Non enim ad hanc sunt accommodatae consideratione. Quae verò sunt humanae, & ad mores, affectusque pertinent, eas considerare mus. Vt sitne inter omnes homines amicitia: an impossibile est, pravos esse amicos: & vtrum vna species amicitiae sit, an plures. Qui namque vnã esse putant, quia magis est, atque minus, non sufficienti argumento ducuntur. Nam & quae sunt diversa specie, magis sunt, atque minus. Sed de his antea diximus.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Philosopho Morali consentaneum esse, vt de Amicitia differat. Opinio constituentium illam in similitudine refertur, & in alium locum dirimenda remittitur.



SVMMMA Capitis totius in eo sita est, vt ostendatur, tractationem de Amicitia ad Philosophum Moralem spectare. Deinde quaedam de Amicitia quaestiones excitantur.

2 CIRCA Primum ait, postquam disputatum fuit de voluptate, tractandum esse de Amicitia: idque ad Philosophum Moralem pertinere. Quod probat quinque rationibus, PRIMA sic ferè institui potest. Disserere de omni Virtute morali, & de omni illo, quod cum ea connexum est, spectat ad Philosophum Moralem. Amicitia autem, aut est Virtus moralis, aut saltem connexa cum Virtute morali. Ergo disserere de Amicitia, spectat ad Philosophum Moralem. Maior patet: Quia disserere de Felicitate, & ijs, quae cum illa connectuntur, spectat ad Phil. Moralem: vt lib. I. ostensum est. Atqui Virtus moralis, & quidquid cum ea necessario connectitur, est eidem Felicitati, siue summo hominis bono connexum. Ergo disserere de omni Virtute morali, & de ijs quae necessario connexa sunt, spectat ad Philosophum Moralem. Minor autem primi & praecipui syllogismi suaderetur ab Aspasio apud Eustratium in presenti: Quia Amicitia servat quoddammodo mediocritatem rationis, siue aequalitatem, inter extrema. Vertatur enim in moderando & componendo quodam animi affectu medio inter nimium amorem, & odium: quorum vtrumque habet rationem vi-

ijextremi. Insuper & Amicitia mediat inter adulationem, & aliud vitium carens proprio nomine, quod tamen ait posse rusticitatem appellari: quoniam & fugit blanda quaedam quasi mendacia asperitatem, & ab altero extremo nimiam asperitatem. At quidquid mediocritatem inter duo vitia servat, videtur habere rationem moralis Virtutis. Amicitia igitur habere videtur rationem moralis Virtutis. Si autem ratione haec non probatur, esse Virtutem moralem, quae est prior illius minoris pars, saltem evincitur pars posterior, qua asseritur, esse cum Virtute morali connexam: quia, vt observat idem Aspasius, Amicitia videtur inseparabilis Iustitiae comes: quoniam, instar illius, quaerit aequalitatem, & solam inter aequales esse vult. Insuper idipsum probat: quoniam vera Amicitia non, nisi in probis hominibus, & perfecta Virtute praeditis, invenitur. Ergo de primo ad vltimum, vera est illa assumptio, Aristot. ἐστὶ γὰρ ἀγαθὴ τίς, ἢ περ ἀγαθῶν. aut est virtus, aut cum virtute, scilicet, connexa.

3 RATIO Secunda Arist. in idem probandum est: Quia quidquid est laudabile, & humanae vitae, ac Felicitati necessarium, spectat ad considerationem Philosophi Moralis. Amicitia autem est quid admodum laudabile, & vitae humanae, ac Felicitati necessarium. Ergo Amicitia spectat ad considerationem Philosophi Moralis. Assumptio, siue minor, suaderetur & illustratur per singulas partes.

Ac

Ac primò quidem laudabilem esse Amicitiam, constat ex communi hominum aſtimatione, ſapientium & inſipientium, quibus ſanctum & venerabile ſemper fuit veræ Amicitia: nomē & exemplar quodlibet. Ipsi Scythæ, quamvis antonomastice barbari, vſque adeò venerati ſunt amicitiam Pyladis & Oreſtis, vt eo titulo quaſi Deos venerati fuerint, & propria ipſorū lingua *Coræas* appellaverint, quaſi Deos, Amicitia: præſides: vt teſtatur Lucianus in *Tox. vii.* Phalaris ille, tyrannorum crudeliſſimus, electum amicorum patris, Caritonem & Menalippum, non eſt aulus de medio tollere, propter mirum Amicitia: nexum, quo inter ſe illigabantur. Ita enim refert *Ælianus lib. 2.* Dionyſius quoque Siciliæ tyrannus, ſatis nobilitatus crudelitate, eas Amicitia: aras erexit, vt voluerit recipi in ſocietatem Damonis & Pythia: quamvis ſibi inſenſorum, quòd mutua illorum Amicitiam veneraretur. Ergo illa laudabilis proſecto eſt.

4 P O R R O Neceſſariam præterea eſſe vitæ humanæ & Felicitati, quæ eſt altera illius aſumptionis pars, ſuadet *Ariſtot.* quia ſine amicis nemo poteſt vivere, quamvis habeat omnia reliqua bona. Quòd demonſtrat excuſſu quodam per omnes ſtatus, conditiones, ætatesque hominum. Etenim divitibus, & principatus, ac poteſtates obtinentibus, videtur maxime opus eſſe amicis. Quæ etenim vtilitas eſt eiufmodi proſperitatis, ſublata beneficentia quæ potiſſimum exiſtit, & maxime laudabilis eſt erga amicos? Aut quomodo ſervaretur, aut cuſto diretur abſque amicis? Quanto enim amplior eſt proſperitas & potentia, eò periculoſior eſt. Quare tergeminus ille Geryon, qui Noſtræ Hispaniæ Rex fuisse memoratur, plura corpora & brachia habuiſſe dicitur, ſicut & Briareus centimanus, quòd ambo eſſent magno amicorum præſidio circumvallati, ac proinde ab inimicis ſecuri. Dion quoque Philoſophus admonuit fertur Dionyſium, vt ſi nollet regno excidere, pararet ſibi potiùs amicorum præſidium, quam divitiarum. Quare & Dionyſius ipſe filium ſuum aliquando obiurgavit, quòd ex tot & tam magnis poculis aureis à patre acceptis, nullum dediſſet, quo amicos lucraretur. Idipſum quoque de pauperibus, & in calamitate poſitis, probat *Ariſt.* quoniam ijs vnicum eſt refugium ad amicos recurrere. Similiter & de iuvenibus: quoniam ijs plurimum confert ad non peccandum: nimirum, quoniam ab amicis admonentur, vt ſe contineant. Senibus quoque neceſſariam eſſe Amicitiam ait: vt, nimirum, colantur ab amicis, & debitum obſequium ab ijs accipiant. præterea vt & illorum ope defectum virium ſuppleant in ea devexa ætate. In quòd illuſtrandum proferret illud *Homeri* ex *lib. 10. Iliados,*

οὐν τε δὺν ἐρχομένο , ſi duo ſimal ibunt. quo ſignificatur, potentiores eſſe ad intelligendum & agendum duos aut plures ſimul, quam vnum. Quo ipſo *Homeri* verſiculo vſus eſt *Cicero in Epift. ad Varronem. §. 9. Attic.* vt obſervat *Giphanius.* Patet igitur in omni hominum ſtatu, conditione, & ætate, hominì eſſe opus amicis.

5 RATIO Tertia. Quæcumque naturæ humanæ admodum conſentanea & recta ſunt, ad vitam bene feliciterque ducendam, pertinent ad conſiderationem Philoſophi Moralis. Etenim doctrina Morum comprehendit omnia, quæ ad bene & feliciter vivendū cognata hominì ſunt. Atqui Amicitia eſt admodum conſentanea naturæ humanæ ad vitam bene feliciterque ducendam. Ergo Amicitia pertinet ad conſiderationem Philoſophi Moralis. Minor, in qua eſt difficultas, probatur ab *Ariſtotele* inductiōne facta inter gignentia & genita, quibus natura inſita eſt benevolentia, aut quaſi amicitia quædam: vt apparet in avib⁹, & animantibus vniverſis, quorum generans & genitum inſito quodã naturæ affectu ſe amat. Inſuper & animantia omnia vnus ſpeciei peculiari quadam inclinatione ſibi invicem cōiunguntur, & maxime homines: ideoque laudantur qui præ alijs *φιλόφρωνες*, id eſt, *hominum amatores* ſeu humani, & affabiles exiſtūt. Obediunt enim naturæ rationali, cui inſitus eſt eiufmodi amor, vt homines inter ſe bene ac feliciter vivant. Amicitia igitur admodum conſentanea eſt naturæ humanæ ad vitam bene feliciterque ducendam.

6 CONFIRMAT *Ariſt.* obſervatione rei frequentis apud homines, & notatu dignæ. Si enim quis videat alium aberrantem, inſitū natura eſt, vt illi ſtatim oſtendat viam, & in rectum iter deducat. Ideoque *Diphilus Comicus* obſervat, id tam ſanctè atque inviolabiliter ſervatum apud Athenienſes, vt ſi fortè quis erranti non oſtenderet viam, aut per obliquā dirigeret, ſacris ei interdiceretur, cum execrationibus & diris. Cuius etiam conſuetudinis meminit *Cicero lib. 3. Offic.* In quo naturali debito, aut iure mutuo hominum, videtur niſi illud, quòd præcipitur *Deuteronomij 18. & 21.* vt ſiquis viderit pecus alterius, etiam inimici, vagans & errans, illud domum reducat; addita inſuper minaci execratione in eum, qui cæcum in errorem induxerit. Inſitus ergo natura eſt hominibus quidam amor, beneficentiæ pars, & veluti fundamentum Amicitia: quæ cum iudicio & electione amat redamantes, vt idem *Aspaſius* ſuprà allegatus apud *Euſtratum* exponit.

7 RATIO Quarta. Philoſophi Moralis eſt diſſerere de illo, quo civitates in optimo & felici ſtatu ſervantur. Amicitia autem eſt id, quo civitates in optimo & felici ſtatu ſer-

servantur. Philosophi ergo Moralibus est differere de Amicitia. Maior patet: Quia doctrina Morum in id maxime contendit, ut res omnes in convictu humano & civili prospere ac feliciter se habeant; idque potissimum curant legunt conditores, quia praemii, quia poenis indictis. Minor autem suadetur. Amicitia enim est mater concordiae & consensionis animorum inter cives. Concordia autem & consensione animorum inter cives servantur civitates in optimo & felici statu, atque ab omni iniustitia alieno. Nam inter concordia nullae intercedunt iniuriae, & communita pene sunt omnia. Amicitia igitur est, qua civitates in optimo & felici statu servantur. CONFIRM. Melior enim quoddammodo est Amicitia, seu concordia animorum, quam Iustitia, ad felicitatem Republicae, Tum, quia Legumlatores magis habent praeculis concordia civium, quam Iustitiam: ut pote experimento edocti, plerasque Respublicas, & civitates ex discordia corruisse: ideoque Amicitiam quoddammodo praefereunt Iustitiae, veluti commodioris earum conservationi. Tum etiam, quia inter eos, apud quos servatur Iustitia, saepe concordia, seu Amicitia, desideratur. Neque enim ex eo quod aliqui duo sint iusti, continuo inferitur, amicos invicem esse: sed fieri potest ut alter alterius Amicitiam desideret, ad suam Felicitatem esplendam. Contra vero si iam amici sint, neuter Iustitiam desiderabit in ordine ad alterum. Cum enim haec solum desideretur ad aequalitatem constituendam, & aequalitas utriusque per Amicitiam posita sit; consequens est, ut statuta semel Amicitia inter duos, Iustitia non desideretur. Qua ipsa ratione Arist. infra lib. 10. docet, Iustitiam proprie dictam non cerni inter deos, quos, nimirum, supponit inter se concordia. Ergo sicut Philosophi Moralibus est differere de Iustitia, quia convenienter est Republicae; etiam ad illius partes & officia spectabit tractare de Amicitia, quae quoddammodo convenientior est.

8 RATIO Quinta, & parum differens a prima, Quidquid honestum est, & laudem apud homines meretur, id profecto argumentum, seu materia est Philosophiae Moralibus. Amicitia autem honesta est, & laudem apud homines meretur. Non enim laudatur solum philosophia, seu amicorum redamatio; sed etiam polyphilia; id est, amicorum multitudo. Laudatur, inquam, haec posterior, non opinione Arist. qui infra lib. 9. & 10. multitudinem amicorum damnat, docetque Amicitiam solidam non posse cum pluribus haberi: sed ex opinione vulgi, apud quem laudabilior habetur quis, quo plures amicos habet. Verum quidquid de eo sit, & an in autographo Arist. legeretur solum φιλοφιλία, ut plerique volunt; an etiam πολυφιλία, quod Lambinus in pluribus exemplaribus inveniri testatur; inde convincitur, sanctum & honestum ceteri Amicitiae nomen, ac laude dignum. Amicitia igitur,

sicuti & omnis honestas, est argumentum; seu materia Philosophiae Moralibus.

9 CIRCA Secundam partem capituli; incipit proponere aliquot de Amicitia quaestiones, veluti praecedendo, & velitando solum. Prima est circa Amicitiae definitionem. In quo sunt variae & dissidentes Philosophorum sententiae. Quidam enim volunt sitam esse rationem amicitiae in quadam similitudine, proptereaque omnes, qui similes sunt inter se, invicem quoque amicos esse. Ita Plato indicat pluribus locis; sed praesertim in *Lyside*, ubi & accessit Poetas, in primisque Homerum *Odyss. 9.* pro eodem placito: sicut & in *Georgica* Socrate docente, singulos homines singulis hominibus amicos esse, quoniam similes sunt. In quod idem confirmandum assertit Arist. proloquium illud suo tempore pervulgatum, *κολίον ποτι κολίον, gratulum ad gratulum*, nimirum, facile se adungere. Vnde & illud Cicerois proteritum: *Paras cum paribus facile congregantur.* Quod etiam spectat adagium, quo dicitur, similitudinem esse materiam amoris.

10 CONTRA Alii voluerunt, similitudinem potius odii, quam amoris causam existere. Cuius opinionis auctorem facere videtur Hesiodum, quamvis ipsum nominatum non alleget; quoniam afferit verba ex ipso desumpta, quibus dicitur, *figulum figulo contrarium esse, fabri fabri, &c.* Carmina autem Hesiodi & Graeco Latine expressa, haec sunt apud Athenaeum lib. 13.

Semper vicinus vicino est amarus, hunc ut condere cernit opes.

Invidet atque sabet fabro, figuloque molles.

Est figulus semper, mendicoque invidet alter.

Mendicus: cantor cantorem invidus odit.

Alios denique professione Physicos inducit existimantes, Amicitiam potius ex dissimilitudine, quam ex similitudine oriri. Quod exemplo rerum naturalium probabant: quoniam in his oritur amica coniunctio ex qualitatibus dissidentibus inter se permixtis: ideoque Euripides recinuit torzato aridam amare iunire: *colla quoque*, quando quibus tumidum est amare pluviam ad irrigandum aridam terram. Allegat praeterea Heraclitum, qui aiebat ex sonis discordantibus inter se oriri suavem harmoniam, & omnia ex contrariis generari. Quamvis addat non desuisse ex Physicis, qui contra sentierit. Empedocles enim, qui de 10 a naturalibus versibus egit, inter alia dixit, *το δ'μοιον τ' εχμεις εφ'εσθ, simile appetere suum simile.* Vide infra cap. 12. circa finem partis secundae.

11 VERVM Arist. ijs relictis aliorum placitis, monet, in praesentiarum non esse agendum definiendumve aliquid ex principijs physicis; sed ex ijs, quae humanae & civilis vitae

k pro-

propria sunt. Unde & trāsit ad quæstiones alias: quarum vna est, *An in omnibus hominibus Amicitia locum habeat: an solū in bonis seu probis?* Altera: *An vna solū species sive ratio Amicitia sit: an plures distinctæ?* Et circa hanc posterio-rem quæstionem ait, nonnullos existimasse, vnicam speciem Amicitia esse, debili-antes principio. Ducebantur enim ex eo quod Amicitia admittat magis ac minus, & per comparationē videatur crescere ac decre- cere: nam Amicitia in honestate nitens me- lior est, quā quæ ex utilitate oritur. Redarguit

verò sic existimantes, quod infirmo fundamen- to nitantur. Ex eo enim quod magis aut minus admittat Amicitia, & altera sit melior aut de- terior altera, non satis colligitur, vnicam esse Amicitia speciem: siquidem & ea, quæ specie essentiali dissident, admittunt magis ac mi- nus, & vnum alio melius est. Virtutes enim morales magis & minus admittunt, & vna perfectior est quā alia, cum tamen inter se specie essentiali differant. Neutram ve- ro prædictarum quæstionum resolvit hoc loco.

CAPVT SECVNDVM.

De amabili.

PATEBVNT Autem hæc fortasse, si ipsum amabile fue- rit notum. Non enim omne quodvis amatur, sed ipsum amabile. Hoc autem, aut bonum, aut iucundum, aut utile est. Atque id utile videbitur esse, per quod effici- tur aliquod bonum, aut voluptas. Quare fit vt amabilia sint ipsum bonum, & iucundum, vt fines. Vtrum igitur ipsum bonum ament homines, an id, quod ipsis est bonum? Discrepant enim nonnun- quam hæc. Similiter & circa ipsum iucundum. Videtur autem id quis- que amare, quod bonū est sibi. Et esse simpliciter quidem amabile, ip- sum bonum: unicuique autem id, quod est unicuique bonū. Amat autē quisque non id, quod est sibi bonum, sed quod apparet: neque quicquā id refert: erit enim ipsum amabile apparens. Cū itaque tria sint ea, propter quæ homines amant, circa benevolentiam quidem inanimata- rum rerum, non dicitur amicitia, quippe cū non sit reciprocus amor, neque voluntas boni illarum. Est enim ridiculum forsitan, vino bonum quempiam velle. Quod si vult, saluum illud vult esse, vt habeat ipse. at oportere aiunt amico bona illius gratia velle. Eos autem, qui hoc mo- do volunt bona, benevolos dicunt, si non idem, & ab illo fiat. Mutuam namque benevolentiam, amicitiam esse dicunt. An adiungendū est, non latentem? Sunt enim complures ijs benevoli, quos non viderunt: pu- tant autem studiosos esse, vel frugi. Atque fieri potest vt illorum etiam quispiā similiter ad hos afficiatur. Igitur hi mutuō quidē sibi benevoli esse videntur. Amicos autem ipsos quonā modo quispiam dixerit latē- res, vt erga sese mutuō sunt affecti. Oportet ergo amicos mutuā habere benevolentiam, & velle sibi mutuō bona latentes, ob vnum quid eo- rum, quæ dicta sunt.

SVM-

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

φιλονεικία, seu amabile, solum id esse, quod est bonum: nimirum, aut honestum, aut iucundum, aut utile. Amicitiam vero sitam esse in benevolentia, non qualibet, sed mutua, & minime obscura.



VM Superiori capite præmississet Arist. plures circa Amicitiam posse moveri questiones, & quædam excitaret, neque ullam earum decidisset; nunc investigat definitionem Amicitiae, & decernit eam ex amabili petendam esse. Dividit autem caput in duas partes. In prima docet, genus in Amicitiae definitione esse benevolentiam. In secunda statuit, differentiam in eo sitam esse, quod benevolentia sit mutua, & non latens.

2 CIRCA Primam partem præmittit, ad facilem enodationem difficultatis conferre, ut cognoscatur φιλονεικία, amabile. Non enim quodlibet amatur, sed solum quod amabile est: nimirum, quod est, αγαθόν, ἢ ἰδόν, ἢ χηρσίμεον, bonum, aut iucundum, aut utile. Nomine autem τὸ αγαθόν, boni, profectio intelligit honestum: quoniam autonomastice bonum dicitur. Utile est medium, quo obtinetur bonum honestum, aut iucundum: ideoque hæc duo solum amantur ut fines. Quo demum ad facilisorem methodum redactio docet, solum amari id, quod amabile, sive bonum est: triplex vero genus esse amabilis, seu boni: quorum primum per se & autonomastice bonum dicitur, quia honestum est: secundum vero quod delectationem parit, ideoque iucundum, ac frequentius delectabile dicitur: tertium autem quod ad alterum prædictorum confert per modum adiumenti, aut medij, ideoque utile appellatur. Quare duo priora solum amantur ut fines, cum ea tantum amantur, ut fines, sive, quod perinde est, amantur propter se, quiescente utrumque animo in eorum adeptione. Vilia autem bona nunquam amantur ut fines, nec propter se quaeruntur, sed propter honestum, aut delectabile; neque ullus invenitur qui in ijs utrumque conquiescat. Nemo enim appetit divitias, nisi ad usum Virtutis, aut parandas voluptates.

3 DICES, Non bene nec verè pronuntiari ab Arist. bonum utile solum esse amabile propter aliud, & non gratia sui. Quidquid enim expeti potest tanquam finis, amabile est propter se. Atqui divitiae, quæ sunt bonum utile, expeti possunt, & aliquando expetuntur tanquam finis. Ergo bonum utile est amabile propter se. Assumptio, sive minor, suaderetur primum exemplo avarorum, qui finem suam constituunt in divitijs. Qualiter fecisse videtur Imperator Caligula, qui, teste Suetonio, super immentos aureorum nummorum acervos, patentissimò

diffusos loco, nudis pedibus ambulabat, animique gratia faciebat spatia, & toto corpore volutabat se. Verum insuper probatur eadem assumptio ex doctrina ipsius Arist. lib. I. Politicæ decernentis, solum finem inter omnia quæ appetuntur, infinitè expeti, idque proprium esse finis, ut eius appetitio infinitè crescat. At etiam ibidem docet, divitias, sive pecuniæ infinitè appeti, nec eius appetenda finem ullam esse. Unde illud notum carmen Horatii: Crescit amor nummi quantùm ipsa pecunia crescit. Et Oudehni, recentis Poëtæ distichon:

Infinitivo propè par modus optativus:

Optandi finem nam sibi nemo facit.

Ergo divitiae, sive pecuniæ, quæ sunt bonum utile, expeti possunt, & quandoque expetuntur ut fines.

4 RESP. Prætermittis Aspasijs, Gallatij solutionibus, bonum utile, quatenus utile est, nunquam propter se amari, nec habere rationem finis: Quia finis est cuius gratia aliquid fit, sive quod sui gratia quaeritur. At qui bonum utile quatenus utile, non est cuius gratia aliquid fit, sive quod sui gratia quaeritur. Solum erit quaeritur quatenus confert, sive conducit ad aliud in ratione medij. Utile ergo quatenus utile nunquam habet rationem finis. Neque obiectio evincit quidquam in oppositum ab exemplo quorundam nimis avarorum: quia per accidens contingit quod ij finem interdum collocent in divitijs, quæ tantum utiles sunt: & adhuc tunc non respiciunt divitias, ut utiles, sed ut delectabiles, ex monstruosa inordinatione appetitus. Quippe sicut bonum apparens & pure iucundum ab improbo amatur quasi verum bonum, & simpliciter amabile, cum tamen eiusmodi non sit: ita etiam divitiae, quæ solum sunt bonum utile, possunt amari ut finis, sive ut delectabile bonum, ab improbo & avaro homine. Quod detestabile vitium procul à nobis esse optat Regius Pallas dum accinit: Divitiæ si affluant, nolite cor apponere. Itaque per accidens, & ex effrayi avaritia potest contingere ut infinitè ametur, sive nullus sit finis appetendi pecuniam apprehensam, ut bonum delectabile, & finem: licet nullus est finis amandi voluptatem, quando inordinate quaeritur ut finis, & bonum, quamvis simpliciter nec bonum sit, nec finis. Per se autem loquendo divitiae non amantur infinitè, sed mediocriter solum, & quantum sufficit ad finem honestum per eamdem obtinendum. Et præterea plerumque contingit quod divitiae, etiam ab improbis, non quaerantur propter se, sed propter aliud: quod

tamen frequens apud eos sit appetitio voluptatum propter se, & sine ordine ad alium suum.

5 HIS Statutis, excitat quaestionem inde ortam. Dicitur enim est, homines, quoties amant, profecto amare bonum aliquod. Nunc quaeritur, verum amant quod verè bonum & simpliciter est; an quod non simpliciter, sed ijs dumtaxat bonum. Ideoque monet inquiri posse de bono iucundo, an amant quod simpliciter iucundum est, an solum quod ijs iucundum. Porro bonum simpliciter & per se est illud, quod homini bene affecto, & secundum naturam rationemque constituto, bonum est. Bonum autem relatè, sive in ordine ad aliquem, saepe est quod praeter, sive contra naturam aut rationem est. Exempli causa: corpori sano & bene valenti bonum est, quod est simpliciter salubre; aegrotanti autem saepe non est bonum, quod est salubre simpliciter; sed quandoque quod est salubre relatè, sive alicui: ut visio, aut lectio venæ. Similiter & bonum iucundum quoddam est simpliciter iucundum: quoddam autem relatè, seu alicui tantum. Quaeritur itaque cuiusnam generis bonum sit quod amatur ab hominibus: an quod bonum est simpliciter, aut iucundum; an quod solum relatè, sive alicui bonum & iucundum est.

6 HVC Dubitationi respondet Arist. unumquemque hominum amare id, quod sibi iudicat bonum. Voluntas enim amat id, quod proponitur ab intellectu, ut proportionatum & conveniens amanti; sive illud in se, & simpliciter bonum sit, aut iucundum; sive in speciem solum, & ex sinistra apprehensione intellectus. Sic etiam interdum amat quasi utile, quod re ipsa utile non est, sed in apprehensione tantum; cum verè non conferat, sive conducatur in adsecutionem finis. Quare tunc non amatur quod simpliciter utile est, sed relatè tantum, sive appetenti, qui in eo peculiarem sibi convenientiam utilitatis apprehendit, aut verè, aut falso.

7 COLLIGITVR Autem ex dictis, obiectum Amicitiae ex ratione generica esse bonum, & amabile: ipsam verò rationem genericam in Amicitiae definitione ponendam, esse benevolentiam, seu amorem. Nihil enim aliud est amare, quam bene velle alicui. Quare Amicitia in genere considerata, amor seu benevolentia est. Neque hoc opponitur doctrinae eiusdem Arist. infra *lib. 9. c. 5.* vbi tradit, benevolentiam non esse Amicitiam, sed principium Amicitiae: ut postea apparebit.

8 CIRCA Secundam partem procedit ad vestigandam differentiam in Amicitiae definitione ponendam: cuiusque triplicem notam statuit. Prima est ut amor sit mutuus, seu benevolentia mutua: nimirum talis amor, cui respondeat ἀντιφιλῆσις, id est, redamatio: sive,

ut magis Latine dicendum vult Giphanius, mutuus amor. Verum cum ea vox ferè integra legatur apud Plautum, & iam usu recepta sit, ea utemur: praesertim in hoc Opere, vbi non de vocabulis, aut exacta sermonis Latini proprietate curatur; sed de rebus ipsis, & pro vii Scholæ. In ea nota, & necessitate redamationis ad veram Amicitiam, consentiunt ceteri, & nominatim Plato in *Lyfide*, vbi id probat: quia nisi in Amicitia esset redamatio, sequeretur odium posse inter amicos esse, etiam dum amici sunt; nimirum, si alter eorum vellet malum alteri. quod planè repugnat Amicitiae. Ratio autem Arist. in idem probandum est: Quonia si ad Amicitiam necessaria non esset redamatio, sequeretur homini Amicitiam esse posse cum rebus inanimis: proindeque eos, qui amant vinum, cum eo Amicitiam habere: similiter & eos, qui aurum aut argentum amant, cum ijs inire Amicitiam. Consequens verò falsum esse patet: idque ex eo, quod in vino, auro, argento, & quibuslibet rebus inanimis non sit redamatio, seu amor mutuus. Ergo hic necessarius est ad Amicitiam constituendam.

9 SECUNDA Nota seu differentia Amicitiae est, ut amor, seu benevolentia sit non latens: nimirum, ut unicuique amicorum innotescat se ab altero amari. Alioqui enim Amicitia non erit. Quod probat: Quia multi amant eos, quos nunquam viderunt, nec aliter novērunt, quam ex narratione aliorum, restantium esse probos amabilesque: à quibus sola etiā narratione aliorum noscuntur & diliguntur. Inter eos autem nemo dixerit esse Amicitiam, si neuter sciat se ab altero amari. Ergo quia Amicitia duorum exigit ut uterque sciat, se ab altero amari. Quare certum apparet, Amicitiam non in quolibet mutuo amore sitā esse, sed in eo nominatim, qui utriusque amantium innotescit. Innotescet autē, non quia alter amicorum in altero perspiciat actū voluntatis, quo vicissim amatur; cū sit imperceptibilis clara cognitione ab amato; sed quia probabiliter deprehenditur ab effectis, & veluti signis. Qui enim verè alium amat, bene ei vult: ac proinde & benefacit amato quando potest, & occasio id exigit. Amicitia namque vera, iuxta eundem Arist. infra *lib. 9. c. 5.* non est ignava, aut iners, sed actiosa; &, ut inquit Cicero in *Laelio*, officiosa. Prodit enim se officijs, & illorum ablatione tollitur. Non igitur obscurus, aut ignotus est amor amicorum; sed perspicuus, & officiorum vicissitudine utriusque innotescens.

10 TERTIA Amicitiae nota est, ut amicus amico velit bonum, ipsius amici gratiā. Probat hoc Arist. exemplo ipso superius adducto in rebus inanimis, quibus cū Amicitiam nullatenus habemus; non solum quia non redamant, ut iam dictum est; sed etiam quia non amantur sui ipsarum gratia, sive propter se.

Ridiculus enim habebitur qui dixerit se amare vinum v. g. propter vinum, & non potius ob utilitatem, aut voluptatem, quã capit ex vino. Qui doctrinã illustrandẽ valde opportunũ est quod Gallus observat in Aristippo Cyrenai- co, ætatis suæ Philosopho celebri, sed Laidos meretricis amatore perdito. Qui cum interro- garetur à quodam, cur ita deperiret Laida, à quã sciebat se non redamari; Respondit scire etiam se non amari à vino, & pisce; nec tamen inde prohiberi ab amando piscem ac vinum: quippe quæ solius utilitatis, aut voluptatis gratia vellet, expetere. Quare ut Amicitia vera sit, necessariũ est amicum amari gratia sui, sive propter seipsum, & non ob utilitatem, aut voluptatem amantis. Quam doctrinam illustrat Cicero, cum in *Lælio*, tum & lib. 1. de

Natura Deorum, itque idem Arist. lib. 2. *Rig- tor.* & plerique alij. Ideoque mutui quorun- dam amor, in privata cuiusque utilitate voluptateve constitutus, per solam catachresim, sive abulum dici solet Amicitia. Quo sensu acci- nit Ovidius: *Vulgus amicitias utilitate pro- bat.*

CLAVDIT Denique caput asserendo, ad Amicitiam oportere, ut amantes bene velint sibi mutuo, & non latentet, propter bonum amari. quo demum tota Amicitia definitio comprehenditur, ut sit *mutuus amor non la- tens.* Quod autem debeat esse propter bonum amari, solum spectat ad Amicitiam perfectam, de quã mox.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 8. & illius Interpretes.

CAPVT TERTIVM.

De speciebus Amicitia.

DIFFERVNT Antè hæc specie, & amores ergo, & ami- citia. Tres igitur sunt amicitia species, æquales nume- ro amabilibus ipsis. Ob unumquodque enim est mutuus amor, non latens. Atque qui se se mutuò amant, hoc bo- na sibi invicem volunt, quo amant. Qui igitur ob utili- tatem se mutuò amant, non per se amant, sed quo aliquod à se invicem capiunt bonum. Similiter & qui amant ob voluptatem: non enim face- tos amant, quia sunt tales, sed quia ipsis afferunt voluptatẽ. Qui igitur ob utilitatem amant, ob suum diligunt bonum. Et qui ob voluptatem, ob id, quod est ipsis iucundum, & non quò talis est is, qui amatur, sed quò est utilis, aut iucundus. Per accidens igitur hæc sunt amicitia. Non enim amatur quomodo talis est is, qui amatur: sed quo vel bonũ ali- quod affert, vel voluptatem. Tales autem amicitia, facilè dissolvi pos- sunt, non permanentibus ipsis similibus. Nam si non ulterius iucundi sint, aut utiles, amare desistunt. Utilitas autè non permanet, sed alias alia fit. Dimoto igitur eo, propter quod erant amici, dissolvitur & ami- citia, utpote quæ ob illud erat. Maximè autem amicitia talis in senibus fieri videtur. Huius enim ætatis homines, non voluptatem, sed utilita- tem sequuntur, & in ijs iuvenibus, atque viris, qui suam student utilitati. Tales autem nec multum simul vivunt. Interdum enim nec sunt iucun- di: nec indigent igitur tali congressione, si non sint utiles. Nam eous- que iucundi sunt, quousque boni consequendi spem habent. Cum his

amicitijs & hospitalitiam ponunt. Iuvenum autem amicitia, ob voluptatem constat. Vivunt enim cum affectu, & id maximè sequuntur, quod est sibi ipsis iucundum, & præsens. At cum mutatur ætas, alia fiunt & ipsa iucūda. Quo circa citò fiunt amici, citoq̄ne desistunt. Nam simul cum eo, quod ipsos afficit voluptate, & amicitia ipsa mutatur. Talis vero voluptatis, celeris fit mutatio. Proni sunt etiam ipsi iuvenes ad amores. Plurimum enim amatoriam amicitiam perturbatione fiunt, & ob voluptatem. Quapropter amant, & citò desistunt, eadem die propositum sæpe mutant. Hi volunt totos dies vnà versari, simulq̄ vivere: sic enim fit ipsis id, quod per amicitiam suam affectant. Bonorū autem amicitia, similitudinēque virtute perfecta est amicitia. Hi nanque mutuò sibi bona similiter volunt, quo boni sunt. Boni verò sunt per se ipsos. Atque ij maximè sunt amici, qui bona amicis illorum gratia volunt. Propter se ipsos enim ita sese habent, & non per accidens. Permanet igitur horum amicitia quandiu sunt boni. At virtus res permanens est. Atque horum vterque bonus est simpliciter, & amico. Boni enim ipsi, & absolutè, & sibi mutuò boni sent, & vtilis, & iucundi, simili modo. Nam boni, & absolutè, & sibi mutuò sunt iucundi. Singulis enim propriae actiones sunt voluptati, & quæ sunt tales. Bonorum autem actiones tales sunt, aut similes. Talis autem amicitia, non sine ratione permanens est. Coniunguntur enim in ipsa omnia, quæ in amicis esse oportet. Nam omnis amicitia aut est ob bonum, aut ob voluptatem, vel simpliciter, vel amanti, vel ob similitudinem, quandam. Hæc autem omnia bonorum per se ipsos amicitiam insunt. Huic enim similes sunt & cæteræ. Et id quod est absolutè bonum, est & iucundum simpliciter. Maximè igitur hæc sunt amabilia: & amare, ac amicitia, in his est maximè, & optima amicitia. Sunt autem meritò tales amicitiam raræ: pauci enim sunt tales. Tempore insuper, & consuetudine opus est. Secundum enim proverbium, non fit vt mutuò se cognoscant prius, quàm simul consumant dictam salis mensuram. Nec igitur fit, vt prius recipiant se, sintq̄ amici, quàm amabilis vtrique videatur esse, atque credatur vterque. Qui verò ea celeriter inter sese mutuò faciunt, quæ ad amicitiam attinent, volunt quidem esse amici, sed non sunt, nisi sint & amabiles, & id ipsum sciant. Amicitiam nanque voluntas, non amicitia celeriter fit. Hæc igitur & tempore, & cæteris perfecta est amicitia, & per hæc omnia fit. Et vtrique similis est ab utroque, quod quidem amicis insit oportet.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Amicitia triplex genus esse: duplex, nimirum, spurium; quorum alterum iucunditate, alterum utilitate ducatur: & tertium denique simpliciter atque absolute bonum, seu τὸ ἀγαθόν, ductum solum honestatis intuitu.

NOBILISSIMO ET DOCTISSIMO HEROI,
D. D. ALPHONSO DE LLANO ET VALDES,
CALATRAVENŒS MILITIÆ EQVITI, REGIO CONSILIARIO
IN SVPREMIS SENATIBVS IVSTITIÆ AC FIDEI, &c.



VM Dissero de Amicitia, nobilissimo animorum nexu, occurris statim mihi Clarissime, & multis nominibus colendissime Heros. Nimirum, si oculos aliò convertam, vix invenire poterò exemplum. Vique adeò rara avis Amicitia est. Sunt qui Phœnicem in Arabia se vidisse dicant: sed de ijs ipsis affirmare aulam, necdum amicos duos vidisse. Paucissimi enim sunt, quibus aasint utriusque conditiones illæ, quæ ad solidam & perfectam animorum consensionem desiderantur. Verum inter eos paucos TIBI locus est cum Excellentissimo Principe ac D. D. DIDACO DE SARMIENTO VALLADARES, Summi Castellæ Prætorij quondam Præside, nunc Inquisitore Generali, & Hispaniarum Governatore. Hoc enim amicorum par & exemplar mirum, ætas nostra vidit. Aristoteles hoc libro multus est in exigenda similitudine & convictu eorum, qui verè amici audiunt, iuxta illud Empedoclis, τὸ ὁμοίον τὸ ὁμοίῳ ἐπιέσθαι, simile appetere suum simile. Ideoque cap. 12. inquit: Μέγα δὲ ἄριστος φίλιον καὶ τεσσάρων, καὶ τὸ καθ' ἡλικίαν. Magnam etiam ad amicitiam est, unâ educatum esse, & ætate congruere. Vobis autem maxima similitudo, par ætas, & convictus pene diurnus fuit. Similitudo, inquam, ab illustri utriusque profapia, ab excellentia ingenij, à cultu impensissimo litterarum, ab eruditione mira, ab honestate morum. De convictu, & familiaritate frequenti, notius est, quam ut opus sit multis exprimere. Inchoata est ab ipsa adolescentia: stabilita in vno eodemque Maiori S. CRVCIS Collegio, & Vallisolerana Academia, multorum annorum contubernio: & plurimum adhuc spatio continuata in eadem Matritenû Curia. Accelsit demum consensio, atque, ut in proverbio est, idem amborum velle ac nolle. Quæ cognatio, quis nexus, quæ Amicitia maior? Facessant Veteres, & obrudere desinant decantatam illam philalleliam Pyladis & Orestis, Nisi atque Euryali: in qua tortasse nihil præter fabulam est. Spuriæ amicitia, quæ plerumque ducitur utilitatis intuitu, conditio affinis est, ut parum duret, & instar hororum Adonidis citò languescat & marceat. Ideo Philosophus hoc loco ait: in amicitia, quæ utilitatis gratia constat, locum accusationes habent atque querelæ. Nam cum sibi mutuo pro utilitate utantur, semper indigent pluribus, & minus, quam oportet, se habere putant. & queruntur in eo, quod non tot assequuntur, quot indigent, cum sint digni. Procul hæc, non tam voluntatum concordia, quam fœnebris, specioso Amicitia nomine indigna. Mitto illam aliam, cui vna voluptas pro regula est. nam & in ea utrimque apparet questus, ac negotiatio: ut nihil de turpitudine dicam, cui frequenter studet. Præferenda itaque illa, quæ toto impetu in honestum it, eiusque dumtaxat studio firmiter ac solidè nititur in animis prorsus similibus. VOS ipsi huius exemplar dedistis posteritati, minimè delendum cum hæc scripta permanserint. ut mihi quoddammodo liceat Virgilianum illud usurpare:

Fortunati ambo siquid mea carmina possunt:

Nulla dies unquam memori vos exinet ævo.

Audeo etiam è Seneca Epist. 21. mutuare aureum illud, & tanè opportunum: Si gloria tangimini, notiores VOS epistola mea facient, quam omnia ista, quæ colitis, & propter quæ homines VOS colunt. Quis Idomeneam nōset, nisi Epicurus ille suis litteris invidisset? Omnes illos Magistratus, & Satrapas, & Regem ipsum, ex quo Idomenei titulus petebatur, obliuio alta suppressit. Nomen Attici penne epistola Ciceronis non simant. Nihil illi profuisset gener Agrippa, & Tiberius progenes, & Drusus Caesar pronepos. Inter tam magna nomina taceretur, nisi Cicero illum applicuisset. Sed desino iam, ne videar aliquid amborum æternaturæ famæ contulisse, dum reddo qualecumque obsequium, multis nominibus debitum. Salmanticæ XVI. Kalendas Iulij, M. DC. LXXV.



ARIA Amicitiae genera constituit Aristoteles in hoc capite, & dividit illud in tres partes. In prima docet aliquam Amicitiam esse, quae delectationem spectat: aliquam etiam, quae utilitate ducatur. In secunda ostendit, neutram ex praedictis Amicitijs consistentem aut firmam esse, sed utraque fluxa & quae facile solvatur. In tertia denique asserit de Amicitia, quae nititur in honestate; & de ea docet, perfectam ac constantem esse.

2 CIRCA Primam partem statuit triplicem esse Amicitiam, idque probat: Quia idem sunt amoris mutui sive Amicitiae species, quot bonorum seu amabilium. Vtrorumque enim numerus debet esse aequalis: quoniam habitus & actus diversitatem capiunt ab objectis. At bonorum seu amabilium species tres sunt, ut capite praecedenti constitutum fuit. Est enim honestum, quod antonomastice τὸ ἀγαθόν, bonum dicitur, veluti simpliciter & absolute bonum. Est insuper τὸ ἡδύ, iucundum, seu delectabile. Est denique τὸ χρησιμόν, utile. Ergo & triplex amoris mutui sive Amicitiae species est. Quare quaedam Amicitia est, quae ab honestate movetur: alia, quae à iucunditate: alia, quae ab utilitate. Porro ijs omnibus convenire rationem genericam Amicitiae, veluti subiectis speciebus, probat: Quia quibuscumque convenit Amicitiae in genere definitio, ijs etiam ratio Amicitiae conveniat necesse est. Atqui tribus praedictis convenit Amicitiae definitio. Ergo & ratio Amicitiae ijs omnibus convenit. Minor, seu assumptio, quae forte negari posset, suadetur. Definitio enim Amicitiae, in genere est quod sit amor mutuus non latens. At quaelibet ex praedictis, est amor mutuus non latens. Sive enim duo aliqui se ament propter honestatem, sive ob iucunditatem, sive ob utilitatem, verò ijs inest mutuus amor, neutrum eorum latens, sed unicuique manifestus. Ergo ijs convenit definitio Amicitiae in genere.

3 ADDIT Statim, eiusmodi Amicitias non esse eiusdem rationis, sed diversae, & inaequalis perfectionis. Id est, ut interpretatur Eustratius, non convenire univoce in ratione Amicitiae, sed analogice, seu proportionem quadam tantum. Ratio enim Amicitiae simpliciter solum convenit illi, quae nititur in bono honesto, cui uni inest absolute & antonomastice ratio boni. Ceteris autem duabus, quarum altera iucunditate, altera utilitate ducitur, solum convenit ratio Amicitiae secundum quid, sive per analogiam ad primam & perfectam Amicitiae speciem. Quamvis enim amantes se mutuo & non latenter ob iucunditatem, utilitatemve, ament sibi invicem bonum aliquod, non tamen quod simpliciter,

sed secundum aliquid, aut per accidens tantum sit bonum.

4 QVOD Ulterius sic suaderi potest. Omnis illa Amicitia, qua aliquis mutuo diligitur, non propter se, sed propter aliud; non est Amicitia per se, sed per accidens. At in Amicitia ob voluptatem, utilitatemve, aliquis mutuo diligitur, non propter se, sed propter aliud. Amicitia igitur ob voluptatem, utilitatemve, non est Amicitia per se, sed per accidens. Minor, quae probatione eget, suadetur: Qui enim amat quemquam ob iucunditatem, utilitatemve, non amat illum propter se, neque propter qualitatem aliquam ipsius animo inherentem, quae amore digna sit: sed solum ob iucunditatem, utilitatemve, quam ex ipso capit. Quod exponit Arist. exemplo comis & urbani hominis, sive Eutrapelia praediti. Is enim verè in se habet Virtutem ipsam Eutrapeliae, ratione cuius ametur propter se. Ceterum quoniam Virtus illa delectationem in alijs parit, contingere potest, ut is ametur, non quia Virtute praeditus, & propter se amabilis, sed ob delectationem, seu iucunditatem, quae ex ipsius familiaritate capitur. Idemque est de eo, qui probatus est, & dignus propter se amari: sed tamen solum amatur ob utilitatem ex ipso adventientem. Ergo in Amicitia ob iucunditatem, utilitatemve, aliquis mutuo diligitur, non propter se; sed propter aliud. Solum itaque in ea Amicitia, quae ducitur honestate, amatur aliquis propter se: nimirum, ob eam qualitatem honestam, & verè amabilem, quae intimè praeditus est.

5 CIRCA Secundam partem assignat propria notam earum amicitiarum, quae solum sunt ex iucunditate, aut utilitate ortae, & non ducuntur, honestate. Omnes enim illae fluxae sunt, & inconstantes, quae proinde diu permanere nequeunt. Ratione id probat: Omnis enim res, quae nititur causis variabilibus, & inconstantibus, parum durat, & facile dissolvitur. Amicitia autem ob voluptatem & utilitatem nititur causis variabilibus, & inconstantibus: quoniam iucundum & utile, quibus nititur, veluti causis suae generationis & conservationis, sunt fluxa bona, infirma, & quae passim mutationem subeunt. Amicitia igitur ob voluptatem, aut utilitatem, parum durat, & facile dissolvitur. Porro utile ac iucundum facile mutari, ac desinere, patet: quia quod modo, aut hodie, utile vel iucundum est, postea aut cras non est utile, vel iucundum. Scissio venae, aut vstio, v.g. hodie utilis est infirmo: cras non est utilis eidem infirmo, aut sano. Subeunti procellam utilis est gubernator navis: non autem incolae civitatis, seu versanti in terrâ. Iucunda etiam hodie sunt, quae cras ingrata habentur. Iuveni delectationem asserunt, quae seni tristitiam pariunt: & e converso. Patet igitur

igitur iucundum & utile, quibus nititur utraque illa fucata & adulterinae Amicitiae species, esse bona admodum inconstantia & fluxa.

6 **PROCEDIT** Arist. ad assignandum, quorum hominum propria sit utraque ea species impropriae amicitiae. Pronuntiatque, amicitias illas, quae utilitate ducuntur, plerumque in senibus locum habere: quoniam cum vires corporis infirmae sint, & naturalis calor iaveniatur extenuatus, non expetunt voluptatem, sed utilitatem; & in id maxime fertur, quo suae imbecillitati consulendum existimant. Quare eos solum in amicorum numero collocare volunt, quos vident sibi fore alicuius adiuventi. Ideoque ab eodem Arist. 2. Rethor. appellantur φιλοχρηματοί, id est, *utilitatis amantes*. Post senes huic Amicitiae generi maxime addictos, recenset aliquos τὴν ἀκμὴν, καὶ νῆον, &c. id est, *eorum qui in virili sunt aetate, & ex iuvenibus, qui utilitatem sectantur*. Addit verò notam huiusmodi hominum in virili aut iuvenili aetate quaestui & utilitati deditorum, quod nec ament convictum societatemve aliorum, nisi ijs utiles existiment, nec iucunda sectentur, qualiter alij eiusdem aetatis; sed tristiores sint. Addit deinde, ad hanc Amicitiae speciem videri spectare illam, quam ξενικὴν appellat, id est, *peregrinam, vel hospitalem*: quoniam inter peregrinos & hospites versatur. Nam licet videatur honestior, ideoque recepta sit apud quoslibet praestantes viros, dum iter simul agunt, aut in diversorio versantur; adhuc tamen quoniam vitae commoda iastuetur, aut solatium in itinere vel peregrinatione quaerit, videtur quod jamodo affinis Amicitiae ex studio utilitatis ortae. Monet verò Eustratius hoc loci, senes & adolescentes ab Arist. dici illos, qui non sunt perfecta Virtute praediti: alioqui enim nonnullos invenire licet, qui, quemadmodum Virtutem in delicijs habent, ita & Amicitiam ex studio honestatis, omni utilitate contempta. Verum Philosophus loquitur iuxta ea quae plerumque accidunt, tum in senibus, tum & in quibusdam perfecta aut juvenilis aetatis.

7 **RVERSVS** Pronuntiat, illam Amicitiae speciem, quae iucunditatem sectatur, plerumque in iuvenibus inveniri, quoniam vitam instituere solent, non secundum rationem & Virtutem, sed iuxta impetum appetitus, & turbidarum affectionum. Vnde & infert, hanc Amicitiae speciem, valde fluxam & mutabilem esse: idque probat duplici ratione, quarum alteram petit a re iucunda, alteram ab amico, qui propter voluptatem diligit. Prior ratio haec est. Quoties permutantur ea, quibus nititur Amicitia, & ipsa Amicitia mutationem subit. At ea, quibus nititur Amicitia iuvenum, facile permutantur, quippe praetercunte aetate,

& identidem se in aliam convertente, illae ipsae res, quae antea iucundae erant, seu iucunditatis effectrices, desinunt esse iucundae. Amicitia igitur iuvenum facile mutationem subit. Quod recte exprimit distichon illud Poetae dialogum iuventis cum Cupidine:

*Ventosas humeris cur sivit Iuppiter alas?
Est quovis levior flamme quisquis amat.*

Et praeterea Horatius in Arte Poet. ubi iuvenis dicitur,

*Sublimis, cupidusque, & amata relinquere
pernix.*

Posterior ratio est desumpta ex conditione ipsa iuvenum, quos Arist. ἐρωτικὸς appellat, id est, *ad amandum proclives*, & porro in id excitari solitos ad amandum ex ipsa animi commotione. Atqui eiusmodi commotio non persistit in statu eodem, sed facile mutatur. Colligit verò notam dissimilem & contrariam superius observatae in iuvenibus, qui utilitate ducuntur in amando. Illi enim odio habent exterorum familiaritatem & convictum: hi autem, *simul tota die versari & convivere volunt*. Capiunt enim ex consortio similibus voluptatem, quam vnam in votis habent.

9 **CIRCA** Tertiam partem statuit, perfectam esse proborum Amicitiam, & secundum Virtutem similibus, ac ceteris supra explicatis longe praestantiorum. Quod probat sex rationibus. **PRIMA** est, quoniam eiusmodi Amicitia est vera, propria, & per se. Amicitia enim, qua quis diligit amicum propter ipsum amicum, est Amicitia per se: ut ipse in ipso amico sistens, & non relata in aliud. Atqui Amicitia proborum, sive secundum Virtutem similibus, amicum amat propter ipsum amicum: nimirum, propter honestatem, seu Virtutem, quae in ipso est, independentem ab utilitate, aut iucunditate. Amicitia igitur proborum, sive secundum Virtutem similibus, est Amicitia per se. **SECUNDA** ratio huic consecutaria est, praedictam Amicitiam similibus, propriam esse Amicitiam. Quia in quolibet genere id magis proprie seu maxime tale habetur, quod est per se, & non per accidens. Atqui in genere Amicitiae, illa quae ab honesto ducitur, est Amicitia per se; quae autem a iucundo, aut utili, solum per accidens, ut supra probatum est. Ergo in genere Amicitiae, illa quae ab honesto ducitur, est magis proprie Amicitia. **TERCIA** ratio a constantia & firmitate desumitur. Amicitia enim, quae habet causam maxime firmam & constantem, firma admodum & constans est. Amicitia autem proborum habet pro causa Virtutem ipsam, quae est habitus, seu qualitas difficile mobilis, ac proinde maxime

mè firma & constans. Amicitia igitur proborum firma admodum & constans est.

10 QVARTA ratio versatur in probando, eiusmodi Amicitiam perfectam esse. Etenim Amicitia illa, cui nihil deest eorum omnium, quæ ad genus Amicitie pertinent, proculdubio est perfecta: quoniam perfectum est illud, cui in suo genere nihil deest. Atqui proborum Amicitia nihil deest eorum, quæ ad genus Amicitie pertinent. Affert enim honestatem utrique amicorum, quoniam movetur ex honestate. Affert subinde & consequenter iucunditatem: quia iucundum est familiaritatem inire cum probo amico, & amanti simili: affert denique utilitatem, cum amicus amico opem ferat & subsidium in necessitatibus humanæ vitæ. Amicitia igitur proborum proculdubio perfecta est. QUINTA ratio est appendix præcedentis, & allumit, eam Amicitiam optimam esse. Bonum enim Virtutis, maxime bonum, ac proinde optimum est. Atqui inter omnes Amicitie species, illa, quæ ab honesto ducitur, est bonum Virtutis. Ergo Amicitia, quæ ab honesto ducitur, inter omnes Amicitie species optima est. SEXTA denique ratio delimitur ex raritate, quæ rerum optimarum & pretiosarum nota esse solet. Virtus enim rara dicitur, & subinde pretiosa, quia paucissimorum est. Atqui prædicta Amicitia, aut est Virtus, aut inseparabilis comes Virtutis. Ergo rara, & per consequens pretiosa est. Unde Cicero in *Lælio*, conqueritur, magnam amicorum penuriam esse: id est, eorum, qui secundum Virtutem amici sint. Et alio loco affirmatè pronunciat, gravem, constantem, & stabilem in Amicitia virum, iudicandum esse ex admodum raro hominum genere, ac pene divino. Porro inter carmina Serenissimi D. CAROLI Principis Vianæ, tribus retro sæculis scripta, hæc invenio, quibus ad Amicitiam perfectam incundam hortatur;

*A quien puede corregir,
O consolar,
O te puede amonestar,
Debes seguir.
Piensa mucho en elegir
Tal amistad,
Que te recuerde boniflat,
E bien vivir.*

11 ALIA Insuper ratione probat, perfectam Amicitiam esse raram: Quoniam omnis Amicitia, quæ non brevi oritur aut perficitur, sed longo ac diuturno tempore, rara est. Amicitia autem vera non brevi tempore oritur aut perficitur, sed longo & diuturno. Exigit enim ut alter alterius Virtutem & benevolentiam perspectam satis habeat, non verbis solum, sed opere; nec in rebus dumtaxat facili-

vus, sed & difficilioribus. quod non unâ die, neque quolibet tempore fit. In quod probandum affert Philosophus illud proverbium, *not licere amicis mutuo se cognoscere, nisi tres dies, yomivss'as avvakāsa*, priusquam ipsi modicum salis unâ consumpserint. quo etiam adagio Latini utuntur, & Cicero maxime in *Lælio*, ubi ait, multos salis trodicos simul edendos esse, ut munus Amicitie perfectum sit. Amicitia vera igitur rara est. Quod si vero obijciatur, quosdam esse qui facile ac brevi Amicitiam contrahant, cum nihil amore celerius sit: ex levi enim oculorum aspectu incenditur quandoque amor, & operibus officijque se prodita. Si, inquam, ita obijciatur, *Resp.* Aristoteles, eos qui tam citò se coniungunt stricto amoris vinculo, & mutuis officijs, non statim inire Amicitiam, sed solum velle. Amicitia enim vera multiplex experimentum & diuturnum tempus expolcit: quamvis voluntas, seu propositum eius ineunda velox & concitatum quandoque sit.

12 PLACVIT Verò pro coronide capituli tubiungere explanationem earum trium Amicitie specierum traditam ab eodem Serenissimo Principe D. CAROLO, stilo illo veteri, atque hisce verbis: *La amistad segunt dice Aristotiles en el octavo de las Ethicas se decia sufo en un proverbio, es una de tres maneras: por deleite, o por provecho, o por honesto. Por deleite es como la amistad de esos, que vulgarmente llaman albardanes è donosos. Esta dura poco. Esta dura solamente quanto agrada è deleitan aquellos donaires. E como non agrada en todo tiempo, nin en toda edad, non dura aquesta amistad por todo tiempo. Ay otra amistad por provecho: è esta es como amistad de mercaderia, segunt dice Seneca: que no nos duramas la amistad que el provecho. Elos que siguen esta amistad, mas lo fazen por el provecho que por la persona. Segunt dice Seneca, las moscas siguen la miel, è los lobos los cuerpos muertos. Aquesta gente mas sigue la riqueza, que nõ al hombre. Fala aqui Seneca de los amigos por provecho, que siguen mas la prea è despojo que esperan fazer que non al hombre. Ay otra amistad por honesto. Esta tiene fundamento en virtud, è esta es igual en todo tiempo, assi de prosperidad, como de adversidad. Aquesta es la verdadera amistad, de quien fala el proverbio que debes seguir. Esta es de la que dice Aristotiles que faze de los amigos un corazon, è una voluntad; è es un querer suyo, è un non querer, &c.*

CAPVT QVARTVM.

Quòd studiosa amicitia propriè dicatur Amicitia: alia verò per accidens.



A Verò, quæ ob voluptatem, & ea, quæ ob utilitatem est, similitudinem huius habent. Boni nanque, & iucundi, & utiles sibi mutuò sunt. Maximè autem & tales amicitia permanent, cum æquale fit ab utrisque, ut voluptas, & non solum hoc modo, sed etiam ab eodem: ut inter facetos fit, & non inter amatorem, ac adamatum. Hi nanque non delectantur eisdem: sed ille quidem aspectu gaudet adamati, hic autem obsequio amatoris. Desinente verò pulchritudine, amicitia quoque nonnunquam desinit. Illi nanque aspectus non est iucundus, huic autem obsequium non præstatur. Plerique autem in amicitia permanent, si ex consuetudine mores dilexerint, eosdem mores habentes. Sed qui non voluptatem in amoribus, sed utilitatem commutant, & minùs sunt amici, minùs permanent. Qui verò sunt ob utilitatem amici, ij simul cum utilitate dissoluuntur. Non enim hi sese mutuò, sed utilitatem amabant. Fit igitur ut & pravi pravis, & boni pravis, & neutri quibusvis amici sint ob voluptatem, atque utilitatem: sed boni soli sunt propter se ipsos amici. Mali nanque se ipsis non gaudent, nisi utilitas proveniat aliqua. In sola etiam bonorum amicitia, nullum calumnia locum habet. Non enim facile cuiquam quispiam de eo credere potest, quem ipse diuturno tempore comprobavit. In his ipsis est, & sibi mutuò credere, & nunquam iniuriam facere, cæteraque omnia, quæ amicitia veræ censentur inesse. In cæteris autem amicitijs, nihil prohibet ea, quæ sunt hisce contraria, fieri. Interdum nanque homines eos etiam dicere consueverunt amicos, qui ob utilitatem amant, ut civitates (societates enim à civitatibus utilitatis gratia fieri videntur) & item eos, qui se propter voluptatem mutuò diligunt, ut pueri. Nos etiam fortasse tales quidem amicos dicere oportet: & asserere autem species amicitia plures esse. Atque primò quidem, & propriè amicitiam eam esse, quæ bonorum est hominum, ratione sanè, qua boni sunt: cæteras autem per similitudinem. Quo nanque bonum quoddam in ipsis est & simile, hoc sunt amici. Id enim, quod afficit voluptate, bonum quoddam ijs est, qui voluptatem
amant.

amant. Non autem multum hæc copulantur, nec iidem ob utilitatem, voluptate inque sunt amici. Nam ea, quæ per accidens sunt, non nimium coniunguntur. In has autem species amicitia distributa, primum quidem erunt ob voluptatem, aut utilitatem amici, hac ratione similitudinem subeuntes: boni autem sunt propter se ipsos amici: ea nanque ratione, qua boni sunt. Hi igitur sunt absolute amici, illi vero per accidens, & quia sunt similes his.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Comparantur tria genera Amicitia inter se, penes id in quo conveniant, & in quo differunt; Amicitia nomen simpliciter supponere pro sola illa, qua honestatem intuetur. Vix denique coniungi duas illas, quarum altera nititur utilitate, & altera iucunditate.



PROSEQUITVR Aristoteles explanationem variarum Amicitia specierum, inchoatam precedenti capite, & modo comparat Amicitia honesta, atque omnium præstantissima, iucundam atque utilem: statuitque, honestam, vere & proprie ac per se Amicitiam esse, dicitque: reliquas vero duas solum ex accidenti & minus proprie. Dividit autem caput in tres partes. In primâ docet, amicitias illas, quæ iucundo aut utili bono ducuntur, similes esse perfectæ Amicitia, quæ solâ honestate ducitur. In secundâ docet, dissimiles tamen esse ab eâ, & multipliciter distingui. In tertiâ denique anacephalæoli quâdam colligit, quæ fusiùs docuerat.

2 **CIRCA** Primam partem instituit iterum sermonem de duplici illâ spuria & adulterinâ specie Amicitia, quarum altera honesto, altera utili ducitur; & docet utramque similem esse perfectæ Amicitia, quæ ob solam intur honestatem. Similitudinem vero in quibusdam attributis assignat; quæ videntur communia, tam solidæ Amicitia, quam utriusque eumentia & fucata. PRIMVM est, quod quemadmodum perfectæ amici, sive ineuntes Amicitiam honestam, sunt sibi invicem iucundi, atque utiles, ita etiâ amici ob iucunditatem, aut utilitatem, sibi invicem iucundi aut utiles sunt. SECVNDVM est, quod sicut Amicitia perfecta est cõstans & diuturna: ita etiam Amicitia iucunda & utilis aliqualem persistentiam habet; nimirum, tandiu, quandiu permanet causa mutua iucunditatis aut utilitatis, ex qua oritur. Existente enim causâ utriusque in ambobus, & unoquoque illorum alteri inferente iucunditatem, utilitatemve, persistit æqualitas utriusque, & proinde animorum consensus, in qua potissimum nititur Amicitia. Cuius exem-

plum affert in facietis hominibus, qui invicem amici sunt, quoniam alter ab altero vicissim voluptatem capit ex facietis, dicitisque ridiculis. Contrâ vero futurum esse ait, si alter ab altero utilitatem capiat. Tunc enim non erit redamatio æqualis, nec eiusdem rationis. Exemplumque affert in eo qui perditè amat alium ob voluptatem, quam ex eius pulchritudine capit; sed ab eo solum amatur propter obsequium sibi præstitum, utilitatemve. Verum addit, deficiente pulchritudine in eo, qui ob voluptatem diligebatur, aut obsequijs in eo qui diligit, deficere mutuum utriusque amorem. Nimirum, pulchritudo unius, & obsequium alterius, erant causæ amoris mutui: ideoque illis cessantibus, ob naturam suam instabilem & fluxam, necessum est ut & amor mutuus omnino desinat. Permanet tamen dum ex causâ persistunt, & in hoc habet aliqualem similitudinem cum Amicitia perfectâ. TERTIVM denique est, similitudo morum in amicis iucundis, & utilibus, sicut & in probis perfectisque. Unde & oritur ut aliquandiu permaneat Amicitia iucunda & utilis, instar perfectæ: nimirum, quandiu uterque amicorum, aut iucundorum, aut utilium, similitudinem sui in altero expressam considerat, simul & amat.

3 **EX** Hac doctrina duplex interpretatio seu corollarium infert. PRIMVM est, minus amicos existere duos, quorum alter amat alterum ob voluptatem, alter ob utilitatem; quam duos alios qui se mutuo amant propter solam voluptatem. Ratio est: Quia eò minor, seu minus vera Amicitia duorum est, quò minus servatur æqualitas & similitudo in amore & redamatione. At ubi alter amat alterum ob voluptatem, alter ob utilitatem; minus servatur æqualitas & similitudo in amore & redamatione, quam ubi ambo se invicem ob voluptatem amant. Ergo minor sive minus vera Amicitia

icitia est, ubi alter amat alterum ob voluptatem, alter ob utilitatem; quam ubi ambo se invicem ob voluptatem amant. Vnde & colligit, illorum aliqualem Amicitiam facilis dissolvi, quoniam nititur in minori similitudine, quae est causa permanentiae minoris. SECUNDUM est, illud Amicitiae spuriae genus, quod utilitate ducitur, dissolvi cessante utilitate. Omnis enim effectus cessat, ubi cessat causa, a qua oritur & conservatur. Ergo cessat utilitate cessante. Non enim quaerit amicum propter ipsum amicum, neque constituit amicos invicem sui ipsorum; sed solius utilitatis.

4 CIRCA Secundam partem assignat plures rationes dissimilitudinis inter utraque Amicitiae speciem ignobilem degeneramque, & eam quae ingenua ac solida est. PRIMA est quod facile iniri possit Amicitia ob iucunditatem utilitatemve inter pravos amicos; & inter probum pravamque; atque inter neutros, id est, neque omnino probos, nec pravos. Cum enim in utraque e mentitae Amicitiae specie solum quaeratur voluptas, aut utilitas, ubi alterutrus spes attulerit, iniri facile potest a duobus, quorum vel neuter, vel alter quidquam aliud expetit, quam voluptatem, aut utilitatem. Ceterum perfecta Amicitia solum inter probos haberi potest: quia cum ducatur honestate, solum residere valet inter eos, qui honestatis amantes sunt. SECUNDA ratio dissimilitudinis in eo sita est, quod inter amicos perfectos, sive honestatis intuitu, nullae sint invicem criminationes, querimoniae, iniuriae, aut calumniae: in vulgaribus autem & improprijs amicis, plures, frequentesque, praesertim in ijs, qui utilitate ducuntur. Ratio vero, quam assignat, ne in amicis perfectis sint criminationes, est duplex. Prior, quia Amicitia perfecta diuturno tempore, & multiplici experimento acquiritur, ut praecedenti capite traditum est. Vbi autem duo aliqui diuturnam & plenam experientiam habent mutui & honesti amoris, non facile praestant fidem calumnijs ad se delatis contra amicum. Posterior est quod Amicitia solida sit complexio omnium eorum bonorum, quae possit amicus expetere. Est enim aequalitas, fides, constantia, Iustitia, & denique Virtus omnis. Vbi autem eiusmodi Virtutes existunt, & perspicuae sunt utriusque amicorum, nullus locus est calumnijs, criminationibus, aut querimonijs. Haec namque oriri solent ex defectu constantiae, fidelitatis, Iustitiae, aut alterius Virtutis in vno aliquo amicorum erga alium. Vnde demum colligit Arist. solam proborum hominum Amicitiam esse ἀδιάβλητον, id est, liberam calumnijs: non autem *intyan/inmutabilem*, ut vertit antiquus ille Philosophi Interpres, quo D. Thomas usus est. Est enim vox deducta a verbo ἀισβάλλω, quod significat calumniari.

5 ITAQVE Amicitia perfecta ijs duabus notis maxime nobilitatur: quas tamen Arist. alienas omnino docet ab alijs speciebus Amicitiae imperfectis: quoniam haec nec proborum hominum inter se sunt, neque calumnijs aut querimonijs solutae existunt, sed affatim & saepe eas experiuntur. Statim autem post haec purgat se Arist. quod eas appellaverit amicitias, cum tamen proprie non sint, nec mereantur Amicitiae nomen. Purgat se, inquam, quia communi loquendi usu ita receptum est, ut amici dicantur qui, instar civitatum, societatem ineunt utilitatis gratia, & similiter qui ob voluptatem mutuo se diligunt. Civitates enim, quae utilitatis causa invicem iunguntur, amicae vulgo audiunt: & pueri, qui voluptatibus aut ludis simul vacare solent, amici etiam frequenter appellantur. Vnde nihil mirum, si iuxta communem usum loquatur Arist. & amicitias vocet eas, quae solidam Amicitiae rationem non habent. quippe quae solum inter probos, & honestatis gratia iniri potest.

6 CIRCA Tertiam partem breviter perstringit quae fusiùs docuerat, colligitque, iuxta communem loquendi modum, nuper observatum, quamvis improprium, plures esse species Amicitiae. primam autem & proprie illam, quae proborum hominum est, quatenus probi sunt: reliquas vero solum καθ' ὁμοιοτητα, per similitudinem. Ratio autem utriusque, quam indica, haec videtur esse: quia Amicitia est bonum aliquod, ac proinde ea ratione invenitur, seu existit, quae mutuos amor fertur ad bonum. Atqui in sola Amicitia honesta mutuos amor fertur ad bonum, quod sit proprie & simpliciter bonum: in reliquis autem speciebus mutuos amor solum fertur ad iucundum, aut vile, quorum neutrum est proprie & simpliciter bonum, sed solum per similitudinem. Ergo sola Amicitia honesta est proprie & simpliciter Amicitia, reliquae autem per similitudinem.

7 ADDIT, Amicitiam illam quae sequitur iucunditatem, & eam quae utilitate ducitur, haud saepe, nec facile coniungi. Rationemque adiungit: quia quae fortuito aut casu fiunt, sive secundum accidens, raro inter se coniunguntur. Amicitia autem, tam ob voluptatem, quam ob utilitatem, est amicitia solum per accidens, ut supra ostensum fuit. Ergo raro inter se coniunguntur. Quae certe est altera discriminis ratio inter amicitias factas, & eam, quae propria ac per se Amicitia est. Haec enim est quam soli homines probi ineunt, mutuo se diligentes propter seipsum: nimirum, ob eam, quae ipsis inhaeret, qualitatem honestam, & per se bonam, amabilemque. Quare hi simpliciter amici sunt: ceteri autem amici per accidens, & solum ex eventu voluptatis, aut utilitatis secutae. Quo spectat lepidum illud Martialis epigramma lib. 2. Hanc,

Hunc, quem vina tibi, quem coena paravit
amicum,
Esse putas fida peccus amicitiae?

Vinum amat, & cyathos, & sanna, &
ostrea: non te.
Sublato vino, nullus amicus erit.

CAPVT QVINTVM.

Qui dicendi amici, & qui ad Amicitiam apti.



VT Autem in virtutibus alij habitu, alij actu boni dicuntur, sic & in amicitia. Amicorum enim alij simul viventes gaudent se mutuò, bonaque conferunt. Alij dormientes aut locis seiuncti, non operantur quidem, sed ita sese habent, vt operentur amicè. Loca nanque non dissolvunt amicitiam absolutè, sed operationem. Quod si diuturna absentia fuerit, amicitiae quoque videtur oblivionem efficere. Vnde dictum est: Taciturnitas amicitias complures dissolvit. Atqui neque senes, neque severi, videntur esse ad amicitiam apti. Exigua enim afficiunt voluptate. Nemo autem conversari cum eo potest, qui dolorem afferat, aut non sit iucundus. Maximè nanque natura videtur molestiam quidem fugere, oblectamenta autem affectare. Qui verò se quidem mutuò acceptant, non simul autem vivunt, ij benevolis magis sunt similes, quàm amicis. Nihil enim tam proprium est amicorum, quàm vivere simul. Nam egentes quidem, utilitatem affectant: simul autem vivere & ipsi beati. Etenim solitarios quidem hos esse minimè convenit. Vt simul autem degant, fieri non potest, nisi sint iucundi, eisdemque gaudeant. quod quidem amicitia sodalitia videtur habere. Bonorum igitur amicitia maximè est (vt saepe diximus) amicitia. Nam amabile quidem id & expetibile esse constat, quod est absolutè bonum, aut iucundum: vnicuique verò, quod ipsi est tale. Bonus autem propter hæc vtraque bonus. At verò amor quidem similis est affectui, amicitia verò habitui. Amor nanque non minùs est ad inanimata. Amici autem amant sese mutuò cum electione: electio verò ab habitu proficiscitur. Et volunt ijs bona, quos amant, illorum gratia, non per affectum, sed habitum: & amantes amicum, id amant, quod sibi ipsis est bonum. Vir enim bonus factus amicus, bonum fit ei, cui iam est amicus. Vterque igitur & id, quod sibi bonum est, amat, & par reddit voluntate, atque iucunditate. Dicitur enim amicitia æqualitas: maximè autem bonorum hæc amicitiae insunt.

SVM-

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Amicitia incunda idoneos non esse, nisi qui convictum habent; illam vero non tam in actu, quam in habitu sitam esse. Qualiter illam dissolvat absentia amicorum.

AD NOBILISSIMUM ET LITTERATISSIMUM
D. D. HIERONIMUM DE PRADO ET TOLEDO,
IACOBÆVM EQVITEM, REGII AC SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS
CONSILIARIVM, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA
PRÆSTANTI CATHEDRÆ CODICIS ANTECESSORI,
ET MAIORIS COLLEGII S. SALVATORIS
OVETENSIS TOGATO, &c.



VO Potissimum curæ sunt Aristoteli in præsentiarum. Alterum est, proprium Amicitia effectum esse convictum eorum, qui ad ipsum idonei sunt. Alterum, eandem Amicitiam non esse actum, sed habitum. Dividit verò caput in tres partes. In primâ assignat actum maxime proprium Amicitia. In secundâ edisserit, quinam ad Amicitiam apti non sint, qui etiam apti. In tertiâ statuit, Amicitiam non esse actum, affectumve, sed habitum.

2 CIRCA Primam partem docet, perinde existimandum esse de Amicitia, ac de Virtutibus. In his artem accidit ut quidam solo habitu præditi sint, Temperantia v.g. aut Fortitudinis; quidam verò præterea actu se exerceant. Idem ergo accidit in Amicitia, ut quandoque solum in habitu sit; quandoque etiâ in actu, sive exercitio. Nonnulli enim amicorum unâ viventes, eo convictu & familiaritate gaudent, per fruunturque, ut invicem consilio & subsidio utantur. Alij autem, sive quia dormiunt, sive quia negotijs distracti sunt, aut in disitis locis, non se exercent in operibus Amicitia: cæterum eius habitu sic præditi & affecti sunt, ut parati existant ad opera & officia Amicitia sibi invicem præstanda, quoties fuerit opus. Quo demum sit, ut quemadmodum lib. 1. bipartita fuit Virtus in eam quæ habitu solum existit, & eam quæ actu exerceatur; & lib. 6. disciplinae ac scientia pariter sunt divisa in habitum & actum: ita etiam Amicitia hunc bipartitio secetur in eam, quæ solum habitu est, & eam quæ præterea in actum se promit.

3 CIRCA Secundam partem exponit, quinam idonei sint ad Amicitiam contrahendam, quinam verò inepti. Ut autem hoc delaret, præmittit causam, quæ dissolvere Amicitiam possit. Ea verò est diuturna absentia. Quamvis enim paulo antè docuisset, posse absentes retinere habitum Amicitia inter se, nunc addit, eò diuturnam esse posse absentiam, ut Amicitia habitus corrumpatur, veluti torpo-

re quodam, & omissione diutinâ totius exercitij. In quod probandum affert proverbium illud Heroico carmine comprehensum;

*Πολλὰς ἀν ριχίας ἀν γοσηγορία διέλυσεν.
Tollit amicitias multas offat us ademptus.*

Sic vertit Turnebus, aliquantò licentius, ut metrum servet. Alioqui ἀργοσηγορία Argyropilo & alijs, taciturnitas est, quæ tamen verbi Hexametro adaptari non potest. Itaque diuturna absentia & taciturnitas multorum amicitias dissolvit. Quare Hesiodus monet, vicinos potissimum invitandos esse ad convivium, ut eò frequentia & communione mensæ Amicitia foveatur: & Chremes apud Terentium potiores Amicitia partes in vicinitate constituit.

4 VERVM Ne fortè Arist. sibi contrarius appareat, notandum est, præ iactam doctrinam, seu corruptionem Amicitia ex diuturna absentia, solum accipiendam esse de illo Amicitia genere, quod ducitur voluptate. Ex silentio enim diutino & mutua amicorum distantia, cessat voluptas, quam aliter ex altero capiebat. Unde & necessum est cessare Amicitiam illam, quæ solâ voluptate nitebatur ut causâ conservatrice. Quo sensu accipiendum est illud:

Iam dudum amissa patria, oblitusque tuorum,

*Quos tibi seu sanguis, sive parabat, amor,
Romam habitas, nec cura domum subit ulla reverti.*

Aeternæ tantùm te capit Urbis honor.

Respondeatque adagium Hispanicum: A muertos i á idos, no ay mas amigos. Cæterum perfecta & solida Amicitia, cum nitatur in mutua amicorū honestate, quæ est habitus immobilis, & in utroque eorum permanet, etiam si aliter ab altero absens sit, & nullum cum eo habeat commercium, persistere in amobus potest secundum habitum, quamvis visu & actu ipso non maneat. Quare idem Arist. supra,

cum meminisset illius proverbij, *Amici qui procul sunt non sunt amici*, subiunxit, eam paræmiam esse *μακρόθεν φίλοι*, id est, inhumanissimam, sive prolatam ab aliquo, qui genus humanum maxime exosum habuerit: cum maxime e re nature humane sit, ut vera Amicitia, etiam inter absentes, facta recta serveretur. Quod & Liberates confirmat in *Oratione ad Demonicum*, ubi notat id esse discriminis gregariorum hominum a sapientibus, ut illi tantum presentes amicos observent, hi vero etiam absentes. Quia autem habitus quilibet, etiam Virtutum, & qualitercumque honesti, torpent ac marcent sine exercitio; amicis in more positum est, ut quando diu absentes sunt, se invicem litteris alloquantur, quia sermone nequeunt. Sic enim, ex parte saltem, suppleant defectum frequentia, sive convictus; & proinde retineant illatum Amicitie habitum.

6 HOC Præsupposito, gradum facit ad exponendum, quinam apti non sint ad Amicitiam contrahendam. Ac primo recenset, seu potius excludit senes, sive acerbos, & austeros homines. Quisquis enim aptus ad Amicitiam est, is debet esse, cum quo iucundum sit versari, & familiaritatem habere. At neque senes, neque acerbi, aut austeri homines sunt eiusmodi. Nemo enim est, inquit Arist. qui totos exigere dies possit cum tristi & molesto viro, qualis est senex, aut acerbus, vel austerus quilibet. Natura, nimirum, refugit quod iniucundum & molestum est. Ergo neque senes, nec acerbi, aut molesti, ad Amicitiam apti sunt. Præterea alio syllogismo id ipsum sic probari potest. Quisquis ad convictum & consuetudinem humanam aptus non est, nullo modo idoneus existit ad Amicitiam, quippe actus Amicitie proprius est amicorum convictus & consuetudo: ut apparebit etiam cap. sequent. & lib. 9. cap. 9. At senes, & acerbi, aut austeri homines, ad convictum & consuetudinem apti non sunt, ut experientia testatur. Ergo nullo modo idonei existunt ad Amicitiam. Et hoc quidem accipiendum iuxta ea quæ frequenter accidunt. Quandoque enim senes inveniuntur iocundi.

7 QVONIAM Autem objici posset, quosdam esse strictissimo Amicitie nexu devinctos, qui tamen iusta ex causa nullam ineunt societatem, convictumve; præoccupat difficultatem hanc, & docet eiusmodi homines proprie dici non posse amicos, sed mutuam benevolentiam adstrictos. Amicitia enim, ut propria sit, exigit convictum, saltem per aliquod diuturnum tempus, veluti actum maxime proprium, & characterem, aut notam. Quod probare aggreditur fere sic: Actus ille Amicitie, quem omnes amici exoptant, in qualibet fortuna positi, seu prospera, sive adversa, est actus præcipuus ipsius Amicitie. At convictus est eiusmodi. Cum enim duo sint actus Amicitie,

alter potius in convivendo, alter in accipiendo aut largiendo bona; hic posterior non ab omnibus amicis expetitur, nisi ab ijs, quorum alter indigentiam patitur. Prior vero actus ab omnibus amicis expetitur, sive indigentes, sive divites sint, & quancumque demum fortunam experiantur. Ergo convictus est actus præcipuus Amicitie. Amici enim, quantumvis felices sint, nolunt esse solitarii, nec se felices existimant inter fagos aut quercus, nisi & consuetudine amicorum utantur. Quare nisi aliquanto tempore præcesserit convictus inter aliquos, benevolentia quidem esse potest, Amicitia autem esse non potest.

8 VBI Duo notanda sunt. Primum est, convictum dici actum præcipuum Amicitie, non absolute, sed solum facta comparatione ad actus externos. Nam alioqui & simpliciter præcipuus actus Amicitie est mutuus amor, seu affectus internus benevolentie, quo amici vicissim se diligunt. Ab hoc enim procedunt cæteri, quotquot exterius exercentur, in primis ipse convictus. Secundum est, convictum hoc loci non accipi pro cohabitatione, seu communionem mensæ, quam etiam invicem habent qui amici non sunt: sed pro communicatione animorum consiliorumque mutua, quæ fit verborum interventu. Hæc enim solum inter amicos haberi potest.

9 COLLIGIT Ex dictis, Amicitiam solum proborum hominum maxime optabilem esse præ cæteris, quæ voluptate, aut utilitate ducuntur. Hæc enim facile dissolvi possunt, pluresque corruptionis suæ causas habent. Illa vero aut nunquam interit, aut difficile solvitur, & paucioribus causis suæ dissolutionis obnoxia est. Inde verò educitur ratio. Quod bonum aliquod firmiter est, & difficilius animo eripi potest, eo etiam est optabilius: Amicitia autem proborum est bonum aliquod firmiter, & quod difficilius animo eripi potest, quam cæteræ amicitie. Amicitia igitur proborum est optabilior, quam cæteræ amicitie. *Rursus.* Amabile atque optabile duplex est: unum absolute & simpliciter: aliud relatè, & in ordine ad aliquem: nimirum, amanti, & eligenti. Hoc autem supposito, ratio sic procedit: Quod non solum absolute & simpliciter, sed etiam relatè ad eligentem optabile est, id est maxime optabile: ut potè ex omni capite. Amicitia autem proborum non solum absolute & simpliciter optabilis est, sed etiam relatè ad eligentem. Probus enim vir propter seipsum, atque adeo absolute & simpliciter optabilis est; & insuper eligenti; nimirum, amico, à quo diligitur. Ergo Amicitia proborum est maxime optabilis.

10 CIRCA Tertiam partem docet, Amicitiam non esse actum, sive affectum, sed habitum. Probat verò: Quia si Amicitia esset

esse actus, sive affectus amoris, aut amationis; quicumque amat aliquid, haberet Amicitiam erga illud, quamvis res inanima sit ac proinde qui esurit, aut sitit, & per consequens amat panem, aut vinum, haberet amicitiam cum ijs. Cum ergo hoc absurdum sit, oportet dicere Amicitiam non in actu, effectu amoris sive amationis, sed in habitu sitam esse. Porro id absurdum esse patet: Amicitia enim exigit mutuum amorem, seu redamationem, quam habere non possunt res inanimæ. Redamatio enim procedit ex electione, quam res inanimæ habere nequeunt, imò nec animæ constantes, nisi & rationis participes sint: quoniam procedit ab habitu. Ergo de primo ad ultimum Amicitia est habitus, non verò actus.

11 CÆTERVM, Ut ratio hæc omnino efficax sit, & planè innotescat, notandum est, electionem triplicem esse. *Prima* late patet, vagaturque per omne illud quod voluntarium & liberum est, quamvis ex cupiditate, aut aliâ perturbatione impellente processerit. Dicitur enim fieri non absque electione, quia ita fit, ut potuerit non fieri ab homine pro libito. *Secunda* aliquantò strictior significat actum ipsum eligendi ex præcedente consilio, ac deliberatione, quamvis nulla perturbatio urgeat inclinive appetitum ad id quod eligitur. *Tertia* denique propriissima est, quæ non solum ex consilio & deliberatione fit, sed præterea ex habitu inclinante potentiam ad operandum suaviter & faciliter. Quando ergo Philosophus docet, redamationem exactam ab Amicitia procedere ex electione, loquitur de hac præse accepta, quatenus procedit ex habitu inclinante ad redamandum amicum. Unde ratio præiacta probat, Amicitiam non in actu sitam esse, sed in habitu: quia infert redamationem ex stricta electione procedentem, atque adeò ortam ex habitu.

12 PROBAT Secundo, non in actu, sed in habitu positam esse Amicitiam. Quicumque enim bona volunt, & exoptant amicis amicorum gratia, non ea cupiunt ex alijs

quo affectu, aut perturbatione; sed ex habitu. Ergo Amicitia non est sita in aliquo affectu, sive actu secundum perturbationem; sed in habitu. Assumptio suadetur: Quia affectus & perturbatio pertinent ad vim animæ sentientis, secundum quam non potest exoptari bonum amicis amicorum gratia: cum vis animæ sentientis solum appetat bonum proprium, non autem alienum. Ergo quicumque bona volunt & exoptant amicis amicorum gratia, non ea cupiunt ex aliquo affectu, aut perturbatione. Restat igitur ut ea cupiant ex habitu, qui ad appetitum rationalem pertinet, & perinde extenditur ad exoptandum bonum alienum, sive amici, propter ipsum amicum.

13 OBICIT Sibi difficultatem ex doctrina superioribus tradita subortam. Dicitur enim antea fuit, unicuique esse amabile quod sibi bonum est. Inde autem sequitur, neminem amare quidquam, nisi propter seipsum. Si vero nemo amat quidquam, nisi propter seipsum; ergo & nemo amat bonum amicis amicorum gratia, quod contradicit doctrinæ nuper traditæ. RESPONDET Aristoteles huic difficultati, asserendo, utrumque rectè coherere, nam & ij qui amant amicos amicorum gratia, suum ipsorum bonum amant. Amicus enim, qui diligitur, si est verè amicus, non solum est bonus absolute, & in se, sed etiam alteri amico. Quare qui amicum propter amicum amat, certe amat illum propter id, quod bonum sibi est, & vicissim ab eo amatur eodem modo, ut sit perfecta æqualitas. Vbi sermo est de Amicitia perfecta, quæ honestate ducitur, & in qua quilibet amat amicum propter amicum, quia bonus est in se: quamvis inde consequenter, & quasi præter intentionem, resultet sibi utilitas ex bono amici, qui amico suo bonus est, atque iucunditatem, & utilitatem parit, ut præcedentibus statutum fuit.



CAPVT SEXTVM.

In qua Amicitia plures possunt esse amici.



LN Severis autem, atque senibus, tantò minùs fit amicitia, quantò difficiliore sunt, & minùs congressionibus gaudent. Hæc enim ad amicitiam maximè spectare, & ipsam efficere videntur. Quocirca iuvenes quidem citò, senes autem non citò fiunt amici: non enim fiunt ijs amici, quibus non delectantur. Similiter nec severi: sed tales benevoli quidem mutuò sibi sunt. Etenim & bona volunt, & prompti sunt ad necessitates. Amici verò non valde sunt, propterea quòd non simul degunt, neque sese mutuò delectantur: quæ quidem ad ipsam amicitiam pertinent maximè. Non fit autem ut amicitia perfecta multis quispiam sit amicus, quemadmodum nec ut complures simul admet. est enim exuperationi similis. Tale autem ad vnum aptum fieri. Multos verò eisdem vehementer placere non facile est, fortasse autem nec bonos esse. Oportet autem & experientiam accipere, & consuetudinè fieri. quod quidem est perdifficile. Ob utilitatem autem ac voluptatè multis placere quis potest. Complures enim sunt tales: & subministrationes manifestæ, brevi in tempore fiunt. Harum autè ea magis est similis amicitia, quæ est ob voluptatem: cum eadem ab vtrisque proveniunt, & sese mutuò gaudent, aut eisdem: quales sunt iuvenum amicitia. inest enim magis in his liberalitas. At ea, quæ ob utilitatem constat, eorum est hominù, qui quæstui vacant. Beati etiam utilibus non indigent, sed iucundis. Cum quibusdam enim simul vivere volunt, & molestū parvo quidem tempore ferunt: continuè verò nemo, nec ipsum bonū toleraret, si dolore ipsum afficeret. Quare iucundos quærunt amicos. Sed forsitan & bonos oportet: cum sint tales & etiam ipsis. Sic enim inerunt, quæ amicis inesse oportet. Qui autè sunt in potestatibus constituti, divisivi uti videntur amicis. Alij enim sunt ipsis utiles, alij iucundi. Ut autem ambo sint ijdem, non nimium fit. Neque enim cum virtute iucundos quærunt, neque utiles ad honesta: sed facetos quidem quærunt, voluptatem appetentes: habiles autem ut agant ipsum præceptum. Atque hæc homine in eodem non nimium fiunt. Studiosus autè homo iucundus est simul, ut diximus, atque utilis. Sed talis amicus non fit excedenti, si & non virtute excedatur. Sin minùs non æquatur, cum rata sit inferior ratione: non nimium autem tales fieri solent. Hæ igitur amicitia

tia

tia dicta, in æqualitate consistunt. Eadem enim ab utrisque fiunt, & sibi mutuò volunt: aut aliud pro alio (vt voluptatem pro utilitate) commutant. Dictum est etiam has minùs amicitias esse, minùsque permanere. Videntur autem & ob similitudinem, dissimilitudinemque eiusdem, & esse amicitia, & nò esse. Nam similitudine amicitia, quæ est ob virtutem, videntur amicitia esse. Altera nanque voluptatem, altera habet utilitatem, quæ quidem insunt & illi. Sed quia illa quidè omni calumnia vacat, & stabilis est, hæ verò citò dissolvuntur, alijsq; compluribus differunt, non videntur ob illius similitudinem amicitia esse.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Amicitia ineunda aptos non esse senes, acerbosque in humano convivio. Si illa sit perfecta, inter multos haberi non possit; secus si adulterina, aut noxia. Viros ceteris præcipientes, solius utilitatis voluptatisve intuitu inferiorum amicitiam deligere: verum & in hac fucata esse aliquam æqualitatem.



DISSERIT Arist. hoc loco de hominibus ad Amicitiam aptis, ineptive, & de numero amicorum: de quo etiã in scã lib. 9. cap. 10. ac potissimum statuit, senes, acerbosque non

esse ad Amicitiam accommodatos: deinde verò plures esse posse amicos aliquo Amicitia genere. Dividit autè caput in quatuor partes. In prima docet, senes & austeros, seu acerbo genio præditos, quoniam humano convivio iucundi non sunt, nec affabiles, idoneos non esse ad contrahendã Amicitiam. In secunda decernit, plures non posse esse amicos in ea Amicitia, quæ perfecta est, & bonorũ virorũ propria: posse autem esse in alijs Amicitia generibus adulgerinis & spurijs. In tertia observat, viros in potestate constitutos, divitesque, deligere sibi amicos, utilitatis aut voluptatis intuitu. In quarta demum statuit, omnes Amicitia species, etiam degeneres & fucatas, consistere in aliqua æqualitate.

2 CIRCA Primam partem repetit ferè, quod superiori capite præmiserat, Amicitia ineunda idoneos non esse senes, & austeros. Idque probat: Quia quotquot morosi sunt, & iniucundi ad colloquia, inepti etiam ad Amicitiam sunt, quippe quæ plurimum conferunt ad Amicitiam, eiusque conservacionem. At senes & austeri morosi sunt, & ad colloquia iniucundi. Ergo ijdem ad Amicitiam inepti sunt. Vnde & colligit, iuvenes fieri citò amicos, senes & austeros autè minimè. Nimirum, quoniam in iuvenibus oppositũ invenitur, cum faciles, & iucundi ad colloquia sint invicem, ideoque convivio & mutuis sermonibus delectentur. Vbi nolandum, Aristotel. hoc

loco non tam loqui de senibus secundum ætatem, vt capite precedenti: quàm de senibus in morositate, & senili conditione vitiatas, molestivè; quos propterea nunc *προσβύτας* appellat, id est, *seniles*; cum tamen ibi *προσβύτας*, *senes* solum dixisset. Quo planè ostendit, senes aliquos interdũ esse faciles, suavesque, & iucundos ad colloquia, atque humanũ convivium; quoniam nihil senile habent, præter ætatem, alios contra iuvenes esse, qui senile morositatem præferant, & malo genio suo antevertant; ideoque iucundæ amicitia apti non sint.

3 ADDIT, Iuvenes præ senibus, propensos esse ad contrahendam Amicitiam, & conciliandos sibi aliorum animos: quoniam cum prætenibus & austeris proclives sint ad iucunda colloquia, & congressiones cum alijs, facilius quoque sibi Amicitiam parant, in ijs officijs maxime positam. Addit insuper, austeros, quamvis non facile amici fiant, esse nihilominus benevolos inter se: quoniam propensi sunt ad sublevandam alienam necessitatem, & vitio subveniunt egenis sibi in austeritate similibus. Vnde aliqualem Amicitia rationem servant inter se in eã mutuã propensione, & æqualitate: verum non plenam, neque integram; quoniam non ineunt colloquia, congressionemve, nec convivium mutuum amant: sine quibus benevolentia quidem esse potest, sed tamen Amicitia non est.

4 CIRCA Secundã partem quærit, an in prædicta societate & convivio necessario Amicitia stabilienda oporteat esse plurimos, & an quis plurimum amicus esse possit. Dirimit autè duobus rationibus triplici attentione. Prima est in eã societate, quæ initur iuxta perfectã Amicitia,

& proborum hominum propriam, amicos plures esse non posse. *Secunda*, In degeneribus & spuris amicitijs, que voluptate aut utilitate ducuntur, posse plures simul amicos esse. *Tertia*, Instituta comparatione inter hæc duo adulterina Amicitie genera, similiorem perfectæ esse illam, que voluptate ducitur, quam que utilitate.

5 PRIMAM Assertionem præfactarum probat quadrupliciter. *Primò* a præstantia Amicitie perfectæ, seu ab excellentia, quam hoc loco significat *υπεροχη*, hyperbole: quamvis sæpe alias ab Arist. accipitur pro exuperantia vitiosa, & excedente medium Virtutis. Ratio autem sic proponi potest. Nihil perfectum & excellens est eius conditionis, ut pluribus commune esse possit. Debet enim esse pretiosum & rarum, ac proinde in paucis inveniri. Atqui solida Amicitia est quid perfectum, & excellens. Omnibus enim amicitijs antecellit, proptereaque excellentia amoris dici potest, si cum ceteris componatur. Ergo solida Amicitia non est eius conditionis, ut pluribus communis esse possit. Vbi & obiter rem illustrat a pari amoris Venerei, qui vehementissimus est, & nunquam simul eidem est circa plures. Id enim denotant verba illa: *ὅσπιν ὁδ' ἐρᾶν πολλῶν ἀμα*: quemadmodum neque amare complures simul, scilicet, contingit. Cum ergo etiã a pari secundum Amicitiam perfectam præstantissimus sit, nemini contingit ita amare complures simul. *Secundò*. Ut quis cum alio solidam Amicitiam ineat, necessarium est, ut ipsi vehementer placeat, neque aliquid in eo videat, quod offendat, ingratumve appareat. At, ut varia sunt hominum ingenia, conditionesque fieri non potest ut vni plures vehementer placeant, neque aliquid in ijs appareat, quod offendat, ingratumve sit. Ergo & fieri non potest, ut vnus cum pluribus solidam Amicitiam ineat. *Tertio*. Ut perfecta Amicitia cum plurimis habeatur, opus est plurimos invenire bonos, & solidæ Virtutis cultores, quippe eorum propria est Amicitia solida. At difficillimum est plurimos invenire bonos & solidæ Virtutis cultores; cum ij perpauci sint. Ergo & difficillimum est perfectam Amicitiam habere cum plurimis. *Quartò*, Nequit vnus Amicitiam perfectam habere cum alio, nisi diuturnum experimentum habeat probitatis, fidelitatis, constantie, & consiliorum ipsius. At difficillimum est habere de multis tam diuturnum & plenum experimentum. Ergo & difficillimum est perfectam Amicitiam habere cum multis.

6 SECUNDAM Assertionem dupliciter probat. *Primò*: Quia ad ineundam cum pluribus simul amicitiam spuriam, qualis est que ducitur voluptate, aut utilitate, sufficit ut plures mutuo conspirent in eo, quod ijs invicem parit voluptatem aut utilitatem. At ut mortalium communis propensio est ad eiusmodi bona fluxa & cadu-

ca, facile est plures mutuo convenire in eo, quod ijs invicem parit voluptatem, aut utilitatem. Ergo & facile est amicitiam spuriam cum pluribus inire simul. *Secundò*. Quia eorum hominum, quibuscum initur amicitia spuria, facile est plurimum simul periculum facere, seu experimentum subire, an utilitatem, voluptatemve atterat eorum convivium & frequentia. Hoc enim brevi tempore deprehendi potest. Atqui deprehensa utilitate, voluptatemve mutua, nihil deest ad eiusmodi amicitiam contrahendam, quippe que nihil aliud querit. Ergo & facile est cum pluribus simul amicitiam spuriam inire. Nimirum, in ea rationes oppositæ sunt ijs, quas expendimus nuper in Amicitia perfecta, ut ea cum pluribus sit difficilis.

7 TERTIAM Assertionem ut probet, præmittit se non loqui de illa amicitia ob voluptatem, que mutua non est, sed ex parte alterius extremorum tantum: quando, nimirum, alter amat ob voluptatem alterum, a quo solum amatur ob utilitatem. Hæc enim societas non est similior Amicitie perfectæ, quam que mutua amborum utilitate ducitur. Assertio itaque intelligenda est de amicitia ob voluptatem ex parte utriusque amicorum: & dupliciter probatur ab Arist. *Primò*. Quanto liberalior est Amicitia aliqua ex imperfectis, eo similior existit perfectæ Amicitie: utpote liberalissimæ, & non proprium bonum querenti, sed amici. Atqui illa amicitia que voluptate ducitur, liberalior est ea, que ob utilitatem est. Ergo & similior est perfectæ Amicitie. Assumptionem, sive minorent, probat: Quia longè liberaliori ingenio præditus videtur qui querit voluptatem, quam qui solum utilitatem. Hoc enim posterius sordidorum hominum est, & questui deditorum. *Secundò* id ipsum evincit, ex maiori nobilitate amicitie ob voluptatem contractæ, quam ob utilitatem. Priorem enim illam querunt homines ij, qui felices, seu beati audiunt, quoniam dominatu, ac divitijs præstant. Cumque opus non habeant rebus alienis, nec egeant alienis opibus, vnam voluptatem exoptant, ideoque amicos exoptant, a quibus eam capiant. Posteriores vero, que utilitate ducitur, plerumque sectantur pauperes & sordidi, quos aut necessitas, aut avaritia movet ad questum, lucrumve. Ergo prius illud Amicitie genus nobilior est, ac proinde similior Amicitie perfectæ. Monet vero Aristoteles prudenter eos, qui vulgò beati dicuntur, nimirum, potentes & divites, ut quemadmodum iucundos amicos querunt, sic & bonos exoptent: quoniam ab ijs uberior & fructuosior voluptas haberi poterit. Neque enim damnandi sunt, quod eos sibi velint amicos, qui suaves & iucundi sunt: sed solum quod in ijs primum non querant probitatem morum, ex qua haurire sibi possunt voluptatem puram & perfectam.

8 CIRCA Tertiam partem statuit, eos qui principatum obtinent, ac potentes sunt, varijs ac diversis amicis vti: quibusdam ad utilitatem, ut eorum consilio & opera augeant potentiam, & fortunæ bona: quibusdam autem ad voluptatem, ut ex ijs delectationem capiant. Monet verò Arist. ut nuper, eos longe melius facturos, si quærent bonos viros in Amicitiam, qui proinde simul essent probi & iucundi: scilicet, eos qui non oblectent facerijs aut salibus ridiculis; sed gratia & decore Virtutis ipsius; quique viles sint ad gerendum res honestas. Hæc enim iucunditas & utilitas ex amore Virtutis queritur, & digna est expectari a probis viro. Ceterum plerumque potentes divitesque iucunditatem amicorum, & utilitatem, a Virtute seiunctas appetunt. Non enim ad delectationem querunt, nisi parasitos, histriones, & scurras, quibus nihil probitatis est: neque ad utilitatem, nisi industrios & solertes homines, seu probos, seu improbos, quorum interventu amplificare vicumque valeant dominatum & potentiam suam. Quo ipso plane ostendunt se alienos a vera Virtute, dum non ex Virtutis amore, sed ex alio sinistro aut spurio fine, amicos sibi deligunt.

9 DICET Forte aliquis: si vir probus potest simul esse amicus iucundus & utilis, sequitur viros potentes & principatum habentes, non egere distinctis amicis; sed ijs sufficere unum Virtute præditum, qui iucunditatem simul & utilitatem afferat. Hanc objectionem, quæ subobscure solum continetur in textu, præoccupat Arist. & docet, vix unquam evenire ut vir probus amicus fiat *ὁ ἀγαθὸς ὄντι*, nimirum, ei qui superat potestate & dominatu. Rationemque assignat: Quoniam, cum Amicitia solum sit inter æquales, vir probus nequit esse amicus potentioris, nisi ipsum adæquet; proindeque excellu Virtutis compenset defectum potestatis æqualis; & hæc compensatio percipiatur ab eo qui potentior est. Hoc autem difficillimè invenitur: quoniam nec facile est invenire virum adeo probum, ut tantundem honestate morum excedat magnatem ac

potentem, quantum ab eo in dominatu exceditur. Intuper & eo supposito, adhuc difficile est, ut vir potens ac longe lateque imperans, verè cognoscat se ita inferiorem esse in Virtute cuidam alteri, ac superiorem in dominatu. Hæc enim ingenuitas, modestia, & Virtutis existimatio, plerumque aliena est à potentibus, quibus nihil æque amabile, aut æstimabile est, ac dominatus & excellentia sæculi. Ergo denique difficillimum est, ut vir probus sit amicus potentis, & longe superioris in dominatu. Quare idem Aristotel. 1. *Politie. cap. viim. & 1. 7. cap. 4.* hortatur Principes, ut quantum alios potestate superant, tantum Virtutibus excellant. Tunc enim fiet æqualitas, non simplex, sed analogica, qualis assignata fuit *lib. 5.* inter superiorem & inferiorem.

10 CIRCA Quartam partem redigit in epilogum plura hucusque tradita. *Primum* est, omnes amicitias hucusque explicatas consistere in æqualitate: quoniam in ijs omnibus alter amicorum par alteri refert, aut, si par non reddat, aliud pro alio compendat, ut voluptatem pro utilitate. At ita non fieret, si omnis Amicitia sita non esset in æqualitate. Omnis igitur Amicitia sita est in æqualitate. *Secundum* est, amicitias vulgares minus habere Amicitie, quam perfectam & proborum propriam, minusque permanentes esse: ceterum existere partim ei similes, partim dissimiles. Similes, quoniam altera earum affert voluptatem, altera utilitatem, quarum utramque petit Amicitia perfecta. Dissimiles verò, quod ambæ facile evanescant, & dissolvantur: hæc autem immobilis & firma permaneat. Ex qua dissimilitudine oritur, ut admodum discrepent in ratione Amicitie; & hæc longè minus invenitur in duabus illis vulgaribus, quam in vna proborum, quæ honestate dicitur.

VIDE infra *lib. 9. cap. 10.* eandem materiam satis & plenius elaboratam.



CAPVT SEPTIMVM.

De Amicitia in excellentia.

ST Et alia species amicitiae, quae in excellentia consistit: ut amicitia patris ad filium, & omnino senioris ad iuniorem, virique ad uxorem, & principis omnis ad eos, qui ipsi subiiciuntur. Atque haec inter se etiam differunt. Non est enim eadem amicitia parentibus ad liberos, & principibus ad subditos: nec patri ad filium, & filio ad patrem: nec viro ad uxorem, & uxori ad virum: diversa enim est vniuscuiusque horum virtus, ac opus. Diversa etiam sunt & ea, propter quae amant: diversi ergo & amores, & amicitiae. Atque eadem quidem vtrique ab altero nec fiunt, nec sunt quaerenda. Sed cum liberi quidem ea parentibus tribuunt, quae tribuenda sunt genitoribus, parentes autem filiis, quae natis tribui debent: stabilis talium, & bona est amicitia. Oportet autem & amorem omnibus in amicitijs, quae in excellentia consistunt, comparatione fieri rationum. Magis enim amari praestabiliorem, vtilioremve, quam amare oportet: & caeterorum vnumquemque similiter. Nam cum amor est pro dignitate, tunc fit aliquo modo aequalitas: quod quidem amicitiae esse videtur. Aequale autem in iustis, & in amicitia non similiter sese habet. Est enim in iustis quidem aequale primo, quod est pro dignitate: secundo, quod est in quantitate. In amicitia autem id quidem, quod est in quantitate, primo: ad autem, quod est pro dignitate, secundo. Constat autem, si in virtute, vel vitio, vel divitijs, vel in aliqua alia re magna distantia fiat: non enim ulterius sunt amici, nec dignum putant se esse amicos. Maxime autem hoc est manifestum in ipsis dijs immortalibus: hi nanque plurimum bonis omnibus antecellunt. Constat autem, & in regibus: nec enim his se esse amicos dignum ij putant, qui sunt valde inferiores: nec item optimis viris, aut sapientissimis, ij, qui nullius sunt pretij. Exacta igitur in talibus non est definitio, quousque sint amici: multis enim ablati, adhuc amicitia manet. Quod si nimis fuerint separati, ut a Deo, non permanet. Unde & dubitatur, si amici velint amicitis ea bona, quae maxima sunt, ut deos esse. Non enim ulterius erunt ipsis amici: quare nec bona. Amici nanque bona sunt suis amicis.

Quod

Quod si bene sit dictum, amicum amico bona, illius gratia, velle manere oportet, qualiscumque sit ille. Homini autem volet maxima bona inesse, & fortasse non omnia. sibi enim ipsi maximè quisque vult ipsa bona.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

Quomodo inferior cum superiori aliquod genus Amicitie mire possit, & qualiter illa stabilienda sit. Quae proportio Amicitiae ad Iustitiam. Amicitia lex an obliget ad exoptandum amico maxima bona.



VM Circa finem capitis precedentis non nihil libasset Arist. circa difficultatē potentiū, ac divitum ad ineundam Amicitia cum probis viris, potestate inferioribus; nunc aliumit, docetque ex professo, posse nihilominus superiori cum inferiori certum quoddam Amicitiae genus esse. Dividitur verò caput in quatuor partes. In prima docet, aliquod esse Amicitiae genus inter superiorem inferioremque, quod in vno & alio diversae speciei sit. In secunda tradit modum, quo eiusmodi amicitiae permaneant. In tertia statuit proportionem inter Amicitiam, Iustitiamque. In quarta demum quaerit, virum amicus debeat cupere seu velle amico suo maxima bona.

2 CIRCA Primam partem docet, aliud à praedictis esse genus Amicitiae, quod non in aequalitate positum est, sed in excellentia unius ad alterum sibi inferiorem: qualiter in patre erga filium, in omnino seniore erga iuniorem, in viro erga uxorem, & in omni Principe erga subditum. In ijs enim omnibus alter alteri superior excellentiorve est: ideoque nequit inter eos esse Amicitia illa aequalitatis, de qua praecedentibus disceptatum fuit; sed alterum Amicitiae genus, quod dicitur secundum excellentiam. Subdit verò statim, Amicitiam hanc excellentiae dividi in plures species: quia non eadem species Amicitiae est parenti erga filium, ac Principi erga subditum: neque etiam eadem parentis erga filium, ac filij erga patrem: neque viri erga uxorem, ac uxoris erga virum. Quod duplici ratione probat. *Prima* est. Amicitiae eorum, qui virtutes seu facultates diversas habent, è quibus orientur diversae operationes, proculdubio specie dissident inter se. At amicitiae quorumlibet superiorum, comparatae cum amicitijs inferiorum, ut Principis ad subditum, parentis ad filium, senioris ad iuniorem, & mariti ad uxorem, habent virtutes, seu facultates diversas, è quibus dissimiles operationes prodent. Alia est enim virtus, & operatio, seu officium Principis ad subditum: alia parentis ad filium: alia senioris ad iuniorem: alia denique mariti ad uxorem suam; &

è converso, aliud est officium subditi ad Principem: aliud filij ad patrem: aliud iuniore ad seniore: aliud denique uxoris ad virum. Ergo amicitiae quorumlibet superiorum comparatae cum amicitijs suorum inferiorum, proculdubio specie differunt. *Secunda* est. Vbi rationes amandi specie dissident, etiam amicitiae sunt secundum speciem diversae. At rationes amandi in praedictis superioribus & inferioribus specie dissident. Ergo & amicitiae in ijs omnibus sunt secundum speciem diversae. Minor, sive assumptio, probatur & explicatur. Ratio enim cur pater filium diligit est, quod illum genuerit, dederitque illi partem suae substantiae. Dominus servum amat, quod utilis sit ad vitam & res fortunae tuendas. Vir diligit uxorem, quia ex ipsa quaerit prolem, in qua perpetuo maneat, quoniam in seipso manere non potest. Princeps amat subditum, quia obsequio illius eger. Verum longe alia ratio est in amore filij ad patrem, servi ad dominum, uxoris ad virum, & subditi ad Principem. Filius enim amat patrem, quoniam ab eo ortum duxit, & hereditatem sperat. Servus diligit dominum, quoniam victum ab eo accipit & vestitum ad praesens, & de futuro libertatem expectat. Uxor amat virum, quia praesidium est imbecillitatis suae. Subditus denique amat Principem, quoniam ab eo favorem, & praemia sperat. Ergo rationes amandi in omnibus praedictis, tam superioribus, quam inferioribus, specie differunt.

3 CIRCA Secundam partem tradit modum, quo huiusmodi amicitiae superiorum & inferiorum permaneant. Atque potissimum in eo consistere, si unusquisque amicorum exhibeat alteri quod oportet, habita ratione dignitatis, & modi, quem Amicitia excellentiae postulat. Non enim exigit ut par pari rependant, seu aequalibus aut similibus omnino officijs alter mutuo respondeat alteri, sicut in Amicitia aequalium: nec deceat, ut subditus à Principe, filius à patre, servus à domino, & uxor à marito, exigent idem obsequium, aut eadem officia, quae ijs praestant. Quare solum superest, ut unusquisque alteri praestet quod sui muneris est, & eo modo, quo debet relate ad alterum, sive

superiorem, five inferiorem. Sic enim persistet amborum Amicitia; non quidem æqualis; sed *ἐπιπέδου ἀγία*; sicuti accidit in ijs, quæ ex Epikia, five ex æquo & bono ad Iustitiam reducuntur: ut dictum est *lib. 5. cap. 10.* Quemadmodum enim in ijs, quæ ex æquo & bono definiuntur, non fit perfecta æqualitas, sed solum servatur proportio, Iustitiæ respondens: ita & in amicitijs iam dictis, non est æqualitas officiorum absoluta seu arithmetica inter amicos, sed solum proportio, seu æquitas quædam. Ea verò statuta, permanebunt in Amicitia superior, & inferior, sicuti in Amicitia æqualitatis persistunt amici, ubi sibi invicem reddunt æquale.

4 INFERT Arist. in ijs ipsis amicitijs superiorum & inferiorum, ut servetur proportio, debere esse maiorem dilectionem inferioris ad superiorem, quam è converso. Ratio est: quia cum hæc Amicitia non servet æqualitatem, sed proportionem, seu analogiam; amor ex parte utriusque extremi non debet esse æqualis, sed proportionatus. Iusta autem proportio exigit ut ex duobus diligatur magis qui superior & excellentior est, quam qui inferior. Ergo in hoc genere Amicitia servabitur proportio, si inferior magis diligat superiorem, quam superior inferiorem. Porro superiorem debere magis amari, patet: quia excellentior est, & melior, aut iucundior, aut utilior, per se loquendo. Quare servatâ eâ proportione, iuxta dignitatem utriusque amicorum, & secundum mensuram illam, in quâ decet alterum ab altero amari, permanebit utriusque Amicitia.

5 VBI Observandum ex Gualtero Burleo, etiam in Amicitia hæc inæqualium servari debere æqualitatem quandam. Non enim æqualitas consistit in indivisibili, neque solum accipitur pro illa, quæ solius proportionis est, & geometrica frequenter dicitur. In Amicitijs æqualium, de quibus hæcenus disceptatû fuit, servari debet prior æqualitas: in hæc verò, quâ ob oculos habemus, inæqualium propriâ, exigitur & sufficit ut servetur posterior. Nisi enim alter alterum diligat iuxta illam proportionem, quâ par est superiorem ab inferiore diligere, & inferiorem à superiore, non erit Amicitia excellentiæ, seu inæqualitatis: quia hæc Amicitia solum excludit æqualitatem arithmeticam, non autem geometricam, five proportionalem, consistentem in eo quod alter ab altero diligatur iuxta meritum dignitatemque, & ratione habita excelsius superioris ad inferiorem. Quod illustrari potest ex dictis *lib. 5. cap. 5.* ubi statutum fuit, Iustitiam servare æqualitatem in contrapasso, seu repensione: verum eam non semper esse arithmeticam, sed quandoque geometricam, & ratione habita offendentis atque offensi. Si enim vir nobilis alapam inflixerit plebeio, nõ est reperiendus ab eo, sed minori supplicio

afficiendus, iuxta dignitatem personæ. Si autem è contra plebeius nobili & primario vico alapam inflixerit, æqualitas ipsa Iustitiæ exigit, ut longè maiori supplicio, quam alapa, in eum animadvertatur: habita, nimirum, ratione excessus primarij viri ad homuncionem plebeium, & abiectæ sortis. Sed de hoc amplius infra.

6 SI Autem quærat aliquis, an hæc Amicitia impares ratione excellentiæ alterius amicorum, sint omnino alterius rationis ab ijs tribus Amicitia generibus, quæ ducuntur honestate, iucunditate, aut utilitate, & præcedentibus explicatæ sunt: Respondet Eustratius, allegato Theophrasto, nullas hæc novas Amicitia species constitui, distinctivè essentialiter ab ijs tribus: sed solum assignari quandam conditionem, quæ adiungi interdum potest & solet singulis illarum: Cõtingit enim ut in Amicitia, quæ perfecta dicitur, quoniam ex fine honestatis contrahitur, alter amicorum sit Virtute excellentior, superiorque alteri: similiter & in alijs duabus minus proprijs, alter iucundior, aut utilior. Quo casu tanè Amicitia excellentiæ est, ratione excessus in altero amicorum, diciturque proinde ab Arist. hoc loco *ἐπιπέδου καὶ ὑπερβολῶν*, *amicitia secundum excellentiam*. Hæc ille, à quo non dissentit Gallutius. Sed verius & conformius Aristoteli existimo, Amicitiam, de qua loquitur in hoc capite, omnino ab ijs differre, quamvis illæ ipsæ quandoque versentur inter eos, qui inæquales sunt honestate, iucunditate, utilitateve. Quod enim alter magis aut minus honestus, iucundus, aut utilis sit, non sufficit ad variandum speciem Amicitia mutua vnius ad alterum; quamvis sufficiat ad minuendam, seu impediendam æqualitatem exactam ab Amicitiam omnibus modis perfectam. Quare Amicitia eo modo inæqualium, eiusdem speciei est in utroque. Atquæ Amicitia inæqualium, de qua in hoc capite disserit Arist. est alterius generis ab ijs tribus, & diversa omnino speciei in utroque: ut faretur Gallutius, & ipse Arist. docet in initio capituli, dum ait, hoc genus Amicitia esse alterum ab illo triplici; & insuper Amicitiam superioris ad inferiorem differre ab eâ, quæ inferioris ad superiorem est. Vbi verba illa, *διαφέρεσι δ' αὐταὶ καὶ ἀλλήλων*, iuxta phrasim Arist. indicant diversitatem speciei essentialis. Ergo Amicitia excellentiæ omnino differt genere à tribus illis præcedentibus, & in unoquoque amicorum est diversa speciei essentialiter.

7 CIRCA Tertiam partem statuit proportionem, pariter & dissimilitudinem inter Amicitiam hæc excellentiæ & Iustitiam. Etenim licet ambæ attendant æqualitatem, & illam servent, aliter tamen & aliter. Iustitia enim distribuens, quæ præcipuum obtinet locum inter species Iustitiæ, non servat in distribu-

buendo æqualitatem omnimodam, siue arithmetica: sed solum geometricam, & solius rationis, ut lib. 5. dictum est. Iustitia autem commutans, quæ secundum locum habet inter species Iustitiæ, attendit æqualitatem omnimodam, siue arithmetica. Itaque æqualitas primùm inspecta à Iustitiâ, solius proportionis est: quæ autem secundariò attenditur, est æqualitas perfecta. Ceterum in Amicitia opposito modo res se habet: quoniam absoluta & omnimoda æqualitas primò inspicitur, & secundum illa tria Amicitia genera, superioribus explicata. Æqualitas autem solius proportionis secundo loco inspicitur, & solum attenditur in hoc posteriori genere Amicitia, quæ dicitur secundum excellentiam. Est enim hæc æqualitas secundum proportionem, seu rationem.

8 VNDE Colligitur, quemadmodum inter Iustitiæ species principem obtinet locum distribuens, sic etiam inter species Amicitia principem habere locum eam, quæ est inter omnino æquales. Quò enim minor est in amicos distantia aut dissimilitudo, eò maior est æqualitas nexuque animorum, ac proinde strictior & proprior Amicitia: quò autem maior distantia, eò minor Amicitia. Immo, & quandoque tantam distantiam esse posse, ut nullus Amicitia locus sit, probat Arist. triplici exemplo. Primum est Deorum, seu Mentium humanæ concretionis expertium, quibuscum propria & naturalis Amicitia nulli mortalium esse potest. Secundum est Regum, inter quos, & privatos homines, subditosque, non est propriæ Amicitia. Neque enim quisquam eorum adeò impudens erit, ut se dicat amicum Regis. Vnde illud tritum Poetæ: *Nò bene conveniunt, nec in una sede morantur, Maestas & amor.* Tertium petit ab optimis ac sapientissimis viris, qui propriæ Amicitiam inire nequeunt cum improbis & indoctis, ratione ingentis distantia. Ergo quanto hæc maior fuerit, eò minus Amicitia erit.

9 Si Autem queratur, intra quem gradum distantia possit aut non possit servari Amicitia excellentia; Respondet Arist. in hoc certam aliquam mensuram assignari non posse. Neque enim qualibet mutatione facta tolletur duorum Amicitia, ut si alter alteri aliquanto magis inferior aut superior reddatur, quam antea esset. Si autem alter duorum plurimum evehatur, ut ad sceptrum, alterve admodum deprimatur, dissolvetur Amicitia utriusque. Non enim permanebit convictus, familiaritas, & frequentia, sine quibus iam alibi dictum est Amicitiam non servari. Vbi iterum Arist. monet, non servandam Amicitiam, si alter amicorum nimium extollatur, & alter proinde distet ab ipso, tanquam a Deo. Quod non præiudicat decretis Theologorum statu-

tium Amicitiam hominis ad Deum ex vi donorum supernaturalium: quoniam hoc loci solum agitur de Amicitia intra metas ordinis naturæ, quam solum agnovit Arist.

10 CIRCA Quartam partem proponit questionem, utrum amici velint amicis maxima bona, veluti Deos esse. Et ratio dubitandi ne ea bona velint, detumitur ex prædictis. Quàdo alter enim amicorù nimium evehatur supra conditionem alterius, ut si fiat Deus, tollitur Amicitia. Ergo si amicus velit amico maxima bonum, nimirum, ut sit Deus, vult planè aliquid, quo tollatur utriusque Amicitia. Atqui alienum est ab officijs amici velle aliquid, quo Amicitia tollatur. Ergo & alienum est ab amico, ut amico velit maxima bona. Deinde. Nemo est ita amicus alterius, ut velit carere proprio bono. At si vellet amico maxima bona, vellet carere proprio bono: nimirum, vellet carere amico, qui bonum aliquod sui amici est. Ergo nemo est ita amicus alterius, ut velit ipsi maxima bona.

11 RESPONDET Arist. questionem dupliciter. PRIMO, expectanda quidem esse amico maxima & summa bona; sed tamen illa, quæ consentanea sunt *αὐτοῦ ἄξιότητι, homini, & quandiu est*, siue quatenus homo existit. Non est autem homini consentaneum, quatenus homo existit, ut in Deum evehatur. Ergo amicus non debet amico velle ut in Deum evehatur. Sed adhuc restat difficultas, quoniam alia bona sunt, infra divinitatem, ita excellentia, ut ijs positus in altero amicorum, tollatur Amicitia: qualiter supra dictum est de Regiæ dignitate, aut insigni Virtute & sapientiâ in vno præ alio. Ergo si amicus ea insignia bona, infra divinitatem, velit amico, operabitur tanè aliquid, quo tollatur Amicitia. Responderi tamen potest ex eodem Arist. si verba eius attentius considerentur, nullam dignitatem hominis in propriâ naturâ manentis tantam esse posse, ut in infinitum excedat conditionem alterius amici, sed finitè tantum: ideoque semper mansuram aliqualem Amicitiam, & longè minus propriam, quam antea; nec afferentem idem genus frequentia, & convictus, ac antea erat; sed longè inferius. Quia tamen supra docuerat Regiam dignitatem excludere Amicitiam cum subdito, dicendum est, id intelligi debere quòdo quis, an equam regnaret, non præsupponebatur Amicitiam cum altero contraxisse. Si autem simul illam inierat, & postea amici suffragio aut desiderio fiat Rex, tenetur aliqualem Amicitiam saltem retinere cum eo, cuius desiderio aut suffragio eam dignitatem obtinuit. Quo demum evincitur, amicum desiderantem amico regnum, & quolibet summa bona infra divinitatem, non ideo velle aliquid, quo Amicitia omnino tollatur.

12 SECUNDO Respondet poste-

rio.

rioni rationi debitandi, volentem amico maxima bona, non ideo velle carere proprio bono: quoniam amicus in quacumque fortunâ sit, etiam felicissimâ, bonum amici sui est. Quare qui vult maxima bona amico, sibi etiam eadem bona vult: cum perinde sit ea obtineri ab amico, qui bonum ipsius est, ac à seipso. Quod dictum intelligo, etiam de Amicitia perfectâ, quidquid in oppositum velint Linconiensis, & Gallurii, interpretantes Arist. de imperfecto

Amicitia genere. Nam etiam in eâ, quæ perfecta est, & gratiâ honestatis iuitur, verum existit, amicum esse bonum sui amicitia: propterea amici desiderantem amico maxima bona, non propterea desiderare absentiam boni proprii; cum & illud amici bonum excellens sit bonum amantis & amici, quantumvis mente desideriove abstrahat à iucunditate & utilitate privatâ.

CAPVT OCTAVVM.

Quòd Amicitia magis consistat in amari, quàm amare.



PLERIQUE Autem ob ambitionem, magis amari, quam amare, velle videntur. Quapropter plerique amant ipsos adulatorem. Adulator enim inferior est amicus, aut fingit se talem, & magis amare, quàm amari. Amari autem propinquum huic esse constat affici, inquam, honore. quod quidem plerique affectant. Non per se autem, sed per accidens videntur honorem appetere. Nam plerique gaudent, cum honorantur ab ijs, qui sunt in potestatibus, propter spem: putant enim se, si quo indigeant, id ab illis impetraturos. Gaudent igitur ipso honore, ut signo beneficii suscipiendi. Qui autem appetunt à bonis viris, atque scientibus honorari, confirmare opinionem eam, quam ipsi habent de se, affectant. Gaudent igitur, quia sunt boni, credentes eorum iudicio, qui id dicunt. Amari autem per se gaudent. Quapropter præstabilius ipsum esse, quàm honorari videbitur, & amicitia expetenda per se ipsam esse. Videtur autem magis in exhibendo amorem, quàm in suscipiendo consistere. Argumento sunt matres, amando gaudentes. Nonnullæ nanque suos tollendos filios dant: & amant quidem scientes: ut amentur autem ab illis non quarunt, si utrumque fieri nequeat: sed satis est ipsis, si in prosperitate vident illos esse constitutos. Amantque illos, & si illi non possunt ob ignorantiam ea, quæ sunt exhibenda, retribuere matri. Cum igitur amicitia magis in amando consistat, & laudentur qui amant amicos, virtus amicorum videtur esse amare. Quare in quibus hoc fit pro dignitate, ij stabiles sunt amici, & amicitia talium est stabilita. Hoc autem modo & qui sunt inæquales, maximè fuerint amici: æquales enim fieri pos-

possunt. *Æ*qualitas autem, & similitudo, est amicitia. Et maximè quidem eorum similitudo, qui similes sunt virtute. nam cum stabiles per se ipsos sint, & tales inter sunt: & neque indigent pravis, neque talia subministrant, quin potius prohibent. Est enim bonorum hominum neque ipsos delinquere, neque amicos permitttere prava subministrare. Pravi autem stabilitatem quidem non habent, quippe cum neque se ipsis similes perseverent: brevi verò tempore fiunt amici, sua gaudentes mutuò pravitate. Utiles autem, & iucundi permanent magis: permanent enim quousque voluptates, aut commoda sibi mutuò præstant. Ex contrarijs autem maximè videtur ea fieri amicitia, quæ ob utilitatem afficitur. Nam fit amicus pauper diviti, ac indoctus scienti. Cuius enim quis indiget, id affectans aliud affert pro ipso. Huc trahere quispiam & amatorem, ac adamatum, & pulchrum, ac turpem potest. Quapropter & amatores ridiculi videntur. interdum, dignum esse censentes perinde amari, ut amant. At si similiter quidem amabiles sint, amandi sunt fortasse ut censent: si verò nihil amabilis habeant, ridiculum est profectò, sese ut amant, amari oportere censere. Fortasse autem neque contrarium per se contrarium appetit, sed per accidens. Appetitio verò ipsius est medijs: hoc enim est bonum. Veluti sicco, non ut humidum fiat, sed ut accedat ad medium, & calido, & cæteris simili modo. Sed hæc quidem missa faciamus: non enim ad hunc locum accommodantur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

*Vtrum præstantius, amari, an honorari? quæ etiam comparatio inter amare, & amari.
Quibus potissimum adiumentis stabiliantur amicitia. Etiam inter
contraria Amicitiam quoddammodo habere
locum.*



X Doctrinâ toties inculcatâ ab initio huius libri cõstat, Amicitiam non esse absque mutuo duorum amore, quo unusquisque illorum amat alterum, & redamatur ab eo. Nunc verò Arist. nonnullas instituit quæstiones circa hos actus amandi & redamandi, ac præcipue quidnam sit magis proprium Amicitia, amari, an potius amare. Dividit autem caput in quatuor partes. In primâ qua rit, quid sit præstantius, amari, aut honorari. In secundâ quænam comparatio sit inter amare, & amari. In tertiâ, quid sit quod facit stabile amicitias, seu illas conservat. In quartâ docet, etiam inter contraria genus aliquod esse Amicitia.

2 CIRCA Primam partem observat

initio, plerisque mortalium, propter cupiditatem honoris magis velle amari, quam amare; ideoque amantes esse adulatorum; quoniam adultores sunt inferiores amici, aut fingentes se amicos, & qui magis amant, quam amantur. Nimirum, ex eo quod ab adulatoribus amantur, laudenturque, existimant consultum iri suo ipsorum honori, quem ardenter amant: idemque purant esse laudari ab ijs, ac honore affici, & diligi: quoniam cum adultores, dum laudant, se fingant inferiores amicos, tribuunt ijs superioritatem quandam Amicitia secundum excellentiam, proindeque & honorem, qui eidem excellentia defertur. Vnde & apparet, amari ac honorari, admodum propinqua & affinia esse. Reverâ tamen non sunt unum & idem, sed duo diversa. Licet enim

nihil merito amatur, quod honore aliquo dignum non sit, eademque proinde deberet esse amoris & honoris causa; adhuc tamen plerumque accidit, ut laudentur & amentur ea, quae non sunt honore digna: idque passim fit in ijs, quae voluptatis utilitativae gratia amantur. Quod vitium aliquot retro saeculis reprehensum lego inter carmina Serenissimi CAROLI Vianae Principis: ubi & addit:

*Ama è honra, la verdat
Non desorando:
Mas à ella conformando
Tu amiflat.*

Insuper amari, & honorari non esse vnum atque idem patet, quoniam invicem separantur. Filius enim amatur à patre, & servus à domino; & tamen non honoratur filius à patre, nec à domino servus. Contra autem plurimi in potestate aut principatu honorantur, veluti Tyranni; & tamen non amantur. Ergo amari & honorari non sunt vnum quid, sed duo diversa.

3 SUPPOSITA Vero amborum distinctione, quaerit Arist. quidnam sit praestabilius, honorarive, an amari. Vbi videtur primas deferre posteriori: Quia praestantius est illud, quod optabile est per se, quam quod solum est optabile per accidens. At amari est quid optabile per se, honorari autem solum est optabile per accidens. Amari enim ab alijs, non expeditur ob quidquam aliud, sed propter se, tanquam bonum nostrum & felicitas quadam. Honorari autem solum est expetibile per accidens: nimirum, quoniam honorati à potentibus, probis, & intelligentibus viris, speramus nos ab ijs praemium aliquod seu bonum consecuturos; insuper & confirmamus opinionem, quam de nostro merito aut probitate habemus, dum eam cernimus gravium virorum iudicio confirmatam. Ergo praestantius est amari, quam honorari.

4 CIRCA Secundam partem instituit comparationem inter amare & amari, inquirisque utrum eorum sit praestantius in Amicitia, & magis proprium illius. Respondet autem duplici assertionione. PRIMA est, Amicitiam potius esse sitam in eo ut quis amet, quam in eo ut ametur. SECUNDA, magis accommodatum idoneumve esse amare, quam amari, ad conservandam Amicitiam. Priorem assertionem probat exemplo ducto à matribus, quae filios suos ardentissime amant, etiam cum nutritibus lactandos committunt; & tamen ab ijs non redamantur, ratione ignorantiae, seu impotentiae exercendi voluntatem. Nec matres id curant, ut redamantur; sed satis sibi esse putant, si filij bene habeant, quamvis non redamant. Ergo amicitia potius sita est in eo ut

quis amet alterum, quam in eo ut ametur vicissim. Quod sic amplius expendi poterit. Amicitia praecipue videtur esse sita in eo actu, quo amantes delectantur magis. At amantes delectantur magis in amando, quam in eo ut ametur, quod probat exemplum matrum erga teneros filios. Amicitia igitur potius videtur posita in eo actu quo quis amat, quam in eo quo redamatur. Altera quoque ratione id ipsum evincit. Omnis enim Virtus laudatur potissimum ab actu meliori & praestantiori. Atqui laudatur potissimum amicus secundum Virtutem Amicitiae ex actu quo amat; non vero ex actu quo redamatur. Ergo actus quo amicus amat, est melior & praestantior, quam actus redamationis, quo vicissim amatur. Unde laus iusta tribui solet amico, quoniam diligit secundum rectam rationem, seu amat id quod vere amabile est in amico: non autem quia amatur, seu diligitur: quamvis & ex hoc ipso colligatur, ipsum esse probum aut laude dignum, si iure meritoque ab altero amico diligatur.

5 CIRCA Tertiam partem praescribit modum servandum in actu, seu exercitio amandi, ut idoneum sit stabilis seu conservandae Amicitiae. Modum vero situm esse ait in eo quod unusquisque amicorum diligatur pro dignitate, sive secundum dignitatis proportionem. Sic enim constans & diuturna erit Amicitia utriusque, tam illa quae aequalium propria est, seu inter pares versatur, quam quae inter inaequales habetur, & Amicitia excellentiae dicitur. Prior enim illa non habet unde facile dissolvatur, si quemadmodum inter aequales est, ita alter pari pari referat, seu aequali amore correspondeat, quoniam aequalis in vno, atque in altero, amandi ratio est. Posterior quoque servabitur, si quantum alter excedit alterum dignitate, tantumdem magis ab eo ametur. Sic enim excelsus alterius in dignitate compensatur, seu adequatur excelsu alterius in amore. Vbi autem aequalitas servatur, Amicitia permanere potest. Ergo servata amoris adaequatione proportionis, tam prior, quam posterior Amicitia, permanere potest.

6 EX Hac doctrina ansam desumit, ut identidem doceat quod saepe alias tradidit, Amicitiam perfectam, sive proborum, quae honestate ducitur, constantissimam esse: Quia omnis Amicitia, in qua servatur perfecta similitudo & aequalitas, constantissima & valde diuturna est. Atqui Amicitia perfecta, sive proborum, quae honestate ducitur, est huiusmodi. Ambo enim simillimi sunt in probitate; ambo parem sibi invicem amorem rependant: neuter ab altero exigit quidquam ab honestate alienum, cum uterque in honestate collineet; & quemadmodum neuter vult aliquid pravum committere, sic neque vult ut ab altero fiat.

Er-

Ergo Amicitia perfecta, siue proborum, constantissima & valde diuturna est. E contra vero accidit in Amicitia improborum, siue ducatur voluptate, siue utilitate. Non enim nititur principio aliquo constanti & stabili, qualis est Virtus: sed inordinata affectione, que varia & mutabilis est; cum voluntas non habeat in ea ubi conqueſcat, aut temper sibi similis existat. Ideoque improbi non solent permanere in vno aliquo vicio, sed quotidie in alia & alia divertunt. Vnde fit, vt amilla similitudine illa, & aequalitate in vno vicio, ratione cuius amicitiam degenerem & spuriam inierunt, cito amicitiam ipsam dissoluant, & quandoque in mutuum odium convertant. Monet tamen Arist. hoc non esse intelligendum de ijs, qui contrahunt amicitiam ob voluptatem, aut utilitatem, ab omni improbitate alienam. In ijs enim tenacior & diuturnior Amicitia est, quam in improbis, de quibus modo loquebamur. Quamvis enim causa illa, que in ijs conservat mutuum voluptatem utilitatemve licitam, non sit aequè tenax & diuturna ac Virtus, que stabilit Amicitiam perfectam, est tamen durabilior seu permanentior improba voluptate & utilitate spurpi, quibus nihil inconstantius, & mutabilius. Insatiabilis enim est omnis improbitas, cum in ea non inveniat villo modo rationalis natura ubi conqueſcat.

7 CIRCA Quartam partem docet, saepe accidere vt amicitia voluptuosa & utilis inveniatur inter eos, qui contrario genio aut conditione præditi sunt, longeque dissimiles & inæquales. Cuius rei exempla afferit in paupere & divite, docto & indocto, pulchro & deformi: inter quos saepe aliqua earum amicitiarum cernitur, quamvis dissimiles aut contrarij sint. Pauper enim amat divitem, & indoctus doctum, propter utilitatem pecunie aut doctrinæ, quam ab ijs recipiunt: defor-

mis autem pulchram ob voluptatem. Vbi autem redamantur a divite, docto, & pulchra, quamvis, non aequaliter, sed leviter; aliqualis utrorumque Amicitia est, saltem iuxta vulgarem loquendi vltum: atque adeo illa etiam inter contrarios vel dissimiles esse potest. Redamantur, inquam, leviter, & longè minus quam ament, pauper a divite, indoctus a docto, & deformis a pulchra: quia, vt inquit Arist. si vellent ij aequaliter amari, essent *εραστοί τειλοί, amatores iudiculi*. Quid enim magis risu dignum, quam quod pauper ita amet divitem, indoctus doctum, & deformis pulchram, vt velit aequaliter sibi ab ijs amorem rependi; cum ipsi longè minus amabiles sint, titulo voluptatis, aut utilitatis? Longè autem alia ratio esset, si aequaliter amabiles existerent. Tunc enim vnus conqueri posset, si ab altero equaliter non amaretur.

8 VERVM Obijcit sibi, difficile videri vt quis Amicitiam habeat cum contrario sibi, etiam imperfectam, & impropiam: quoniam ita amaret sibi malum, seu interitum. Omne enim contrarium est malum contrario suo, & tendit ad ipsius interitum. Respondet vero, non requiri id absurdum: quoniam ubi contrarium aliquod int̄ imperfectam amicitiam cum suo contrario, non expetit illud quatenus contrarium est; sed quatenus iucundum aut utile, & quantum opus est ad servandum cum eo statum medium, sibi convenientem, ad quem pervenire nequit, nisi intervenit & accessione contrarij. Quod exponit exemplo humani corporis plus iusto sicci, & proinde appetentis humidum sicco contrario; non quidem in summo gradu, quia hac ratione corrumpere, sed in gradu temperato & iusto, quo se in mediocritatem reducat. Verum hæc solum indignat, quoniam peregrina iudicat a disciplina Morali.

CAPVT NONVM.

De civili Amicitia.



VIDETVR Autem amicitia, & iustum (vt in principio diximus) circa eadem, & in eisdem esse. In omni nanque societate iustum aliquid, & amicitia esse videtur. Itaque & amicos appellant, simul navigantes, & commilitones, & ceteros similiter socios. Atque quatenus communicant, catenus est amicitia, & iustum enim eodem

dem modo. Et proverbium rectè ea, quæ sunt amicorum, cōmunia dicit esse. Amicitia namque in communicatione, societateque consistit. Atque fratibus quidem, sodalibusve cuncta communia sunt. Cæteris autem definita, & alijs quidem plura, alijs verò pauciora. Et amicitiarum enim, aliæ magis, aliæ minus amicitiae sunt. Differunt autem & iusta non enim eadem sunt parentibus ad filios, & fratribus inter se, neque sodalibus, atque civibus, & in cæteris similiter amicitijs. Diversa igitur sunt & iusta ad horum singulos. Et incrementa suscipiunt, quòd sunt ad magis amicos. Est enim gravius sodali, quam civi, pecuniam auferre: & fratri, quàm extraneo, opem non ferre: & patrem, quàm quemvis alium, pulsare. Crescit autem & iustum cum amicitia simul, quippe cùm sint in eisdem, & æquè sese extendant. At verò societates omnes, similes sunt partibus societatis civilis. Nam ob utilitatem aliquam conveniunt homines, & aliquid eorum consequuntur, quæ ad vitam conferunt. Civilis quoque societas, gratia utilitatis ab initio constitui, permanereque videtur. hoc enim & latores legum coniectant, & iustum id inquirunt esse, quod publicè pròdest. Cæteræ igitur societates per partes utilitatem appetunt: nautæ quidem eam, quæ ex navigatione provenit, acquisitionem, inquam, pecuniarum, aut aliquid tale: milites autem eam, quæ fit ex bello, sive pecuniam, sive victoriam, sive civitatem affectent. Eodem modo contribulesque & populares. Nonnullæ autem societates gratia voluptatis constant. ut eorum, qui choros simul exercent, aliaque similia: & eorum qui pecunias conferunt ad convivia sibi paranda: hæc namque sacrificij, convictusque causa fiunt. Omnes autem hæc sub civili societate collocantur. Non enim præsens commodum civilis affectat, sed ad omnem vitam. Atque sacrificia, & cœtus circa hæc faciunt, honorem dijs tribuentes, & sibi ipsis quietem præstantes cum voluptate. Vetusta namque sacrificia, conventusque, post frugum perceptionem (ut primitiæ) celebrabantur: hoc enim in tempore maxime otio indulgebant. Societates igitur vniversas, partes esse civilis, manifestum est. Tales autem amicitiae, tales societates sequuntur.



SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Amicitia aut omnem in societate sitam esse: ideoque pariter extendi, ac Iustitiam. Huius varietatem ex diverso modo communicationis petendam. Omnem quoque societatem, seu communionem, revocari ad communicationem civilem.

AD CLARISSIMUM ET LITTERATISSIMUM,
D. D. IOSEPHVM FERNANDEZ DE RETES,
CÆSAREI IVRIS IN SALMANTICENSI ACADEMIA PRIMARIUM
ANTECESSOREM EMERITVM, COMMVNEM MAGISTRVM
NOBILITATIS HISPANÆ, SCRIPTOREM INSIGNEM,
REGIVMQVE CONSILIARIVM IN SVPREMO
IVSTITIÆ SENATV.



RIST. Hoc loco addit quandam aliam Amicitia divisionem, à tribus communicationum, seu communitatum speciebus desumptam: nimirum, sodalium, cognatorum, & civium; quæ universè nomine societatum intelliguntur. Scopus itaque præcipuus capitis est ostendere, Amicitiam omnem sitam esse in communitate, aut societate: omnes autem communitates revocari ad præcipuam & primariam illarum, quæ proprie politica, seu civilis dicitur. Porro caput totum dividitur in tres partes. In primâ docet, iustum atque Amicitiam, simul esse, & æquè patere, in omni societate, & communicatione. In secundâ venatur varietatem Iustitiæ, sive iusti, ex variâ communicatione. In tertiâ decernit, omnem communicationem & societatem revocari ad communicationem politicam.

2 CIRCA Primam partem, statuit, omnem Amicitiam, perinde ac Iustitiam, in communicatione sitam esse. Quod tripliciter probat. PRIMO ferè sic. Iustitia & Amicitia in eadem materiâ versantur: quoniam ambæ inspiciunt æqualitatem. At omnis Iustitia consistit in aliquâ humanâ communicatione. Est enim ad alterum, & bonum alterius intuetur curatque. quod sine communicatione cum altero esse non potest. Ergo & omnis Amicitia consistit in aliquâ humanâ communicatione. SECUNDO id probat ex vulgato loquendi usu. Frequenter enim se amicos solent appellare, quicumque simul aliquod genus vitæ ineunt, seu communicationem habent in eodem instituto, professioneve: ut qui simul navigant, vel in castris, aut acie versantur. Ergo quia sentiunt, Amicitiam in communicatione sitam esse. TERTIO id ipsum colligit ex illâ veteri paræmiâ: κοινὰ τὰ φίλων, communia, quæ sunt amicorum: sive, ut apud Latinos plerumque profertur: Communia amicorum omnia. Quod proverbium ὀρθῶς, id est, recte prolatum censet: quoniam id institutum Amicitia

est, ut bona amicorum communia faciat, illorumque vtro & citro communicationem inferat. Quod longè antea iudicio suo probaverat Socrates, exinde colligens, bonorum virorum esse omnia. Nam sic ferè syllogizabat: Bonus vir est deorum amicus. Deorum autem sunt omnia. Cùm igitur communia sint bona amicorum, sequitur ut boni viri sint bona omnia. Neque bona tantum, sed & mala communia æquè dicuntur amicis: quoniam eadem vtrorumque ratio est ob intimam amicorum unionem, seu potius αὐτότητα, identitatem. Eoque sensu interpretantur id adagium Euripides in *Orestæ*, atque in *Phœnissis*, Terentius in *Adelphis*, Cicero, & plerique alij. Verè igitur omnis Amicitia in communicatione posita est, sive bonorum, sive etiam malorum.

3 STATVIT Secundò, omnem Amicitia æqualitatem dividi, seu distingui in partes totidem, ac sunt communicationes. Semel enim probato, & nunc supposito, Iustitiam & Amicitiam esse valde sibi affines, & in eadem materiâ æqualitatis versari, rectè infertur, Amicitia æqualitatem distingui in tot partes, quot fuerint communicationes: nam & æqualitas proportionis, quam attendit Iustitia, non est vna & eadem, sed varia pro varietate materiæ, sive meritorum. Ergo & æqualitas, quam spectat Amicitia, non erit vna eademque, sed multiplex pro diversitate communicationum, seu communitatum. Porro statim duo genera communitatis assignat. Vel enim omnia sunt amicis invicem communia: vel solum certa quædam & separata. Communitas prioris generis invenitur inter fratres, sodales & coniuges: quoniam eo nexu vincuntur, & adeo stricto, ut omnia ijs vtro citroque communia videantur. Posterioris verò generis communitas est non vna eademque, sed varia & inæqualis pro ratione discriminis eorum, inter quos est. ideoque facit, ut quibusdam plura sint communia, quibusdam pauciora. Plura enim civibus communia sunt, quam provincialibus: plura tri-

bu.

bulibus, quam civibus: plura denique propinquius, quam tribulibus. Quemadmodum enim superioribus statutum fuit, plures esse Amicitiarum gradus, & aliam alia perfectionem, ac strictiorem; ita inter amicos plures sunt communioniones honorum, & alia maiores, seu ampliores alijs.

4. CVI Doctrina illustrande opportunus admodum est locus Ciceronis lib. 1. Offic. à Giphano primum observatus. & postea à Galvano excerptus. Sic loquitur Cicero: *Gradus plures sunt societatis hominum. Ut enim ab illa discendatur infinitate, propior est eiusdem gentis, nationis, linguae, qua maxime homines coniunguntur. Interius etiam est, eiusdem esse civitatis. Multa enim sunt civibus inter se communia: forum, fana, porticus, viae, leges, aequa iudicia, suffragia, consuetudines praeterea & familiaritates, multaeque cum multis res, rationisque contractae. Arcerior vero est colligatio societatis propinquorum. Ab illa enim immensa societate humani generis in exiguum angustumque concluditur. Nam cum sit hoc natura commune omnium animalium, ut habeant libidinem procreandi, prima societas in ipso est coniugio, proxima in liberis: deinde una domus, cui sunt omnia communia. Id autem est principium urbis, & quasi seminarium Reipublicae. Sequuntur post coniunctiones consobrinarum, &c. Vide infra cap. 12. reliqua eiusdem verba.*

5. CIRCA Secundam partem digreditur ad explicandum iustum, sive ius, ut exinde vberius constet, Amicitiae communioniones varias merito ijs comparari, quae à Iustitia spectantur. Quare sicuti nuper communioniones Amicitiae distinxit, ita nunc exponere aggreditur communioniones repertas in ijs, quae iusta dicuntur. Iusta enim differunt variâ communicatione, sicut amicitiae. Quippe non sunt eadem iura, sive iusta parentum erga filios, ac fratrum inter se, aut sodalium & civium, aut aliorum similium erga similes. Singuli enim eorum habent proprium iustum & aequum, quod alijs commune non sit. Diverso, scilicet, iure praeditus est pater erga filiam, quam filius erga patrem; & maritus erga uxorem, quam uxor erga virum. Id quod etiam à contrario, sive ab iniurijs probat Arist. quoniam diversa iniusta sunt advertum horum singulos, & eò graviora, quo advertus coniunctiores sunt. Gravius enim est pecunijs spoliare sodalem, quam civem; & auxilium non ferre fratri, quam alieno; & percutere patrem, quam quemcumque alium. Quod ipsum habet Cicero Orat. pro Quintio, & docent Iuriconsulti l. 1. ff. de ijs qui notantur infamia. Ergo diversi gradus necessitudinis, seu coniunctionis sunt, qui magis aut minus impellunt ad obeunda munera Iustitiae, sicut & Amicitiae: & iustum ipsum au-

geri solet in Iustitiâ, simul cum coniunctione Amicitiae, cum ambae in eisdem vertentur, & peraeque extendantur.

6. CIRCA Tertiam partem docet omnes communicationes hucusque explicatas, esse partim similes, partim dissimiles communicationi politicae, seu civili, & sub ea contineri. Similes esse probat: quoniam omnes earum communicationes sunt institutae propter aliquid eorum quae necessaria sunt aut proficua civili vitae decenter transigenda: neque alio fine homines ab initio creverunt civitates, populosque, & diversos caeteros, in quibus communionem haberent. Eodemque respectu legum conditores, quibus nihil antiquius fuit in sanctionibus suis, quam utilitatem Reipublicae farram rectam servare: ideoque ius ipsum definitur quod est Reipublicae seu communitati civile: ut idem Philotophus docet lib. 3. Polit. & ante ipsum tradiderat Plato lib. 1. de Republ. Omnes igitur communicationes privatae, quamvis variae & dissidentes inter se, in eo conveniunt, quod sint similes communicationi politicae seu civili, in quaerendâ utilitate aliqua vitae humanae.

7. VERVM Addit, esse etiam dissimiles: Quia communicatio politica non attendit peculiarem huius aut illius personae utilitatem, sed communem, sive publicam; neque huius aut illius temporis, sed totius humanae vitae. Praedictae autem societates & communicationes directe quaerunt solam utilitatem privatam. Quod exponit exemplo utilitatis illius, quam quaerunt *πλωτῆρες*, id est, *nauta*, & mercatores ad faciendum simul quaestum, & commilitones in praelio, sive ut pecuniam accipiant, sive ut victoriam simul atlequantur, sive ut civitate donentur. quod ultimum significare videtur Arist. verbis illis, *ἢ πόλεως ἀρετῆς μενοί, sive civitatem appetentes*. Ita enim exponit ea verba Petrus Victorius: quoniam arbitratur, etiam inter Graecos fuisse positum in more, ut fortiter demicantes civitate donarentur, id est, privilegijs & exemptionibus proprijs civium: qualiter & apud Carthaginienses fiebat, teste Ennio: apud quem legitur vox illa Annibalis, ita suos ad praeliandum hortantis:

Hostem qui feriet, mihi erit Carthaginiensis.

Denique inter eos, qui invicem colligantur aliquâ vitae communionione, recensentur ab Arist. *φυλάται*, id est, tribules, seu eiusdem tribus; & *δημόται*, nimirum eiusdem plebis homines: quorum utriusque societatem invicem instituunt circa aliquid utile.

8. OBICIT Sibi, non videri verum quod hucusque traditum fuit circa utilitatem in omni societate, seu communicatione quaesitam: Quia aliqua societas, sive commu-

nicatio est, quæ nihil quærat utilitatis, sed solius voluptatis: quales videntur fuisse duæ illæ, altera Thiasotarum, altera Eranitarum. Priores Orgia celebrabant, & ludebant simul ad venerandum Bachum & Liberum patrem. Thiasos enim a Græcis dicebatur Saetyorum grex, & vitorum ac fœminarum conventus, in quo sacra fiebant Libero patri, quæ cantu, quæ tripudio, quæ comotatione: ut accinit Catullus in *Berecynthia*, atque in *Aty*, indicatque Virgilius *Ecloga* 5. Giphanius scribit *Thiasos*, per *υ*, seu *ypsilon*, nescio quo fundamento ductus. Cæteri per *iota* scribunt, & ipse Arist. sicut & Suidas dum ait: *θιασος ἴεπος χορός, Thiasus sacer chorus*. Athenæus quoque, & ipse opportunè admodum ad textum illustrandum: *καλεῖται δὲ θιασος, &c. Dicitur autem Thiasus multitudo ea, quæ Bachium sequitur, ut ait Euripides*. Sic ille *lib. 8*. Et Servius in dictum Virgilij locum: *Sunt Thiasii cœtus virginum, atque puerorum bachantium, pangentibus Nymphis*. Fortè Giphanius eam vocem duxit à verbo *θιασος*, quod significat celebrare Orgia. Verùm cæteri deducunt *παρὰ τὸ θίασος*, à *divinarum rerum cantu*. Posteriores ab Arist. memorati, nimirum, Eranitæ erant, qui faciebant cœnam & convivium collativum ex symbolis & collectis multorum sodalium: *επασησος* enim eiusmodi cœnam significat, institutam sacrificij & convivij gratia, & celebratam ab agricolis: qui post collectas & cœditas fruges convenire solebant, & de frugibus suis sacra faciebant dijs, ac postea epulabantur.

Cuius moris etiam meminertunt Virgilius 2. *Georg.* Lucretius *lib. 5*. Tibullus *lib. 1. Eleg. 1.* & fatus Horatius *l. 1. Epist. 1.*

10 VNDE Obiectioni facillè occurrat Arist. negando eiusmodi societates, seu communicationes, fuisse institutas solius voluptatis causa: cum planè constet, Thiasotas, Eranistasque, eiusmodi conventus, sacrificia, & ludos, instituisse, tum in cultum Deorum, quod speciem Virtutis, sive Religionis præ se fert: tum & in recreationem animi, quæ sanè utilis est ad laborem postea tolerandum. Nisi enim aliqua fiat intermissio laboris, nullæ erunt vires, quæ sufficiant oneri perferendo. Quare negatur, aliquod esse genus communicationis, quod non dirigatur in utilitatem aliqualem ipsius societatis.

11 CLAUDIT Aristotel. doctrinam capituli, inferendo, omnes societates iam memoratas vitæ humanæ ad politicam revocari, sub eaque contineri. Omnis enim humanæ vitæ communio & societas, quæ instituta est peculiaris utilitatis gratia, continetur sub ea communione & societate, quæ publicam utilitatem querit. At communiones & societates iam memoratæ institutæ sunt peculiaris utilitatis gratia: sola autem societas civilis, sive politica, publicam utilitatem querit. Ita enim constat discurrendo per singulas illarum ab vno extremo, & hanc posteriorem ex altero. Ergo communiones & societates iam memoratæ continentur sub communione & societate civili, sive politica.

CAPUT DECIMUM.

De speciebus Reipublicæ.



REIPUBLICÆ Tres sunt species, & totidem etiam transgressiones, & quasi labe illarum. Et illæ quidem sunt, regnum, & optimorum potestas, & tertia est ea, quæ è censibus fit, quam censu potestatem dicere, accommodatum videtur: plurimi autem Rempublicam appellare consueverunt. Atque harum optima quidem est Regnum: deterrima verò censu potestas. Transgressio autem regni quidem tyrannis est. In utraque enim vnus est princeps: sed inter sese plurimum differunt. Nam tyrannus quidem suum, rex autem eorum, qui ab ipso reguntur, considerat commodum. Non est enim rex, nisi sit ex sese sufficiens, & bonis omnibus antecellat. Talis autem nullius indiget rei.

m

Non

Non ergo suas ipse, sed eorum, qui reguntur, utilitates considerat. Qui nanque talis non est, forte potius quidam est princeps, quam rex. Tyrannus autem est contraria regno: suum nanque bonum sequitur ipse tyrannus. Quò magis patet, ipsam esse pessimam. Pessimum enim id est, quod est contrarium optimo. Fit autem in tyrannidem ex regno transgressio. Tyrannus enim eius principatus est pravitas, in quo vnus est princeps. Pravus autem rex, fit tyrannus. Ex optimatum verò potestate ad paucorum potentiam fit transgressio, vitio principum, qui res civitatis præter dignitatem distribuunt, & cuncta bona sibi, vel plurima tribuunt, & magistratus semper eisdem plurimi divitias facientes. Pauci igitur, & pravi pro optimis dominantur. Sed ex censu potestate ad popularem fit transgressio. Sunt enim hæ finitimæ. Nam & censu potestas, multitudinis esse solet: & pares sunt omnes, qui sunt in censu. Minimè verò pravum est popularis potestas: parum enim Reipublicæ transgreditur speciem. Res igitur publicæ hoc maximè modo mutantur. Minima enim sic, atque facillima fit ipsarum migratio. Similitudines autem ipsarum, & quasi exempla quispiam & in domibus accipere potest. Societas enim patris ad filios, regni præ se fert effigiem. Nati nanque patri sunt curæ. Hinc & Homerus Iovem patrem appellat. Ipsum nanque regnum, imperium est suapte natura paternum. Patris autem apud Persas imperium tyrannicum est: suis enim filijs vtuntur vt servis. Heri etiam ad servos tyrannicum est: nam in ipso utilitas agitur heri. Atque hoc quidem rectum esse videtur: sed Persarum aberrat. Diversorum enim diversa sunt imperia. Viri autem & vxoris societas similis est optimatum potestati: pro dignitate nanque vir præsidet, & in ijs, quæ virum oportet. Quæ verò vxori accommodantur, hæc illi tribuit. Quòd si in omnibus vir dominetur, in paucorum potestate mutatur: præter dignitatem enim hoc facit, & non ea ratione, qua præstabilior est. Interdum autem dominantur vxores, ob amplitudinem patrimonij. Non igitur fiunt imperia ob virtutem, sed ob divitias, & potentiam: perinde atque in paucorum fit potestate. Fratrum verò societas similis est censu potestati. Sunt enim pares, præter differentiam ætatis. Quocirca si multum ætatibus differant, non fraterna inter ipsos fit amicitia. Popularis autem potestas in ijs maximè habitationibus est, quæ domino carent. Hic enim omnes sunt æquales. Et in quibus princeps est imbecillis: & vnicuique inest potestas.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Politica, seu Reipublica triplex probabile genus esse, totidem Amicitia speciebus respondens: Regnum, Aristocratiam, & Timocratiam: quibus opponuntur Tyrannis, Oligarchia, & Democratia, profus vituperio digna. Quomodo tria illa appareant in communicatione economica.



STENSVM Fuit capite præcedenti, omne genus societatis, præsertim verò civilis, seu politica, inducere communicationem, quæ dici utcumque Amicitia possit, & soleat. Verùm quoniam civilis societas diversimodè constituitur & distinguitur secundùm varia Reipublicarum genera, consequens est, ut iuxta harum varietatè diversa etiam & multiplex Amicitia sit. Quare hoc loco præcipue statuitur, tres esse Reipublicæ species, totidemque Amicitia, ijs respondentes. Dividitur verò caput in duas partes. In prima docet Arist. communicationem politicam tres habere species laudatas & rationabiles, totidemque vituperio dignas & à ratione alienas. In secunda statuit, earum trium specierum similitudinem apparere in economica communicatione.

2 CIRCA Primam partem præmittit communicationis politicæ & Reipublicæ tres species laudatas & rationabiles: Regnum, Aristocratiam, & Timocratiam. Regnum, quod & Monarchia dicitur, est principatus unius: Aristocratia, dominatus optimorùm: Timocratia, quæ à censibus est, ut ipsum Aryston ostendit. Ductur enim ἀπό τῶν τιμῶν, à censibus, seu æstimatione bonorum. Centus enim in ea dominatur: non tamen magnus, sed mediocris. Magnus enim Oligarchiam constituit: mediocris autè Timocratiam, quam Aristotel. docet communiter à Græcis Politiam appellari. Latini vulgato nomine Reipublicam dicimus. Itaque ex ijs tribus maximè laudabile existit Regnū: deinde Aristocratia: demū Timocratia, quæ pessimā prædictarum trium dicit, non quòd absolute mala sit, cum tres omnes laudabiles esse pronuntiet; sed quoniam minus bona cæteris duabus est.

3 ENUMERAT Statim, & contraponit præcedentibus, tres alias Reipublicæ species vituperabiles, & à ratione alienas: quas proinde vocat παραβάσεις, transgressiones; quoniam à bono Reipublicæ statu exorbitant, & illam impellunt in ruinam. Eæ verò sunt Tyrannis, Oligarchia, & Democratia. Tyrannis est omnium earum pessima: Oligarchia media, si ve mediocrè gradū improbitatis obtinens: Democratia optima, id est minus distans à malo, quàm aliæ duæ. Quippe Tyrannis contraponitur Regno: Oligarchia Aristocratia: & Democratia Timocratia. Tyrannis contraponitur, inquam, Regno: quia licet utraque in eo conveniat quòd unius dominatus sit, & Tyrannus ipse

vulgò Rex audiatur; aliunde summa oppositio utriusque est. Tyrannus enim solum quod sibi est utile, spectat: Rex autem quod est subditorum. Idipsum docet lib. 3. Polit. c. 4. & lib. 5. c. 10. ex quibus omnibus locis Seneca videretur decerpisse aurea illa verba lib. 1. de Clementia: Tyrannus à Rege distat factis, non nomine. Plurimum tamen inter se discrepant. Nam Tyrannus suum commouet & utilitatè; Rex suorum civium, sibi que parentum, spectat commouet. Idemque docet Xenophò lib. 3. Memorabiliū. Ratio autem quæ probat Arist. verum Regem, prout à Tyranno distinctum, non spectare commodum suum, sub hac formâ proponitur à Giphânio: Qui bonis omnibus abundat & antecellit, nulla re præterea opus habet. Atqui Rex verus omnibus bonorum generibus affluit & antecellit. Ergo nulla re præterea opus habet. Quare superest ut utilitates non querat suas, sed suorum. Maior propositio est nota. Minor explicatur ab eodè Arist. lib. 1. Politic. cap. ultim. simul & hoc loco: nam qui non omnibus antecellit bonorum generibus, is non erit verus Rex, sed fortuito aut forte. Verus enim Rex, quique non nomine tantum, sed virtute Regis effulget, debet esse ἀγαθός, id est, per se sibi sufficiens. Contra verò Tyrannus, sibi ipsi per se non est satis, sed indiget pluribus bonis: ideoque propriam utilitatem querit ex dominata indebito, ut bonis, quibus caret, diretur & affluat. Tyrannus igitur non est verus Rex, sed solum nomine. Porro, Tyrannidem esse omnium dominationum pessimam (quod supra indicavimus) probat Aristotel. quia quod directe optimo contrariatur, id certe pessimum est. Tyrannis autem directe contrariatur Regno, si ve Monarchia, quæ est omnium dominationum optima. Tyrannis ergo omnium dominationum pessima est.

4 SECUNDA Species prave dominationis est Oligarchia, id est, dominatus paucorum: estque partim similis Aristocratia, quæ etiam principatus paucorum est; ac partim dissimilis, quoniam Aristocratia non est principatus quorumlibet paucorum, sed eorum tantum qui optimi sunt, & bona civitatis unicuique iuxta meritum ac rectam rationem distribuunt. Oligarchia verò est dominatus paucorum improborum, qui bona communia civitatis inique dispensant, non habita meritorum ratione inter cives, sed spectata solum privata sui ac suorum utilitate. Ideo Oligarchia est veluti corruptio Aristocratia: quia quando optimi gubernatores Reipublicæ paulatim dege-

nerant, & transeunt in mores contrarios rectæ administrationi bonorum communium; tunc quæ fuerat Aristocratia, degenerat in Oligarchiam, solumque retinet paucitatem dominatorum, alioqui per omnia dissimilis, & prorsus corrupta. Cùm verò Aristocratia non sit optima, sive suprema inter dominationes laude dignas, sed media, ut supra dictum est; ita etiam Oligarchia ipsi contraria non est pessima pravarum dominationum, sed medium obtinens locum pravitate.

5 TERTIA Species iniquæ dominationis est Democratia, seu dominatus populi, ἀνοὶ ἢ ἀνάξ, id est, à populo, vulgo, aut multitudine popularium, penes quam interdum est summa rerum. Hanc Aristotel. constituit partim similem, partim dissimilem Timocratia superius explicatæ. Similitudo est, tum in eo quod utraque sit principatus multitudinis; tum etiam, quòd quicumque dominantur in utraque, sint æqualis conditionis, potentiaque. Dissimilitudo autem est, quoniam in Timocratia ij, qui dominantur, curant commune bonum, tam divitum, quàm pauperum, & utrisque communia bona ex iustâ proportionem distribuunt. Cæterùm in Democratia solum attendunt qui dominantur, ad bonum inopum, sive plebis, non autem divitum. Nimirum, hoc ipsum denotatur re ipsa in natura Democratia, quæ licet secundum etymon nominis significet dominatum populi, verè consistit in dominatu plebis, quatenus à populo distinctæ. Populus enim est quasi genus, idcirco totam Rempublicam complectitur: plebs autem est veluti species, & portio illius; ut tradit Iustinianus in *Institution. lib. 1. titul. 2. §. Plebiscitum*, & Caius in *l. Plebs de Verbor. signific.* & Gellius observat *lib. 10. cap. 10.* Quare nihil mirum quòd in Democratia solum attendatur ad utilitatem pauperum, sive plebis, si ij, qui in eâ dominantur, ad plebem ipsam spectant, seu ignobiliorem populi partem. Verùm quamvis hoc genus Reipublicæ malum sit, perversitas eius minima est trium specierum prædictarum: sicut & in Timocratia ipsi opposita diximus, minimam esse probitatem inter tres laudabiles species Reipublicæ. Porro de ijs omnibus fusè agit idem Arist. *lib. 3. Polit. cap. 5. & lib. 4. c. 2. & lib. 5. per totum.*

6 CIRCA Secundam partem edisserit amplius tres memoratas Reipublicæ species, tum laude, tum & vituperio dignas, earumque probitatem aut improbitatē exponit similitudine ducta ab Oeconomicis, sive familijs. Etenim in gubernatione privatarum domuum est imago quædam Reipublicarum, sive in bonum, sive in malum. Primò autem loco recenset inter laudabiles gubernationes privatarum domuum illam, in qua exercetur patria potestas erga

filios: eamque docet esse similem Monarchiæ, sive Regno, ex duplici causa. Altera est in eo sita, quòd quemadmodum Rex in ditiose suâ gerit civium quorumlibet populorumque curam; ita etiam pater in domo propria filijs suis omnibus providet. Altera est ab Homeri testimonio, Iovem appellantis patrem hominum deorumque, quo planè indicat, Regnum singulare, sive unius, quale erat Iovis in existimatione Homeri, paternum esse, patriamque potestatem esse Regiæ admodum similem. Quo eodem loquendi modo post Homerum vsi sunt cæteri Poetæ: atque in primis ex Græcis Aristides *Hymno in Iovem*: ubi ipsum appellat Hæmericis pene verbis, *πατέρα ἀνδρῶν τε, θεῶν τε, patrem hominumque, deumque.* Ex Latinis Ennius *lib. 6. Ann.* illis verbis, *divum pater atque hominum Rex.* Quem imitatur Virgilius, mutatis omnino verbis *lib. 10. Aeneid.* pluresque alij.

7 COLLIGIT Aristoteles ex hac ipsa doctrina, patres qui utuntur filijs ut servis, non tam patres, quàm dominos aut Tyrannos esse. Ut enim superius dictum, Tyranni sunt qui dominatu utuntur, non in aliorum utilitatem, sed suam. At patres utentes filij ut servis, non eorum utilitatem attendunt, sed suam: quippe potestas in servum, tota, quam est, in utilitatem ipsius dominantis est. Ergo patres utentes filijs, ut servis, non tam patres quàm Tyranni sunt. Quare reprehendit morem Perlarum, apud quos filij à parentibus, ut servi sub dominio habebantur. Idemque Tyrannidis genus fuisse apud Romanos, constat ex Dionysio Halicarn. *lib. 2.* & refertur à Paulo Iuriconsulto *l. in suis, ff. de liberis & posthumis.* Erat enim olim Romæ parentibus plena potestas vitæ necisque in filios, perinde ut servos, quòd novo iure abrogatum fuit. Vbi unico eodemque exemplo protulit Aristoteles similitudinem, tum Regni, tum & Tyrannidis, in Oeconomia bona aut mala parentum erga filios. Sed & vberius hanc ipsam Tyrannidis similitudinem exponit in dominis relatè ad servos, si in obsequio unam sui ipsorum utilitatem præ oculis habeant, ita, ut nihil omnino curæ in eos impendant. Hoc enim tyrannicum est. Nam licet dominus possit iure meritoque uti servo in propriam utilitatem, adhuc tamen debet ipsum providere in necessarijs, & aliqualem ipsius curam gerere. Quòd si non faciat, Oeconomia eius erit instar Tyrannidis. Similiter & genus Tyrannidis erit, si pater in filios illum dominatum exerceat, qualem iure potest circa servos: quia aliter filij, aliter servi spectandi sunt, ne patria potestas sit quoddammodo tyrannica, qualis apud Perlas.

8 PRÆTEREA Statuit aptissimam similitudinem Aristocratiæ ex vna parte, & Oligarchiæ ex altera in Oeconomia viri vxorisque, quæ instat prioris potest esse bona, & instat posterioris perverta. Quemadmodum enim Aristocratiæ consistit in eo quod sit principatus optimorum virorum, qui moderatè & rationabiliter distributa habent officia inter se; ita etiam Oeconomia viri & feminae imitabitur Aristocratiæ, & instat illius erit laudabilis, si vir ac femina moderatè & secundum rationem distribuunt officia domesticæ curæ. Quamvis enim vir præmineat vxori, & sit caput, sive superior ipsius: adhuc tamen deceat virum non omnia curare, aut exequi, sed ea tantum quæ viro propria ac decentia sunt, cæteris vxori permisis. Viro autem dignum est quærere, parare, augere opes, locare agros, fruges condere, distrahereque, & alia id genus. Vxoris autem est virum veteri, familiâ & ancillas alere, cibaria distribuere, easque in officio continere, & diaria penia assignare. Si autem vir hoc ipsum vxoris officium sibi arripiat, non seruetur iusta officiorum distributio, & Aristocratiæ imago, sed erit quoddam simulachrum Oligarchiæ, in qua dominantes non rectè inter se officia distribuunt. Et quamvis in hoc ipso appareat quædam species Tyrannidis, quatenus vir omnia sibi arripit, & videtur tantum spectare utilitatem suam; adhuc tamè Arist. noluit comparare hoc Oeconomiam prauæ generis Tyrannidi, sed Oligarchiæ: quia potest fieri vt vir non tractet dure aut asperè vxorem, nec familiam, sed solum velit se ingerere in omnibus, omniaque pro arbitratu suo disponere: in quo non tam Tyrannum exprimit, quam vnum aliquem eorum, qui in Oligarchia dominantur.

9 RERSVS In eadem Oeconomia viri atque vxoris exponit alteram similitudinem Aristocratiæ contrariam, & Oligarchiæ affiné, atque oppositam præcedenti: si, nimirum, vxor velit imperare domi, & omnia gerere pro arbitratu suo. Quod observat accidere quandoq; in ijs feminis, quæ viro pauperi, aut inferioris conditionis, auferunt opes ingentes, hæreditate obtentas. Solent enim nimios spiritus & arrogantiam sumere ex opibus secum allatis: ideoque volunt omnia, quæ domi gerenda sunt, ad ipsarum nutum, potiusquam mariti, fieri. Has verò Arist. tam hoc loco, quam *lib. 2. Polit.* nominat, ἐπεικλήθησιν, quod, iuxta Budæi interpretationem significat mulieres, seu virgines, quibus, utroque iam parente orbatis, & nullo fratre superstite, contigit opulenta hæreditas. Quare & Oligarchiæ similitudinem referunt, quatenus officium sibi indebitum allomunt, & auferunt ab eo, cui iure ac merito congruet. Hoc autem vitium feminarum superbieantium dicitur Gynæcocratiæ ab eodem Arist. *lib. 2. Polit. c. 7.* quali feminae principatus: *vbi &*

refert saepe inueniri in nationibus bellicosis, si Celtae & Germani excipiantur. In alijs enim, vt *Aegyptijs, Lycijsque, & Sarmatis*, principatus apud feminas erat supra viros. Verùm & apud Græcos, Romanoque, & omnes nationes, experimento deprehenditur quorundam ingens superbia & dominatus supra maritos: sive quia nobilitate sanguinis excellunt, sive quia amplissimam dotem secum detulerunt. Quod monstrum Oeconomiam vitare volebat Poeta ille, qui lepidissime cecinit: *Vxori nubere nolo mea.* Et Iuuenalis dum ait:

*Intolerabilius nihil est, quam femina dives.
Malo Venusiam, quam te Cornelia, mater
Græchorum, si cū magnis virtutibus affers
Grande supercilium, & numeras in aute
triumphos.*

10 DENIQUE In alio genere Oeconomiam, quæ inter fratres, aut vicinos, aut hospites est, similitudinem exprimit, tum Timocratiæ obtinentis locum infimum probitatis inter species laudabiles Reipublicæ; tum & Democratiæ minimum improbitatis inter pravas species habentis. Fratres enim, si de mortuis parentibus cohabitent cum æquali penes omnes potestate, & nullo alio discrimine, quam ætatis; imitantur planè Timocratiæ, in qua plurimi æqualiter dominantur ac regunt. Si autem ob magnam inæqualitatem fratrum inter se, qui maior est omnium, totam domus administrationem gerat; tunc non videtur esse fraterna Oeconomia, sed paterna; ac proinde similior Regno, quam Timocratiæ. Vbi verò plures simul habitant, aut concurrunt in eodem hospicio, singuli suis legibus viventes, & absque eo quod alter in alterum regimen, seu administrationem habeat; tunc est aliqualis similitudo Democratiæ, in qua nullus rectorum sub alterius curâ, aut administratione, vel dominio est. Quod si tamen quisquam eorum præficiatur ad aliquam procuracionem, sive ad expensas faciendas, id præfecturæ genus adeo exile aut leve est, vt nihil dominationis habeat; proindeque ad nullam prædictarum specierum reuocetur. Erit itaque solum quædam societas humana absque rectore, aut domino, quæ tanè, sicut acephala, ita & perniciosa est.

(?)



CAPVT VNDECIMVM.

De Amicitia regia, paterna, æconomica, & fraterna.

IN Vnaquaque autem Republica tantum amicitia constat esse, quantum & iusti. Atque regis quidem amicitia ad eos, qui reguntur, in excellentia beneficij consistit: confert enim in eos beneficia, qui ab ipso reguntur. Siquidem cum sit bonus, curam ipsorum habet, quo bene sese habeant, vt ovium pastor. Vnde & Homerus Agamemnonem, populorum nuncupavit pastorem. Talis autem est & amicitia paterna: beneficiorum verò magnitudine differt. Est enim essendi causa pater: quod maximum esse certum est: & enutritionis, ac eruditionis. Hæc eadem & cæteris maioribus tribuuntur. Natura nanque pater filiorum, & avus nepotum, & rex eorum, quibus præsidet, imperium obtinet. Hæc autem amicitia in excellentia consistunt: quapropter, & honotantur ipsi parentes. Et iustum igitur in his non idem est, sed quod efflagitat dignitas. Sic enim sese habet & amicitia. Et viri etiam ad vxorem eadem est amicitia, & in optimatum potestate: est enim vt virtus postulat. Et præstabiliori plus tribuitur boni, & quod vnicuique accommodatur. Sic autem sese habet, & ipsum iustum. At amicitia fratrum similis est sodalitiæ: sunt enim pares, atque æquales ætate. Tales autem eiusdem plerumque disciplinæ, & eorundem sunt morum. Similis est huic & quæ est in census potestate. Cives enim pares esse solent, ac boni. Et quisque nunc dominatur, nunc parer, & æquè. Sic igitur est in ipsis & amicitia. In transgressionibus autem, quemadmodum & iustum, sic & amicitia exigua est: & minima est in ea, quæ est pessima. In tyrannide nanque nihil, aut perparum est amicitia. In quibus enim nihil est commune imperanti, atque parenti, nec amicitia est: nam neque iustum. Sed tale quidem est, quale, quale est artificij ad instrumentum, & animæ ad corpus, & hero ad servum. Hæc enim omnia vtilitatem quidem ab ijs suscipiunt, qui ipsis vtantur. Sed amicitia non est ad inanimata, nec iustum: quia neque ad bovem, vel equum, neque ad servum ea ratione, qua servus est: non est enim quicquã commune. Servus enim animatũ est instrumentũ: instrumentum autem inanimatus est servus. Ad servum igitur hoc ipso, quo

ser-

servus est, non est amicitia, sed quo est homo. Nam omni homini iustum quiddam est ad omnem hominem, qui communicare secum legem, pactioemque potest: quare & amicitia, ratione qua homo est. Perparum igitur & in tyrannide est amicitia, atque iusti: in popularibus potestatibus plurimum. Complura enim his sunt communia, cum sint pares.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

Ex triplici Politica genere laudabili oviri triplex genus Amicitia probabile: ex triplici vituperabili triplex reprehensibile. Vbi de Amicitia regia, aristocratica, populari, paterna, fraterna, & conjugali.

CLARISSIMO ET LITTERATISSIMO HEROI,
D. D. IOANNI ANTONIO
 DE OTALORA ET GVEBARA,
 IACOBÆO EQVITI, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO,
 OLIM SACRÆ ROTÆ AVDITORI, ET PRÆTORII
 GRANATENSIS PRÆSIDI, &c.



NOVO Huic Consulatu Tuo in Regio ac Supremo Iustitiæ Senatu applaudere vilum est nova etiã, certè minimè vulgari tractatione, CLARISSIME HEROS. Nimirum, quanvis omnes Amicitiam in ore habeant, pauci sunt qui eius conditiones ac leges ex professo examaverint: pauciores, qui observaverint. Philalleia quorundam, monimentis congnata, aut fabulosa, aut rara est. Huius argumenti politior & amœnior tractatio debebatur genio melioribus auris assueto, id est, Tuo. *Neminem excessi ingenij visum, aiebat Seneca Epist. 39. humilia delectant & sordida: magnarum rerum species a se vocat, & extollit.* Deb. batur Viro, non solum generis prosapia, verum etiam subtilitate mentis, & multiplici eruditione illustri. His certè coribus præfulges, quas cœcum in TE liberali & munificenti manu, velut effudit. Testis Salmantica: vbi in ipso adolecentiæ flore, simul cum duobus Fratribus Tuis, Victor audiebas, & digito monstrabaris, quod olim inter Romanos summa ingenij laus fuit. Aderam ipse eo tempore, & in eadem aula, atque ab eodem communi Hispanæ iuventutis, imò & Regis Nostri Magistro, disceram. Ideo & è cæteris stemmatibus Militarium Ordinum Iacobæus ensis TIBI congruit, veluti tonitruum filio, & igne ac subtilis nature, quæ terrena hæc supergreditur. Testis quoque clarissimus D. BARTHOLOMÆI cœtus, lectissimorum Virorum Heroumque colonia: vbi Togatus p. stea primos Academia Nostre honores primis certaminibus meruisti, necdum expertus moram illam, qua alij Peritores cathedrarum fatiscunt, Testis Roma ipsa, *Terrarum Dea, Gentiumque Princeps*: quæ Tuam doctrinam & eruditionem pluribus annis venerata est, dum in gravissimo Sacre Romæ Senatu Auditor pleno proferres iura theatro. In ea Regione, quæ liberiori sanè cœlo fruitur, & amœnioribus litteris exulta est, quid mirum proficeret, excolereturque supra modum nobilissima ingenij Tui indoles, animarum pinguium terminos supergrena? Sunt inter nos plurimæ quidem egregiæ anime: ve un militat adamantinū brutorum, quoniam patrijs finibus clausa, nunquam satis expoliatur. Tellis denique Granatensis Chancellaria, vbi Præsidem egisti, ea rectitudine, iustitia, & prudentia, vt mærueris accenter inter Consiliarios Supremi Castellæ Senatus: vbi doctrina, vbi integritas, vbi pietas Tua latius & sublimius splendeat. Certè multo antea is honos amplissimis meritis Tuis debebatur: neque alto crimine dilatus fuit, quam exacta cæterorum munerum administratione. Nimirum, is eras, qui congrueres vnicuique dignitari, quali nature genio in id muneris destinatus. Felix, nec inusta pramiorum mora, cui non

alia, quàm meriti, culpa fuit. Igitur ad eam sublimem speculanti evocatus, attende, quæ-
to, & considera, si fortè graviores curæ sinunt, quot paria hominum verè amicorum in-
veneris, tot terris & Provincijs peragratis. Imò quot parium millia passim occurrerunt,
quibus sanctum & inviolatum dicitur Amicitie nomen: cum, tamen ea, quam profitentur,
iparia solū & facata sit. Scilicet, ut verbis Senecæ lib. 2. de Beneficijs utar, *ij lucri & vtili-
tatis gratia amicitiant: non donant, sed vendunt amores suos*. Alij voluptate ducuntur, eamque
voluptate rependant, quasi & in hoc mercimoniâ sit. In paucis beati, qui honestatis solius
gratia mutuo amoris nexu illigati sunt, eoque virili, ac constanti. Rari certè, in quibus
experimento deprehendatur Pythagoricum illud, *τὴν φιλίαν ἰσότητα εἶναι, καὶ μίαν ψυχὴν,
καὶ τὸν φίλον ἕτερον αὐτόν*. amicitiam esse equalitatem, & animam unam, & amicum alterum
ipsum. Sed delinô, ne excedam modum epistolæ, quæ non debet sinistram manum implere, ut
cum eodem Cordubensî Philolopho finiam. VALE Clarissime, & Nobilissime D. Sal-
mantiæ in Profello D. Barnabæ, Cl. 1570. LXXV.



UPERIORI Capite deservit
Arist. de tribus Politicæ ge-
neribus, tum probis, tum &
improbis; similiter & de tri-
bus Oeconomice modis, tam
rectis, quàm obliquis, & vi-
tupabilibus; ut gradum faceret ad exponen-
dam peculiarem rationem Amicitie, quæ in
qualibet earum invenitur. Quare hoc loco po-
tissimum docet, iuxta divisionem Politiarum,
& partium Oeconomice, existere multipli-
cem Amicitiam: id est, Regiam, Aristocraticam,
popularem, paternam, fraternam, & con-
iugalem. Dividit verò totum caput in duas
partes. In prima docet, ex tribus Politicæ ge-
neribus rectis & probabilibus oriri triplex ge-
nus Amicitie laudabilis & honestæ. In secun-
da statuit, ex tribus alijs generibus Politicæ
vitiolæ & reprehensibilis nasci triplex genus
Amicitie vitiolæ.

2 CIRCA Primam partem tradit, se-
cundum unamquamque Politiarum, existere
Amicitiam & iustum. Quare sicut triplex est
genus Politicæ rectæ, Regnum, Aristocrazia, &
Timocrazia, de quibus præcedenti capite dis-
putatum est; & triplex rectæ Oeconomice gra-
dus, paternus, uxorius, & fraternus: ita etiam
triplex Amicitie forma ijs correspondens exi-
stis, recta, & Iustitiæ, sicut & æqualitati, con-
sentanea. Primum genus probatæ Amicitie
est optimum, utpote simile Regno, quod est
optima Politicæ species: & situm est in Amici-
tia Regia, sive Regis cum subditis, inter quos
eo sensu Amicitia est, quo & Iustitia esse po-
test. Iustitia autem inter Regem & subditos
esse non potest secundum æqualitatem arith-
meticam, sed secundum geometricam, cum
omnino impares inter se sint. Quare & Ami-
citia ijs erit, non secundum arithmetice, sed
geometricæ solū æqualitatem. Nimirum,
erit Amicitia proportionis cuiusdam, sive se-
cundum æqualitatem solius rationis: quæ su-
prâ cap. 7. ab ipso Aristoteli. cognominata fuit
φιλία καὶ ὀρεγβολία, Amicitia secundum ex-
cellentiam, quoniam inter inæquales est, quo-

rum alter alterum excellere debet, non condi-
tione solū, sed effectibus quoque ipsius Ami-
citiæ. Hæc igitur Amicitia potissimum dig-
noscitur in beneficentia Principis erga suos,
quos fovet, tueur, & pascit. In quod illustran-
dum affert Arist. elogium, quo Homerus cele-
brat Agamenonem, dum illum appellat *ποι-
μένα λαῶν*, pastorem populorum.

3 REGIÆ Amicitie similis est pa-
terna erga filios, quæ etiam inæqualium est.
Sicut enim Amicitia excellentiæ, quæ est in-
ter Regem & subditos, dignoscitur, tum ex
honore quem ipsi deferunt subditi tanquam
excellentiore; tum & ex beneficijs à Rege col-
latis in subditos: sic etiam Amicitia excellen-
tiæ, quæ est inter patrem & filios, apparet, tum
in ea observantia & honore, quem filij paren-
tibus deferunt; tum præterea in beneficentia
patris ad filios, quos educat, alit, & induit.
Imò & in hoc beneficentiæ genere pater quod-
dammodo excedit Regem, quatenus præ illo
dat filijs, ut sint (quod est beneficiorum maxi-
mum, utpote primum, & fundamentum cetero-
rum) & præterea illos ab ortu educat, ac dis-
ciplina instruit; quorum nihil ferè præstat in
subditos Rex. Quare infra cap. 12. de hoc ip-
so agens, iam non comparat parentes Regibus,
sed Dijs, quoniam instar horum beneficia fi-
lijs largiuntur. Id verò quod de parentibus di-
citur, admonet Arist. dicendum etiam de avis
atque nepotibus: cum & in ijs eadem ratio sit.
Quippe, ut docet Modestinus Iuriconsultus
l. 104 ff. de Verborum signific. *τῶν τέκνων προ-
σιγορία καὶ ἐπὶ τῶν ἐγγόνων ἐκτείνεται*, filiorum
appellatio etiam ad nepotes extenditur. Idem-
que latius habetur l. Liberiorum 220. ff. eodem
tit. Aliunde ex ipso iure constat, parentum
appellatione, avum, proavum, abavum, &c.
contineri. Ideoque Arist. merito idem decernit
de patre & filijs, ac de avo & nepotibus. Et
quemadmodum iustum servatur inter Regem &
cives, sic etiam inter patrem & filios. Iustum
verò ita servatur inter Regem & cives, ut non
eadem officia præstare debeat Rex erga cives,
ac cives erga Regem: quoniam Rex honore,
obse-

obsequio, & obedientiâ à civibus colitur, quibus tamen non debet eadem officia præstare, sed ea quæ Regiam dignitatem decent. Ergo iustum ita etiam inter patrem & filios debet servari, ut non eadem mutuo sibi officia præstent honoris & obsequij, sed proportionata dignitati & conditioni vnicuiusque.

4 SECUNDVM Genus probatæ Amicitia in Oeconomica est mediocris bonitatis, instar Aristocratia, quam imitatur: & apparet in viro atque vxore. Causa verò ut in Aristocratia sit aliquod Amicitia genus inter Optimates, non est beneficentia vnius in alterum, quâ excellentior reddatur, ut in Regno seu Monarchia: sed Virtus, quam vnam præ oculis habent Optimates ad regendam Rempublicam, tribuentes vnicuique iuum pro dignitate ac merito. Vnde & oritur æqualitas, ac subinde Amicitia civium, tum inter se, tum etiam in eisdem Optimatibus, ut Præfectis, seu Gubernatoribus eiusdem Republicæ. Huic verò Amicitia generi docet similem esse illam, quæ inter virum & vxorem est: quoniam & hæc à Virtute manat, si ambo probi sint, ut amplius constabit cap. sequenti circa finem. Alia autem ratio est vbi coniuges probi non sunt, quoniam inter eos nulla, nisi iniqua, communio esse potest, quæ longissimè à verâ Amicitia distat. Vbi tamen non est intelligendum, Aristotelem dedisse viro & vxori æqualem potestatem, qualis in Aristocratia est inter Optimates: sed inter vtrumque divisisse domesticam curam & officia, qualiter explanatum fuit cap. præced. circa secundam partem capituli.

5 TERTIVM Amicitia genus in Politia pertinet ad Timocratiam, bonitate infirmam inter probatas Republicas (species servaturque inter eos populares, qui à cælibus sunt, & eo Republicæ vinculo colligantur. Huic verò similis est in Oeconomica illa species Amicitia, quæ inter socios, & fratres cernitur, cum summâ æqualitate, & sine excellentiâ vnius in alterum, sicut & in ipsa Timocratia fit, in quâ omnes imperant per partes, seu vires, & ex æquo. Huius ergo generis videtur Amicitia fratrum & sociorum, utpote moribus & studijs similibus, atque ætate parium, quorum nemo alteri antestatur. Quare inter eos nulla est Amicitia excellentiæ, qualiter in Monarchicâ parentum erga filios, neque in Aristocraticâ viri erga vxorem: sed omnia æqualia sunt, instar eius Amicitia, quæ in Timocratia est.

6 CIRCA Secundam partem differit de speciebus Republicæ pravæ, & Amicitia improbis, quæ ab ijs ortum ducunt. Quemadmodum enim ex triplici formâ Republicæ probabili & rectâ consurgunt tres Amicitia, laudabiles & specie diversæ, quas nuper exposuimus; ita ex triplici formâ perversâ Repu-

blicæ nascuntur tres diversæ species Amicitia inordinatæ. Et quemadmodum tres illæ priores Amicitia formæ inæquales in bonitate sunt iuxta inæqualitatem probitatis Republicarum, seu Politiarum; ita & in his posterioribus Amicitia perversitas inæqualis est iuxta inæqualitatem perversitatis Politiarum, quas imitantur.

7 QVOD Ut luculentius explanet, præmittit, in omnibus formis Politia corrupte perversæque, esse parum Amicitia, sicut & Iustitia. Sunt enim individua comites Amicitia & Iustitia, cum ambæ spectent æqualitatem: ut superioribus traditum est. Quare eo minus Amicitia in ijs erit, quò fuerit minus Iustitia, Hinc colligit, in Tyrannide, quæ est Politiarum pessima, minimum esse Amicitia, quoniam & minimum Iustitia in eâ est. Quod & insuper ratione suadet sic. Quoties inter superiorem & subditum nulla aut pene nulla communio bonorum est, nulla aut pene nulla Amicitia esse potest. Hæc enim in communione bonorum sita est. Atqui in Tyrannide inter superiorem & subditum nulla aut pene nulla communio bonorum est. Ut enim dictum fuit capite proxime præcedenti, Tyrannus suam solum utilitatem querit, contempto subditorum bono, ideoque sibi omnia arripit. Ergo in Tyrannide nulla aut pene nulla Amicitia esse potest. Ideo scite observat Arist. Tyrannum erga suos perinde se habere, ac artificem ad instrumentum, animam ad corpus, & dominum ad servos. Artifex enim instrumento, anima corpore, & dominus servo, vivunt solum in gratiam sui, seu utilitatis propriæ. Vnde sicut artificis nulla est Amicitia cum instrumento inanimato, neque animæ cum corpore (sicut neque cum equo aut bove) neque domino cum servo, quia servus est: ita neque Tyranno cum subditis.

8 ADDIT Autem, domino esse posse erga servum ius quoddam, & aliqualem Amicitiam, non quâ servus est, ut nuper dicebamus, sed quâ homo est, & rationis particeps. Nimirum, cum servus ratione sit præditus, & saepe aptus ad tractandâ negotia, potest esse cum eo communitas, sive societas pactionum, & rerum contrahendarum. Ex quo Arist. loco Oberus Giphanius arbitrat plurimum illustrari varta Iurisperitorum decreta, præsertim verò Vlpiani l. 3. ff. de diversis Reg. iuris, ita loquentis: *Quos attinet ad ius civile, servi pro nullis habentur: non tamen iure naturali: quia quod ab ius naturale pertinet, omnes homines sunt æquales.* Quare servus potest naturaliter obligari, quamvis non civiliter: ut constat ex l. naturaliter, l. si id quod, ff. de conditione indebiti, l. adoptivus §. serviles, ff. de ritu nuptiarum. Vnde & constat nullam communicationem Amicitiamve domino cum servo in

in civilibus esse posse: secus verò in naturalibus, secundùm quæ eiusdem rationis cum domino particeps est. In quo sanè est latum discrimen ab instrumento & corpore, quibus cum nec artificii, neque animæ ullum Amicitia genus esse potest, cum ratione careant.

9 DICES. Servus, seriam vt servus est, aliquam utilitatem domino affert, similiter & ab eo recipit. Ergo aliqua communio est bonorum inter utrumque. Ergo & Amicitia, quæ consistit in mutuâ communicatione bonorum. RESPONDET Arist. non hoc loco, sed in Polit. lib. 3. cap. 8. servum aliquam utilitatem reportare à domino, non tamen per se, sed per accidens, sive ex eventu. Dominus enim si alit servum & tuerit, non facit hoc gratiâ servi, sed sui ipsius, & v. propriæ utilitati consulat, quam refert ex servo. Hoc autem non sufficit ad veram Amicitiam, quæ exigit communionem mutuam bonorum inter amicos sui ipsorum gratiâ. Quare servus vt servus nullam cum domino Amicitiam contrahit, sed est veluti instrumentum sive organum relatè ad artificem. Quo circa apud Plutarchum in *Vita Crassi*, qui tot copiosas servorum familias habuit, legitur, servos appellare solitum, viventia rei familiaris organa, id est, instrumenta. Ideo neque viventes in iure Civili reputantur, sed inanimæ, aut mortui; quoniam servus est quædam mones civilis: & tunc solum nasci dicuntur, cum libertate donantur.

10 HOC Loco videbatur Arist. dicturus de secunda specie pravæ Politicæ, quæ est Oligarchia, & de Amicitia mediocriter pravâ ipsi respondente. Sed id prætermisit, fortasse, quia cum media sit inter præcedentem & subsequentem statim explicandam, satis eius natura dignoscitur, utroque extremo pravæ Politicæ & perversæ Amiciticæ cognito. Oligarchia enim non est equè prava, ac Tyrannis, quæ vnius tantum spectat bonum: & est peior, quam Democratia, quæ bonum solius plebis attendit: mediumque malitiæ gradum obrinet, & curat bonum paucorum, qui Rempublicam mode-

rantur. Ideoque Oligarchiæ nec respondet tam parum aut nihil Amiciticæ, ac Tyrannidi: neque quantum Democratia, quæ inter plebeios & ignobiles equalitatem Amicitiamque ponit, quamvis quoddammodo pravam: sed quædam mediocritas improbæ Amiciticæ inter paucos illos, qui Rempublicam tractant.

11 QVAKE Transit ad tertium perversæ Politicæ genus, quod est Democratia: & in hac plurimum esse Amiciticæ ait, quoniam multa communio est bonorum inter plurimos cives, quorum nemo alium dignitate præcedit, sed omnes habentur æquales. Licet enim deflectat ab illa Politicæ specie, quæ Timocratia dicitur, & postremum bonitatis locum habet inter tres species Politicæ probabiles, eoque potissimum nomine peccet, quod potius plebeiorum bona curet, quam nobilium, vt capite præcedenti traditum est: adhuc tamen servatur æqualitas & bonorum communicatio inter plurimos ad plebem spectantes. Vbi autem plurimum æqualitatis & communionis bonorum est, ibi & plurimum Amiciticæ est. Ergo & in Democratia est plurimum Amiciticæ. Verum hoc est intelligendum, non de solidâ Amicitia, quæ semper rationalis est, & iustitiæ comes: sed de apparenti, & in speciem solum. Etenim secundum rectam rationem ac iustam distributionem bona Rempublicæ communia non deberent dividi omnino equaliter, vt in Democratia fit: sed iuxta meritum vniuscuiusque; nec tam in eo attendenda esset æqualitas arithmetica communicationis, quam geometrica & proportionis solius, quæ secundum rationem est. Ergo Democratia, dum bona equaliter arithmetice omnibus distribuit, nulla habitâ consideratione aut distinctione nobilium à plebeijs, nec proborum ab improbis, minime servat rationem rectam, aut iustam distributionem. Ergo nec secundum Iustitiam distribuentem est;

atque adeo solidam & perfectam

Amicitiam generare

non potest.

(?)



CAPVT DVODECIMVM.

De Amicitia sodalitia, & filiali.

MNIS Igitur amicitia (vt dictum est) in societate consistit. Consanguineam autem quispiam seiunxerit, ac sodalitiam. Civium autem amicitia, & contribulium, & simul navigantium, & quotquot sunt tales, magis in societate consistunt: nam stipulatione quasi quadam constare videntur. Inter has quispiam & hospitalitiam collocaverit. Consanguinea verò multiplex est. Pendet autem omnis ex paterna. Parentes enim diligunt natos, vt aliquid sui: nati verò parentes, vt aliquid ex illis. Atque magis sciunt parentes eos, qui sunt ex ipsis, quàm nati se esse ex illis. Magisque coniunctum est id, ex quo natum est, ipsi nato, quàm factum ei, quod fecit. Est enim ei, ex quo est ortum, proprium id, quod ex ipso est ortum: vt dens, crinis, & quidvis habenti. Nulli autem illorum id, ex quo orta sunt, aut minùs. Accedit eodè & temporis longitudo. Parentes enim natos continuò diligunt: illi verò parentes, incrementis tempore susceptis, & mentis comprehensione, vel sensus. Ex his autem patet & cur magis diligant matres. Parentes igitur natos, vt se ipsos amant: qui nanque ex ipsis sunt orti, sunt quasi ipsi alij separatione. Nati verò parentes vt orti ex illis. Fratres autem sese mutuò diligunt, quòd ex eisdem sunt orti. Identitas enim quæ est ad illa, idem inter ipsos facit. Quapropter eundem sanguinem dicunt, & stirpem, & talia. Sunt igitur quodam modo idem & in diuisis. Magnum autem ad amicitiam est & enutritos simul esse, & ætatis æqualis. Æqualis enim æqualem delectat, & ipsi familiares sodales sunt. Et idcirco fraterna amicitia sodalitiae similis est. Patrueles verò, cæterique propinqui, ex his sunt coniuncti, propterea quòd sunt ex eisdem. Atque alij magis, alij minùs fiunt ex eo coniuncti, quia propè est, aut distat origo. Amicitia autem, quæ filiorum est ad parentes, & hominum ad eos, vt ad bonum est, atque excellens. Nam maxima beneficia contulerunt. Fuerunt enim essendi causa, & alimenti, ac educationis. Habet autem & voluptatem, & utilitatem, talis amicitia magis, quàm extraneorum, quantò & vita communior ipsis est. Sunt autem & in fraterna amicitia ea, quæ & in sodalitia sunt, & magis in bonis, & omni-

ni-

nino in similibus quanto coniuncti sunt magis, atque ab ortu sese mutuo diligunt. Et quanto sunt magis similitum morum, qui ex eisdem sunt orti, & simul nutriti, & similiter educati, ac eruditi. Probatio enim, quæ quidem fit tempore, plurima est, atque firmissima. Sunt etiam & cæteris in consanguineis ea, quæ ad amicitiam attinent ut rationum comparatio flagitat. Viro autem & uxori secundum naturam amicitia videtur inesse. Homo nanque natura conjugale magis est, quam civile: quanto prius, & necessarium magis est domus, quam civitas, & procreatio communior animalibus. Atque cæterorum quidem animalium, hic societatis est terminus: homines autem coniugium subeunt non solum procreationis, sed eorum etiam gratia, quæ ad ipsam conferunt vitam. Officia nanque continuo sunt divisa: atque alia viri, alia sunt uxoris. Opem itaque sibi mutuo ferunt, res proprias in commune ponentes. Quapropter hac in amicitia utilitas inest, atque voluptas. Erit autem & ob virtutem etiam amicitia, si boni sint. est enim utriusque virtus, atque hoc ipso gaudebunt. Filij autem parentum vincula sunt, & nexus. Idcirco & citius ij, qui carent liberis dissolvuntur. Filij nanque, bonum est utriusque commune: ipsum autem commune continet. Quærere verò quonam modo viro vivendum est cum uxore, & omnino amico cum amico, nil aliud est, quam quærere quomodo iustum est. Non enim idem iustum videtur amico ad amicum, nec ad alienum; & sodalem, ac condiscipulum esse.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Amicitia plurimas species oriri ex varia & multiplici communicatione. Agitur præsertim de ijs, quæ inter consanguineos, ac virum & uxorem, & de illarum proprietatibus. Amicitia seu amor, an sit maior patris ad filium, quam è converso: an matris, quam patris: an fratrum, quam consanguineorum. Vbi plura & utilia monita pacatæ, ac felici vitæ inter sodales, & comun. Etos inveniunt.

CLARISSIMO ET SAPIENTISSIMO VIRO
D. D. ALPHONSO DE OLEA, IN ACADEMIA
VALLISOLETANA PRIMARIO ANTECESSORI EMERITO IVRIS
PONTIFICII, SIMVL AC CÆSAREI, SCRIPTORI DOCTIS-
SIMO, REGIOQVE CONSILIARIO IN SVPREMO
IVSTITIÆ SENATV.



COPVS Arist. hoc loco est ostendere, variam ac multiplicem vitæ humanæ communionem efficere species plurimas. Videtur verò prosequi argumentum ipsum de quo differuerat præcedenti capite. Ibi enim statuit

tot esse Amicitia genera, quot & Politia, & Oeconomia. Quamvis verò explicuerit Amicitias illas, quæ ex diversis Politia generibus oriuntur; eas tamen, quæ ex diversis Oeconomis procedunt, solum breviter & transitu quodam explanavit. Ideo nunc operosius de iisdem differit, & dividit totum caput in tres em-

omnino partes. In primâ observat, ex variâ communione nasci quamplures species Amicitia, ut consanguineâ, socialis, civilis, aliarumque. In secundâ docet, communicationem consanguineorum gignere Amicitiam inter cognatos. In tertiâ denique tradit, viri uxorisque communionem eam parere Amicitiam, quæ conjugalis dicitur.

2 CIRCA Primam partem præmittit, quod sæpe docuit præcedentibus, omnem Amicitiam in communione sitam esse. Atque initium facit ab eâ quam hoc loco, & lib. 7. Eudemiorum cap. 10. nominat *συγγενικὴν*, id est, *consanguineam*, ut Argyropilus & Gallutius vertunt: sive propriam *cognatorum*, ut Victorius & Turnebus interpretantur: sive *propinquorum & affinium*, ut habet Giphanius, Nos verò incompleta voce *consanguineam* appellabimus, qualiter & ipse Arist. Græcè expressit appellatione incompleta, quamvis minus propria: quia non tam ipsa *συγγενικὴν*, *consanguinea* est, quam *συγγενικῶν*, *consanguineorum*. Hæc igitur docet nasci ex arctissimo illo vinculo communicationis in eodem sanguine, quo aliqui inter se illigantur: ideoque primam omnium eam constituit. Secunda & huic proxima est socialis, seu sodalitia, quod sodalium propria sit. Tertia civilis, quæ inter eiusdem Reipublicæ cives. Quarta, quæ inter tribules est. Quinta in ijs cernitur, qui simul ad mercimonia navigant. Sexta, quæ inter hospites & peregrinos gignitur ex consortio diversorij aut itineris. Cum enim in ijs omnibus sit quædam mutua communicatio, in quâ potissimum Amicitia consistit, & illa sit multiplex ac varia; nequit non exinde multiplex Amicitia species confurgere.

3 ADDIT Verò, fortassè aliquos expuncturos ab albo coniunctionem eam, quæ inter cognatos & sodales est. Amicitia enim non ex qualibet coniunctione videtur generari, sed ex illâ solùm, quæ ab electione & consilio oritur. Atqui coniunctio, quæ inter cognatos & sodales est, non ab electione & consilio oritur: sed prior ab ipsâ naturâ, & posterior ab educatione, quarum neutra sub consilium aut electionem cadit. Amicitia ergo non videtur generari ex coniunctione, quæ inter cognatos & sodales est. Cuius tamen oppositum cernitur in iam memoratis. Nam quæ inter cives, tribules, socios navigationis ad mercimonia, aut peregrinationis & hospitalitatis sunt; à consilio & electione ortum ducunt: cum fiant consensu & pacto quodam; sive, ut habet textus Arist. *καθ' ὁμολογίαν*, secundum consensionem, aut pactiorem. Itaque erit qui contendat & velit has quatuor posteriores coniunctionum species longè apuiores esse ad partendam Amicitiam, quam duas illas priores.

4 EXPLICATUR Amplius. Con-

iunctio illa consanguineorum, non à voluntate, sed à naturâ procedit: neque cuiquam voluntarium aut liberum est alteri coniungi vinculo sanguinis ab ipso ortu. Similiter & coniunctio sodalitatæ, non oritur à voluntate sodalium: sed vel parentum, vel tutorum, aliorumve, qui aliquos simul educandos curarunt. Ergo utraque videtur nimium distare à coniunctione partente strictam Amicitiam: quoniam cum hæc sita sit in mutuo amore, debet oriri à voluntate. At coniunctio, quæ inter consanguineos & sodales est, non oritur à voluntate, sed potissimum à naturâ educatione. Ergo coniunctio, quæ inter consanguineos & sodales est, videtur nimium distare ab eâ quæ parit strictam Amicitiam. Oppositum autem modo accidit in cæteris coniunctionibus iam indicatis: quoniam illæ non à naturâ, aut educatione procedunt; sed à pactiõne, seu conventionem liberâ voluntatis, quâ alter alteri coniungitur. Civium enim communicatio in eisdem legibus & bonis communibus Reipublicæ, videtur niti in quadam pactiõne, saltem tacitâ, ipsorum, quâ velint simul in societate eadem persistere: idemque ferè est de tribulibus, sive ijs, qui sunt ex eadem tribu: nam & hi colligantur invicem certis legibus, ineuntque aliquam societatem. Similiter & qui simul navigant ad mercimonia, antequam è portu solvant, pactum celebrant societatis circa iacturam & lucrum. Denique & coniunctio hospitalitatis ita annexam habet consensionem voluntatum, pactiõnemque, ut olim inter hospites esset tessera societatis index, quàm hospitalitatem appellabant. Igitur omnes hæc quatuor postremæ coniunctiones longè magis positæ sunt in voluntariâ communicatione, sive societate, quam duæ illæ priores: atque adeo plus habere videntur voluntaria Amicitia.

5 CIRCA Secundam partem agit speciatim de Amicitia consanguineâ, sive consanguineorum: ac primo loco statuit paternâ, secundo fraternam, tertio demum eam, quæ inter consanguineos minus proximos est, ut inter patruales, consobrinos, & alios similes. Paternam verò ideo primam assignat, quod sit veluti fons & origo cæterarum. Quod etiam accipiendum de Amicitia avi, proavi, abavi, &c. erga nepotem, pronepotem, abnepotem, &c. cum priores parentum, posteriores filiorum nomine censantur, ut capite præcedenti observatum est. Rationem verò eius Amicitie paternæ, quâ pater diligit filium in eo sitam esse ait, quod filius ipsius patris aliquid sit. Pater enim in filio partem suæ substantiæ positam spectat, ideoque sicut seipsum amat, ita & filium amare, naturæ genio & pondere constringitur, veluti non omnino alium à se. Unde in iure pater ac filius pro vna eademque personâ reputantur, Inst. lib. 3. tit. 20. de mu-

tilibus stipul. s. ei verò. Consequens verò inde est, ut & filij parentes suos ament, quoniam ipsorum portiones & decerpta sunt; atque eo affectu, quo pars à toto divisa amaret totum ipsum, si mentem & voluntatem haberet. Itaque patris Amicitia erga filium est prima & postrema omnium, ac veluti fons ceterarum, & ipsius Amicitie, qua filius vicissim amat patrem. Hæc enim ab illa ortum ducit.

6 INFERT Arist. ex præiactâ doctrina, maiorem esse Amicitiam, sive amorem patris ad filium, quam filij ad patrem. Quod tripliciter probat ex triplici differentiâ utriusque amoris. *Prima* ratio sic ferè ab illo proponitur. Quanto quis Amicitie causam melius novit, tanto magis amat (cæteris paribus) id quod amandum est. At pater Amicitie causam melius noscit, quam filius. Ergo pater magis amat filium, quam filius patrem. Maior est nota: quoniam causâ incrementum capiente, effectus etiam crescere debet. Minor autem suadetur: Quia causa Amicitie, sive amoris mutui inter patrem & filium, est quod pater principium filij sit, filius autem pars sive portio substantiæ ipsius. At pater melius noscit hoc, quam filius, quippe qui nulla cognitione præditus erat cum nasceretur à patre, sciente se aliquid substantiæ in eius generationem contulisse. Ergo pater Amicitie seu amoris mutui causam melius novit, quam filius. Vbi obiter nota, ex hoc capite amorem matris erga filios esse maiorem amore patris: quia matris notior est fœtus, ut idem Arist. docet infra lib. 9 cap. 7. sine, & observant Iurisperiti I. Quia ff. de in ius vocando. Potest enim pater non scire certò an filius ab vxore suâ editus, sit filius suus, an alicuius adulteri. Mater verò ignorare nequit illum ipsum, quem utero gestat & parit, filium suum esse.

7 SECUNDA Ratio & differentia, quâ id probat, est veluti paradoxon, seu mira admodum sententia, ut pater magis amet filium, quam filius patrem. Sic autem proponi potest. In consanguineorum Amicitia, qualis est inter filium & patrem, quò amans est propinquior amato, eò maior est amor. At pater est propinquior filio, quam filius patri. Ergo & maior est amor patris ad filium, quam filij ad patrem. Maior est certa: quia in consanguineorum Amicitia ratio amandi est propinquitas sanguinis: atque adeò crescente hæc, debet crescere amor. Minor autem suadetur: quia filius, sive genitus, est quædam patris generantis pars separata, sive separabilis, *ὅμοιο δὲ οὐκ ἔστι, sicut dens, aut crinis*; quæ proinde continetur in toto, seu generante: totum autem ipsum, seu generans non continetur in illâ. Ergo pars separata aut separabilis propinquior erat toti, in quo continebatur, quam totum sit propinquum eidem parti, quæ ipsum nullo modo

continet. Ergo pater, seu generans, propinquior est filio ut parti, quam filius patri, seu generanti, ut cuidam toti. Ergo pater magis amat filium, quam filius patrem.

8 QVOD Ipsum sic aliquantò facilius explicari potest. Id propinquius & coniunctius est, atque adeò magis amans, quo præsentente magis habeatur seu possideatur id, quò est propinquum. Atqui præsentente toto melius habeatur, seu possideatur pars, quam præsentente parte habeatur seu possideatur totum. Totum enim includit partem, & non includitur vicissim ab eâ: id verò quod ita includit aliud, ut ab eo non includatur, propinquius est incluso, quam inclusum includenti. Ergo totum est propinquius & coniunctius, ac proinde magis amans, quam pars. Cùm igitur pater relate ad filium sit totum quoddam includens, filius autem pars non includens ipsum totum, consequens est, ut pater sit propinquior filio, quam filius patri. Ergo & consequens est ut pater magis amet filium, quam filius patrem.

9 TERTIA Ratio desumitur à diuturniori amore parentum in filios, quam filiorum erga patres: & sub hanc formam proponi potest. Amor diuturnitate temporis stabilitur & augetur; atque adeò quò diuturnior est, eò maior existit. At parentum amor in filios diuturnior est, quam filiorum in parentes. Pater enim amare filium incipit ab ortu ipsius, filius verò patrem non statim, sed postquam illum cognoscere incipit. Ergo amor patris in filium maior est, quam filij in patrem. Cui rationi ferè affinis est alia Platonis in *Symposio*, quò omnes suam diuturnitatem, immo & æternitatem ament. Pater verò amando filium, amat diuturnitatem suam, immo & æternitatem, quia in filio, & nepote, ac posteris eorum, immortalis quoddammodo perseverat. Filius autem in patre nec diuturnitatem, nec æternitatem, nec immortalitatem aliquam assequitur. Ergo urgentior est ratio ut pater diligat filium, quam filius patrem.

10 INFERT Secundò, licet subobscure, maternum amorem in filios, esse maiorem pater: quoniam tres rationes præiactæ magis urgent in matre, quam in patre. *Prima* quidem: nam matres melius ac certius, quam patres, noscunt filios esse aliquid sui ipsarum, ut supra indicavimus. *Secunda*, quia filij magis proprie continentur, seu includuntur in matre, quæ intra uterum eos gestat, quam in patre, qui solum portionem, seu partem separabilem substantiæ dedit. *Tertia*, quia diuturnior est amor matris, quam patris: quoniam matres prius agnoscunt fœtum esse in utero, quam patres: insuper & diutius cohabitant filijs suis. Ergo urgentiores in matre, quam in patre, rationes sunt ad amorem in filios.

11 INFERT Tertiò rationem, cur fratres mutuo se diligant: nimirum, quod ex eisdem fontibus sive principijs oriantur. Inde autem convincitur ut & invicem se ament, tanquam aliquid quoddammodo vnum. Formula verò probationis hæc adducitur à Giphano, satis ad mentem Arist. Quæ sunt eadem vni tertio, etiam inter se sunt eadem. At fratres eidem tertio, nimirum, parentibus idem sunt, & quasi eadem persona, ut iam dictum est. Ergo & inter se quasi idem plane esse videntur. Coniunctio enim illa, sive, ut loquitur Arist. *ταυτότης*, *identitas*, quam habere videntur cum parentibus, facit ut & inter se *ταυτότητα*, *identitatem* habeant. Confirmatque id ipsum Arist. ex vulgata phrasi, quæ fratres dicimus eandem stirpem, eundem sanguinem: qualiter apud Virgilium 6. *Aeneid.* Anchises pater de posteris suis, nimirum, de Julio Cæsare inquit: *Proijce tela manu, sanguis meus.* Vnde & Horatius de Augusto in carmine sæculari: *Clarus Anchise, Venerisque sanguis.* Et Iuppiter apud Silium lib. 3. alloquens Venerem: *— tunc, longumque tenebit Tarpeias arces sanguis tuus.* Ac Statius 3. *Theb.* exclamat: *— ò superi, meus ordine sanguis.* Quæ omnia denotant strictissimum amoris vinculum inter fratres, quoniam eiusdem sanguinis sunt.

12 ALIÆ Quoque causæ existunt mutui amoris, seu Amicitie fraternæ, quamvis minus vrgentes. Quales sunt educatio eadem, similitudo morum, ætas non admodum inæqualis, institutio eiusdem doctrinæ, & communio studiorum. Porro educatio vna quàm potens sit ad amorem generandum, patet ex amore eorum qui ab eadem nutrice lac suxerunt, tum inter se, tum & circa ipsam, veluti matrem: similiter & ex autore circa prædagogum, qui conceptus à pueritiâ, vix vnquam moritur, ut Cicero in *Lelio* observat. De similitudine morum nihil est quod dicatur, cum illa & inter extraneos facile amorem conciliet. De ætate æquali aut propemodum, id probat Arist. proverbio illo: *Æqualis æqualem amat.* Quod experimento deprehenditur in ijs fratribus, qui peculiari Amicitie nexu stringuntur, & eiusdem pene ætatis sunt. Quòd si valde inæquales existant, quandoque inter eos rixæ & contentiones excitantur, etiam gravissimæ: ut notat Plato in *Commentario De Amicitia fraterna.* Nimirum accidit sæpe ut qui maior natu est, velit imperare iuniori, tanquam filio pater, aut dominus servo: cum tamen, hortante ita Plutarcho, melius faceret, si sodaliter & leniter admoneret. Denique de institutione eiusdem doctrinæ, & studiorum, quantum valeat ad coniungendos animos, non solum constat propter similitudinem, quæ amoris causa existit; sed etiam exemplo eorum,

qui in vnâ aulâ, & ab eodem magistro discunt simul. Plerumque enim mutuo sibi bene volunt, & toto vitæ progressu invicem se diligunt. De quo digna lectu est illustris illa epistola Plinij Iunioris ad Tacitum suum: ubi suaviter recordatur eius temporis, quo ambo in eadem aulâ ad studium litterarum in iuventute conveniebant.

13 QVOCIRCA Reprehensione admodum digni sunt, qui eadem omnino Scholas frequentant, sive discendi simul, sive docendi gratiâ; & tamen ex eâ communione disciplinæ & studiorum non modò nullam Amicitiam, saltem sodalitiâ, sive socialem contrahunt; verùm & acerbam æmulationem concipiunt, & quandoque Vatinianum odium. Quali enim eiusdem Scholæ matris non essent filij, quasi eodem non nutrentur lacte sapientiæ, quasi vno Academiæ non recumberent sinu; sic inter se certamina movent; non tam mentis, quàm dentis, & implacabilis odij. ut merito ijs adaptes illud lib. 1. Epigramm. Græcorum, ab Alciato Latinè expressum:

Quid rapis, beu Progne, vocalem seva cicadâ,

Pignoribusque tuis fercula dira paras?

Stridula stridentem, vernam verna, hospita

ledis

Hospitam, & aligeram penniger ales avem?

Ergo abice hanc prædam: nam musica pectora

summum est

Alterum ab alterius dente perire nefas.

Vide supra cap. 1. huius libri, circa finem.

14 INFERT Quarto, etiam inter consanguineorum ceteros esse Amicitiam *συγγενικῆς*, sive cognationis, post eam, quæ inter fratres est. Quo ipso ordine eam expressit Cicero lib. 1. de Officijs: ubi post constitutam primo loco societatem inter parentes & filios, subdit: *Sequuntur fratrum coniunctiones, post consobrinorum, sobrinorumque: qui, cum in vna domo iam capere non possint, in alias domos, tanquam in colonias exeunt, &c.* Ratio autem cur inter consobrinos, patruelis, & alios cognatos Amicitia sit, est quòd ab eodem fonte ortum ducant, sive ab eodem stipite, aut capite generis, seu familiæ. qualis fuit Pelops Pelopidarum, & Æacus Æacidarum. Generatim verò ab Arist. dicitur *ἀρχηγός*, quasi princeps generis. Porro hæc consanguineorum Amicitia eò maior est, quò ipsi minùs à stipite distant. Quare sicut fratrum est maior, ita & nepotum minor, & adhuc inferior pronepotum, quia *ταυτότης*, seu identitas illa in stipite eodem, elongatur & refrigescit quò longiores ab eâ linæ ducuntur.

DE.

15 DENIQUE Assignat proprietates quasdam amicitiarum, quæ hucusque explicatae sunt, ac primò quidem illius, quæ est propria filiorum ad parentes : de quâ duo docet. Alterum est, filiorum Amicitiam ad parentes esse tanquam erga bonum, & bonum excellens. Praestantissimum enim beneficium est quod filij a parentibus acceperunt, & maius, quam ut rependere possint : cum ab ijs habeant ut sint, vivant, & institutionem ac disciplinam hauriant. Itaque hoc genus Amicitiae simile esse ait illi, quâ colimus Deum, præcipuum Auctorem nostrum, cui proinde æquale reddere non possumus. Ergo filiorum Amicitia ad parentes ducitur bono præcellenti, & longè superiore ijs, quibus cetera ducuntur. Alterum est, quod hæc Amicitia præ alijs pariat delectationem, utilitatemque, & maiorem, quàm ea quæ erga extraneos est : quia nititur in maiori communicatione. Deinde & duplicem aliam fraternæ Amicitiae notam sive proprietatem edidit. Prima est quod admodum similis existat Amicitiae sodalitiae, atque eorum qui simul educati & nutriti sunt. Secunda est quod inter probos fratres sit maior, vehementior, constantiorque, quàm inter improbos, quorum amor non honestate, sed naturali sanguinis communione ducitur. Ratio autem præcipua quâ id probat, est : quoniam fratres, si probi sint, adaugent similitudinem ratione Virtutis, quæ firma & constans est. Ergo cum similitudo amoris causa existat, probi fratres adaugent coniunctioni naturali causam constantissimi amoris. Tandem de cæteris consanguineorum amicitijs docet esse præditas similibus proprietatibus ijs, quas modo descripsimus in Amicitia fraternâ : sed tamen proportione quadam, & eò magis vel minus, quo consanguinei magis aut minus proximi sunt primæ stirpi.

16 CIRCA Tertiam partem differit de Amicitia viri & uxoris, qui arctissimè omnium colligati sunt ; quamvis ab eodem stipite non procedant, ut fratres & consanguinei. Huius autem Amicitiae duas proprietates proponit. Prima est communis, non hominum modo, sed & animalium quorumlibet : nimirum, quod inter virum & uxorem sit Amicitia naturalis, sive ab insita naturæ inclinatione, etiam ante pactiōem civilem. Quod ut demonstrat, assumit, hominem naturaliter esse magis conjugale animal, quàm politicum, idque probat dupliciter. PRIMÒ : Quia quod naturâ prius est, & magis necessarium, id perfectò est magis naturale. Atqui esse conjugale animal est homini naturâ prius, & magis necessarium, quàm esse politicum. Ad Politiam enim, sive civitatem constituendam, prius existere debet societas conjugalis, ex quâ procedunt filij, qui constituunt domum,

sive familiam, & postea civitatem. Ergo esse conjugale animal est homini magis naturale, quàm esse animal politicum. SECUNDO id probat : Quia illud prius sequitur naturam generis totius animantium, quæ omnia coniugium amant : esse verò politicum non sequit ut naturam genericam animalis, sed specificam hominis. Ergo societas conjugalis est magis naturalis, quàm esse politicum. Igitur & homini magis naturale est ut sit animal conjugale, quàm politicum animal.

17 VNDE Prona & in aperto est assumptio Aristotelis statuentis, Amicitiam ex coniugio ortam esse naturalem, magis quàm civilem, licet civilis appareat propter pactiōnem & conventa, quæ in eâ interveniunt iuxta civiles leges. Si enim homo naturaliter est magis animal conjugale, quàm civile, ergo & coniugium ipsum est magis naturale, quàm civile : ac proinde Amicitia ex coniugio orta, potius naturalis, quàm civilis, existimanda est. Oritur enim ex mutua viri & feminae coniunctione, quæ prior est generatione filiorum, ac proinde & domo familiaque. Cùm ergo generatio filiorum, & domus ac familiae, sint priores civitate, tanquam partes illius, consequens est ut coniunctio viri & feminae, Amicitiaque inde orta, sint priores civitate, ac propterea magis naturales, quàm civiles, sint. Hæc igitur est prima nota, seu proprietas Amicitiae conjugalis, non tam sequens hominis speciem, quàm genus.

18 SECUNDA Amicitiae conjugalis proprietas soli humanæ convenit, seu hominum propria est, prout differunt à qualibet alia specie animantium. Consistit autem in eo quod non solum procreat liberos, sed alia quædam effecta parit vitæ humanæ congruentia, & conformia Oeconomica inter virum & uxorem. Ea verò potissimum sunt, ut administratio domus & rei familiaris rectè ac decenter inter virum uxoremque dividatur, atque unusquisque eorum in id incumbat, quod sibi contentaneum est. Quædam enim decent sive congrua sunt soli virò, ut locare agros, conducere operarios, negotiari, disceptare in foro, seu litigare, rem domesticam & honorem familiae armis aut publico iure defendere : quædam verò soli uxori decora sunt, ut necere, suere, texere vestes, cibaria ancillis ministrare, & pensa distribuere, atque demum obedire viro iuxta præcipientem. Quo circa inter Opera gloriosi Vianæ Principis Caroli hos verius lego :

*Grand corona del varon
Es la muger,
Quando quiere obedecer
A la razon.
Non consentas opinion*

En

En casamiento:

*Mas elige con grand tiento
Discrecion.*

Quæ omnia & ijs affinia si serventur, erit inter virum & vxorem conjugalis Amicitia ex recta OEconomicæ distributione procedens; qualis non invenitur in ceteris animantibus, quæ solo naturæ genio sive instinctu coniunguntur, nec cognoscunt ea quæ circumstant, aut provident in futurum, aut inter se distribuunt opera, quarum quædam alteri consentanea sint, & quædam alteri.

19 DEINDE Amicitiam eandem comparat tribus primis Amicitie generibus supra cap. 3. explicatis, quorum primum & precipuum honestate ducitur, aliud voluptate, aliud tandem utilitate. Comparat inquam, asserendo tria hæc bona posse inveniri in Amicitia viri & vxoris: quoniam utilitatem affert ex eo quod secundum rectam OEconomicam uterque coniugum operam collocet in bonum commune amborum. Præterea & iucunditatem parit ex coniunctione decenti corporum affectuumque. Affert denique honestatem, si ambo Virtute præditi sint, & secundum eam agant, atque unusquisque ea, quæ sui muneris sunt, exequatur. Et certe in hoc postremo duo priora includuntur: quia operari secundum habitum Virtutis affert secum voluptatem & utilitatem, quamvis non è convertio. Verum quamvis Amicitia conjugalis in hoc conveniat cum ceteris speciebus Amicitie honeste, adhuc tamen ab ijs differt quatenus peculiare rationem & proprietates certas habet, quas nuper explicuimus.

20 VINCULUM Verò conjugalis Amicitie, quo illa conservatur, & persistit, esse positum docet in procreatione filiorum, secuta ex coniugio. Cum enim coniugium præcipue spectet generationem proles, tunc perfectionem suam & finem assequitur, cum liberi procreantur: ac proinde tunc maxime confirmat Amicitiam, quæ inter coniuges est.

Idque etiam à contrario suadetur ex infecunditate aut sterilitate coniugum, qua utriusque amor refrigerat, & paulatim dissolvitur. Quare apud Romanos, non quidem à principio, sed circa annum D. LIII. ab Vrbe condita, infecunditas existimata fuit repudij iusta ratio: eoque tempore Spurius, seu P. Carvilius Ruga dicitur fuisse primus, qui libellum repudij dederit vxori: quod & illa se sterilem fateretur, & ipse iurasset vxorem habere gratia quærendæ proles. Ita enim testantur Gellius, & Valerius Maximus.

21 DENIQUE Si quisquam quærat quomodo, præter procreationem liberorum, vir & vxor, in ea conjugali Amicitia permanere possint, & rectam ac beatam vitam ducere; RESPONDET, id ab utroque stabiliter assequendum, si iustum inter eos sit: nimirum, si alter alteri vicissim præstet, quod ipsi debetur. Iustum enim inter vxorem, & virum non est generatim dictum, aut quale intercedit erga extraneos, amicos, sodales, condiscipulos: sed illud peculiare, quod exigitur à coniugio, & præstare debet alter alteri coniugum. Verum cum hoc potius ad OEconomicam, quam ad Ethicam pertinere videatur, noluit Arist. hoc loco explicare in quonam positum sit iustum proprium viri & vxoris, quatenus differt à iusto aliarum coniunctionum. Quomodo autem propter bonum ipsum matrimonij prohibita sint aut etiam permixtae donationes inter virum & vxorem, Iurisconsulti tractant, & in ijs eruditissimus ac pijsimus D. D. Laurentius Santos de San Pedro in lib. 6. Regularum Licinij Rufinij ad textum in leg. nam & Imperator 41. ff. de donat. inter virum & vxorem.

VIDE infra lib. 9. cap. 3. ex cuius doctrina circa ultimam partem illustrari admodum potest hoc caput.

VIDE D. Thomam 2. 2. quæst. 26. art. 8. 9. 10. & 11. atque illius Interpretes.



CAPVT

n

CAPVT DECIMVM TERTIVM.

De duplici iusto, & de compensanda Amicitia.

VM Autem tres sint amicitiae, (vt ab initio dictum est) & in vnaquaque alij sint pares amici, alij impares, nam similiter boni fiunt amici, & praestabilior deteriori: similiter & iucundi, & ob utilitatem etiam in commodis pares, & differentes. Pares quidem, tam amando, quam caeteris aequales esse oportet: impares autem id reddere, quod excellentiae ratio flagitat. Fiunt autem in amicitia, quae utilitatis est gratia, vel sola, vel maxime, incusationes non sine ratione, atque querelae. Qui namque sunt ob virtutem amici, proprii sunt ad beneficia sibi mutuo conferenda. Hoc enim est & virtutis, & amicitiae. Atque cum ad hoc certatim properent, nullae prorsus inter ipsos accusaciones, nec rixae fiunt. Nemo enim amanti, & beneficia conferenti succenset: sed, si sit gratus, beneficijs respondet. Atque qui in beneficijs conferendis exuperat, cum id assequatur quod cupit, non incusabit amicum: vterque enim bonum affectat. Nec in ijs, quae ob voluptatem constant, querelae nimium fiunt. Nam si simul degere gaudet, fit id simul ut risque quod appetit. Ridiculus autem videtur, & est, qui non delectante in incusat, cum liceat non conversari. At in ea, quae utilitatis gratia constat, locum incusaciones habent, atque querelae. Nam cum sese mutuo pro utilitate vtantur, semper indigent pluri: & minus, quam oportet, sese habere putant, & queruntur ex eo quia non tot assequuntur, quot indigent, cum sint digni. Qui vero conferunt beneficia, nequeunt tot conferre, quot indigent ijs, in quos beneficia conferuntur. Videtur autem vt duplex est iustum, aliud sine scripto, aliud lege: sic & eius amicitiae, quae utilitatis est gratia, alia moralis, alia legitima esse. Fiunt igitur incusaciones tum maxime, cum non per eandem commutant, atque dissolvuntur. Atque legitima quidem est ea, quae in definitis consistit: & quaedam est omnino sordida de manu in manu: quaedam liberalior, ad tempus, sed per pactiorem quid pro quo est. Est autem id, quod debetur, in hac manifestum, & non ambigitur. Habet autem dilationem ad amicitiam attinentem. Quapropter apud nonnullos tales non sunt iudicia, sed arbitrantur eos oportere contentos esse, qui fide commutarunt. Moralis autem non in definitis consistit, sed vt amicum quidem munere afficit, aut aliquid aliud in illum confert. Accipere autem dig-

dignū esse cēset, æquale, aut plus: quasi nō dederit, sed mutuaverit. Atque si non ut commutavit, dissolutio fit, inculcabit. Hoc autem ideo accidit, quia omnes, vel plurimi, volunt quidem honesta, anteponunt autem ea, quæ profunt. Atque honestum quidem est beneficia conferre, non ut vicissim suscipiantur: utile verò suscipere. Si potest igitur, dignū reddere oportet beneficiū ijs, quæ accepit, & sponte quidem: invitus enim non est faciendus amicus. Ut errore igitur in principio facto & beneficio, à quo accipere non oportebat, suscepto (non enim ab amico, nec ob id ipsū id faciente) dissolvere ipsū oportet, ut beneficio pro definitis suscepto, atque polliceri, cū posset reddere. Nam si non posset, nec dignū is, qui dedit, ipsū suo munere cēserit. Quare reddendū est, si habeat facultatē. In principio autem considerandū est, à quo nam beneficiū, & pro quo cōfertur, ut pro his suscipiat, aut nō suscipiat illud. Existit autē dubitatio, utrū eius, qui suscepit, utilitate metiri oporteat id, quod reddi debet, an eius, qui cōtulit beneficiū. Qui nāque beneficiū acceperunt, extenuantes id ipsū, ea dicunt sese cepisse, quæ parva erant illis, quæque ab alijs licebat accipere. Illi verò contrā, ea, quæ maxima rerū erant suarū, quæque ab alijs assequi non poterāt, & in periculis, aut necessitatibus talibus. An quia amicitia est ob utilitatē, utilitas eius, qui beneficiū suscepit, mensura est statuenda? Hic est enim, qui indiget, & huic fert opem, ut accepturus æqualē. Tantū igitur auxiliū fuit, quantū utilitatis habuit hic. Et reddendū est igitur tantū, quātū ipse consecutus est: vel etiā plus: est enim magis honestū. In amicitijs autē, quæ sunt ob virtutē, accusationes quidē non sunt. Mēsuræ autem similis est electio eius, qui beneficiū contulit. Id enim, quod est virtutis, ac moris præcipuum, in electione consistit.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI TERTII.

*Quomodo vitari sint querela in quolibet Amicitia genere: & in quonam eorum sint iustae. Porro illas præsertim locum habere in ea Amicitia fucata, quæ utilitate ducitur.
Regula ad illarum compensationem.*

AD CLARISSIMVM ET LITTERATISSIMVM

D. D. PETRVM DE SALCEDO,
PLVRIVM VOLVMINVM IAM EDITORVM FOETV CELEBREM,
REGIVM CONSILIARIVM IN SVPREMO IVSTITIÆ SENATV.



VM Statutum sit superioribus esse certa quædam officia, ad quæ omnes amici mutuo tenentur, iuxta variam rationē Amicitia, ne censeantur illius iura violare; nunc disserit de accusationibus & querimonijs inter

amicos excitari solitis, & summatim docet, ad eas impediendas, aut tollendas, compensari beneficia debere beneficio æquali. Dividitur autem caput in quatuor partes. In prima præscribit modum, quo vitari possint querimoniae in quolibet Amicitia genere. In secunda observat, in quibusnam Amicitijs iustae sint ac-
n 2 cula.

cusationes & querelæ. In tertia edisserit quomodo in ea Amicitia, quæ utilitate ducitur, sæpe excitentur querimonie & expostulationes. In quarta demum assignat mensuram & modum compensationis in eadem Amicitia, quæ est ob utilitatem.

2 CIRCA Primam partem revocat in memoriam, quod pluribus antea docuerat, tria esse genera Amicitie: & insuper addit, in quolibet eorum posse esse equalitatem amicorum, tum & inæqualitatem, ratione excellentiæ unius supra alterum: siue id genus honestate ducatur, siue iucunditate, siue etiam utilitate. Etenim in Amicitia honesta non semper amici æquè probi sunt, sed quandoque alter altero melior est: similiter & in Amicitia, quæ propter voluptatem initur, sæpe alter est altero iucundior, quamvis aliàs contingat, ambos æquè iucundos esse: & denique in ea Amicitia, quæ utilitate ducitur, fieri potest ut ambo æquè utiles sint, aut etiam inæqualiter. Ex qua observatione facile deprehendi poterit, qualiter præcavendæ sint querimonie in singulis amicitijs. Hoc autem fiet si huiusmodi regula servetur. Vbi amici fuerint æquales, debent se invicem in æquali mensura diligere, atque alter alteri vicissim æqualia officia ac beneficia rependere. Vbi verò inæquales fuerint, constituendus erit in amore aliquis certus gradus, qui secundum proportionem respondeat merito uniuscuiusque: ut proinde qui excellentior est, magis ametur, & maioribus obsequijs colatur: qui autem inferior est, diligatur minùs, & minoribus officijs ab altero cumuletur. Sic enim servatur inter ambos iustum consentaneum Amicitie: si fuerint æquales, secundum equalitatem arithmeticam: si autem inæquales, secundum geometricam, iuxta merita uniuscuiusque.

3 CIRCA Secundam partem observat, in quibusnã Amicitie generibus sint iustæ accusationes & querelæ, & facile excitentur: in quibusnam verò secus. Statuit autem in eo Amicitie genere, quod ob utilitatem est, plerumque ac potissimum querelas excitari, & quidem *ἐπιλόγως*, hoc est, rationabiliter & merito: in alijs verò generibus raro, idque irrationabiliter plerumque, siue absque iusta causa. Priorẽ huius resolutionis partem inferius probat. Posteriorẽ verò nunc suadet, ac primò quidem, in ea Amicitia, quæ honestate ducitur, & optima omnium est, accusationes & querelas nõ esse. Probat autem ferè sic. Omnis querela & accusatio inter amicos oritur ex eo, quod alter alteri non respondeat in amando aut benefaciendo. Atqui in ea Amicitia, quæ ob honestatem est, alter alteri correspondet in amando ac benefaciendo: cum ambo sint optimi, & præditi Virtute firma, quæ in id constanter inclinat. Ergo

in ea Amicitia, quæ ob honestatẽ est, nulla inter amicos querela aut accusatio oritur. PRÆTEREA. Vbi uterq; amicorũ consequitur totum id quod exoptat, neuter advertus alterum querelã habet. Atqui in Amicitia honesta uterque amicorũ consequitur id quod exoptat. Solum enim exoptat ut alter amicus bonus sit in se simpliciter & ipsi amico: quod certè atequitur dũ uterque supponitur bonus, tũ in se, tũ & relatè ad amicũ. Ergo in Amicitia honesta neuter amicorũ adversus alterum querelã habet.

4 DEINDE, Neque in eo Amicitie genere, quod voluptate ducitur, querelas excitari frequẽter, aut iusta ex causa, probat: Quoniam in Amicitia, quæ propter voluptatem est, oportet ut amici familiariter conversentur, & convictum seu consuetudinem una habeant. Ergo necesse est, ut in eo convictu & consuetudine percipiant voluptatem, aut non percipiant. Si primum asseratur, neuter in alterum querelam habebit, quoniam in amico invenit totum, quod exoptat, nimirum, voluptatem. Si autem secundum contingat, & neuter ab altero voluptatem capiat, sed potius exosum habeat illius convictum; nulla quoque erit querimonie iusta occasio: cum liberum sit unicuique eorum discedere ab ea consuetudine, quæ iam sibi iniucunda reddita est. Quod si verò adhuc nolit eam deserere, & tamen conqueratur alter illorum; *γέλως*, id est, ridiculus erit, inquit Arist. cum in eius voluntate situm sit non degere simul aut convictũ querere ab illo, ex cuius consuetudine nullũ capit oblectamentum. Ergo in ea Amicitia, quæ ob voluptatem initur, aut querelæ non sunt, aut iustæ non sunt.

5 CIRCA Tertiam partem docet, in ea Amicitia, quæ utilitatem siue commodum spectat, oriri frequenter accusationes, & querelas: ideoque ab eo dicitur *ἐγκληματικὴ*, id est, querula, seu expostulatrix, aut accusatrix. Causam verò præcipuam frequentis querimonie in eo sitam esse ait, quod uterque amicorum sola utilitate ducatur, & questum Amicitie faciat, ac non tam amicum, quàm utilitatem ex ipso, quærat. Vnde fit, ut si non percipiat ab eo tantum utilitatis, quantum sibi debet, aut posse conferri arbitrat, convertat in eum querelas, & accuset tanquam minùs beneficium. Cum verò & alter amicus sæpe existimet se satis largum esse in beneficijs conferendis, & minùs sibi rependi ab altero, quàm par esset, consequens est, ut & ille conqueratur, & vicissim accusationes querelasque spargat.

6 VERVM Cum utilitas duplex sit, & proinde ex ea duplex Amicitie forma consergere possit, ut utraq; innotescat satis, comparat Aristoteles Amicitiam utilitatis cum iusto, vel iure: quod duplex est: scriptum, videlicet, & non scriptum. Ex qua divisione fortè de-

desumpta fuit quæ habetur lib. I. Instit. tit. 2. ubi dum dividitur Ius Civile in sex species, hæc verba habentur: *Constat autem ius nostrum, quo utimur, aut scripto, aut sine scripto: ut apud Græcos, τὸ μὴ ἐκ τῶν ἐγγράφων, ἢ τὸ ἐκ τῶν ἀγράφων.* (id est, legum quædam scriptæ, quædam non scriptæ.) *Scriptum autem ius est, lex, plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratum edicta, responsa prudentium.* Et eodem titulo infra dicitur: *Sine scripto ius venit, quod usus approbavit: quoniam diuturni mores consensu utentium approbati, legem imitantur.* Ad quod ius non scriptum existimat Giphanius spectare id quod ex bono & æquo definitur: quoniam in eo non fertur iudicium iuxta aliquam legem scriptam, sed solum iuxta rationem naturalem, qua lex ipsa scripta corrigitur, ne ultra mentem & voluntatem Legislatoris extendatur: ut supra satis lib. 5. cap. 10. & lib. 6. cap. 11. dictum est. Vbi Aristot. iustum non scriptum nominavit, iustum naturale; scriptum verò, iustum legitimum.

7 **COMPARAT** Itaque Arist. hoc loco utilitatem utriusque iusto nuper explicato: ideoque eam duplicem facit. Altera est moralis, correspondens iusto non scripto: altera legalis, quæ similitudinem refert iuris scripti. Ex hac duplici utilitate ortum ducit Amicitia duplex: altera quæ utilitate morali, altera quæ legali ducitur. Prior apparet in eo, qui alteri utilis est secundum honestatem, & probatos mores. Posterior cernitur in illo, qui alteri utilitatem præstat ad præscriptum legum, & sanctionum iuris civilis. Hinc igitur apparet querelarum occasio inter amicos utiles, quoties non secundum eandem Amicitiam utilitatemque sibi invicem respondent. Alter enim alteri rem utilem exhibet, volens eam taxari iuxta legum præscripta: alter autem vult sibi eam exhiberi secundum honestatem & probatos mores. Exemplo illustratur. Titius Lælio amico exhibet amphoram vini, aut modium tritici, iuxta pretium lege constitutum. Lælius ægrè fert id sibi eodem pretio exhiberi ab amico, quo exhiberetur ab extraneo; putatque id minori pretio dari debuisse, iuxta probatos Amicitia mores. Ecce querela Lælij, quoniam nittitur utilitate morali, cum tamen Titius legali solum nitatur.

8 **DEINDE** Amicitias easdem utilitatis, legale, & morale, amplius exponit: ac de priore illarum asserit spectari potissimum in conditis, sive pactis & conventis utriusque partis. Rursus eam ipsam utilitatem legale dividit, ut duplex sit. Altera est forensis, seu prorsus venalis; & apparet maximè in emptione & venditione eius rei, quæ traditur *ἐκ χειρὸς εἰς χεῖρα, de manu in manum.* Quod pro verbum Græcum mutuatur Latini, atque in

primis Cicero in Epistola quadam ad Cæsarem pro Trebatio. Itaque eiusmodi utilitas legalis est omnino forensis, & sordida, qualem habent qui publice cibaria vendunt, & ea in manum emptoris tradunt, à quo pecuniam accipiunt. Altera utilitas legalis est aliquantò magis ingenua liberaliorque: in qua non statim pretium rei venditæ exigitur, sed differtur usque ad certum tempus, in quo emptor debeat solvere, & obliquatam fidem liberare ab onere suscepto. In quo ipso adhuc liberaliùs agitur, si pactio solvendi certo tempore, non consignetur scripto, sed solum bona fide emptoris, promittentis solutionem non ultra differendam iri. Vbi obiter notat Arist. (quod valde mirandum est, & morosis debitoribus huius temporis exprobandum) apud quædam gentes ita sacrum & inviolatum fuisse ius pactionis, seu promissionis eiusmodi, ut nulla essent tribunalia, aut iudicia publica, quæ de ijs cognoscerent: quoniam putabatur, neminem defuturum promissioni, aut fidei sue.

9 **AMICITIA** Autem utilitatis moralis, & legali opposita, non nittitur in conventionis, pactive utriusque partis, imò nec remunerationem expressè exigit, aut pretium rei, quavis id animo expetat. In ea namque ita alter amicorum donat alteri, ut nihil quidè circa remunerationem dicat, sed tamen illam speret, aut æqualem, aut etiam ampliore. Quamvis enim expressè asserat, se nullam omnino remunerationem velle, adhuc tamè verè illam sperat, eiusque intuitu largitur. Alioqui non Amicitia utilis esset, ut supponimus, sed honesta, aut iucunda. Cuius signum est, quod si postea alter amicus non redonet, nec respondeat opere accepta, prior statim in querelas & expostulationes prorumpat. Ergo verè intuitu utilitatis donavit, quavis verba aliud præferrent. quod sanè procul ab honesta & prorsus ingenua Amicitia est. Et ita plerumque accidit in ijs qui amici audiunt: quoniam, ut sapienter observat Arist. adeò insitum mortalibus est desiderium propriæ utilitatis aut comodi, ut etiam ijs, qui se nihil eiusmodi spectare profitentur dum donant, verè utilitate ducantur. Ceterum quoniam in hoc posteriori genere Amicitia utilis liberaliùs ac decentiùs agitur, quàm in priori; ideo Arist. eam morale nominat, veluti quoddammodo imitatricem Amicitia perfectæ. Sed tamen in illa querimonia occurrunt, & plures quàm in præcedenti: quoniam alter amicorum existimat sibi datum intuitu Amicitia, quod non, nisi ex fine remunerationis re ipsa exhibitum fuit: ideoque inter utrumque amicum utilem excitantur querelæ & expostulationes. In præcedenti verò, cum omnia secundum pactionem aut legem præscribantur, non est æqualis occasio querelarum.

10 HINC Gradum facit ad monita aliqua, quibus eiusmodi accusationes, seu expostulationes impediuntur, aut saltem minuuntur. PRIMVM est, ut qui aliquid ab amico accepit, si possit, reddat tantundem, siue pro dignitate accepti: quemadmodum si non ab amico, sed ab extraneo accepisset, tenereturque solvere æquale iuxta legem, aut pactiōnem. Quin & expedire monet, amicum dum ab altero recipit, significare verbis se gratum fore, ac memorem beneficii recepti. Sic enim alter intelliget, se non frustra dedisse. Si autem non possit æquæ rependere, quoniam facultates nō suppetunt, hortatur cap. sequenti, ut reddat, *Et dicitur, quantum potest*, siue secundum facultatem quam habet. Hoc enim modo gratum animum ostendimus, vel erga parentes, atque in Deum ipsum, quanquam ijs non possumus reddere æquale. Ergo & eodem modo facimus satis beneficijs amicorum, quando non possumus tantundem reddere. SECVNDVM est, unicuique diligenter considerandum esse antequam beneficium ab amico accipiat, utrū sibi facultas sit ad reddendum æquale, aut amplius, aut solum minus. Quod si postremum hoc deprehenderit, monet ut absteat à beneficio recipiēdo, ne postea ex inæquali remuneratione querelæ in amico orientur. Sed hoc intelligendum censeo, ubi amicus conferens beneficium aut donum, nescit impossibilitatem alterius amici ad æqualem retributionē. Nam si illam probè perspectam habeat, videtur purè & omnino liberaliter donasse; saltem quo ad excessum supra facultates ipsius.

11 CLICA Quartam partem assignat modum seu regulam compensationis, ut querelæ inter amicos utiles dirimantur. Quod ut doceat, quæstionem excitat opportunam. Fieri solet ut inter eos, qui Amicitiam invicē ducunt utilitatis gratia, videantur beneficia, magna quidem danti, verum exigua accipienti. Frequenter enim accidit, ut qui beneficium siue donum recipit, illud extenuet, contendatque non fuisse magnum, nec indebitum, nec difficile iuxta facultates largientis: contra vero largiens velit magnum fuisse, & indebitum, atque eo tempore collatum, quo indigentiam patiebatur. Cum vero in hac controversia, quæ ad privatam amborum causam spectat, neuter sit idoneus iudex, querendus erit quidam alius, qui dirimat quæstionem, & arbitretur, an sit standum iudicio dantis, an accipientis: & an beneficium sit æstimandum iuxta unius ne-

cessitatem, aut alterius beneficentiam. Et quavis Arist. lib. seq. cap. 9. Acrius hanc ipsam controversiam exagitet, nunc breviter illam decernit sub hac distinctione. Aut loquimur de Amicitia illa perfecta quæ ob honestatem est, aut de illa degeneri, quæ ducitur utilitate. Ut in illa priori quidem spectari debet beneficentia dantis: in hac vero necessitas seu utilitas accipientis.

12 RATIONEM Verò huius discriminis ex eo assignat: quod in hac posteriori Amicitia, tam ille qui petit & accipit beneficium, quam qui confert, respiciunt indigentiam, cui uterque consulere vult. Itaque mensura beneficii non erit æstimanda secundum iudicium dantis, qui sæpius se dedisse magna putat, cum exigua sint. Quare superest ut æstimetur secundum indigentiam accipientis, & commodum, siue adiuventum, quod ex beneficio recepit. Cum vero huius indigentia & adiuventi nemo satis conscius esse possit, nisi ille qui recepit, & penuriam primum, ac deinde commodum expertus est, eius iudicio standum erit. In priori vero Amicitia potius spectatur voluntas & electio dantis, quam pretium doni, aut utilitas, vel indigentia accipientis. Quippe voluntas & electio in omni Virtutis actu principem locum habet: proindeque & in Amicitia perfecta, quæ aut Virtus est, aut Virtutem comitatur: ut initio huius libri dictum est. Ergo donum ex ipsa procedens æstimandum erit iuxta amoris, siue voluntatis & electionis mensuram. Quod ipsum docet Seneca illis verbis: *Beneficium non in eo quod sit, aut datur, consistit: sed in ipso dantis aut facientis animo. Animus est qui parva extollit, sordida illustrat, magna & in pretio habita debonestat. Si beneficia in rebus, non in ipsa benefaciendi voluntate consisterent, eò maiora essent, quò maiora sunt que accepimus. Nonnunquam enim magis nos obligat qui dedit parva magnificè, qui Regum æquavit opes animo, &c.* Et in Evangelio laudatur muliercula, quæ exiguam monetam in gazophylacium misit. Theophrastus quoque monet, non spectandum, an quis magnas & sumptuosas hostias macet, sed an sape: quoniam frequen-

tia pietatem animi ac voluntatem denotat: magnitudo autem & sumptuositas certior divitiarum, quam pietatis, index est.

* * *

CAPVT DECIMVM QVARTVM.

DE QVERELIS AMICITIAE IN EXCELENTIA,
& de abdicatione.

T verò dissentiunt & in amicitijs, quæ in excellentia cōsistunt: nam vterque dignum existimat plus habere. Atque cū hoc non sit, dissolvitur amicitia. Qui namque præstabilior est, plus habere oportere se putat: plus enim tribuendum est bono. Eadem censet & qui magis utilis est. Si namque quispiam inutilis sit, non æquale inquit ipsum habere oportere. Subministrationem enim, & non amicitiam fieri dicunt, si non pro dignitate operum ea fuerint, quæ ab amicitia fiunt. Nam vt in pecuniarum societate plus ij capiunt, qui plures pecunias conferunt, sic arbitratur & in amicitia fieri oportere. Qui verò eget, & qui est inferior, contra: ad amicum namque bonum spectare censet egentibus opem ferre. Quid enim prodest, inquit, amicum esse quempiam studioso viro, aut potenti, si nihil consecuturus sit inde? Videtur autem vterque rectè censere. Atque plus quidem vtrisque est ex amicitia tribuendum, non tamen eiusdem rei. Sed excellenti quidem honoris, egenti autem lucri. Virtutis enim, & beneficentiæ præmium, honos est: indigentia vero auxilium, lucrum. Hoc ita se habere & in rebus publicis constat. Non enim is honoratur, qui nihil boni Reipublicæ præstat. Id enim, quod est publicum, ei tribuitur, qui beneficia in Rempublicam confert. At honor, publicum est. Non enim fit vt simul quispiam pecunias a Republica, atque honorem accipiat. Nemo namque fert in omnibus maius habere. Qui igitur in pecunijs imminuitur, ei honorem tribuunt. Qui verò munera suscipit, ei pecunias dant. Quod enim fit pro dignitate, id æquat, & conservat amicitiam, vt est dictum. Sic igitur & ijs est agendum, atque coagrediendum, qui impares sunt. Et is, qui in pecunijs, aut virtute utilitatem accipit, reddat honorem oportet, id reddendo quod potest. Amicitia nāque id exposcit, quod fieri potest, non id, quod est pro dignitate. Neque enim in omnibus est, vt in honoribus erga deos, aut parentes: nemo enim vnquā dignū reddere potest. Sed qui quoad potest obsequitur, bonus, & æquus esse videtur. Quapropter constat, patrē quidem non licere filio abdicare, filiū autē patri licere. Debentē

enim

enim reddere oportet. At quicquid egerit, nihil unquam ijs dignum fecerit, quæ à patre suscepit. Quare semper debet. Quibus autem debetur, potestas est dimittendi. igitur & patri. Simul autem nemo forsitan unquam sese movere videtur, nisi ille exuperet pravitate. Nam absque amicitia naturali, humanum est, auxilium non negare. Illi autem fugiendum est, aut non studendum opem afferre, cum sit pravus. Plerique enim suscipere beneficia volunt, conferre autem nolunt, ac fugiunt ut inutile. Sed de ijs quidem eousque sit dictum.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMIQUARTI.

Expostulationes, seu querelas etiam oriri ex Amicitia excellentia, seu inter inaequales. Radix earum, ac modus, quo præcaveri possint. Digressio de abdicatione filij, an liceat patri, & e contra.



PRÆCEDENTI Capite dictum est de querelis, seu accusationibus, inter amicos excitari solitis, unversè & generatim loquendo. Nunc verò nominatim agitur de ijs, quæ oriuntur inter eos, qui vinculo Amicitiae καὶ ὑπερβολῶν, secundum excellentiam adstricti sunt: nimirum, inter illos amicos, quorum alter altero excellentior est, vel Virtute, vel genere, vel opibus, vel autoritate, aut dignitate. Dividit autem caput in tres partes. In prima docet, saepe querelas & discordias excitari in ijs, qui Amicitiam profitentur secundum excellentiam. In secunda aperit causam unde exoriantur, simul & præscribit modum, quo præcaveri aut abscindi possint. In tertia demum infert corollarium quoddam ex eadem doctrina.

2 CIRCA Primam partem docet, in prædicto Amicitiae genere exoriri plurimas amicorum querelas, quibus ipsa dissolvitur. Neque id mirum esse: quoniam plurimæ causæ existunt ut alter amicorum de altero conquereatur. Prima est quod uterque eorum, id est, tam superior, quam inferior, plus sibi deberi arbitretur, quam ab altero accipiat: idque, sive in ea Amicitia, quæ honestate ducitur, sive in ea, quæ utilitate. In priori enim illarum, qui Virtute præminet alteri putat sibi plus tribuendum, quoniam viro probò & Virtute prædito, plus debetur. In posteriori etiam is, qui utilitate præcellit, ideo sibi magis tribuendum putat, quod iniquum appareat, eum, qui minus utilis est, equale commodum ex Amicitia reportare. Idque illustrat exemplo liturgiæ, quæ apud Athenienses fuit cuiusdam publici muneris administratio, in qua oportebat liturgum, id est, ipsam administratorem, ingentes sumptus de suo facere in bonum Reipublicæ. Ut enim refert Livius, Atheniensis Reipublica erat pau-

perissima, & plus animo, quam opibus, nitentur ad magna quælibet aggredienda. Vbi autem clavis paranda esset, aut bellum ineundum, aut festa aliqua splendide celebranda; committebantur sumptus alicui ex civibus opulentiori, qui de suo erogaret quod necessarium eiset rei gerendæ. Ei autem pro tot expensis, & tanta bonorum iactura, seu imminutione, ingens honor à Republica exhibebatur. Quippe non alia poterat remuneratio exhiberi, quam honoris, pro magnis sumptibus in bonum Reipublicæ factis.

3 HINC Igitur innotescit ratio querelarum in amico præcellenti secundum utilitatem: quod cum is longè maiores impensas faciat in utilitatem alterius, quam ab eo recipiat, arbitratur id sibi ab illo compensandum vberioribus officijs gratitudinis & honoris; quemadmodum ingentes expensæ apud Athenienses liturgo compensabantur honoribus à Republica exhibitis. Et quemadmodum liturgus iustam haberet expostulationis causam, si pro magnis sumptibus non sibi redderetur excellens honor; ita amicus utilitate superior censet iustam sibi esse querimoniæ causam, si quantum excedit alterum in exhibendis ipsi officijs utilitatis, non tantundem recipiat ab eo gratitudinis & honoris. Aut etiam querela præstantioris est quod Amicitia, sive societas, non cedat in maiorem sui utilitatem, cum ipse maiores impensas faciat. In hac enim Amicitia, verè degeneri, & impropria, perinde se habere vult amicus utilior, ac inter mercatores societatem ineuntes is, qui plus de suo contulit ad mercimonium. Quemadmodum enim hic contendit, plus sibi ex lucro tribuendum esse, quam alijs, quoniam maiorem quantitatem lucro exposuit in consortio aliorum; ita etiam amicus utilior vult maiorem sibi utilitatem ex Amicitia provenire, quia maiorem

uti-

utilitatem alteri amico attulit, quàm ab eo recepit. Quod si recuset alter, conqueritur, & accusat superior.

4 ALIUNDE Verò inferior contra superiorem amicum regerit querelas, siue in honestate inferior sit, siue in utilitate. Nã qui inferior est, arbitratur, vel ex eo ipso, quod minus Virtutis aut facultatum habeat, suppeditandum sibi largiùs ab eo qui honestior aut opulentior est. Decet enim, ut qui maiorem affectus est probitatem & prudentiam, largiùs etiam monitis & consilijs instruat amicũ minus probum prudẽtemve, quàm ab eo instruat. Similiter & decere videtur, ut qui inter amicos vtilis opulentia præcellit, largiùs beneficia effundat in alterum longè minus divitem, quàm ab eo recipiat. Indignum enim apparet ac fordidum, ut in tanta facultatum inæqualitate ambo equaliter contribuant, quẽ admodum fit inter ementes ac vendẽtes in foro. Itaque in utroque Amicitia genere, tam superior, quàm inferior, videtur sibi habere contra alterum iustam causam querelarum.

5 CIRCA Secundam partem decernit, utrumque amicorum quoddammodo causam habere ex postulationis: quoniã verò vnicuique illorum plus debetur ab altero; sed nõ in eadem materia, aut eodem prorsus modo. Superiori enim secundum honestatem aut utilitatẽ, plus honoris debetur ab inferiori; huic verò plus utilitatis aut quæstus impendi debet à superiori. Quod probat Arist. tum ratione, tum & exemplo. Ratione quidem primò ex parte superioris, deinde ex parte inferioris. Ex parte superioris: Quia præmium Virtutis tribuendum est præstantiori. Atqui honor est præmium Virtutis. Ergo honor tribuendus est præstantiori. Ideoque qui inferior est, aut probitate, aut utilitate, compensare debet defectum seu inæqualitatem suam amplioribus officijs honoris erga superiorem. Ex parte autem inferioris suadetur: Quoniã id quod est subsidium indigentia, dari debet indigenti & inferiori. Atqui utilitas maior & quæstus est subsidium indigentia. Ergo maior utilitas & quæstus dari debet inferiori.

6 EXEMPLO Rem illustrat in Rebus publicis, apud quas in more positum est, ut iuxta qualitatem & merita civium, ijs præmia aut bona communia conferantur; & dignioribus quidem honor, minus autem dignis pecunia. Quò circa sententiam profert Arist. quæ in proverbium abiit: *ὃ γὰρ ἰσθὶν ἄμεινον κρηματίζεσθαι ἀπὸ τῶν κοινῶν, καὶ τιμῶσθαι. Non enim contingit simul lucrari ex rebus publicis & honorari.* Cui consonat adagium Hispanicum: *Honra i provecho no caben en un saco.* Sic igitur, ut querelæ inter amicos inæquales vitentur, superiori deferendum est plus honoris, inferiori verò plus utilitatis. Et sanè qui su-

perior est, ea compensatione debet esse contentus: quoniã Virtuti & beneficentiæ nulla esse potest remuneratio ita excellens, ac honor. In quod illustradum affert Giphanius celebrem locum Ciceronis in Orat. pro Muræna, ita loquentis: *Homines tenues unum habent in nostrum ordinem, aut promerendi, aut profereudi beneficij locum; hanc in nostris petitionibus operam atque affectionem: à quibus si domus nostra celebratur, si interdum ad forum deavocimur, si vno Basilicæ spatio honestamur, diligenter observari videmur. & coli, & c. Noli igitur eripere hunc inferiori generi hominum fructum officij.* Cato. *Sine eos, qui omnia à nobis sperant, habere ipsos quoque aliquid, quod nobis tribuere possint.* Idem quoque Cicero lib. 2. Offic. præscribit tenuioribus hominibus modum alium solvendi beneficia: si, nimirum gratiarum actione respondeat: & inter alia inquit: *Inops ille, si bonus est vir, etiamsi referre gratiam non potest, habere certè potest.*

7 VERVM Cùm sepe statutum fuerit in hoc libro, Amicitiam in æqualitate sitam esse, videtur necessum ut ab æqualitate, ac proinde ab Amicitia, discedant ij, quorum alter honorem utilitate compensat, alter honore utilitatem. Cùm enim officia hæc mutua retributionis nõ sint æqualia, videtur ijs Amicitia, non tam servari, quàm dissolvi. Verum obiectionem hanc præoccupat ipse Arist. & statuit, posse Amicitiam servari, quamvis alter alteri non rependat æquale, modo rependat quantum potest. Si enim accidat ut quis adeo inferior sit, vel in utilitate, vel in honestate, ut nullatenus possit tantundem reddere superiori; iudicio prudẽtium faciet satis obligationi suæ, modo reddat quantum potest; & si nequeat in eadem materia solvere, reddat in alia. Quod illustrat exemplo hominum ad Deum, & filiorum ad parentes. Etenim in Amicitia, siue hominis ad Deum, siue filiorum ad parentes, non potest fieri cõpensatio pro dignitate. Quantumlibet enim homo Deum veneretur & colat, quantumvis filij diligant & obervent parentes suos, nunquam adequabunt beneficium acceptum, cum debeant ipsis quidquid iunt. Quod si verò quisquam eorum eos veneretur & observet *eis s. q. m. pro facultate*, siue quantum potest; is plane videbitur *εὐτακτὸς, bonus & æquus.* quod sufficit ad eam æqualitatem proportionis servandam, quam exigit Amicitia secundum excellentiam.

8 CIRCA Tertiam partem digreditur quoddammodo occasione doctrinae præcedentis, qua tradiderat filios non posse reddere parem gratiam beneficio accepto à parentibus. Et inquit, verum filio liceat patrem dimittere, seu abdicare, vel patri filium domo expellere, & auferre ei omnia iura, ac si filius non esset. Quod totum videtur significare, tam

tam in patre, quā in filio, vox infinitivi ἀπει-
 πασθαι, id est, *abdicare*. Quod enim filius abdi-
 cet patrem, significat abijcere illum à se, nec
 de illo cogitare iam magis, quā si pater non
 esset. Quod verò pater abdicet filium, denotat,
 non modò illum domo depellere, sed & pri-
 vare omni iure ad paterna bona, neque habe-
 re illum pro filio. quod est plusquam exhere-
 dare ipsum, ut Valla docet lib. 5. quia exhere-
 dare solum est expellere filium ab hereditate:
 abdicare autem filium, est privare illum omni
 iure filiationis, & rejicere, seu alienare pror-
 sus à familia. Quod olim apud Græcos fiebat
 publice, & sub voce præconis: ut testatur Pla-
 to lib. 9. de Legibus. apud Romanos etiam lo-
 cum habuit; sed rarius: ut constat ex Seneca
 lib. 2. Controv. & Quintiliano lib. 7. cap. 4. &
 5. ubi recēset iustas abdicacionis causas: quas
 & commemorat Alciatus lib. 2. cap. 27. For-
 mulam verò abdicacionis profert Giphanius
 ex Valerio Maximo, apud quem Torquatus
 contra filium suum Silanum ita pronuntiat:
*Gaius Silianum filium meum pecunias à socijs ac-
 cepisse mihi probatum sit, & Republica & do-
 mo mea indignum iudico, protinusque è conspe-
 ctu meo abire iubeo.*

9 SED Accedendo ad rem ipsam, si-
 ve resolutionem quæstionis, decernit Arist. li-
 citum videri patri abdicare filium, non tamē
 filio patrem: quoniam pater perpetuus est cre-
 ditor filij: si ius autem perpetuus debitor pa-
 tris. At creditor potest dimittere debitorem;
 non è contra. Ergo pater potest dimittere fi-
 lium; non è contra. Quam rationem, procul-
 dubio efficacissimam, oportet per partes di-
 gerere. Ac primò quidem, filio non licere ut
 abdicet patrem, probatur ex doctrina præia-
 cta circa impotentiam ad reddendum æquale
 Deo, & parentibus. Qui quis alteri semper de-
 bitor est, & ita ut nequeat suum debitum ad
 æqualitatem solvere; is non potest abdicare
 creditorem: sic enim à debito liberaretur, con-
 tra hypothefim. At filius semper est debitor
 patri, & ita ut nequeat suum debitum ad æqua-
 litatem solvere. Ergo filius non potest abdi-
 care patrem. Jam verò quòd pater possit ab-
 dicare filium, suadetur opposita ratione. Vni-
 cuique enim creditori licet debitorem dimic-
 tere, seu debitum condonare. At pater est cre-
 ditor filij. Ergo patri licet filium dimittere,
 seu debitum ipsi condonare. Hoc autem planè
 est ipsum abdicare, seu velle haberi pro non
 filio: nam alioqui, si filius in morali aestima-
 tione maneret, semper esset debitor, etiam post

dimissionem: quod est contra hypothefim.

10 DENIQUE Hortatur parentes
 ne filios abdicent facile, sed solum iusta ex
 causa. Neque enim humanum est, multò mēnus
 autem paternum, ut quis domo eiciat, & ve-
 luti omnino extraneum reputari velit filium
 suum, nisi ob insignem aliquam improbitatē,
 qua se dignum præstiterit tam ingentis pœnæ.
 Quod præterea duplici ratione probat. Pri-
 mo: quia parentibus insitus natura est amor
 in filios. Ergo, cum amare sit velle bonum ad-
 teri, insitum etiam ijs est, ut filijs velint bonū.
 Ergo nunquam putandum, parentes velle filijs
 tantum malum, quantum est abdicacionis, nisi
 insolenti aliquo illorum crimine moveantur
 ad abdicandum. Deinde id ipsum evincit amor
 parentum ipsorum erga se. Insitum enim
 amoris parentum ipsorum erga se, naturale est
 nolle domo depellere & abijcere adiumenta
 & præsidia ad proprium bonum stabilicendum
 & conservandum. At filij sunt adiumenta &
 præsidia quadam ad proprium bonum paren-
 tum stabilicendum & conservandum. Sunt enim
 solatio, & subsidio, præsertim in senectute pa-
 rentum, eosque faciunt immortales quoddam-
 modo in prole, sive progenie, quam ulterius
 ducunt. Ergo insitum amoris parentum erga se;
 naturale est nolle domo depellere & abijcere
 filium. Cum verò nemo opereatur contra insi-
 tum sui amorem, nisi raro, idque ex gravissimā
 & insolenti causa; existimandum est, nemini
 parentum abdicaturum à se filium, nisi ex gra-
 vissima & insolenti causa. Nimirum, quando
 ad statum deploratissimum devenerit, & pla-
 nè perditus sit.

11 E Contra ait in filijs, præsertim
 improbis, accidere. Facile enim à patre disce-
 dunt, & ipsi auxilio esse negligunt, præsertim
 in ætate deversa & imbecilla valetudine, ubi
 subsidio opus habent. Rationemque indicat:
 Quoniam hominibus plerumque solemne est,
 ut beneficium recipere, quā dare malint:
 quoniam utilitatem apprehendunt in recipiē-
 do, nullam autem in largiendo. At filij in eo
 quòd parentibus auxilio sint, non recipiunt
 beneficium, sed dant. Ergo nullam in hoc uti-
 litatem apprehendunt. Quo fit, ut facile par-
 tes suos deserant, & in senectate aut imbecilla
 valetudine subsidio ijs esse nolint. Contra
 quos invehitur proinde Cicero lib. de Aruf-
 picum responsis, dum ait: *Parentibus
 nos primum natura conciliat,
 quos non alere nefa-
 rium est.*

LIBER NONVS

ETHICORVM.

SVMMA LIBRI.



PROSEQVITVR Aristoteles tractationem præcedenti libro inchoatam, quæ ferè tota fuit de Amicitia: & illam præsertim, quæ in querelis amicorum, & expostulationibus sita est. Videtur autem totus hic liber distribui in tres partes. In prima persequitur inchoatam de querelis & officijs amicorum disputationem: in eaque impedit tria prima capita. In secunda, quæ totidem alia sequentia completitur, præscribit normam officiorum Amicitiae: differitque de Benevolentia, & Concordia, quæ sunt ipsi affines. In tertia denique completitur sex quæstiones satis graves, totidem capitibus comprehensas.

CAPVT PRIMVM.

Quæ conservant Amicitiam.



IN omnibus autem amicitijs, quæ sunt dissimiles specie, comparatio rationum: æquat, atque conservat amicitiam, ut est dictum, ut & in civili societate, futuri pro calceamentis, & textori, & cæteris pro dignitate permutatio fit. Atque his quidem cõmunis habetur mensura, nummus ipse, ad quem omnia referuntur, & quo mensurantur. In amatoria autem amicitia interdum amator queritur quòd supra modum amans non vicissim ametur, nihil habens fortè amabile. Interdum is, qui adamatur, quòd cum prius cuncta polliceretur, nunc nihil facit. Fiunt autem talia, cum ille quidem ob voluptatem adamatum, hic autem ob utilitatem diligit amatorem, & hæc non adsunt utrisque. Nam cum propter hæc sit amicitia, fit dissolutio, cum ea non fiunt, gratia quorum amabant. Non enim se mutuo amabant, sed ea, quæ inerant, quæ non permanent. Quapropter tales & amicitiae sunt. Mo-
rum

rum verò amicitia, cùm per se sit, permanet, vt dictum est. Dissertunt autem & cum alia fiunt ipsis, & non ea, quæ appetunt. Est enim simile, ac si nihil fieret, cùm non id assequitur, quod affectat. Quale fecit & qui citharædo pollicebatur, quâto melius cætaret, tantò se plura daturũ. Postridie verò reposcenti promissa, voluptatẽ reddidisse dixit pro voluptate. Si igitur vterque hoc affectaret, satis vtique haberet. Sin verò ille voluptatẽ, hic lucrum affectabat, & alter habet, alter non habet: nõ bene sese habet ipsa societas. Quorũ enim indiget vnusquisque, hæc & assequi vult, & horũ gratia dabit ea, quæ habet. Vtrius autẽ est æstimationẽ facere, eiusne, qui dat, an eius, qui primò accepit? Nã qui dat, videtur illi permittere: quod quidẽ & Prothagorã fecisse aiunt. Cũ enim docuisset ea, quæ profitebatur, discipulum æstimare iubebat, quanti ipsi viderẽtur ea, quæ sciret, & tantũ accipiebat. Nonnullis autẽ in talibus satis est illud: Sufficiens socio merces sanẽ est statuenda.

Qui verò prius acceperũt argentũ, deinde nihil eorũ quæ promiserũt, ob exuperationẽ promissionũ efficiũt, meritò incusantur. Nõ enim perficiunt ea, quæ pepigerũt. Hoc autẽ fortasse sophistæ facere cõpelluntur, quia nemo daret pro ijs, quæ sciũt, argentũ. Hi igitur, ea, pro quibus acceperũt mercedẽ, non efficientes, meritò accusantur. Eorũ autẽ, in quibus subministrationis non fit pactũ, qui propter se ipsos exhibẽt, incusationibus carẽt, vt diximus: talis est enim ea amicitia, quæ ob virtutẽ conflatur, remuneratioq; faciẽda est electione: hæc enim est amici, atq; virtutis. Sed est faciendũ & in societate, quæ fit ob philosophiã. Non enim tãtæ dignitati pecuniæ æquari possunt, nec honos patris vnquã fiet momenti. Sed satis est forsità, vt & ad deos, atque parentes, id, quod fieri potest. Quod si datio nõ sit talis, sed pro aliquo, maximè quidẽ oportet forsità retributionẽ fieri, vt vtriusque videtur esse pro dignitate. Si verò hoc non accidit, nõ solũ necessariũ, verũ etiã iustũ ipsum præhabentẽ hanc ipsam statuere. Nam si quantũ hic utilitatis habuit, aut pro quanto voluptatẽ expetit, tantũ ille receperit, dignã de hoc remunerationẽ habebit. Etenim in rebus venalibus ita fieri cõstat. Et quibusdã in locis sunt leges, quæ verãt, spõte actorũ cõtractuũ iudicia esse: propterea quod oportet vnũquẽque ad eũ, qui credidit, sic dissolutionẽ facere, vt societate contraxit. Putant enim, eũ iustius esse statuere, cui permissum est, quã eum, qui permisit. Etenim plerũq; nõ æquẽ æstimant qui habent, & qui accipere volũt. Sua enim cuiq; & ea, quæ dat, multo videtur pretio digna. Attamẽ retributio fit ea, quã statuũt ij, qui capiunt, quantitati. Oportet autem fortasse non tanti æstimare, quanti videtur dignum habenti, sed quanti æstimabat antea, quã haberet.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

Quibus potissimum praesidijs stabiliatur Amicitia dissimilium, seu inaequalium: & unde oriatur multiplex illorum querela. Remedium in compensatione situm esse, eaque à iudice idoneo praescripta. Quomodo illa sit facienda.

AD ILLUSTRISSIMUM ET NOBILISSIMUM HEROEM,
D. D. G A R S I A M D E M E D R A N O,
ANTIQUISSIMÆ DOMVS ET TVRRIS S. GREGORII
TOPARCHAM, REGIVM CONSILIARIVM IN SVPREMIS SENATIBVS
IVSTITIÆ, FIDEI, ATQVE INTERIORIS CVBICVLI, OLIM IN
SALMANTICENSI ACADEMIA VESPERTINVM IV-
RIS CANONICI ANTECESSOREM, ET VE-
TERIS COLLEGII D. BARTHOLO-
MÆI TOGATVM, &c.



VM Tot dicta sint precedenti libro de multiplici ac diversa Amicitia hominum equalium & inaequalium, superiorum & inferiorum inter se, pergit Arist. ad assignandum causas accusationum, quae saepe inter amicos excitantur, & earum cautionem, seu remedia opportuna, ut sic Amicitia facta tecta seruetur. Dividit verò caput in quatuor partes. In prima querit, quidnam sit illud, quo Amicitia inaequalium, sive dissimilium conservari queat. In secunda observat, accusationes & querimonias esse in ijs Amicitiae formis, in quibus analogum, seu proportionatum non retribuitur. In tertia decernit, eiusmodi querelas compensationis aestimatione tolli; assignatque iudicem idoneum eius aestimationis. In quarta demum praescribit modum, quo ipsam compensationem facere oporteat.

2 CIRCA Primam partem, exquirat & demum invenit remedia idonea stabiliendae Amicitiae inter homines inaequales, sive dissimilis conditionis: quoniam ij praecipue ratione disparitatis ac diversarum artium invicem in querelas & expostulationes prorumpunt. Remedium verò potissimum esse ait, quod libro precedenti traditum relinquit: ut analogum secundum dignitatem inter utrumque amicum seruetur: nimirum, illa mensura, iuxta quam, rebus bene expensis, officia mutua amicorum ad aequalitatem geometricam, sive proportionis, redigantur. Sic enim servabuntur amicitiae dissimilium, praesertim vulgares illae, quibus invicem colligati sunt, quamvis leviter, in eodem eisdem civitatis. Ideo & exempla proponit opificum, inter quos ad qualemqualem Amicitiam stabiliendam oportet servari analogiam, seu proportionem; sicut & ad servandam Iustitiam, cui affinis est Amicitia: quoniam utraque spectat aequalitatem, sive arithmeticam, sive geometricam. Porro exemplum quod affert in sutori & textore, pro-

aequalitate geometrica Iustitiae Politicae, proindeque & Amicitiae est. Sutori enim non redditur calceus pro calceo, nec textori textura pro alia textura: sed aliquid proportionatum alterius generis, ut frumentum, vinum, aut pecunia; quo fit compensatio, sive aequalitas proportionis. Sic igitur in Amicitia dissimilium facere oportet, ut proportionatum alterius generis reddatur, quemadmodum in Iustitia Politica.

3 VERVM Monet, adhuc esse latum utriusque discrimen: quoniam aequalitas necessaria ad servandam Iustitiam Politicam facile deprehendi potest: cum mensura quaedam communis adinventata sit (nimirum, nummus) iuxta quam facile taxari possit pretium rei datae & acceptae, ut proinde aequale sit. Est enim nummus eius institutionis & valoris apud homines, ut etiam ea, quae secundum naturam prorsus diversa sunt, beneficio ipsius ad proportionem & aequalitatem redigantur. Hoc autem admodum servari in Amicitia non potest: quoniam beneficia quae sibi invicem amici communicant, non tam in rebus ipsis externis & corporatis sita sunt, quam in animorum affectibus: qui, quemadmodum sub sensum non cadunt, ita neque exacte mensurari & proportionari possunt.

4 CIRCA Secundam partem observat, frequentes esse expostulationes, seu querelas inter amicos, qui arbitrantur sibi non reddi aequale adhuc secundum proportionem, seu aequalitatem analogam. Quandoque enim conqueruntur de minori affectu alterius amici erga se, quam par sit: quandoque autem de impari retributione secundum bona externa. Quo ad priorem querelarum causam exemplum adhibet in ijs, qui amantes supra modum, non redamantur aequaliter: ideoque conqueruntur quod sibi par non reddatur. Quae accusatio quandoque iusta esse potest: quandoque non iusta, nec rationi consentanea. Iusta quidem vi-

debi-

debitur si amator dignus aequali redamatione sit. Iniusta autem si amator aut sit deformis, aut alia ex causa non sit amabilis, saltem amore aequali. Et haec quidem est prima querelarum causa inter eos amicos, sive amatores, quos *εραστεις* nominat, & Latine amafios dicimus. Posterior querelarum occasio cernitur in eo qui, cum non amet, sed solum ametur, accusat amatorem, quod parcus fuerit in largiendo externa bona. Promissit enim aureos montes: & tamen repta praestitit parum aut nihil. Quam etiam querelam Arist. docet esse posse modo iustam, modo iniustam. Erit iusta, si is qui amatur nihil praestitit, quo demereatur adimplerionem promissi: iniusta autem, si aliquid egerit, quo te indignum munere promisso reddat.

5 HUIUS Querelae posterioris originem ait sitam esse in voluptate unius, & alterius utilitate: quarum quaelibet si, postquam sperata fuit, non exhibeatur ab amico, in querelas accusationesque alterum eorum excitat. Quod certe in Amicitia perfecta, sive proborum, non habet locum: ut saepe libro precedenti dictum est, praesertim cap. 13. Quandoque etiam fontem eiusmodi querelarum docet consistere in eo quod licet amico retribuatur bonum aliquid externum, non tamen illud, quod promissum est, aut quod in votis habebatur, sed longe aliud. Quo fit, ut donum, sive munus ingratum sit recipienti, & perinde ab eo reputetur, ac si nihil omnino accepisset. Cuius querelae exemplum petit lepidissimum in citharædo, cui aliquis promissit praemium, & eo maius, quo dulcius caneret. Cum vero ille dulcissime cecinisset, ac deinde praemium a promissore exigeret, respondit hic, se iam implevisse promissum: quia cum citharædo habuisset aequalem voluptatem in canendo, ac promissor in audiendo, iam aequalis voluptas pro alia aequali reddita fuerat citharædo. Verum hic conquerebatur, & contendebat, sibi non fuisse promissam voluptatem, sed quidquam aliud. Simile est illud C. Cæsaris, Græculo poetæ carmina saepe pro carminibus reddentis, cum tamen in scribendo solum intenderet animum ad pecuniam.

6 CIRCA Tertiam partem decernit eiusmodi querelas compensationis aestimatione tolli: sed prius querit, utriusnam sit aestimationem dati & accepti statuere, an eius qui prius dedit, an eius qui prius accepit? Huic quaestioni ut respondeat, constituit tria. PRIMVM est, aestimationem compensationis ad utrumque spectare: nam & qui dat, compertum habet pretium doni, quod sciens prudens largitus est: & qui recipit, experimento didicit quantum & quali ipsius indigentiae subventum fuerit eo beneficio accepto. SECVNDVM est, quamvis ad utrumque spectet, magis tamen spectare doni aestima-

tionem ad recipientem, quam ad donantem. Causam vero in eo sitam docet, quod is qui prior dedit, permittere videatur recipienti aestimationem doni, nec velle definire quantum illud valeat, sed ipsi definiendum relinquere. Quare dantem comparat Protagoræ Sophistæ insigni, de quo legitur, postquam docuisset discipulos, solitum fuisse ijs committere iustam aestimationem doctrinae ab eo receptae, ut tantundem pretij ipsi exsolverent, quod ille in mercedem sive praemium recipiebat. Quod & Plato in Protagora de ipso testatur. Et sanè Protagoras in eo causam propriam satis callide egit ad maius pretium disciplinae accipiendum: quoniam adolescentes honoris cupidi, & bonae opinionis amantes, cogebantur liberalissimè aestimare, quod tanto labore didicerant, ut vel sic appareret, eos plurimum profecisse in litteris. Quare memoria proditum est, Protagoram ea industria magnas sibi opes parasse, quemadmodum & Gorgiam Leontinum, qui eadem arte usus est. Addit Arist. in dimetiendis obsequijs seu beneficijs alteri collatis, placere quibusdam illud Hesiodi:

Μισθὸς δ' ἀνδρῶν φίλων εἰρημῆν ἄξιον ἔστω.

Dicta verò merces ab amico sit satis ampla.

Quo significatur, eum qui facit alteri auxilium, seu qualecumque beneficium praestitit, nulla conventionem facta, sed sola spe retributionis ductus, contentum esse debere illa mercede, quam amicus definierit iustam, si forte res in controversiam vocetur.

7 TERTIVM Ex constitutis ab Arist. est, quod licet aestimatio beneficij potissimum spectet ad recipientem, ut modo dicebatur, ac proinde eius iudicio stare debeat qui dedit, neque aliquid praeterea exigere; adhuc tamen oriri soleant querimoniae ex eo quod accipiens promissit, aut sponte sua, aut exigente altero, se aliquid redditurum, quod tamen postea non praestat, aut re ipsa, aut eo modo, quo pollicitus est. Quod etiam illustrat exemplo Sophistarum. Hi enim, testibus Platone, & Isocrate, antequam discipulos docerent, mira de se praedicabant, & singularium rerum abstrusarum cognitionem pollicebantur, tum ut gloriam nominis assequerentur, tum etiam ut a discipulis ingentem pecuniae quaestum perciperent. Ceterum postea meras nugas, & cavillos, aut tricas docebant. Sic ergo inquit Arist. multos esse, quodum beneficia recipiunt, polliceantur mira & magna, instar Sophistarum: sed tamen nihil re ipsa praestant, aut saltem non id, quod promissurunt. Unde & Isoocrates iam allegatus eos carpit, quod nequidem more Protagorae permittent discipulis aestimationem doctrinae tradita, absque pactione vlla praecedenti: sed initio stipularentur pretium cum discipulis, & ab ijs vana expectatione delusis extorquerent ingentem pecuniae summam.

LON-

8. LONGE Aliter, quàm ij Sophi-
sta, veri Philosophi: quorum est, non propter
lucrum, sed ob honestatem & publicam utili-
tatem atque eruditionem docere. quod certè
omni mercede, seu pretio, excellentius & æsti-
mabilius est. Eoque nomine Iurisprudentiam
commendat Ulpianus, atque inæstimabilem
pronuntiat *l. 1. ff. de varijs & extraordin.
legib.* Vnde Obertus Giphanius colligit nõ-
nulla discrimina maioris notæ inter Philoso-
pham & Sophistam. Hic enim multa & mag-
nica ambiciose pollicetur; nihil autem præ-
stat: insuper non tam rei, ac veritatis, quam pe-
cuniæ, studiosus est: denique & iure ac meritò
exotus omnibus esse potest, quoniam fidè fal-
lit. Contra autem Philosophus, nihil pollice-
ri, quod non præstet: pecuniã contemnere: Cha-
rum esse omnibus: idque usque adeò, vt Arist.
non dubitet eum comparare parentibus, &
ipsi Deo. Quemadmodum enim Deo aut pa-
rentibus æquale reddi non potest; sic nec Ma-
gistris, seu veris præceptoribus Philosophiæ,
nulla mercede aut præmio pecuniarum fieri
fatis potest, quoniam illa inestimabilis est. Vn-
de Imperator Anton. Pius apud I. C. Modestini-
um *lib. 6. de excusat. tutorum, &c.* ita lo-
quitur: *Philosophorum numerus idcirco præsi-
titus non est, quia pauci sunt philosophantes,
At eos quidem, qui divitijs abundant, arbitror
libenter de ijs patriæ accommodaturos esse. Qui
autem de pecunia cupidius & acrius conten-
dunt, iam tunc ex eo nequaquam philosophari
deprebenduntur.* Et Ulpianus loco paulò antè
indicato, inquit: *An & Philosophi profes-
sorum numero sunt? Et non patem. Non quia non
religiosa res est: sed quia hoc præmium profiteri
oportet, meretriciam operam spernere. Proin-
de ne iuris quidem civilis professoribus ius di-
cendum.* Nimirum, Philosophia, & Civilis sa-
pientia, res sanctissima est: ideoque nullo pre-
tio nummario turpari aut dehonestari debet.
Quæ omnia conferunt in scopum spectatum
ab Arist. contendente, iudicium & æstimationem
compensationis esse permittendum acci-
pienti; eoque contentum esse debere eum qui
dedit, citra pactionem vllam. Quod si faciat,
vt facere debet, nullæ erunt inter dantem &
recipientem querelæ.

9. CIRCA Quartam partem assignat
modum, quo facienda sit compensatio, ac
primò quidem in ea Amicitia, quæ honestate
ducitur: deinde in cæteris. Primum vt expo-
nat, præmittit, esse quasdam amicitias, in qui-
bus nulla sit pactio, promissio, aut *διομολογία*,
id est testipulatio, vt Lambinus interpretatur:
quoniam accipiens beneficium nihil danti
repromittit, neque datur ob remunerationem
aliquam, vel intuitu compensationis; sed so-
lum in gratiam recipientis, sive propter bo-
num amici. In ijs ergo generibus Amicitie do-

cet Aristot. remunerationem non esse vulgari
modo remunerandam, id est, iuxta pactionem,
aut promissionem (quippe, quæ supponitur
non intervenisse) sed iuxta consilium & ele-
ctionem dantis, absque vllò intuitu retribu-
tionis. Quod vberius docuerat lib. præced.
cap. 13. circa finem.

10. HINC Verò digreditur breviter
ad Philosophos ac Magistros, quemadmodum
nuper adversus Sophistas: docetque in Ami-
citia illa, quæ iuxta Philosophos & ipsorū dis-
cipulos est, præiactam regulam æstimationis
observari debere. Cùm enim doctrina ipsa
quæ traditur, sit divinum quoddam, & omni
pretio maius, non est vulgari pretio æstiman-
da: ideoque solum perpendi potest iuxta con-
siliū & electionem docentis. Qui, cum solius
honestatis gratia doceat, & ingenito Virtutis
amore doctrinã discipulis tradat, vt ipsi fru-
ctum saluberimū reportent, nullam aliam re-
tributionem proportionatam habere potest,
quam eorundem discipulorum animum, vo-
luntatemque, seu dilectionem. Hac enim con-
tensus esse debet Philosophus, neque mercedē
vllam aliam sperare potest: sicut nec
Dij, aut parentes, inquit, aliud à nobis habere
possunt, quàm vt pro viribus eos diligamus &
honoremus. Quippe præter mutuum amorem
& honorem, *τιμη ἰσορροπος ἢ ἂν γένοιτο, pre-
tium æquilibre baud unquam invenietur.*

11. SEQUITUR Vt assignet modū
compensationis faciendæ in cæteris amicitijs,
quæ non honestate, vt præcedens, sed volup-
tate, aut utilitate ducuntur. In ijs ergo docet,
iudicium, seu æstimationem, faciendam esse à
dante & recipiente beneficium, sed præsertim
à recipiente. Quod & iam docuerat lib. 8. c.
13. circa finem, & modò duplici ratione con-
firmat. PRIMA est. Is cui melius perspecta est
quantitas beneficij collati, aptior est ad æsti-
mandam illius compensationem. At recipien-
ti melius perspecta est quantitas beneficij col-
lati, quàm danti. Ergo recipiens aptior est, quàm
dans, ad æstimandam compensationem. Quæ
ratio licet videatur solum procedere in Ami-
citia utilitatis, etiam locum habet in Amici-
tia voluptatis: quoniam non minus is qui vo-
luptatem recipit, quàm qui utilitatem, cõscius
est quantitatis beneficij accepti, sive illud sit
utile, seu iucundum. Percipit enim experimē-
taliter, præ donante, quântum desiderij vel in-
digentiæ suæ expleverit voluptas aut utilitas
sibi ab alio collata. Illustratque rem Aristot.
exemplo rerum venalium: in quibus, licet vè-
ditor initio assignet pretium, & plerumque
maius iusto, emptor tamen, sive recipiens rem
venalem, est qui vltimò taxat pretiam rei, iux-
ta illius valorem & suam indigentiam, sive
utilitatem exinde provenientem. Sic igitur di-
cendum, utilitatem & voluptatem in eiusmodi

di amicitijs, potius iudicio recipientis quam dantis, definiti debere, ac proinde & compensationem.

12 SECUNDA Ratio, qua utitur in idem probandum desumitur ab auctoritate legum receptarum apud quasdam civitates, quibus prohibebantur omnia fori iudicia actionesque circa eos contractus, qui certa pacione duorum celebrati fuissent: precipiebaturque ut si forte ille qui tradidit alteri rem suam exigeret compensationem maiorem, quam si-

bi à socio oblatam; iudicium, siue aestimatio pretij non esset penes dantem, sed penes accipientem: utpote conscium utilitatis, quam ex ea percepit. Ergo in ijs amicitijs que utilitate ducuntur, iudicium compensationis potius ad recipientem, quam ad dantem spectat. Observat verò Arist. eum qui rem acceperat, debuisse illam aestimare ex indigentia, qua laborabat priusquam rem acciperet: quia post expletam indigentiam non tantum res aestimantur, quam antea.

CAPVT SECVNDVM.

Quòd singulis pro dignitate sunt beneficia rependenda.



ABENT Autem & talia dubitationem, Vtrum oporteat omnia patri tribuere, in omnibusque obtemperare: an ægrotanti quidem parendum sit medico: deligenti verò ducem exercitus deligendus sit rei militaris peritissimus homo. Simili modo, vtrum amico sit potius, an studioso subministrandum: & an benefactori reddenda sit gratia, an sodali potius dandum, si vtrunque fieri nequeat. Omnia igitur talia exactè determinare, non est facile. Multas enim, ac varias habent differentias, & magnitudine, & parvitate, & honestate, atque necessitate. Verum non omnia eidem esse tribuenda, non est obscurum. Atque beneficia plerumque reddenda sunt potius, quam est largiendum amicis: sicut & mutuam reddendum est potius, cui debeas, quam dandum sodali. Fortasse autem neque hoc agendum est semper. Ut redemptum à prædonibus, vtrum eum, qui ipse redemit, redimere vicissim oporteat, quicumque is sit: aut non capto quidem, repetenti verò mutuam, reddere, an redimere patrem: videbitur enim, patrem potius, quam se, etiam redimere illum oportere. Debitum igitur, ut diximus, simpliciter est reddendum. Si verò datio honestate, aut necessitate excedat, ad hæc ipsa est declinandum. Interdum enim neque est æquum, beneficium retribuere, cum alter quidè in studiosum, sciens studiosum esse, contulit beneficiū, alter autè illum flagitiosum esse existimat. Nonnunquã enim nec ei, qui mutua vit, vicissim est mutuandū. Nam ille quidè putans se recepturū, bono mutuavit viro: hic autè non sperat à pravo recipere. Sive igitur re ve-

ra hoc sic se habeat, non æqualis est dignitas: sive non ita quidem se habeat, putent autem sic se habere, non videbuntur absurde facere. Quod igitur sæpe est dictum, sermones, qui de affectibus, actibusve fiunt, perinde habent definitionem, ut ea, circa quæ sunt. Non eadem igitur vniuersis esse reddenda, neque patri cuncta, quemadmodum neque Iovi sacra omnia dantur, non est obscurum. Quod si diversa tribuenda sunt parentibus, & fratribus, & sodalibus, & beneficiis, tribuenda sunt singulis sua, quæque ad quemque accommodantur. Sic autem & facere videntur. Nam ad nuptias vocant cognatos. genus enim ijs est commune: quare & actus, qui circa hoc sunt. Et ad sponsalia etiã maximè cognatos propter idem putant accedere oportere. Videbitur autem parentibus maximè alimentis filios, ut debentes, opitulari oportere: & honestius esse ijs, qui causa sunt essendi, quam sibi ipsis subvenire. Honorem etiã ut dijs tribuere oportet, non omnem autem parentibus, neque eundem patri, matrique, neque sapientis, aut imperatoris, sed patri paternum, & similiter matri maternum. Omni quoque seniori honor est tribuendus, qui ad ætatem accommodatur, allurgendo, locoque cedendo, & talibus. Sodalibus autem, atque fratribus præstanda est libertas, omniumque communitas. Atque cognatis, & ijs, qui sunt eiusdem tribus, & civibus, ac cæteris vniuersis semper est enitendum, id, quod accommodatur, tribuere, & comparare, quæ insunt singulis ratione familiaritatis, & virtutis, aut utilitatis. Eorum igitur, qui generis sunt eiusdem, facile est iudicium: differentium autem est, difficilius. Non tamen ob hoc desistendum est, sed ut fieri potest, ita est distinguendum.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECUNDI.

Iterum de compensatione debita pro beneficijs acceptis. An filius debeat parenti in omnibus obedire. An maiori studio oporteat retribuere benefactum, quam largiri amico. Quæ tandem quibus exhiberi possint, aut debeant.

SPLENDIDISSIMO ET CLARISSIMO HEROI,

D. D. ÆGIDIO FEDERICO CASTEXON,
ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITI, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS
CONSILIARIO, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA PRIMARIÆ
IVRIS PONTIFICII CATHEDRÆ MODERATORI, AC VETERIS
COLLEGI D. BARTHOLOMÆI TOGATO, &c.



VM Multus sit Arist. in abscedis querelis, quibus Amicitia dissolvitur, nihil intentatum relinquit, ut ea incorrupta seruetur. Ideoque licet tot regulas hucusque præmisserit, adhuc differit de

ratione dandi, ac reddendi beneficia: quoniam expostulationes inter amicos præteritiam oriuntur ex eo quod alter conqueratur de altero, sive quia non dat, sive quia non reddit. Quare in hoc capite agit de multiplici genere compensationum, quibus sit beneficiorum

rum retributio; & summam docet, beneficia quidem retribuenda esse, sed non omnibus omnia. Dividit verò illud in quatuor partes. In prima quaerit, utrum patri sit obtemperandum in omnibus. In secunda decernit, plerumque maiorem curam esse debere circa retribuendum beneficium, quam dandum amico. In tertia statuit, non omnia patri exhibenda esse. In quarta demum inquit, quae, & quibus exhiberi possint, aut debeant.

2 CIRCA Primam partem, proponit triplicem quaestionem. Prima est, an oporteat filium omnia patri tribuere, & ipsi in quibuslibet iussis, absque discrimine ullo, obedire. Exempli causa: si filio amplissima sit potestas in Republica ad largiendum quaelibet bona, & varios honorum ordines: oportebitne omnia illa patri suo largiri? Insuper: aegrotet filius, & praescribat medicus remedium calidum, pater vero frigidum. Tenebitur filius morem gerere parenti, potius quam medico? Praeterea. Si filio potestas data sit ad eligendum Imperatorem, sive ducem exercitus, tenebitur, aut poterit parentem suum deligere in id munus, ad summam rerum in bello? vel saltem illum, quem pater arbitratum deligendum? aut potius extraneum aliquem bellicosissimum, & periculosissimum rei militaris? Et ratio dubitandi esse potest: Quia, ut saepe iam dictum est de cursu Operis, filius patri debet quod sit, nullaque retributione potest reddere aequale: ideoque tenetur colere & honorare patrem quantum poterit, ac per consequens ipsi semper obedire. Ergo tenebitur omnes honorum gradus, quos habuerit in potestate, ipsi conferre, & obtemperare in infirmitate, potius quam medico, & ipsum deligere ducem exercitus, praetermissa quolibet extraneo, quamvis excellentiore, & periculosissimo artis militaris. Aliunde verò ratio dubitandi urgere videtur in oppositum: quia nec bona communia Republicae conferenda sunt, nisi iuxta merita civium: nec licet praetermittere consilium periti medici in aegritudine, nec praeficere ducem exercituum iuxta maiorem sanguinis coniunctionem cum eligente, sed solum iuxta maiorem peritiam artis militaris. Videtur itaque in utramque partem quaestio ingerere difficultatem. *Secunda* quaestio est, An potius amico, quam homini probo, & Virtute praedito, subveniendum sit in necessitate, ubi simul utriusque subveniri non potest, sed necessum est alterum illorum derelinquere? *Tertia*, Utrum benefactori, & optimè de nobis merito, retribuere beneficium potius oporteat, quam amico dare? Omnia enim haec in utramvis partem difficilia resoluta apparent, propter multiplices differentias secundum magnitudinem, & parvitatem, & necessitatem, & honestatem.

3 CIRCA Secundam partem incipit respondere quaestionibus iam excitatis, & pri-

mam tertiam illarum, in qua dubitabatur, an potius amico conferendum primo sit beneficium, quam retribuendum benefactori. In qua quaestione supponitur, amicum nondum beneficium, nam sic dabitur tolleretur e medio. Supponitur ulterius, non esse facultatem ad donandum simul uni, & retribuendum alteri; sed necessarium esse omittere alterum eorum. Nam si facultas ad utrumque esset, praestare deberet unum & alterum. Huic verò quaestioni primum respondet, plerumque, ac fere semper expedire magis ut benefactori retribuatur, quam ut amico gratis beneficium conferatur. Id probat à similitudine saepe tradita inter Amicitiam, & Iustitiam legalem. Haec enim praecipit, ut quod mutuo acceptum fuit, potius & prius reddatur, quam quod ultro receptum est, seu absque obligatione stricta ad solvendum. Ergo & in Amicitia potius ac prius retribuendum est beneficium ei qui dedit, quam largiendum amico, à quo quis nondum quidquam accepit. Illud enim prius videtur obligationem moralem inducere, ideoque praefendum est huic posteriori.

4 SED Tamen monet, ut antea praemisit, hoc frequenter & ut plurimum esse existimandum. Nam alioqui & raro oppositum facere expediet. Fieri enim potest, honestate, aut necessitate urgente, ut prius beneficium sic largiendum amico, aut viro probo, quam retribuendum benefactori. Ratio est: Quia in ijs circumstantiis, quibus aliquid melius & excellentius est, praefere debet cuiusque inferiori bono. Atqui possunt esse circumstantiae, in quibus melius & excellentius sit largiri beneficium amico, aut viro probo, quam retribuere benefactori. Ergo tunc praefenda est largitio beneficij in amicum aut virum probum, retributioni in benefactorem. Maior videtur per se nota: Quia honestatis lex impellit rationalem animum ut deligat id, quod rebus omnibus prudenter expensis melius & excellentius est. Minor autem probatur ab Aristotel. multiplici rerum eventu. Possunt enim incidere ea tempora, ut amicus, aut vir probus, aut sodalis à latronibus capiatur, aut in vinculis habeatur. In ijs autem circumstantiis nemini dubium esse potest, quin melius, & excellentius sit, largiri beneficium, seu succurrere amico, viro probo, parenti, aut sodali, quam ijs in extrema fere necessitate relictis, retribuere benefactori. Potest praeterea accidere, ut benefactor, qui probus primum fuerat, iam improbus factus sit, & paratus putetur ad male expendendum antidorum, seu donum retribuendum, sive in turpia, sive in perniciose alijs. Potest demum evenire, ut improbus mutuo aliquid dederit probo viro, quoniam certam sperat retributionem; & tamen probus vir non

non teneatur vicissim ei mutuo dare, quoniam non sperat ab improbo solutionem. Ergo possunt esse circumstantiæ, in quibus melius, & excellentius sit largiri beneficium amico, aut probò viro, quam retribuere benefactori. Claudius denique resolutionem quæstionis huius asserendo, ut supra, materiam hanc esse admodum variabilem, & diversimodæ inspectionis, propter conditionem ipsam rerum humanarum maximè mutabilium, præsertim earum, quæ ad Amicitiam, & officia spectant. quare non posse unam aliquam regulam in universon constitui, propterea inconcussam, & omni exceptione liberam. Quod & Gellius *lib. 1. cap. 3.* allegato Theophrasto confirmat, & illustrari potest ex dictis *lib. 1. huius Operis cap. 4.*

5 CIRCA Tertiam partem discutit primam illam quæstionem, An filius debeat patri omnia conferre, & quomolibet obedire. quæ dubitatio est bimensuris. Priori parti respondet negando, filium tribuere debere omnia patri. Idque probat exemplo Iovis: cui etsi omnia deberi putarentur, non propterea omnes hostiæ, & cuiuslibet generis victimæ offerrebantur, sed propriæ, & in ipsius cultum peculiariter institutæ. Quamvis enim Iovi iuxta varietatem cognominis variæ offerrentur victimæ, & aliæ quidem elicio Iovi, aliæ fulminatori, aut tonanti, aliæ trodighali; non tamen omnes. Neque enim fas putabatur ipsi taurum, verrem, aut arietem immolare, ut inquit Astæius Capito apud Macrobius: quoniam eæ hostiæ Deorum aliorum propriæ existimabantur. Ergo licet filius omnia, siue quidquid est, patri debeat, non tamen ei tribuere omnia potest. Quippe non omnia sunt omnibus reddenda, sed longè alijs, & dissimilibus dissimilia.

6 SI Verò quærat, cuiusnam generis sint ea, quæ disparibus, siue dissimilibus oportet tribuere; Respondet, adhibito exemplo desumpto ex nuptijs, & funeribus, aut exequijs. Nuptiæ enim & exequiæ sunt duæ solemnitates, ad quas invitantur honoris gratia, non omnes, sed cognati, aut propinqui: quoniam nuptiarum celebratio est officium ad genus, & familiam spectans, sicut & exequiarum & funeris, iuxta interpretationem Petri Victorij, Lambini, Aretini, Giphani, & Gallurij, ita accipientium τὰ κήδον. quamvis Argyropilus, & Turnebus, sequuti veterem Scholiastem Eustratium, non funus, aut exequias, sed sponsalia verterint. Cæterum hi minus bene, quoniam iam antè Aristoteles nuptiarum meminerat, & τὸ κήδος Græcè bustum aut obitus est, à quo & Epicedion dictum, quasi luctus, aut lamentatio in funere, siue exequijs, quæ olim ingenti sumptu, ambitu, & frequentia celebrabantur, invitatis ad eas, non

omnibus, sed cognatis, honoris gratia. Hic enim honos non conferebatur omnibus deferendus: sed ijs tantum, quos eiusdem sanguinis nexus coniungebat defuncto, neque ipsius posteris. Similiter ergo Arist. docet, filium non debere tribuere omnes gradus honoris, aut omnia bona patri suo; sed id tantum quod paternæ reverentiæ & dignitati consentaneum, ac decens fuerit.

7 CIRCA Quartam partem assignat quid proprium sit & decens unicuique, ut propterea ipsi reddatur, & nullæ sint querelarum occasiones. Cum autem varij sint gradus, & diversæ conditiones personarum, quibus non eundem honorem reddere, aut obsequium exhibere par est; procedit Philolophus per singulas primò quidem circa parentes ait, ijs deberi alimenta, cæteraque vitæ subsidia, & præterea honorem, reverentiæque. Id enim ad filios spectat, ὡς ἀπειρογτας, tanquam debitores. Oblinguntur enim parentibus ærissimo debito: ideoque honestius est, ut subveniant ijs, tanquam τοῖς αἰτίοις ἢ εἶναι, causas ut sint, siue ipsius esse, quam ut lux ipsorum necessitati consulant. In quibus hæc ferè ratio continetur. Hoc ipso quod filij debeant parentibus vitam ipsam, & quidquid sunt; debitores existunt ad vitam parentibus dandam, seu retribuendam, si quoddammodo id possint. At ubi egestate, seu necessitate opprimuntur parentes, qui dat ipsis alimenta, & cætera subsidia necessaria, dat etiam ijs vitam, seu retribuit eo modo quo potest. Ergo hoc ipso quod filij parentibus debeant vitam ipsam, & quidquid sunt, debent etiam dare ijs alimenta, & cætera necessaria subsidia. Præterea & statuitur ratione eadem, filios potius debere consulere parentum vitæ, quam lux ipsorum propriæ: atque adeò si contingat necessitas, seu periculum inevitabile alterutrius vitæ, debere subire filium iacturam lux, ut vitam patris incolumem servet. Filius enim, quia vitam accepit à parentibus, debet ijs vitam quoque retribuere, si potest. At in prædicta necessitate, seu periculo potest ijs vitam retribuere. Ergo debet. Quare si contingat in naufragio unicam esse tabulam, in qua solus alter eorum possit evadere, infertur, filium debere patri eam permittere, cum certo periculo propriæ vitæ. Intuper, si pater extrema necessitate laboret, quamvis alia æquali urgeatur filius, tenetur patri subvenire, si potest vitam ipsius factam rectam servare, quamvis propriæ iacturam faciat: quoniam alter non retribuet pro ratione debiti. Id autem si faciat, videbitur referre gratiam paterem.

8 VNDE Minus pia videtur lex quædam Atheniensium memorata à Virgilio in *præfat. lib. 1.* quæ filij eximebantur ab onere

re alendi parentes suos, si hi non curassent eos instrui aliqua honestiori arte. Minus pijs inquam, apparet; quoniam independentes à titulo instructionis, seu disciplinae, obstricti sunt filij ad quaelibet officia exhibenda parentibus, veluti τοῖς πατέρας τῶν ἐνίων, *causis suis esse*, sive ut sint. Quare apud quoslibet alios Graeciae populos unversè lanctum erat, ut filij absque discrimine vlllo parentes in necessitate positos alerent, & si secus, vincerentur. Idque longè ante omnem legem populorum ipsa natura conditio faciendum denotat trito illo exemplo ciconiae gestantis supra humeros parentes senio confectos, & impotentes volandi. Quod ita accidere testatur idem Aristotel. in *Hist. Anim.* Plato in *Alcibiade*, Valerius Maximus *lib. 5. cap. 4.* Plinius *lib. 10. cap. 23.* Et Solinus *cap. 43.* Polybius. addit, quantum temporis impenderint ciconiae foetibus educandis, tantundem & illas à pullis in senio ali. Quare Aegyptij ad significandum hominem, qui patris curam gerit, depingebant ciconiam & cucupham, quod hæ aves præ cæteris soleant genitoribus senio confectis retribuere, sive eodem modo gratiam reddere, quo educatæ sunt. Quod legere est apud Pierium *lib. 17. Hierogl.* Et Cassiodorus *lib. 2. Variar. epist. 14.* postquam pluribus hortatus est filios, ut parentibus in necessitate positis opem ferant, ita loquitur: Ciconia redeuntis anni iugiter nuntiatrix, eiciens tristitiam hyemis, lætitiâ verni temporis introducens, magnâ tradit exemplû pietatis. Nam cû parentes senio confectas laxaverint pennas, nec ad cibos quærendos idonei potuerint inveniri, pulli genitorum membra frigida plumis suis resfoventes, escis corpora lasa rescium. Do nec in pristinum vigorem ales grandæva redierit, pia vicissitudine iuvenes reddunt, quod à parentibus parvuli acceperunt. Ideoque non immerito vita longa servantur, qui pietatis officia non relinquunt. Quare & in nummis Adriani Cæsaris ciconia sculpta erat, cum hæc inscripção, PIETAS AVGVSTA. Atque inter Græcos notum adagium est, ἀντιπιδάργυτον, id est, rependere vicem instar ciconiæ, quæ dicitur πιδάργυτος. Idem verò quod unversè à Græcis statutum fuisse diximus, etiam apud Romanos cautum fuit *l. 5. si quis à liberis ff. de liberis agnoscendis.*

9 ADDIT Verò, filios, præter alimenta, debere etiam honorem, & reverentiam, sive observantiam illam, quam parentibus exhibere oportet. Honorè, inquam; quoniâ Arist. iudicat parentes esse similes Dijs, quibus præfectum honor debetur, & rebus divinis, quæ potius honorabiles sunt, quam laudabiles, ut supra dictum est *lib. 1. cap. 12.* ac propterea cum parentes censeantur veluti quoddam divinû, nõ tam laudandi, quã honorandi sunt. Verum præ-

terea monet, quemadmodû non vnus idemque honor defertur Dijs, sed summus Iovi, & inferior Dijs cæteris; ita non eundem honorem exhibendum vtrique parenti, sed maiorem patri, & minorem matri, quamvis vtrumque observare & colere oporteat. Quod ipsum arbitratue Giphanius expressisse Paulû Iuriconsultû *ultimâ, ff. de in ius vocando*, illis verbis: *Et si patrem non eadem est potestas, eadem tamen vtrique debetur reverentia.* Cæterum eo loco non satis explicatur diversitas honoris tribuendi; quemadmodû in textu Arist. qui palam docet, plus honoris patri, quam matri deferendum.

10 HINC Gradum facit ad assignanda officia, quæ alijs debeantur. Et post parentes, primo loco statuit viros sapientes; nimirû, magistros, de quibus *cap. præced.* insuper & Imperatores, seu duces exercitus, Reges quoque & Magistratus; quoniam ijs omnibus plurimû debemus, licet minûs quam parentibus. Secundo loco recenset seniores, seu grandævos; quos revereri & colere par est, ijsque assurgere, & loco cedere, aliâque honoris signa exhibere, quæ ab eodem Arist. indicantur *lib. 1. Retor.* ac Sallustio *lib. 5. Hist.* (quod opus perijt) apud Nonium. Quare insignis est laus illa, qua gloriabatur Pompeius, quod sibi iuveni adhuc delata fuissent eadem honoris & observantæ signa. Tertio loco numerat fratres & sodales, inter quos omnia esse communia vult, & ἀσπρησιαν quandam, id est, liberiores loquendi licentiam, iuxta quam, sine vlla dissimulatione, vicissim se admoneant & obiurgent, vbi opus fuerit ad emendationem morû. De quo legendus Plutarchus *lib. 1. Problem. Symposij, cap. penult.* Denique postremo loco numerat cognatos, tribules, & cives: atque vnicuique eorum docet tribui debere, quod congruum ipsi est, pro ratione coniunctionis & propinquitatis. Vnde quò propinquior quis fuerit, quò maior, quò utilior, eò plura aut maiora ei officia debentur. Verum id singulatim definire, difficillimum esse monet; quamvis aliquantò facilius appareat in ijs, qui sunt eiusdem generis, sive sanguinis.

VIDE D. Thomam 1. 2. quest. 26. art.

8. 9. 10. 11. & 12. atque illius

Interpretes.

(?)



CAPVT TERTIVM.

Quando servanda Amicitia

ST Etiam dubitatio, si dissolvendæ sint amicitia, necne, ad eos, qui non permanent, an ad eos, qui ob utilitatem, aut voluptatem amici sunt, cum hæc non habent. Nec est absurdum dissolvi. illorum enim erant amici, quibus deficientibus, rationi consonum est non amare. Incusaverit autem quispiam, si ob utilitatem, aut voluptatem amans, ob mores simulat amare. Quod enim superius diximus, plurimæ sunt incusationes inter amicos, cum non similiter optant, & sunt amici. Cum igitur quispiam sua se opinione fefellerit, putaveritque ob amores amari, nihil illo tale agente, tum se ipsum is accusare debet. Cum vero à simulatione illius deceptus fuerit, tum eum, qui decipit, iustum est accusare, & magis, quam eos, qui nummos adulterinos conficiunt, quanto maleficium ipsum circa præstabilius est. Quod si acceptat ut bonum, factus est autem pravus, atque apparet, estne amandus? An impossibile est? siquidem non omne quodvis est amabile, sed bonum. Neque autem dignum est, pravum amicum habere, neque oportet: non enim amatorem pravorum esse oportet, neque similem evadere pravo. Dicitur autem, simili esse amicum. Estne igitur statim amicitia dissolvenda, an non omnis, sed in qua est incurabilis ob pravitatem? Qui autem emendari possunt, ijs magis ferendum est in moribus auxilium, quam in pecunijs, quanto præstabiliores sunt, & magis amicitia proprij. Nil autem absurdi videbitur facere, qui amicitiam dissolvit: non enim huic aut tali amicus erat. Cum igitur mutatum ad priores mores redigere nequeat, sese ab illo seiungit. Quod si alter permaneat, alter magis bonus evadat, multumque virtute differat, estne utendū amico? an fieri nequit? In magna autem distantia maxime manifestū fit, ut in amicitijs, quæ à pueritia contrahuntur. Nam si alter mente permaneat puer, alter in optimū virū evaserit, quoniam modo fuerint amici? cum neque eadem ipsis placeant, neque eisdem gaudeant, doleantque. Neque enim hæc erunt in ipsis. Sine vero his esse amici non possunt. Simul enim ipsos vivere impossibile est. Atque de his antè diximus. Oportetne igitur ipsum non secus ad illud sese habere, quam si amicus nunquam fuisset? An factæ memoriæ consuetudinis habere oportet. Atque ut amicis potius, quam alienis, arbitramur gratificare oportere, sic &

ijs, qui fuerunt amici, tribuendum est aliquid ob amicitiam, quæ antea fuit, cum non ob exuperationem pravitatis est dissolutio facta.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

*Amicitiam, quæ utilitate, aut voluptate ducitur, cessante eo fine, dirimi. Similiter & illam, quæ honestate nititur, ubi Virtus deseritur. Proficientem in honestate non posse diu manere in Amicitia cum eo, qui parum aut nihil proficit. Eam tamen, quamvis dirempta fuerit, non omni prosus oblivione sepe-
liendam.*



DICTVM Est saepe, tam hoc libro, quam præcedenti, plures esse accusationes, & querimonias inter amicos, ratione quarum Amicitia ipsa subeat dissolutionis periculū. Nunc autem inquit Philosophus, an quandoque sufficientes sive idoneæ causæ existant ad Amicitiam dirimendam. Dividitque caput in quatuor partes. In prima statuit, causam dissolvendam eius Amicitiam, quæ voluptate aut utilitate ducitur, sitam esse in eo quod iam nulla spes sit voluptatis aut utilitatis. In secunda decernit, Amicitiam illam, quæ honesto nititur, dirimi, ubi defecerit Virtus: sed tamen solvendam non esse statim, ac alter amicorum deserit esse probus. In tertia observat, proficientem in Virtute, non diu retinere Amicitiam cum eo, qui non proficit. In quarta demum monet, non omni prorsus oblivione delendam esse Amicitiam, quamvis dirempta fuerit ex causis idoneis.

2 CIRCA Primam partem indicat, posse non leviter dubitari, utrum Amicitia solvenda sit, ubi alter amicorum valde mutatur, nec similis sibi persistit: an potius oporteat adhuc persistere alterum in eadem benevolentia. Respondet verò, in Amicitia, quæ voluptatē spectat, & in ea quæ utilitatem, posse solvi mutuam benevolentiam iure ac merito, ubi alter sit iniucundus, aut inutilis alteri. Quod ferè sic probat. Ubi cessat causa efficiens & conservans Amicitiam, rationabile est ipsam cessare, seu non procedere ulterius. At causa conservans Amicitiam iucundam, & vilem, est voluptas, aut utilitas. Ergo ubi cessat voluptas, aut utilitas, rationabile est cessare Amicitiam iucundam & vilem. Cessat autem, si alter amicorum reddatur iniucundus, aut inutilis alteri. Ergo in hoc eventu rationi consonum est ut Amicitia solvatur. Itaque cum in ijs duobus generibus Amicitiae sola voluptas aut utilitas mutua utriusque amici sit causa effectrix & conservatrix Amicitiae, permanebit vel mutabitur hæc, prout contigerit voluptatē utilitatemve, *διὰ μέντοι, ἢ ἀλλοιοῦσθαι, permanere, aut mutari.* Quod ipsum ferè tradiderat *lib. 8. c. 3. & 4. ac libro hoc c. 1.* Quæ doctrina maxime illustrata a Cicero in *Lelio*, ubi docet, esse quandam

veluti calamitatem in amicitijs dimittendis, & causam huius assignat mutuam ex Arist. dum ait: *Si autem & morum & studiorum, ut fieri solet, facta erit mutatio, &c.*

3 HINC Digreditur ad querimonias & expostulationes amicorum, de quibus antè fusiùs disseruit: & addit nunc, quasdam earum iustas esse, quarum proinde causa merito Amicitia deponi valeat. Potissimum verò expendit illam, quæ sita est in simulatione alterius amicorum, decipientis alterum. Quandoque enim accidit, ut quis fingat se amare alterum propter morum honestatem; & tamen sola voluptate, aut utilitate ducatur. Quo casu, si alter id novit, habebit iustam expostulationis causam, & merito Amicitiam deseret. Si verò adhuc eo comperto, voluerit in Amicitia persistere, immerito accusabit alterum: sed potius de seipso conqueri potest, quod sciens prudens voluerit permanere in Amicitia, cum eo, à quo se decipi novit. Porro eiusmodi simulatos homines non amare amicum, sed seipsum; quantumvis oppositum verbis profiteantur, & dicant se sola honestate morum alterius duci; exinde constat, quia unam voluptatem, aut utilitatem amant, quæ bonum proprium ipsorum est. Ergo potius amant seipsum, quam amicum. Unde vrgens accusandi ratio est probis viris adversus illos, & multo gravior, quam sit contra eos, qui monetam publicam corrumpunt, & adulterinam faciunt. Quod sic probat: Multo maior querela & accusandi ratio est contra illum, qui corrumpit & adulterat præstantius bonum, quam contra eum, qui adulterat bonum inferius. At qui fucatam Amicitiam, id est, iucundam aut vilem, simulat pro honesta, is sanè corrumpit & adulterat præstantius bonum, quam qui monetam falsam solvit pro vera. Amicitia enim honesta est longè præstantius bonum, quam vera moneta. Ergo multo maior querela, & accusandi ratio est contra eum, qui fucatam Amicitiam simulat pro honesta, quam contra eum qui adulterat monetam.

4 CIRCA Secundam partem inquit duo. Primum est, utrum etiam in Amicitia perfecta, sive quæ honesto ducitur, laboriri possint iustæ causæ ad eam dirimendam. Secun-
dum,

dum, an ijs suppositis, statim solvenda sit; an potius oporteat aliquandiu expectare. Priorem questionem resolvit, affirmando, posse etiam in honesta Amicitia suboriri rationabilem, seu idoneam causam, ut ea dissolvatur: si, nimirum, alter amicorum ex probro & Virtutis cultore improbus effectus sit. Tunc enim non oportet persistere in Amicitia cum illo, sed potius eam deserere. Assertionem hanc dupliciter probat. *Primò* sic. Secundum perfectam Amicitiam omnis amor debet esse ad alterum, propter Virtutem & honestatem quæ in ipso est. At ubi alter amicorum effectus est improbus, nulla Virtus & honestas in ipso est. Ergo ubi alter amicorum effectus est improbus, secundum perfectam Amicitiam nullus amor est ad alterum. Quare superest, ut Amicitia utriusque dissolvatur, ubi in altero deficit honestas. *Secundò* sic probat. Nequit ullum Amicitiam genus retineri inter dissimiles: cum omnis Amicitia similitudinem amicorum exigat: ut *lib. 8. præsertim cap. 6.* statutum fuit. At ubi alter amicorum factus est improbus, ambo redduntur dissimiles. Ergo ubi alter amicorum factus est improbus, nequit inter eos Amicitia retineri.

5 POSTERIOREM Questionem diffinit asserendo, non statim deserendam esse probro homini Amicitiam cum illo, qui improbum se reddidit; sed tunc solum, cum eo vitiositatis deveniat, ut deplorabilissimus aut insanabilis habeatur. Prior pars probatur: Quia e re veri & probi amici est, ut si alter amicus defecerit ab honestate morum, studeat quam primum & serio ipsum ad Virtutem & probitatem reducere, quæ monitis, quæ beneficijs, quæ obiurgationibus. Multo magis enim apparet in hoc vera & probata Amicitia, quam si amico in bonis corporis, fortunæ, aut honoris iacturam subeanti, opem & auxilium præstet. Ergo non statim ac ille deviauerit ab honesto, deserenda Amicitia cum illo; sed expectandum aliquandiu, & curandum si forte respiciat. Posterior autem pars suadetur: Quia ubi deficit omnino, desperatusque est finis Amicitiam, frustra illa retinetur. At ubi alter amicorum ita improbum se reddidit, ut nulla iam admonitione, obiurgatione, aut beneficio mores correcturus credatur, deficit iam omnino, desperatusque est finis Amicitiam; nimirum, probitas ipsius. Ergo tunc frustra Amicitia retinebitur. Deserenda igitur erit, ne in casum sit. Quam eandem doctrinam quoad utramque partem videtur tradere etiam Cicero in *Leio*, quamvis non ita expresse, dum ait, omnes quidem eiusmodi amicitias dirimendas esse: verum cum hoc discrimine, quod cum leviter improbo paulatim solvendæ sint; cum Perdito autem & profligato statim præcedendæ.

6 CIRCA Tertiam partem proponit aliam questionem in hunc ferè modum. Inter

amicos, qui honestate ducuntur, accidere aliquando potest, ut alter in Virtute admodum proficiat, proindeque ex bono, qualis antea erat, optimus fiat: alter vero lentiori gradu, & longè inferiori, in honestate permaneat, ideoque nunquam meliorem se præstet, nec optimus unquam futurus appareat. In hoc eventu, quid facere oportebit? Retinenda erit ab honestiori Amicitia, an deserenda? Respondet verò generatim, & subdubitando, videri, non posse utriusque Amicitiam stabilem esse inter eos, quorum Virtus, seu probitas tam longo intervallo disidet. Deinde & expressius pronunciat, eam servari non posse, propter dissimilitudinem ingentem utriusque, idque confirmat exemplo eorum, qui à pueritia mutuam inierunt Amicitiam, propter similitudinem ætatis & morum. Si vero postea alter eorum progressu ætatis mores mutaverit, & evaserit probus vir, ac prudens, alter autem moribus puer permanserit ut antea, nulla alia mutatione facta, nisi ætatis; nullatenus iam erit Amicitia inter utrumque. Ratio erit: Quoniam Amicitia retineri non potest inter eos, qui nequeunt diu familiariter agere, aut iocundum habere convivium: cum duobus hæc ad Amicitiam exigantur, ut dictum est *lib. præced. c. 7.* At is qui temper moribus puer est, & is qui vir prudens, ac probus evasit, nequeunt diu familiariter agere, aut iocundum habere convivium, prohibente id magna dissimilitudine morum. Ergo is qui temper moribus puer est, & is qui vir prudens ac probus evasit, nequeunt Amicitiam retinere. Hæc autem ratio ferè ex æquo militat inter duos, quorum alter in Virtute magnos & assiduos profectus facit, alter vero nullos: cum inter eos tanta sit morum distantia, ut videantur non posse diu familiariter agere, aut iocundum convivium habere. Ergo neque inter eos Amicitia retineri potest. Vel certe, ut monet Bursius, solum imperfecta Amicitia inter eos manere poterit, qualis inter admodum superiorem & inferiorem, iuxta dicta *lib. 8. cap. 7.* nuper allegato.

7 CIRCA Quartam partem inquiri, qualiter se gerere invicem debeant, qui Amicitiam iustis ex causis diremerunt: an perinde ac si nunquam antea amici fuissent, an servato invicem aliquo benevolentiam gradu, quamvis inferiori. Huic dubitationi Arist. expresse non respondet. Sed tamen, quantum ex verbis ipsius conijci potest, existimare videtur, habendam semper esse rationem aliquam veteris Amicitiam, neque illam alta oblivione defendendam. Cæterum adhuc monet cautionem adhibendam esse, siue distinctionem. Aut enim Amicitia soluta fuit (perfecta, inquam, siue honesta, de qua solum hoc loco agitur) propter mutationem alterius à probro in improbum communiter dictam, siue in qua is non admodum exorbitavit: aut propter ingentem, & insolitam mutationem, quæ peris-

mus, vel insanabilis redditus est. In priorum eventu, oportebit aliqualem benevolentiam permanere, & memoriam Amicitiae veteris: quoniam indignitas amici non videtur tanta, ut debeat aeterna oblivione deleri.

In posteriori autem, cum ille adeo exorbitaverit, & usque adeo contrarium moribus se praestiterit, videtur omnino praetermittendus, ac si nulla unquam necessitudo cum eo fuisset.

CAPVT QVARTVM.

Qua opera Amicitia, & quòd non sit pravorum.



A Verò, quæ ad amicos attinent, & quibus amicitiae definiuntur, ex ijs, quæ ad se ipsum quisque facit, profecta esse videntur. Ponunt enim eum amicum esse, qui vult, & agit bona, vel quæ videntur, amici gratia: aut eum, qui vult esse, vivereque amicum, gratia ipsius amici: quod quidem matribus ad suos accidit filios, & ijs amicis, qui sunt offensi. Quidam autem eum esse dicunt, qui versatur unà cum amico, & eadem expetit: aut eum, qui dolet unà, atque gaudet cum amico. Maximè autem & hoc matribus accidit. Horum etiam aliquo & amicitiam ipsam definiunt. Vnumquodque autem horum, viro competit erga se bono: reliquis verò ea ratione, qua tales esse existimant. Videtur autem, ut dictum est, virtus, & studiosus ipse, unicuique esse mensura. Hic enim sibi ipsi consentaneus est, ac ea dem affectat anima omni. Et vult igitur sibi ipsi bona, & quæ apparent, ac agit. Est enim viri boni, bonum agere, & sui ipsius gratia. Mentis enim causa, quæ quidem unusquisque esse videtur, & vult etiam se vivere, salvumque esse, atque id maximè, quo sapit. Est enim bonum homini studioso, esse. Unusquisque autem sibi vult ipsa bona. Factus verò alius, nullus expetit cuncta, illud quod est factum habere. Habet enim & nunc Deus summum bonum, sed est id, quod est ipse. Videtur autem id unusquisque esse quod intelligit, aut maximè, atque talis, secum degere vult. Libenter enim hoc, cum voluptateque facit. Nam & actarum rerum recordatio periculosa est, & futurarum spes bona. Talis autem afficit voluptate. Et insuper contemplationibus mente abundat. Præterea maximè secum unà dolet, atque lætatur. Id enim est omnino ipsi molestum, atque iucundum, & non aliàs aliud. Est enim sine potentia prorsus. Ex eo igitur, quia unumquodque ipsorum ad se ipsum competit studioso, ad amicū autem sic se habet, ut ad se ipsum (amicus enim est alius ipse) & amicitia videtur ho-

rum

rum aliquid esse, & quibus hæc insunt, videntur esse amici. Quæ-
re verò utrum ad se ipsum sit, an non sit, amicitia, nunc o mittamus.
Videbitur autem hoc amicitia esse, quo duo, vel plura ex ijs habet,
quæ dicta sunt. Et quòd maxima amicitia similis est ei, quæ est ad
se ipsum. At verò videntur ea, quæ dicta sunt, & ipsis multis inesse,
quamvis sint pravi. An hoc participes ipsorum sunt, quo sibi ipsis pla-
cent, & bonos se esse existimant? Nam eorum, qui vehementer sunt
pravi, atque nefarii, nemini hæc insunt: sed nec inesse videntur, ferè au-
tem neque pravis. Dissident enim secum, & alia quidem cupiunt,
alia autem volunt, ut incontinentes. Nam ijs, quæ bona sibi videntur,
anteponunt ea, quæ voluptate afficiunt, atque nocent. Quidam rur-
sus ob formidinem, atque inertiam eas agere res committunt, quas
putant sibi ipsis optimas esse. Qui verò inultas res graves, atque ne-
fandas egerunt, vitam ob pravitatem odio habent, ac fugiunt, sibi-
que mortem consciscunt. Quærent præterea alios ipsi flagitiosi,
quibus cum versentur, se verò ipsos fugiunt. Nam si sint secum, re-
cordantur multarum, graviumque rerum, & sperant alias tales. Si
cum alijs autem sint, obliviscuntur. Atque cum nihil habeant, quod
sit amabile, nulla re prorsus afficiuntur ad se ipsos, quæ ad amicitiam
attinet. Neque igitur unà secum gaudent, atque dolent: est enim
eorum anima in seditione. Atque interdum ob pravitatem dolet,
abstinens à quibusdam, interdum lætatur. Et hæc quidem pars huc,
illa autem illuc trahit, ut divellentur. Quod si fieri nequeat ut do-
leat simul, atque lætetur, at paulò post dolet, quòd lætatus fuit, & nol-
let sibi ipsi illa voluptati fuisse. Improbi namque pœnitentia sunt re-
fert. Improbis igitur ne erga se quidem amicè affectus est, prop-
terea quòd nihil habet, quod sit amabile. Quod si ita sese habere
vehementer est miserum, totis viribus fugienda est pravitas, & eni-
tendum est bonum esse. Sic enim & ad se ipsum habebit amicè, &
alij amicus poterit esse.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Amicitia officia, seu opera, quanam sint, & qualiter à viro probò exhibeantur. Quomodo etiam sibi bona velit, etiam data hypothefi quòd esset fieretve alius à seipso. Qualiter è contrà se habeat improbas, & quàm alienus sit ab amicitia, benevolentia, ac concordia, erga seipsum.

AD PRÆCLARISSIMVM ET NOBILISSIMVM EQVITEM,
D. D. ANTONIVM MONSALVE, OMNIGENÆ
DOCTRINÆ, INTEGRITATIS, AC PIETATIS DOTIBVS CVMV-
LATVM, SVPREMORVM SENATVVM IYSTITIÆ AC
FISCI REGIVM IAM DIV CONSLIA-
RIVM, &c.



DICTVM Est huicque, quibus querelis, seu expostulationibus obnoxia sit Amicitia, quomodo præterea illa solvatur, aut conservetur. Nunc procedit Arist. ad assignandum opera, sive officia, quibus illa stabilatur, & integra perseverat: ac potiore capituli parte docet, Amicitia opera ab amore sui ipsius ortum ducere. Dividitur autem illud in tres partes. In primâ indicat, quanam sint Amicitia opera. In secundâ assignat modum, quo vir probus versetur in eisdem operibus circa seipsum. In tertiâ demum observat, qualiter in ijs se habeat improbus.

2 **CIRCA** Primam partem statuit, veluti certum exploratumque, omnia illa opera, quæ probus amicus in amicum probum exhibet, procedere ex illo insito amore, quo secundum naturam unusquisque afficitur erga seipsum. Eadem quippe probus amicus facit amici gratiâ, quæ faceret erga seipsum, aut vellet ab alijs fieri. Porro vir probus nec faceret erga seipsum, nec vellet ab alijs fieri, nisi quæ sibi convenientia sunt, & secundum rectam rationem. Non enim sibi inferret, aut inferri vellet mortem, vel malum aliud: sed bonum conveniens, & proportionatû, iuxta rationis præscriptum. Ergo dum eadem ipsa vult amico, & præstat, quantum potest, regula eorum officiorum Amicitia est amor, quo amicus probus diligit seipsum.

3 **HINC** Procedit ad assignandum opera peculiaritè Amicitia ex eo capite orta, & docet esse omnino tria. Probatque ex opinionibus aliorum, quamvis dissidentibus inter se. Prima est alterentium, eum verè & opere ipso amicum esse, qui amico bona vult, aut solida, aut quæ sibi apparent bona, eaque studet conferre ipsius amici gratiâ, & non propter quidquam aliud. Si enim aut non velit bona amico, aut non præstet cum possit, aut præstet quidem, sed non ipsius amici gratiâ, profectò non exequitur opus proprium amici. Iuxta

hanc verò opinionem planè constat, vnum, aut etiam potissimum Amicitia opus, esse eiusmodi beneficentiam. Secunda aliorum opinio est, illum verè amicum dicendum, qui exoptat, seu vult amicum bene esse & bene vivere, non, ob aliquam sui ipsius utilitatem, sed propter amici commodum. Idque exponunt exemplum matrum, quæ summo amore volunt natos suos bene esse, & bene vivere, ob ipsorum commodum dumtaxat, & quamvis ab ijs non cognoscantur, nec redamentur: tum & eorum, qui absque culpâ vllâ patiuntur offensionem & indignam suspicionem apud amicum; & tamen ipsi omne bonum, & prosperitatem exoptant, quamvis nullum inde commodum sperent. Iuxta quam opinionem, vnum ex præcipuis Amicitia operibus est benevolentia. Tertia opinio est arbitrantium, illum verè existimandum amicum, qui familiariter cum altero vitam exigit, eadem studia prosequitur, atque de eisdem rebus vna cum eo delectatur, aut dolet. Quod & in matribus erga filios apparet, & in ijsdem demum, qui stricto Amicitia nexu colligati sunt. Iuxta hanc verò opinionem, præcipuum Amicitia opus est concordia, sive contentio animorum. Patet itaque, secundum varias opiniones, præcipua Amicitia opera esse tria: beneficentiam, nimirum, benevolentiam, & concordiam. Quare de vnaquaque earum postea singulatim disserit tribus capitibus sequentibus.

4 **CIRCA** Secundam partem edisserit, qualiter vir probus se gerat in eisdem operibus erga seipsum: nam qui probus non est, verè & absolute sibi ea non exhibet, sed solum quatenus probus & amore dignus sibi ipsi videretur. Probus autem verè erga se tria illa exhibet amoris officia, eaque internoscit, tanquam solida Virtutis notas, quas & in alijs divinare potest, seu cognoscere an ijs insint. Quemadmodum enim in vnoquoque genere primum & optimum est mensura cæterorum; ita in officijs ad mores spectantibus vir probus est norma, canon, & veluti mensura aliorum.

Qua-

Quare oportet in illo esse, ut verè sunt, tria illa solidae Amicitiae opera erga seipsum: nimirum, beneficentiam, benevolentiam, & concordiam. Porro vir probus erga seipsum beneficentiae opera exercere videtur. Cum enim habeat planè rationi subiectas perturbationes animi, ut lib. 7. cap. definitum est, temper eadem opera facit, id est, rectè rationi conformia, & sibi quàm maximè honesta, neque vnquam vicissitudinem subit, aut desinit esse sibi similis. Ergo beneficentiam habere videtur erga seipsum. Praeterea, semper sibi bonum & honestum vult κατὰ νόμον ἑαυτοῦ, toto prorsus animo, ut loquitur Arist. Hoc autem planè est, benevolentiam ad seipsum habere. Denique & concordiam secum servat, quia ita compositus animo est, ut nullis perturbationum procellis huc & illuc agatur: sed semper idem velit, ac nolit, neque vnquam sibi contrarius appareat. Ergo tria illa Amicitiae opera praecipua exhibentur a viro probò erga seipsum.

5 ADDIT Philotophus loquens de viro bono: vult sibi ipsi ἀγαθὰ, bona. quo loquendi modo denotat, quemadmodum in Amicitia perfectà, quæ est ad alterum, vult quis bona amico, ipsius amici gratiâ; ita in benevolentia, quam vir probus habet circa se, & quam supra docuerat esse fontem benevolentie in alios, velle sibi bonum gratiâ sui. Est enim unicuique, ut dicebamus, naturâ insitus amor sui: atque adeò & bono viro, quoniam nequit naturam exuere. Quod & plures alij docent, vique adeò, ut & in proverbium abierit. Vnde illud Terentij in Andriâ:

*Verum est verbum illud, vulgò quod dici solet,
Omnes sibi meliùs esse velle, quàm alteri.*

Et eodem loco insuper: *Heus, proximus sum egomet mihi.* Plato etiam lib. 5. de Legibus: *Hoc est ergo quod aiunt, vnumquemque natura sibi amicum esse, idque rectè fieri.* Idem Arist. lib. 7. Magn. Moral. Nonnullis, inquit, videtur vnumquemque sibi potissimum amicum esse. Consonant & latina adagia, quale illud Plauti in Trinnummo: *Tunica pallio propior.* Quod & apud Hispanos in parœmia est. *Mas cerca està la camisa, que el saio.* Et illud insuper: *Genu est sura propius.* Cui ad litteram in Arist. responderet: γόυυ κνήμης ἐγγυον, tibia genu propinquius. Quod Athenæus lib. 9. etiam affert. Et Iheocritus Idyllio, cui epigrapha, *Charites,* id adaptat, viro tenaci, qui sibi vni vivat, & nihil amicis impertiri velit. Carmina sunt,

*Πᾶς δ' ὁ νόμος, &c. Id est,
Verum quisque sinu dextram occulit, illud &
vnum*

*Cogitat, unde sibi congesta pecunia crescat,
Nec cuiquam, ab altera rubigina donec amico.*

*Immo statim hoc, Mibi sura genu longinquior,
inquit,
Ipsi malim aliquid detur mihi.*

6 VERVM Quoniam obijcere quis posset, non esse probi viri, sed avari aut cupidi, velle alia propter seipsum, hinc difficultati spontè occurrat Arist. atque probum virum velle sibi bona, ἀρετῆ τὸ διακονεῖν, gratia animæ intelligentis. Non est autem à probitate, seu honestate alienum, velle bona convenientia nobilissimæ hominis parti, qualis est rationalis animus, in quo Virtutibus ac disciplinis instruendo atque exornando potissima cura esse debet. Neque hic amor est qualis ille alius avarorum, aut cupidorum, in turpi quæstu, aut corporis voluptate, felicitatem suam constituentium: sed honestus, & rationali naturæ conformis. Vnde & colligitur, virum probum rectè amare ipsam etiam corporis vitam, & bonam valetudinem: quoniam & illius amor naturâ insitus est: & id ipsum bonum ab eo amatur propter animæ bonum honestissimum, atque omni amore dignissimum.

7 ITAQUE Vir probus amat sui ipsius gratiâ, sive propter animi perfectionem, bona omnia, quæ convenientia sunt, & secundum rectam rationem amari possunt. *Factus verò alius* (inquit, Arist. iuxta versionem Argypopili) *nullus expetit cuncta illud, quod factum est, habere.* Difficilima sanè verba. *Adrianus Turnebus* ita veritè: *Effectus verò alius, nemo velit illud, quod factum est, omnia habere.* *Petrus Victorius,* *Cum autem redditus est alius, nullus expetit cuncta habere illud, quod effectum est.* *Lambinus* omnium expressissus, licet pene confugiens ad periphrasim: *Sed nullus est, quasi alius, quam qui prius erat, effectus sit, optet, id, in quod commutatus sit, bonis omnibus abundare.* Brevius *Gallatius:* *Sed nemo est, qui commutatus in alium, velit id, in quod commutatur, habere bona omnia.* Difficilia, inquam, verba. Verùm eorum sensus ab eodem *Lambino,* & *Oberto Giphano* expressus est, vnumquemque velle sibi bona omnia, dum manet idem. Nam si supponatur convertendus in quidquam aliud, ut in boven, aut equum, secundum illâ veterem ἑαυτοῦ, transanimationē fictam à Pythagoræ, iam non optabit bona omnia rei illi, in quam converteretur, quoniam alia à seipso erit. Ergo vniquisque potius sibi, quàm alteri, bona vult. Aliud quoque exemplum affert Arist. ab impossibili. Deus suum habet bonum, sibi contentaneum, ac proinde summum & infinitum, quod sibi ipsi amat. Verùm facta hypothesi impossibili, ut mutetur in creaturam, iam non amabit bonum illud, sed aliud convenientis rei illi, in quâ uteretur. Vnde effatum illud celebre *D. Augustini* Theologiz

Jogia facile Principis Deum alloquentis: *Si tu esses Augustinus*, &c. potius mystice & analogice, quam ad litteram accipiendum est. Vnusquisque ergo precipue amat bonum suum, siue conueniens ipsi, potius quam alteri, iuxta solitam naturam cursum.

8. **PENGIT** Vt rursus ut edisserat, nec deficere viro probato erga seipsum convictum illum, familiaritatem, & iucunditatem, quam experiuntur amici, dum simul aetatem & vitam exigunt ac frequenter conuersantur. Vir enim exornatus Virtutibus, secum vivit, secum agit, & libentissimè quidem ac iucundissimè: quia causam iucunditatis intra se habet: nimirum, Virtutes ipsas, quas proprijs operationibus adquisiuit: memoriam recte factorum, quorum recordatio dulcis admodum est, & spem praemij futuri. Idque praesertim in viro sapiente locum habet; quoniam frequenti contemplationis exercitio, atque animo sereno & quieto, potest eiusmodi voluptates purius percipere, & liberius ab omni taeda. Cui doctrina illustranda prodest tritum illud: *Mibi & Musis*. Ac vox cuiusdam Sapientis ab hominum societate remouit: *Non sum solus. Habeo qui cum colloquar, & tempus fallam; mentem meam*. Et insuper celebre illud Scipionis effatum: nunquam se minus otiosum, quam cum eilet solus. Vnde & versus, quibus Prolemaeus à vulgo mortalium separatus de seipso dicere perhibetur:

*Sum mortalis homo, vitae quoque perbrevis,
at cum*

*Astra globosque poli scandere fert animus;
Tunc pedibus non calco solum, sed celsior alto*

Aëtho lovi, atque alma perfruo ambrosia.

9. **ASSIGNAT** Praeterea notam aliam Amicitiae in viro probato erga seipsum, quod vna secum doleat & laetetur: & quidem de eisdem omnino doleat, & de eisdem laetetur: quoniam cum Virtutis habitu firmo & constanti praeditus sit, semper sibi similis est, nec de vno eodemque modo dolet, & modo laetatur, ut improbi faciunt, propter turbulentiā affectionum inordinatarum, quibus identidem huc & illuc impelluntur. Quare vir probus ab Arist. dicitur *μεταμέλητος*, *expers poenitentiae*. Quia omnis poenitentia consistit in eo quod sit dolor seu tristitia de illo, quod aliquando placuit. At vir probus nunquam dolet tristaturve de illo quod aliquando placuit. Quod enim illi semel placet, semper placeat: quod autem semel displicet, etiam displicet semper & vbique, propter constantem habitum honestatis. Ergo vir probus *μεταμέλητος*, seu incapax poenitentiae est. Quae ratio accipienda sine dubio est, etiam ad mentem Philo-

sophi, de viro probato quandiu probus permanet. Nam si ex improbo factus sit probus, nec ratio verat, nec Arist. prohibet, ut doleat de illo ipso, quo delectabatur, dum improbus esset. Similiterque vbi contingat, ex probato fieri improbum, delectabunt plane turpia opera, quae antea ex oia fuerant.

10. **CONCLVDIT**, Amicitiam & amicum tribus operibus iam explicatis commendatque adeo exhibentem ea, aut sibi, aut alteri amico, debere amicum existimari. Hinc verò oriri statim potest disputatio, quam Arist. hoc loco non resoluit, an scilicet, quis Amicitiam ad seipsum habeat. De hoc enim acturus est infra cap. 8. & disserit in Eudemijs lib. 7. cap. 6. Verum affinis haec dubitatio est illi alteri, quae supra lib. 5. cap. 11. qua siuit, an possit quis facere iniuriam sibi ipsi. Et quemadmodum eo loco decrevit, neminem sibi ipsi iniuriam existere, quia iniuria est ad alterum: ita hoc loco dicitur videbatur, neminem sibi amicum existere, quoniam Amicitia ad alterum est. Ceterum adhuc videtur nunc inclinare in affirmativam partem: Quia vbi praecipua Amicitiae opera sunt, ibi & Amicitiam esse necessum est. Atqui in viro probato erga seipsum praecipua opera Amicitiae sunt: quod iam ante probavit Arist. & denuo repetit illis verbis: quanquam satis implexis & obscuris: *Videbitur autem, haec amicitia esse, quo duo vel plura ex ijs est, quae sunt dicta*. Ergo & in viro probato est Amicitia erga seipsum. Quod verò Eustratius, & Lambinus referant ea verba ad corpus & animam hominis, quae sunt duo, & sufficient ut ratione eorum quis Amicitiam erga seipsum habeat, reijcitur plane: quia praedictis verbis Arist. se refert ad illa duo aut plura, quorum ante meminerat: ut patet dum inquit *Ex ijs, quae dicta sunt*. Non meminerat autem corporis & animae, quae duo solum sunt; sed operum Amicitiae iam explicatorum, quae duo aut tria sunt. Ergo Arist. non loquitur ijs verbis de corpore & animae; sed de praecipuis operibus Amicitiae.

11. **PRÆTEREA**, Amicitiam hominis probi ad seipsum esse posse apparet ex illa alia ratione, quae id conijcit, petita ex vulgato vsu loquendi. Summa enim duorum Amicitiae comparari solet illi, quae vnusquisque hominum est affectus erga seipsum. Vnde & vox illa amoris plena: *Diligo te sicut me ipsum; ac praeterea: Ita sum tibi amicus, sicut ipse mihi*. Quod & in sacris litteris exprimitur, praesertim divino illo precepto: *Diliges proximum tuum sicut teipsum*. Et de Ionathâ legimus, dilexitle Davidem, sicut animam suam. Hoc autem modo non loqueremur, si nemo Amicitiam haberet ad seipsum. Videtur ergo esse Amicitiam hominis ad seipsum. Nec plura de hoc Arist. in praesentiarum: quoniam,

vt dixi, rem discursurus est infra cap. 8. Et ha-
denus de viro probato.

12 CIRCA Tertiam partem differit
de homine improbo, & statuit, ac probat, sibi
ipsi amicum esse non posse, neque vllum Ami-
citiæ genus habere: quia opera, siue notæ, aut
indices veræ Amicitia, in eo non sunt. Vt ve-
rò rem clarius doceat, distinguit varios im-
proborum gradus. Quidam enim improbitate
leviter aspersi sunt: quidam autem prorsus im-
buti. De prioribus concedit, posse erga se ali-
qualem Amicitiam habere, non quidem eâ
parte, quâ improbi sunt; sed quâ se bonos ac
Virtute præditos arbitrantur. Sub hac enim
consideratione exhibent circa seipsum opera
similia ijs, quæ viri probi exercent circa bo-
num proprium: ideoque notas quasdam, siue
indices expriment aliqualem Amicitia ad seip-
sum, quæ perfectâ imitetur. De posterioribus ve-
rò docet, nullam omnino Amicitiam habere
erga se: ideoque vitam eorum esse miserri-
mam: vtpote destitutam magno illo Amicitia
honestæ bono, tam cum alijs, quàm circa se.

13 ID Autem præterea probat: Quia
vbi nullum est Amicitia opus, siue nota, ibi
neque Amicitia est. At in hominibus omnino
improbis nullum est Amicitia opus, siue nota,
erga seipsum. Ergo nulla in ijs est Amicitia ad
se. Maior est per se nota. Minorem autem de-
monstrat excurrendo per tria præcipua Ami-
citiæ opera superius explicata: nimirum, be-
nevolentiam, benevolentiam, & concordiam.
Primo enim beneficentiam non esse in impro-
bo erga seipsum, suadet: Quisquis nocet si-
bi in agendo, & vacat operibus sibi pernicio-
sis, nullam habet beneficentiam erga se. At-
qui improbus nocet sibi in agendo, & vacat
operibus sibi perniciosiss: qualia certè sunt
omnia prava & vitiosa opera. Ergo impro-
bus nullam habet beneficentiam erga se. Quin,
& dum vitiosi eligunt plura, veluti sibiipsis
utilia, aut iucunda; verè noxia eligunt. Rursus
& identidem in voluptatibus variant, & ea-
dem quandoque volunt, quandoque nolunt,
velut incontinentes. Alij etiam ob formidi-
nem, aut ignaviam, non agunt ea, quæ sibi
optima esseat. Vnde & iterum confirmatur as-
sumptio præiacta. Quisquis sibi beneficus est,
is sanè eligit sibi convenientia & optima. At
improbus non eligit sibi convenientia & op-
tima, sed potiùs ea omittit agere. Ergo impro-
bus sibi beneficus non est. Itaque ex duplici
capite videntur improbi non habere benefi-
centiam erga seipsum: & quia exequentur per-
niciosa opera, & quia optima atque honesta
agere nolunt.

14 DEINDE Benevolentiam ijs
non esse erga se (quæ est secunda assumptionis
pars) probat: Quoniam ij præsertim qui multa
gravia & atrocissima commiserunt, sibiipsis gra-

ves sunt, vbi in memoriam redeunt scelera per-
petrata; vique adeo, vt quidam eorum vitam
exosam habeant, & interdum sibi afferant ma-
nus, & mortem consciscant. Inde autem evin-
citur, eiusmodi improbos nullam erga se be-
nevolentiam habere. quod probatur hoc syl-
logismo: Quisquis sibi ipsi gravis est, & vitam
ipsam exosam habet, nullam in se benevolen-
tiam habere dignoscitur. At flagitiosi homi-
nes sibiipsis graves sunt, & quandoque vitam
ipsam exosam habent. Ergo flagitiosi homi-
nes nullam in se benevolentiam habere dig-
noscentur.

15 DENIQUE Concordiam ijs
nullam esse secum (quæ est tertia pars, simul &
postrema Amicitia nota) facile ostendit: Quo-
niam scelerati homines secum habitare no-
lunt, & cum animo suo versari. ideoque alio-
rum colloquia amant & querunt, ne soli sint,
& impietatum suarum meminisse cogantur.
Quare nullam secum concordiam habere pos-
sunt, nullam societatem, aut convictum, vbi
seipsum fugiunt, exagitari assiduo illo consci-
entia mortu, æternum rodentis, & miseram ani-
mam torquentis. Qui locus Arist. planè insigni-
nis & memorabilis est circa conscientiam ho-
minum sceleratorum, & quibusdam alijs Ethni-
corum adiungendum: vt sacros Auctores omit-
tam, quorum testimonijs pagina impleri pos-
sent. Nimirum, Arist. exprimit conscientiam
sceleratorum hominum, veluti ministrum sup-
plicij, & carnificinæ ipsorum, dum ait: *εαυτῶν
δὲ φεύγουσι. ἀταμίμνησκειται γὰρ πολλῶν, καὶ
δυσχερῶν, &c.* seipsum verò fugiunt. recordan-
tur enim multarum graviumque rerum, &
sperant alias tales, cum secum sunt. Quod op-
portune admodum exprimit Iuvenalis dum
accinat:

*Exemplo quodcumque malo committitur, ipsi
Displicet autberi. prima est hac ultio, quod se
iudice nemo nocens absolvitur, improba quam-
vis*

Gratia fallacis Prætoris vicerit urnam.

Consonat & illud Ovidij: ~~—————~~ pecca-
to torqueor ipse in eo. Sed nemo carnificinam
hanc conscientia rodentis vividius expendit,
quàm Plato lib. de Tranquillitate animi, vbi ita
loquitur: *Facinorosa conscientia instar ulceris
est in corpore, vtpote quæ pœnitentiam relin-
quat lancinantem iugiter, percellentemque
animam. Nam cum alias omnes tristitias tolle-
re ratio solita sit, solam hanc pœnitentiam fa-
cit sua sponte incitabilem præ puore, & quasi
iudicis impetentem sese, atque excarnifican-
tem.* Quare & idiptum tormenti genus forijs
& orco æquiparat Cicero in Orat. pro Roscio,
illis verbis: *Noiite putare quemadmodum in
fabulis sæpenumero videtis eos, qui aliquid im-
piè*

*p'è scelerateque commisserint agitari, & per-
terrefieri furiarum tantis ardētibz. Sua quem-
que fraus, & suus terror maximè vexat: suum
queque scelus agitat, amentiaque afficit.
Sua mala cogitationes, conscientiaque animi
terrent. He sunt impijs assidue, domesticaque
furis, que dies noctesque pœnas à sceleratis
exigunt. Verùm de hoc plura qui volet, adeat
Eratmum in Dialogo colloquiorum extremo,
& librum Platonis nuper allegatum.*

16 CONFIRMAT Arist. eandem
doctrinam quò ad hanc postremam partem:
Quia quotquot inter se concordiam servant,
eisdem rebus invicem collatantur, aut etiam
condolent. At scelerati homines nec secum
collatantur, nec etiam condolent. Ergo se-
cum concordiam non habent. Assumptio ex-
plicatur. Partes enim animæ scelerati homi-
nis nullam consensionem inter se habent: sed
in assiduâ pugnâ & seditione sunt. Ratio enim
ad honestum inclinât, & in recessu à vitijs de-
lectatur: appetitus autem & sensus ad turpe &
vitiosum impellit, & circa ea quæ honesta
sunt, tristitia ac mœrore conficitur. Atqui
ubi ita accidit, nec altera pars animæ alteri
collatur, nec condolet, sed contrarijs invi-
cem affectionibus pugnat. Ergo neque ho-
mo sceleratus secum collatur, aut condolet.
Quare, ut notat Arist. *σπλαγχνία τῆς αὐτῶν ἢ ψυχῆς*,
seditionem patitur ipsorum anima, sive dissi-
dium pene assiduū. quod *ἀναρμονίαν*, nominat
Plato in *Phædone*, id est, in ordinationem re-
pugnantem concordia, quam & harmoniam
vocat. Consonantque Philoſopi communiter
huic modo loquendi, dum aiunt, in viro pro-
bo esse harmoniam, sive concentum partium
animæ: quoniam sedatis perturbationibus, &
appetitu ac sensu subiectis rationi medio mul-
tiplici Virtutum habitu, nequit non esse con-
centus utriusque suavis, & dulcissima harmo-
nia. Insuper, cum in sceleratis hominibus eve-
niat, ut de eisdem omnino rebus modò gau-
deant secundum appetitum, aut modò dolcant
secundum rectam rationem; consequens est
ut neque sibiipsis concordēs aut similes sint,

Ast contra in probis viris, ut supra dictum
est: quoniam de quo gaudent, semper gaudent:
& de quo dolent, semper dolent. utpotè qui
alieni à pœnitentiâ sunt, live ab affectuum com-
mutatione dum perſistunt in eo statu.

17 INFERT I. Improbos non mo-
dò sibi amicos non esse, verùm & inimicis-
simos. Qui enim non solum opera Amicitia
non facit, sed potius contraria exhibet, is pla-
nè infensus & inimicus est. At improbi ho-
mines non solum non faciunt opera Amici-
tia erga se, verùm & omnino cõtraria, ut pro-
batum est de singulis. Ergo non modo sibi
amici non sunt, verùm etiam inimici. Quò
spectat illud Ciceronis lib. 10 Epist. ad Att.
de Iulio Cesare iam victore, quem Tyrannum
existimabat, dicentis: *Corruat iste necesse
est, aut per adversarios, aut ipse per se, qui
quidem sibi est adversarius unus acerrimus.*
Et insuper de eodem: *Nihil inimicis, quàm
sibi ipse.*

18 INFERT II. Studendum
esse quàm maximè, ut relicta improbitate,
sectemur Virtutem & honestatem. Quoniam
oportet totâ animi intentione fugere id, quod
nos in extremam calamitatem & miseriam
pertrahit; confugere autem in id, quod feli-
ces & bonis omnibus affluentes facit. At im-
probitas nos in extremam calamitatem &
miseriam pertrahit: utpotè alienos reddens
ab omni beneficentiâ, benevolentia, & con-
cordia: Virtus autem, sive honestas, felices,
& omnibus bonis affluentes facit. Ergo oportet
totâ animi intentione fugere improbita-
tem, & sectari Virtutem. Sic enim erga nos
ipſos eam Amicitiam habemus, quæ bono-
rum omnium mater est, dum omnes affectus
secundum rectam rationem dirigit in verum
& honestum amorem nostri ipsorum. Lege
infra cap. 8. plura ad hoc ipsum caput illu-
strandum.

VIDE D. Thomam 2.2. q. 26. art. 4.
5. 6. & 7. atque illius Inter-
pretes.

(?)



CAPVT QVINTVM.

De Benevolentia.

BENEVOLENTIA Autem, amicitiae quidem est similis, non tamen est amicitia. Fit enim benevolentia & ad ignotos, & latens: amicitia vero non fit. Haec autem antea diximus. At nec etiam est amatio. Non enim habet extensionem, nec appetitionem. Amationem autem haec sequuntur. Et amatio quidem est cum consuetudine: benevolentia autem fit & repente: ut fit & erga certantes. Spectantes enim benevoli fiunt ipsis, & volunt bona. Nihil autem agerent simul. Quod enim diximus repente fiunt benevoli, & leviter diligunt. Videtur igitur benevolentia principium amicitiae esse: sicut & adamandi, voluptas ea, quae per aspectum efficitur. Nemo nanque adamat, si non antea delectatus fuerit forma. Qui vero gaudet forma, non continuo & adamat: sed cum absentem desiderat, praesentiamque affectat. Sic igitur & amicos, impossibile est esse, nisi benevoli fuerint. Benevoli vero non continuo & amant. Volunt enim duntaxat ijs bona, quibus benevoli sunt. Sed nihil agerent simul, neque pro illis molestiam susciperent ullam. Quapropter quispiam per translationem principium ipsam amicitiae dixerit esse: diuturnam autem factam, & ad consuetudinem accedentem, amicitiam fieri: non eam quidem, quae ob utilitatem, neque eam, quae ob voluptatem est: neque enim pro hisce benevolentia fit. Qui nanque beneficium accepit, retribuit pro ijs, quae accepit benevolentiam, faciens iusta. Qui vero vult aliquem prosperitatem habere, spe commodi alicuius consequendi per illum, non illi, sed sibi potius, benevolus est: quemadmodum nec amicus, si illi propter aliquem usum obsequium praestat. Omnino autem benevolentia ob virtutem, ac bonitatem aliquam fit, cum cuiuspiam quispiam pulcher, aut fortis, aut aliquid tale videtur: ut in certantibus diximus.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVINTI.

Benevolentiam pressè loquendo non esse Amicitiam, nec amationem: esse tamen principium illius, duci que primum ex oculorum aspectu, & subinde ex delectatione. Amicitiam porro ex Benevolentia ortam, non quamlibet esse, sed honestam, cuique Virtus propria est.

AD LITTERATISSIMUM AC PISSIMUM HEROEM,
D. D. LAURENTIUM SANTOS DE SAN PEDRO,
IACOBÆVM EQVITEM, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSI-
LIARIVM, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA PRÆ-
STANTISSIMUM CATHEDRÆ DIGESTI VETERIS
PROFESSOREM, ET SODALEM COL-
LEGII MAIORIS OVETEN-
SIS, &c.



POSTQVAM Arist. superiori ca-
pite generatim egit de tribus
præcipuis Amicitia operib⁹,
nunc singulatim de vnoquo-
que eorum differit, ac primò
de Benevolentia, quam hoc
loco summatim docet ab Amicitia differre. Di-
vidit verò caput in tres partes. In primâ docet,
Benevolentiam non esse Amicitiam, nec ama-
tionem. In secundâ ostendit, illam esse princi-
pium Amicitia. In tertiâ monet, non esse cu-
iuslibet Amicitia principium, sed illius dum-
taxat, quæ secundum Virtutem est.

2 CIRCA Primam partem querit,
quid sit *εὐνοια*, sive Benevolentia, & quid non
sit. Ac primùm statuit, proprie loquendo nec
Amicitiam, nec amationem esse. Priorem par-
tem probat: Quoniam Amicitia proprie dicta
solum versatur inter homines invicem notos,
& quibus inest convictus familiaritasque. De-
finitur enim mutuus amor non latens. Atqui
Benevolentia esse potest etiam inter homines
non invicem notos, & quibus nullus inest con-
victus, familiaritasve. Nimirum esse potest in-
ter eos, qui nunquam de facie se noverunt, &
quorum neuter scit se ab altero amari, ut sæpe
accidit. Ergo Benevolentia non est idem ac
Amicitia strictè dicta. Iam verò, nec amatio-
nem esse, quæ est posterior pars, probat dupli-
citate ratione. PRIMÆ est. Id quod *διάρταισι*, in-
tensionem, & *ὀρεξι*, acrem impetum animi non
admittit, diversum est ab eo, quod admittit
utrumque. Atqui Benevolentia non admittit
intensionem, aut acrem impetum animi: ama-
tio verò utrumque admittit. Commoveri enim
acriter, aut certâ quadam contentione pro-
pendere, non est benevolentis, sed amantis. Be-
nevolentia igitur non est amatio. SECUNDA
ratio in idipsum probandum, est. Simplex vo-
luntatis commotio, subita, & veluti prætervo-
lans, diversum quid est à fixo illo impetu, qui
assuetudine & tempore confirmatur. Benevo-

lencia est simplex voluntatis commotio, subita,
& veluti prætervolans: amatio autem est
fixus quidam impetus, assuetudine & tempore
confirmatus. Ergo Benevolentia non est ama-
tio. Maior propositio cum consequentia pa-
tet.

3 MINOREM Verò, quæ in dissi-
dium vocari potest, probat. Et quidem Bene-
volentiam esse simplicem voluntatis motum,
subitumque, & quasi prætervolantem, evincit
experimento desumpto à spectatoribus Ago-
nistarum: id est, omnium qui spe alicuius præ-
mij impellente decertant inter se, præsertim
verò pugilum & gladiatorum. Quamvis enim
gladiatores visi non fuissent in Græcia, nisi
CL. annis post tempus Arist. ut Giphanius ob-
servat ex Livio, fortasse tamen aliud agonis
seu certaminis genus fuit simile gladiatorio.
Cuiuscumque tamen generis fuerint ij, quos
Aristoteles expressè Agonistas nominat, id cer-
tum experimento est, spectatores modò erga
alterum decertantium, modò erga alterum,
subito quodam Benevolentia motu affici, at-
que ipsi bene velle, id est, ut in certamine præ-
valeat: quin tamen exinde moveatur ad adiu-
vandam pugilem, vel quidquam exequendum,
quo causam illius reddat melioris conditio-
nis. Ceterum amatio contra se habet: quoniam
cum vehementior sit, & firmior ob consue-
tudinem & diuturnitatem temporis, non con-
quiescit in simplici aut prætervolante affectu;
sed ulterius prorumpit in opus, si quoquo mo-
do subvenire & opem ferre amico valeat. Be-
nevolentia igitur in simplici voluntatis mo-
tu, subito, & prætervolante, sita est: amatio au-
tem in fixo quodam ac vehementi impetu, qui
assuetudine confirmatur & tempore.

4 VBI Tria observari solent ex Gual-
tero Burleo. PRIMVM est, Benevolentia no-
mine interdum significari habitum, interdum
actum: verum hoc loci ab Arist. usurpari pro te-
nui illo, ac simplici actu, quo subito movemur
ad

ad bene volendum alteri; ac planè diverso ab amatione, quæ est actus absolutus, perfectus, & efficax voluntatis. Quamvis enim amare sit velle bonum, addit efficaciam aliquam, sive ferriam voluntatè inferendi bonum re ipsa. Velle bonum autem est ratio communis & quasi genus ad simplicem imperfectumque voluntatis motum, & perfectum atque efficacem. *Secundum* est, Benevolentiam sumptam pro actu, quamvis in prædictis differat ab amatione, non tamen propterea specie essentiali differre, sed penes magis & minus intra eandem speciem: nimirum, tanquam affectum voluntatis simplicem & levem ab efficaci & absoluto: quorum uterque respicit idem obiectum formale, quamvis alio & alio modo. *Tertium* est, Benevolentiam adhuc in ratione habitus dupliciter accipi posse. Primo pro habitu imperfecto voluntatis, quo quis dumtaxat propendet ad simplicem illum & interiorem affectum bene volendi. Secundo pro habitu perfecto, & inclinante ad bene volendum absolute & efficaciter, id est, opere ipso, & auxilio. Priori sensu habitus Benevolentia longe differt ab Amicitia habitu, cum hic non sistat in affectu interno, & qualicumque; sed procedat ulterius ad benefaciendum. Posteriori autem sensu est genus ipsum Amicitia, absque dubio consistens in eo perfecta Benevolentia genere. Quare Aristoteles dum negat Benevolentiam esse idem ac Amicitiam, loquitur de Benevolentia secundum priorem acceptionem: non verò iuxta hanc posteriorem. Hæc ferè ille, cui consentit Gallus.

5 VERVM Auctores prædicti, dum secundo loco observant, actum illum Benevolentia, de quo differit modo Aristoteles, non differre specie ab actu amationis, qui est exercitium Amicitia; videntur postea sibi contradicere, dum tertio loco statuunt, habitum Benevolentia, qui est principium illius prioris actus, differre omnino ab habitu Amicitia, qui est principium actus posterioris. Etenim ubi actus proprii habituum specie non differunt, neque etiam habitus per se instituti ad eos exequendos differunt specie: ut constat inductione, tam in habitibus speculativis, quam practicis & moralibus, seu Virtutum, seu vitiorum. Ergo si actus proprii habituum Benevolentia & Amicitia non differunt specie, neque etiam ipsi habitus inter se specie differunt.

6 QVARE Ex tribus illis observationibus Gualteri duæ priores placent. Tertia verò solum probanda est, quatenus sensus sit, differre habitum Benevolentia secundum priorem illam considerationem ab habitu Amicitia; non quidem specie essentiali, sed accidentaliter solum, tanquam imperfectum

à perfecto; & eo sanè modo, quo secundo loco dictum est simplicem Benevolentia motum ab amatione differre. Itaque idem habitus qui initio comparatur, seu acquiritur per plures actus imperfectos, seu pure internos, & est habitus imperfectus Benevolentia; idem ipse, inquam, processu diurno temporis, & mutuo convictu, ac communicatione duorum confirmatus, perficitur in seipso, & evadit in habitum Amicitia perfectum, cuius proinde operationes non iam leves aut exiles, ut antè, sunt; sed robustæ & operibus confirmatæ. Quod facile deducitur ex Aristotele supra lib. 8. cap. 6. docente, Amicitiam non facile aut subito contrahi: sed longo temporis tractu, ac diurno convictu, & frequentia eorum, qui Amicitiam iniriunt sunt. Adde eos, qui facile videntur eam contraxisse propter sympathiam geniorum, seu studiorum miram similitudinem, nondum esse perfecte amicos, sed solum dispositivè, seu in præparatione animi. Ergo oportet dicere, habitum Amicitia non esse, nec dici talem à principio: sed solum post diurnum tempus, & mutuè utriusque amici experimentum. Quare, sicut cæteri habitus initio imperfecti sunt, & assuetudine longa atque exercitio perfecti demum evadunt: ita etiam habitus ille, qui initio pure & simplicis Benevolentia est, & planè imperfectus, atque solum ad simplices affectus animum inclinatur; ille ipse diurno temporis exercitio, & frequenti consuetudine, ac beneficijs duorum confirmatus, transit in perfectum habitum Amicitia, qui est principium vehementis amationis, & communicationis bonorum. Quod amplius colligi poterit ex dicendis hoc ipso capite.

7 CIRCA Secundam partem, exponit quid sit Benevolentia: quoniam hucusque solum docuit quid non sit. Atterit verò esse quædam inchoationem, sive initium Amicitia. Quod declarat, simul & probat exemplo eorum, qui se invicem amare incipiunt. Quemadmodum enim frequenter accidit ut amor incipiat ex aspectu oculorum, quo videmus alicuius formam elegantem, quæ delectat, & placet: ita & Amicitia erigit postquam duo aliqui mutuè erga se Benevolentia conceperunt. Perinde enim se habet ad Amicitiam Benevolentia, sicut aspectus formæ elegantis & liberalis ad amorè, sive amationem. Atqui amor, sive amatio nulla est, nisi præcedat oculorum aspectus, quibus forma alterius placeat. Ergo neque Amicitia vlla est, nisi Benevolentia præcellerit.

8 MONET Verò, non statim ac quis aspiciit pulchritudinem alterius, sequi amationem, sive amorem absolutum: sed hanc esse ordinem, ut oculorum intuitum sequatur delectatio animi, delectationem verò amor. Cuius

signum esse ait, quod postquam quis delectatus est visa specie alterius, si contingat eum abetie, aut de medio tolli, graviter id fert, & præstantiam illius vehementer concupiscit. Ergo quia amor, seu amatio, post delectationem occupavit animum, sicut delectatio ingrella est post officium oculorum. Quæ doctrina Arist. verissima est, & in sacris litteris tradita: vbi sæpe monemur ad continendum oculorum officium, ne videntes alienam pulchritudinem, laqueo delectationis primùm, ac deinde insolubili vinculo amoris capiamur. E multis pauca seligam, quæ mirè Aristotelis textum illustrent. Quippe *Ecclesiastici* 9. v. 3. 5. 7. & 8. hæc monita habeantur. *Ne respicias mulierem multivolam, ne fortè incidas in laqueos illius.* Et insuper: *Virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* Et rursus: *Noti circumspicere in vicis civitatis.* Ac denique: *Averte faciam tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam.* Nimirum, ut inquit Apostolus Petrus Epist. 2. cap. 2. v. 14 *Oculi sunt pleni adulterij & ineffabilis delicti.* Vnde S. Salvianus lib. 3. de Provid. eleganter & ad rem inquit: Sciens Salvator, fess, nestras quoddammodo esse nostrarum mentium lumen oculorum, & omnes improbas cupiditates in cor per oculos, quasi per naturales cuniculos, introire; extinguere eas peccatus foris voluit, ne intus orientur, & lethaliter crescentibus fibris, convalescerent fortasse in animo, si germinassent in visu. Hactenus ille; quo nihil conformius Arist. hoc loco allerenti, improbam cupiditatem, seu delectationem, germinare ex oculorum aspectu, & postea convalescere, usque ad amationem. Sed audire par est Clementem Alexandrinum lib. 3. Pædagog. cap. 11. sic loquentem: Videtur super omnia esse aversandus aspectus mulierum. non solum enim si tangantur, peccari potest. Et si enim fieri potest, ut qui viderit, se fortiter gerat; verumtamen ne cadat, cavendum est. Fieri enim potest, ut qui viderit labatur: sed fieri non potest, ut qui non viderit, concupiscat. Dum enim lasciviunt oculi, si calefcunt appetitiones. Melius est labi pedibus, quam oculis. Dominus itaque quam fieri potest compendiosissimè medetur huic vitio. Si te tuus, inquit, oculus scandalizat, erue eum. nimirum, ex imo evellens cupiditatem, CVM PER OCVLOS CVPIDITAS INEAT PRIMA PVGNÆ PRÆLVDA. Ante totum enim corpus corrumpuntur oculi.

9 ETHNICORVM Quoque monita eodem spectantia suppetunt, potius Christianis hominibus, quàm Ethnicis digna. Et, prætermisso illo Plutarchi effato, amores, quibus nullus animi vehementior motus est, ab aspectu oculorum principium ducere; prætermisso, inquã, quia nihil aliud habet, quàm ipsissimam

Arift. doctrinã; habemus illustre testimonium, simul & exemplum apud ipsum Orat. 2. de Alexandri virtute, vbi illū laudat quod a pulcherrimarum virginum Darij Regis filiarum conspectu abstinuerit, ea ratione addita: *Non committendum sibi, ut cum viros vicisset, vinceretur à fœminis.* Et insuper de ipso. *Persidibus tantum superior fuit pudicitia, quantum fortitudine Persis.* Nullam enim invitam vidit: & quas vidit, magis præterijt, quàm non visas. *ut cum aliàs fuerit humanissimus, adversus pulchritudinem formæ dumtaxat superbè se gesserit.* Ac præterea idem Plutarchus libello de Curiositate, ita loquitur, historicè & ethicè simul in documentum nostrum: *Alexander Darij uxorem, quia formosissima dicebatur, noluit in suum venire conspectum. Nos lecticis mulierum oculos subijcientes, & eos à fenestris suspendentes, nihil peccare nobis videmur, adeò lubricam, & ad omnia fluentem curiositatem facientes?* Peccamus certè, quoniam nos conijcimus sponte in periculum ipsa effusione oculorum: qui, ut inquit Heliodorus in Æthiopicis, sunt prima origo, instrumentumque præcipuum amatorie fascinationis. Sive, ut Propertius accinit, *pravi amoris duces:* & litem aduersus pudorem excitantes iuxta illud Nasonis: *Lis est cum forma magna pudicitia.*

10 VNDE Non tam severa, quam iusta & prudens, habenda est lex illa Zeleuci Loerenfium Legislatoris de eruendis oculis homini adultero, veluti ducibus, aut suavoribus delicti. Iusta, inquam; nam iuxta Iuris peritos, *inspicienda est origo delicti, & causa faciendi quæri debet, non factum,* l. si quis in sevitute 7. ff. eod. tit. Nimirum, oculi in causa fuerunt ad adulterium perpetrandum: ideoque digni sunt qui eruantur. Quare Seneca disserens de remedijs fortuitorum, sic cæcos consolatur: *Oculos perdidisti. Quam multis rebus carebis, quas ne videres, oculi eruendi erant.* Non intelligis partem innocentie esse cecitatem? Huic oculi adulterium monstrant, huic incestum, huic domum, quam concupiscat; huic urbem & mala omnia. Certè irritamenta sunt vitiorum, ducesque scelerum. Scilicet, oculi idem ferè præstant, ac bitumem sulphureum, sive Naphta: de quo ita loquitur Plinius lib. 2. c. 105. *Huic magna cognatio igni: transliuntque protinus in eam,* nimirum, in naphtam, unde quaque visam. Hoc itaque ipsum de igneis oculorum tedis, & interno concupiscentie igne dicendum. Continenda, nimirum, esse lamina ab aspicienda pulchritudine alterius. Igneus enim eorum ardor talem cum ea cognitionem habet, ut transfiliat in eam undecumque visam.

11 QVARE Arist. rectè hoc loco docet, amationem à delectatione procedere, delectationem verò ab intuitu oculorum, velu-

luti originē totius amoris postea secuti. Nimirum, ipsi etiam, iuxta Lucianum, sunt *prima amoris via*: iuxta Platonem, *amoris sedes*: iuxta Philostratum, *duces amoris*. Et *maritales* illos nominat Oedipus apud Senecam *act.* 5. dum plorat & lamentatur se ijs hausisse amorem matris, ipsamque visam & amatam nefario matrimonio sibi devinxisse. Carmina autem sunt:

*Flere satis est? Hætenus fundent levem
Oculi liquorem? Sedibus pulsi suis
Lachrymas sequantur. H. maritales statim*

Fodiantur oculi. Debitas pœnas tuli.

Inventa thalamis digna nox tandem meis.
Nec dissentit ferè ab Arist. Philæmon in assignandis gradibus, quibus devenitur ad amandum, dum accinit:

*Primū vident omne: deinde subit admiratio.
Deinde contemplatur: & deinde spes venit.
Ita fit ex his amor.*

Vix, inquam, dissentit ab Arist. qui hoc loco solum gradus præcipuos indicavit, ex oculorum aspectu ad delectationem, & ex delectatione in amorem. Hoc ergo modo inquit, non subito ad Amicitiam veniri: sed primò oriri Benevolentiam, deinde mutuo convictu & societate eam confirmari usque ad amationem, sive exercitium Amicitiae. Quare & laudat eorum metaphoram, qui Benevolentiam dixerunt *ἀρχὴν φιλίας*, *initium amicitiae*, ut habebatur in codicibus Græcis, quibus vsi sunt Eustratius, Argyropilus, & Noster Perionius: quamvis in alijs, quibus ducti sunt, vetus Interpres apud D. Thomam, Victorius, Lambinus, & Gallus, solum habeatur *ἀργύρον φιλίας*, id est, *ignavam & otiosam amicitiam*. Benevolentia enim prout differt ab Amicitia, nullam molestiam subit, nec periculum adit, nec beneficium præstat: sed ignava atque sterilis operum est. Cuius oppositum prorsus videre est in Amicitia.

12 CIRCA Tertiam partem docet, Benevolentiam non esse inchoationem, sive initium cuiuslibet Amicitiae; sed eius nominatim, quæ secundum honestatem est. Porro Benevolentiam non esse initium, seu (quod perinde est) non transire unquam in Amicitiam illam quæ utilitate, aut voluptate ducitur, sic ferè probat: Quisquis est alicui benevolus, nō vult sibi ipsi dumtaxat bonum, sed alteri erga quem benevolus est. At quisquis in amando ducitur utilitate, aut voluptate, vult sibi ipsi dumtaxat bonum, non autem alteri. immò & quamvis huic damnosum aliquid sit, illud amat, si utile sibi aut iucundum existat. Ergo quisquis in amando ducitur utilitate, aut voluptate, nullo modo benevolus est. Ergo Benevolentia nequit unquam transire in illud genus Amicitiae, quod ducitur utilitate,

aut voluptate. *Confirmatur*. Ut enim Aristoteles paulò antea docuit, Benevolentia diuturnitate temporis, & incremento sui evadere demum Amicitia potest, seu in Amicitiam transire, cuius principium, sive inchoatio est. At transire non potest diuturnitate temporis, & incremento sui, in Amicitiam utilitatis, aut voluptatis. Benevolentia enim quò diuturnior & maior est, eò magis amat bonum alterius, cui bene volumus. Amicitia autem utilitatis, & voluptatis eò magis amat bonum utile, aut iucundum ipsi amanti, quò diuturnior, & maior est. Altera itaque amat bonum proprium, altera alienum: quæ duæ affectiones sunt contrariæ. Ergo cum nullus habitus diuturnitate temporis, aut incremento sui, transeat in habitum contrarium, nequit demum fieri, ut Benevolentia transeat in Amicitiam utilitatis, aut voluptatis.

13 DICET Aliquis, etiam in Amicitia utili intervenire Benevolentiam: quoniam is, qui recepit beneficium ab alio, retribuit gratiam, seu Benevolentiam pro alia Benevolentia rependit. Et tamen id facit ratione utilitatis acceptæ ex beneficio. Ergo iam intuitu utilitatis haberi Benevolentia potest, sicut & Amicitia. RESPONDET Aristoteles ne in prædicto quidem casu Benevolentiam esse posse principium Amicitiae utilis: quoniam ut esset illius principium, deberet ipsam antecedere, non subsequi. At in casu proposito Benevolentia non antecedit, sed potius subsequitur: cum sit in gratiarum actionem pro beneficio iam accepto. Benevolentia igitur, etiam in prædicto casu non est principium utilis Amicitiae. Addit præterea, volentem bonum alteri, spe alicuius utilitatis ex ipso percipiendæ, non esse ipsi benevolum, sed sibi ipsi: quoniam non tam alterius utilitatem spectat, quam suam. Sic nec solidam Amicitiam, seu perfectam habet, qui observat, seu attendit ea, quæ amici sunt, ob aliquid sibi utile. Benevolentia igitur, sicut & vera Amicitia, non ducitur utilitate.

14 QVAPROPTER In fine capitis docet, Benevolentiam esse inchoationem Amicitiae perfectæ, quæ honestate, ac Virtute ducitur. Idque dupliciter probat. *Primò*: quia Benevolentia est initium, seu inchoatio Amicitiae: cum hæc non subito habeatur, sed quasi per partes; quarum potissima est, ut duo aliqui sibi invicem velint bonum. At probatum iam est, eam non esse initium Amicitiae utilis, aut iucundæ. Ergo cum solum superest aliud genus Amicitiae, quæ honestate, & Virtute ducitur, dicendum est Benevolentiam huius postremæ Amicitiae principium esse. *Secundò* id ipsum probat:

Quia id quod propter Virtutem sive honestatem gignitur, solum potest esse principium illius affectionis, quæ Virtutem & honestatem spectat. Benevolentia autem gignitur propter Virtutem, sive honestatem: ut patet exemplo quod videmus aliquem excellere fortitudine animi, vel corporis, aut alia insigni dote. Statim enim ipsi bene volumus propter seip-

sum, & absque vlla commodi nostri spe: ut supra de spectatoribus Agonistarum dictum est. quod sanè ad Virtutem, seu honestatem spectat. Ergo Benevolentia solum est principium eius affectionis, quæ Virtutem & honestatem spectat. Si ergo principium est Amicitia, illius maxime esse debet, quæ ob Virtutem & honestatem est.

CAPVT SEXTVM.

De Concordia.



AT Qui concordia etiam ad amicitiam attinet. Quapropter non est eadem opinatio. Hæc enim & in ijs, qui sibi mutuò sunt ignoti, inesse potest. Nec eos, qui de quovis sunt eiusdem sententiæ, concordēs dicunt: velut eos, qui de cœlestibus eadem sentiunt: non enim ad amicitiam pertinet, de his esse concordēs. Sed civitates concordēs inquirunt esse, cùm de ijs, quæ conferunt, eadem sentiunt, eliguntque, atque agunt ea, quæ publicè visa sunt. Circa igitur ea, quæ in actionem veniunt, concordēs sunt homines: & horum circa ea, quæ in magnitudine sunt, possuntque vtrisque vel omnibus inesse. Ut civitates concordēs sunt, cùm omnibus videtur magistratus esse diligendos, aut societatem cum Lacedæmonijs ineundam esse, aut magistratū gerere Pittacum, cùm vellet & ipse. At cùm vterque seipsum vult (ut ij volunt, qui in Phœnissis) seditionem habent. Concordēs enim esse, non est idem vtrumque intelligere, quicquid tandem id sit. Sed in eodem idem: ut cùm & populus, & boni Rempublicam optimates gerere volunt. Sic enim fit omnibus quod exoptant. Civilis autē amicitia videtur ipsa concordia esse, sicut & dicitur. Nam circa commoda, & ea, quæ pertinent ad vitam, versatur. Est autem talis concordia in bonis: nam & secum quisque horum est concors, & omnes inter se sunt concordēs: quippe cùm in eisdem omnino sint. Talium enim voluntates manent, & non refluunt, ut Euripus: voluntque semper ea, quæ iusta sunt, & quæ profunt. Hæc autē & communiter affectant. Pravos verò concordēs esse, impossibile est, nisi brevi in tempore, quemadmodum & amicos esse: in rebus quidē utilibus plus, in subeundis verò laboribus, subministrationibusve minus habere percipientes. Vnusquisque autem hæc sibi volens proximum perscrutatur, & prohibet. Perit enim res ipsa communis, cùm ab ipsis

ipsis non conservetur. Fit igitur ut in seditione versentur: & sese quidem vicissim urgentes, quæ iusta sunt agere nolunt.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Concordia quid sit. Eam differre quoddammodo à consensu in eadem opinione. In qua materia versetur, & qualem cognationem habeat cum Amicitia civili. Quorum præsertim hominum sit propria.

AD CLARISSIMUM ET NOBILISSIMUM
D. D. ALPHONSVM MARQUEZ DE PRADO,
ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITEM SVMMORVM SENATVVM IVSTI-
TIÆ AC FISCO CONSILIARIVM, OLIM IN SALMANTICENSI, ACADEMIA
DIGESTI VETERIS CATHEDRÆ ANTECESSOREM, AC MAIORIS
COLLEGII ARCHIEPISCOPALIS TOGATVM, &c.



ISSERIT Arist. hoc loco de alio Amicitia opere, quod est *ὁμόνια*, id est, Concordia: ac summam probandum assumit, eam spectare ad Amicitiam politicam. Dividitur verò caput in quatuor partes. In prima à negatione incipiens assignat, quidnam sit illud, circa quod non versatur, & quod nō spectat Concordia. In secunda decernit affirmando, quid sit in quo versatur, intuetur, & sequitur. In tertia exponit, quam coniunctionem habeat cum Amicitia politica. In quarta demum observat, in quibusnam hominibus Concordia sit.

2 CIRCA Primam partem statuit Concordiam videri esse quiddam *φιλόνειον*, si-ve ad Amicitiam pertinens, & cum ea necessario coniunctū: diversum autem ab *ὁμολογία*, quæ est consensus opinionum. Licet enim hæc nomina Græca *ὁμόνια*, & *ὁμολογία*, sicut & apud Latinos concordia, & consensus, videantur significare idem, ac consensus opinionum; re tamen ipsa differunt. Quod probat Aristoteles dupliciter. *Primò*. Id quod solum inter notos invicem esse potest, differt ab eo, quod etiam inter ignotos esse potest. At solum inter notos invicem esse potest Concordia, cum sit quid coniunctum Amicitia, quæ solum inter notos habetur: consensus autem opinionum etiam inter ignotos potest esse; ut cum aliqui idem omnino sentiunt, quamvis alter nesciat sensum alterius. Ergo concordia differt à consensu opinionum. Quare nec ij qui in eadem opinione consentiunt, propterea concordēs, sicut nec amici erunt. *Secundò* id probat ex communi usu loquendi. Non enim ij qui eandem opinionem tuentur in qualibet disciplina, aut arte, veluti circa res cœlestes, dicuntur concordēs, sed solum consentientes. Fieri enim potest, ut quamvis idem sentiant circa aliquam conclusionē theo-

ricam, scilicet *τὸν τὸν*, *rerum speculabilium*, adhuc voluntate dissentiant circa opus, aut etiam sibi invicem infensi, atque inimici existant. Quo casu certè nemo eos proprie concordēs dixerit, sicut nec amicos; cum tamen proprie consentientes in opinione sint. Concordia igitur proprie loquendo non est consensus opinionum.

3 CIRCA Secundam partem decernit affirmatè quid sit Concordia, & in qua materia versetur. Ac primò quidem pronunciat eam esse positā in ijs rebus, quæ sub actionem cadunt. Quod generatim probat: Quia in ijs rebus positā est, seu versatur Concordia, in quibus civitates, & cives, dum consentiunt, sunt & dicuntur concordēs. Atqui in ijs rebus, quæ sub actionem cadunt, civitates & cives, dum consentiunt, sunt verè & dicuntur concordēs: nimirum, in ijs quæ agere oportet ad bonum Reipublicæ, seu civium. Ergo in ijs, quæ sub actionem cadunt, positā est, seu versatur Concordia. Hoc autè generatim statuto, descendit ad exponendū in singulari res, si-ve materiā, in qua Concordia versatur: & docet, non esse quascumque res agendas, sed illas tantum quæ alicuius momenti sunt. Neque enim discordia in rebus minimis solvit Concordiam, quæ est inter amicos, aut cives: sed illa tantum quæ est in re maioris momenti. Neque etiam Concordia est sita in omnibus rebus agendas, quæ sunt magni momenti: sed in ijs solum nominatimque, quæ possunt convenire, vel utriusque concordantium, vel omnibus hominibus, vel civibus eiusdem civitatis. Si enim nec utriusque concordantium conveniant, nec omnibus hominibus, nec civibus eiusdem civitatis, ridicula erit Concordia, & nomine tenus: cum non sit in ijs rebus, quæ fieri possunt, aut obtineri queant ab ijs, qui concordēs dicuntur; nec propterea circa illas deliberare valeant, quoniam deliberatio solum est circa agenda.

4 REM Illustrat exemplo petito à civitatibus, five civibus vna cōsentientibus. Tunc enim in civitatibus, five inter cives dicitur esse Concordia, quādo omnibus vnum & idem videtur faciendum in utilitatem communē Reipublicæ, & peculiarem singulorum: ut quando omnes conveniunt in eligendo Principe, aut Magistratu; vel in mittendis copijs auxiliarijs, aut ineunda societate belli cum alia civitate, aut de imperio militiæ alicui ex civibus committendo. Subiungiturque adhuc exemplum peculiare Atheniensium, qui præeunte deliberatione, an ineunda esset belli societas cum Lacedæmonijs, & an Pittacus, vnus ex septē Græciæ Sapientibus eligendus esset in Magistratum ad decennium, omnes in eo concordarunt, seu veram & propriam habuerunt Concordiā: utpotè circa rem magnā agendā, quæ fieri poterat, & spectabat, tum ad publicam civitatis, tum & singulorum civium utilitatem. Moner verò Arist. ut Concordia plena servetur in Magistratu eligendo satis non esse, si omnium suffragio eligatur, nisi & præterea electus ipse cōsentiat. Quo videtur respexisse ad ipsum Pittacum, qui electionem suam ratam habuit, & toto decennio Atheniensium Rempublicam optimè administravit. Verum cum absoluto decennio iterum rogaretur, ut in regimine persisteret, constanter id recusavit. Vbi apparet priorem illam electionem fuisse omnino concordem; secus verò posteriorem, quoniam electus contradixit.

5 ADDIT Præterea, non solū inter omnes cives Concordiam esse posse, sed etiam inter pauciores, imò & inter duos, si vterque cōsentiat in eo, ut velit ingens bonum alicui tertio, aut Reipublicæ. Si autem vnusquisque eorū velit idem bonum, non quidem alicui tertio, nec Reipublicæ, sed sibi, veluti Regnum, aut Magistratum; conveniunt quidem in eo quod velint idem bonum: verumtamen non erunt concordēs, sed discordēs, adhuc in ipso desiderio. Non enim Concordia est, vel consensio animorum, sed potius discordia, aut seditio, quod duorū aut plurium quilibet idem omnino & indivisum bonum sibi vni appetat. Idq; illustrat exemplo petito ex Phœnissis Euripidis de Etheocle & Polynice, quorū vterque idem Regnum appetebat sibi; & exinde non modò nulla Concordia orta est, verum & intestina bella vnus fratris contra alterum, & ex bello exitus infœlix, quem Euripides Tragedia illa decantat. Certè opposito modo se gessisse dicuntur tergemini Geryones, fratres simul & Hispaniæ Reges, qui propter miram animorum consensionem in regnando, dicuntur felicissimè imperasse, & symbolum Concordiæ extitisse. Vnde & carmen illud:

*Ter geminos inter fuerat concordia fratres,
Tanta simul pietas mutua, & vnus amor,*

*In victi humanis et viribus ampla teneant
Regna, vno dicti n. mine Geryonis.*

Quare fictione, seu exaggeratione populi pervulgatum fuit, tres illos vnica constituisse anima & voluntate: ut refert Iulianus *lib. 4.* Vnde & nunquam ab Hercule victi fuisse leguntur, dum coniuncti exiterunt. Simile de Molionidjs, aut Molionibus observat S. Gregorius Nazianzenus, post Plutarchum; & Spondanus, alijque referunt, in extremo vitæ commendatum fuisse à Taurorlano Persarum duce, qui iam iam moriturus hortatus est duodecim filios suos ad Concordiam, ut hereditarium Imperium stabilirent. Iussit enim ut duodecim virgas vnusquisque frangeret, seorsim vnā ab alia, quod facillimè præstiterunt. Iussit deinde ut alias duodecim simul frangerent: sed nemo potuit. Idem igitur vobis accidet, inquit. Divisi frangemini; coniuncti permanebitis prorsus infracti.

6 DENIQUE Eandem partem concludit, resumendo quod antea dixerat, duorum Concordiam hominum non in eo sitam esse quod vterque idem sentiat, aut vnum idemque sibi velit: sed in eo quod ambo consentiant animo voluntateque circa eandem rem magni momenti agendam in bonum commune, aut alicuius tertij, aut saltem alterius ipsorum.

CIRCA Tertiam partem exponit, quam conjunctionem habeat Concordia cum Amicitia politica: & pronunciat nihil aliud esse vnā ab alia. In quo videtur contradicere opinioni Platonis in *Alcibiade* docentis, omnem prorsus Amicitiam esse Concordiam, & e converso. Arist. verò Concordiam non vult esse Amicitiam quamlibet, sed illam dumtaxat, quæ politica est, & tripliciter divisa pro varietate partium, five generum, in quæ Reipublica dividitur. Dicitur autem politica, seu civilis, quoniā versatur inter eos qui civilem civitatem servant, seu eiusdem civitatis membra sunt. Rationem verò cur Concordia sit idem, ac civilis Amicitia, ex eo assignat, quod tractet communia commoda, & quæcumque conferunt ad civilem vitam feliciter traducendam; idque spectet veluti materiam propriam, perinde ac ipsa Amicitia civilis. At vbi duo aliqua spectant vnum & idem omnino, veluti materiam propriam, sunt idem prorsus inter se. Concordia igitur & Amicitia civilis sunt idem prorsus inter se.

7 QVOD Si verò quis obijciat, non in sola Amicitia civili sitam esse Concordiam, sed in eā maximè, quæ inter amicos. Virtute præditos est; Respondetur huic obiectioni, inter amicos Virtute præditos esse quidē summā cōsensionem animorū, voluntatū, studiorumq; verum eam non esse Concordiam illam, de qua hoc loci disserit Arist. Quippe, ut ipse in *Magnis Mo-*

Moral. docet, omnes amici *ὁμοῦσαι*, id est, *ὁμοῦσαι* consentiant, idemque volunt aut nolunt verum in rebus proprijs, ac peculiariter ad illos spectantibus. Consensio autē illa, de qua hoc loci agitur, quæque proprio nomine *ἁρμόδια* dicitur, sive Concordia, non tam privatum bonum, quam commune respicit. Quare dissidet ab Amicitia illa perfecta, sive secundum Virtutem, qua duo aliqui mutuo sibi privatum bonum amanti & est idem omnino cum Amicitia politica, seu civili, quoniam commune civitatis bonum attendit consensione ipsa animorum.

8 CIRCA Quattam partem pronunciat, in quonam hominum genere Concordia prædicta locum habeat, vel non habeat. Ac primo quidem decernit, eam in hominibus probis ac Virtute præditis, locū sibi vendicare. Quod probat: Quia in omnibus ijs, qui & sibiipsis, & inter se invicem consentiunt, iudicio & voluntate constanti, circa bona humanæ vitæ conducibilia, versatur absque dubio Concordia. Atqui homines probi & Virtute præditi, consentiunt sibiipsis, & inter se invicem, iudicio & voluntate constanti, circa bona humanæ vitæ conducibilia. Ergo inter homines probos ac Virtute præditos versatur Concordia. Porro viros eiusmodi consentire iudicio & voluntate constanti, seu immobili, declarat ex eo quod voluntas eorum, ratione habituum, seu Virtutum, hæreat permanentem in bono defixa; nec fluat aut defluat, *ὡς ὁ ποταμὸς ἔργος, sicut Euripus.*

9 QVOD Ut penitus intelligatur, advertite, Euripum propriè esse certum quendam maris sinum interfluentem ac reciprocantē assiduo motu suo inter Bœotiae portū & Eubœam insulam, cuius meminit Strabo lib. 9. Ab hoc igitur sinu maris dicti etiam sunt Euripi, extensione quadam proprii & singularis nominis, omnes tractus, sive sinus maris angusti, in quibus similis fluctuum reciprocatio fit. Eiusmodi est Taurominitanus, de quo Plinius lib. 2. cap. 97. inquit: *Et quorundam tamen privata natura est, ut Taurominitani Euripi septius, & in Eubœa insula, se, dies die ac nocte reciprocant.* Addit vero Pomp. Metas, tam rapidam esse illius conversionem, ut ventos, & plena ventis navigia secum rapiat. Similis quoque est Chalcidicus, de quo Cicero lib. 3. de Natura Deorum ita loquitur: *Quid Chalcidico Euripo in motu identidem reciprocando putas fieri posse constantius?* Quasi & ipsa Euripi inconstantia assidua & perennis, in ipsa sua vicissitudine constantissima sit. An verò Arist. obierit rædio, seu dolore non deprehensæ causæ, ex qua procedit illa assidua Euripi vicissitudo, iam dixerui tom. 2. *Philos. Nov-antiquæ, disp. 94.* circa finem. Livius l. 8. à ventis quibusdā illic flantibus rapi existimat.

10 HINC Igitur similitudinem ducit Arist., alijque Græcorū, & ex ijs Latini aucto-

res, ut Euripos dicant homines illos, qui in consilio ac proposito inconstantes sunt, & identidem fluctuant, neque quidquā stabile, aut permanentes habent. Quare Æschines ut Demosthenem inconstantia nimia notaret, dixit esse Euripo mobiliorem. Et S. Gregorius Nazianzenis, cognomento Theologus, in epistola quadam ad Sophoniū Equitum Magistrum eleganter depingit Euripū conditionis humanæ, dum inquit: *ὁ γὰρ εἰς τὰ κέρηρα, &c.* id est: *Vides quæ sit consuetudo rerum nostrarum, utque rota quædam negotiorū humanorū cursu circumagatur, nunc his, nunc illis florentibus ac marcentibus, dum neque prosperitas, neque adversitas, ut aiunt, nobis constat: sed quàm ocysimè in diversum mutatur & trāsit, ut auris ac litteris auræ in scriptis fidere liceat citius, quàm humane felicitati.* Verum & hoc commune hominibus videtur, nec ita proprium, ac eorū, qui in singulari dicuntur Euripi homines, seu fluctivagi, & reciprocantes: qualiter de Euripo ipso accinit Seneca in *Hercule Octavo*:

*Euripus undas stæbet instabilis vagas,
Septemq; fluctus stæbet, & totidem refert,
Dum lassum Titan mergit Oceano subar.*

Viri autē probi & Virtute præditi opposito modo se habent, inquit Arist. Constantes enim sunt, & perpetuò sibi similes: quoniam habitus Virtutis eos quoddammodo immobiles in bono facit: proindeque & in bono consilio, seu proposito perseverantes, ideoque & servantes Concordiam.

11 ALIVNDE Verò ostendit, in hominibus improbis, & vitio corruptis, aut parū, aut nihil esse eius Concordia, quæ in civili Amicitia est posita. Quemadmodum enim in aliquo est Amicitia, aut non est, ita & Concordia. Atqui in hominibus improbis parū aut nihil est Amicitia. Ergo & in ijs parum aut nihil est Concordia. *Præterea.* In ijs hominibus, qui solum vitæ & commodum exoptant, onerosum autē sive laboriosum omnino averlantur, nulla Concordia esse potest, sicuti & nullus amor communis æqualitatis, ac boni. Atqui improbi homines solum vitæ & commodū exoptant; onerosum autē sive laboriosum omnino averlantur. In id enim maxime animū intendunt, ut de communibus Republicæ bonis obtineant magis, de laboribus autem & oneribus perferant minus. Ergo in hominibus improbis nulla Concordia esse potest, sicuti & nullus amor communis æqualitatis & boni. Quare si in ijs consensio animorum vlla est, diuturna esse nequit: quoniam unusquisque eorum communi bono inhiat, & ab eo detrahit alios: indeque necessum est discordiam oriri, sive seditionem inter cives, quæ est inimica Concordia.

VIDE D. Thomam 2. 2 q. 29. quæ est de pace, sive concordia, & illius Interpretes.

CAPVT SEPTIMVM.

De Beneficentia.

VIDENTVR Autem ij, qui beneficia contulerunt, magis eos amare, quos beneficia sunt collata, quam ij, qui acceperunt, eos, qui contulerunt. Atque vt præter rationem eveniens quæritur. Plurimis igitur videtur id ex eo fieri, quia hi quidem debent, illis verò debetur. Vt igitur in mutuis, debitores quidem volunt suos creditores non esse, hi verò de salute quoque debitorum diligentiam adhibent, sic & eos inquiunt, qui beneficia contulerunt, velle eos esse erga quos fuere benefici, vt gratias accepturos; illis verò non esse curam reddendi. Epicharmus igitur fortasse dixerit hæc ipsos dicere, aspicientes ad malum. Videtur autem hoc esse humanum. Plerique enim inmemores sunt, & suscipere potius, quam conferre, beneficia appetunt. Videbitur autem causa naturalior esse, & non similis ei, quæ de creditoribus dicitur. Non est enim erga debitores amatio, sed voluntas salutis, recipiendi causa. Sed qui beneficia contulerunt, diligunt, atque amant eos, qui beneficia acceperunt, etsi nulla in re sunt vtilis, neque in posterum futuri: quod quidem & artificibus accidit. Magis enim vnusquisque proprium amat opus, quam ipse ab opere amaretur si animæ particeps esset. Maximè verò forsitan hoc circa poetas accidit: hi nanque sua diligunt poemata supra modum, & perinde, atque filios, amant. Tali igitur simile est & id, quod faciunt ij, qui beneficia contulerunt. Quod enim suscepit beneficium, ipsorum est opus: hoc igitur & amant magis, quam eum, qui opus fecit. Huius autem causa est, quod vniversis est expetibile, atque amabile esse. Sumus autē actu, nam vivendo sumus, atque agendo. Qui igitur fecit, est actu suum quodam modo opus. Diligit itaque ipsum opus, quia amat & esse. Hoc autem est naturale. Quod enim est potentia, id opus ipsum actu declarat. Et insuper ei quidem, qui contulit beneficium, honestum est id, quod egit. Quare gaudet eo, in quo est hoc. At ei, qui accepit, nihil est honesti in eo, qui contulit, nisi conferens: quod quidem minus est iucundum, atque amabile. Est autem præsentis quidem operatio, futuri autem spes, facti verò memoria iucunda. Sed iucundissimum est, quod est actu, & amabile simili modo. Ei igitur, qui contulit beneficium, per-

ma-

manet ipsum opus, diuturnum est enim ipsum honestum. Sed ei, qui cepit, transacta est ipsa utilitas: memoriaque honestarum quidem rerum est pericunda: utilium autem non nimium, aut minus. Expectatio verò contrà sese habet. Et amare quidem simile est actioni, amari autem passioni. Eos igitur, qui circa actum excellunt, sequitur amare, & ea, quæ ad amicitiam attinent. Præterea, quæ facta sunt cum labore, ea magis diligunt omnes: ut & pecunias magis diligunt, qui acquisiverunt, quàm qui ab alijs acceperunt. At beneficium quidem accipere, sine labore esse constat: beneficium autem conferre, difficile. Propter hæc & matres filios magis amant: generatio nanque laboriosa est magis, & magis sciunt esse suos. Videbitur autem hoc & ijs accommodatum esse, qui beneficia contulerunt.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Eos, qui beneficia ab alijs acceperunt, longè minus amare, quàm ab ijs amentur. Causa huius communis expostulationis à quibusdam assignata, rejiciuntur: & germana ac multiplex ratio redditur.

AD PERILLVSTREM NOBILISSIMVMQVE
D. D. ANTONIVM DE RIAÑO SALAMANCA,
CALATRAVENSIS ORDINIS EQVITEM, SVPREMI IVSTITIÆ SENA-
TVS CONSILIARIVM, OLIM IN VALLISOLETANA ACADE-
MIA CELEBREM IVRISPRVDENTIÆ PROFES-
SOREM, AC MAIORIS COLLEGII S. CRV-
CIS TOGATVM, &c.



AGITVR Hoc loco de Beneficentiâ, veluti de postremo Amicitia operi, sive fœru: ac summatim statuitur, beneficos plus diligere eos, quibus beneficia contulerunt, quàm ab ijs diligantur. Caput verò dividitur in tres partes. In primâ proponitur querela illa communis, quod benefactores plus ament eos, quibus benefecerunt, quàm ab ijs amentur. In secundâ rejiciuntur rationes eius mali, quæ à quibusdam assignari solent. In tertiâ demum veræ rationes assignantur.

2 CIRCA Primam partem proponitur quaestio illa celebris, ante & post Aristotelis ævum agitari solita, & orta ex admiratione eventus, communi ferè experimento deprehensi. Videmus enim plerumque, eos, qui alteri beneficium, sive in vitâ, sive in honore, sive in bonis fortunæ conferunt, longè minorem reportare gratiam, quàm par esset. Nimirum, ipsi longè magis amare dignoscuntur eos, quibus benefecerunt, quàm ab ijs amē-

tur: cum tamen opposito modo accidere deberet. Hoc autem videtur monstrum quoddam ingrati animi, & causa ut homines pollentes divitijs autoritateque nolint benefacere alijs, cum ab ijs se minus amandos esse coniciant. Quæritur itaque, quænam sit ratio eius monstri, seu causa quare ita contingat.

3 DEINDE Refert, expenditque rationes eius absurdi ab alijs assignatas. PRIMAM & antiquissimam inquit esse eorum, qui arbitrati sunt, benefactorem esse instar creditoris; recipientem verò beneficium ab eo, instar debitoris. Frequenter verò accidit, ut creditor magis amet debitorē, quàm ab eo ametur. Qui enim aliquid alteri mutuo dedit, aut qualitercumque ius habet in ipsum, sicuti amat rem sibi debitam, ita & debitorem; cuius vitâ pendet solutio debiti, sive satisfactio. Contrà verò debitor ipse exosum habet creditorem, & ab eo fugit, nolletque illum inter viuentes censeri, quoniam sic excusaretur à debito. Nihil ergo mirum, aiebant illi Veteres, si benefactor magis amet, quàm ametur. Est

Est enim veluti creditor comparatus debitori.

4 HANC Rationem potius exponit, quam reijcit Arist. Sed priusquam eam exponat, refert existimationē Epicharmi, qui eam penitus introspexisse videtur. Is vero fuit Poeta Comicus, & adeo antiquus, ut quidam ei tribuant inventum Comœdiarum. Præterea & auditor Pythagoræ fuisse dicitur, ab eoque Philosophiam didicisse. Vnde & postea scripsit de Natura rerum, & de arte medendi. Epicharmus itaque, cum perspectam haberet hominum indolem, dixit causam eius absurdi in eo positam esse, quod plerique mortalium improbi & ingrati sint, ideoque minus ament benefactorem, quam ab eo amentur. Itaque malum id ex ingrati animi vitio proficisci videtur, ut & debitores minus ament, quam amantur à creditoribus (quæ erat ratio Veterum) & ijs, quibus beneficium collatum est, magis a benefactore amentur, quam ament.

5 VERVM Aristoteles reijcit hanc rationem Epicharmi, quoniam in eâ fertur iudicium de omnibus hominibus ex eo, quod solum accidit in improbis, & ingrati animi vitio laborantibus. Impugnatio autem sub hanc formam proponi potest. Eius rei, quæ humana est, seu ad totum hominum genus spectat, non redditur idonea causa ex eo, quod improborum tantum hominum proprium est. Atqui minus amari benefactorem, quam ille amet, est quid *ἀνθρώπινον*, *humanum*, seu ad totum hominum genus spectat; vitium autem ingrati animi improborum tantum hominum proprium est. Ergo huius quod est, minus amari benefactorem, quam ipse amet, non redditur idonea causa ex ingrati animi vitio. Neque suffragium fert Epicharmo illa sententia Veterum paulo antè relata: quoniam ijs non tam videntur pro causâ eius absurdi assignasse improbitatem ipsam, vel vitium ingrati animi, quam proprietatem quandam hominibus veluti connaturalem, ut beneficiorum immemores sint, potiusque velint accipere, quam dare. Et hæc quidem hoc loco docet, antequam ipsam Veterum rationem impugnet.

6 CIRCA Secundam partem arbitratur, eius apparentis monstri, sive absurdi causam, magis naturalem esse, quam quæ ab alijs assignari solet. Ac primò quidem ostendit, exemplum illud creditoris & debitoris nullam cum eo, de quo agitur, similitudinem habere. Ij enim qui crediderunt, seu mutuo dederunt, aut scœnori pecuniam alijs, non amant debitores suos; sed solum volunt ab ijs sibi reddi quod dederunt, sive quod sibi debetur. Qui autem alijs benefaciunt, verè illos amant; cum ipsorum bonum curent, sive in vitâ, sive in honore, sive in fortunæ bonis; idque nullo fine utilitatis propriæ, sed illorum, si verè benefa-

ctores sint. Ergo nulla est opportuna similitudo benefactoris cum creditore. Quamvis enim uterque incolumem velit debitorem, aliter tamen & aliter: nam benefactor incolumem vult debitorem ob utilitatem ipsius debitoris, seu recipientis beneficium ab ipso: creditor autem si vitam & bonum debitoris amat, solum amat ex fine propriæ utilitatis, quâ vult sibi rependi debitum. Vnde denuo fit, acque illam similitudinem aptam esse, nec locum habere in Amicitia perfectâ, & ingenuâ, quæ honestate ducitur; sed summum in degeneri & spuria, quæ utilitatem spectat.

7 CIRCA Tertiam partem procedit ad assignandum idoneas & genuinas causas, ut benefactor magis amet eum, cui benefacit, quam ab eo ametur. Quinque autem rationes assignat, & primam earum naturalem; quoniam licet in hoc Opere raro utatur rationibus physicis, sicut & in Politicis, quia ab ijs alienum esse id docet lib. de Demonstr. attamen quandoque id fieri oportet, & præsertim hoc loco, ubi præmissit, se velle contra illos Veteres assignare genus causæ *φυσικώτατον*, *naturalissimum*.

8 PRIMA Ratio itaque hæc ferè est. Quilibet naturaliter diligit opus suum, & longè magis, quam ab ipso diligeretur opere, si hoc esset animant. Atqui benefactor respicit eum, cui benefacit, tanquam opus suum. Ergo benefactor naturaliter diligit magis eum, cui benefacit, quam ab eo diligatur. Maiorem huius syllogismi propositionem exponit & probat exemplo artificum omnium, quibus naturaliter insitum est, ut opera sua ament, & longè magis, quam ab ijs amarentur, si intellectu & voluntate constarent. Deinde & confirmat exemplo Poetarum, qui qualescumque verius suos depereunt, & veluti filiolos exosculantur. Quod tum Poetis, tum & Oratoribus commune observat Cicero in quadam Epistolâ ad Atticum, ita scribens: *Nemo unquam, neque Poeta, neque Orator fuit, qui quemquam meliorem quam se arbitraretur. Hoc etiam malis contingit.* Idem quoque de Scripioribus univèrse iudicat in prima *Q. Tusculanarum*: ubi de Dionysio Siciliae Tyranno ita loquitur: *Muscorum verò perstudiosum accepimus: Poetam etiam Tragicum: quàm bonum, nihil ad rem. In hoc enim genere nescio quo pacto magis, quam in alijs suum cuique pulchrum. Adhuc neminem cognovi Poetam (& mihi fuit cum Aquino amicitia) qui sibi non optimus videretur. Sic se res habet Te tua: me delictant mea.* Quæ eadem similitudine, valde ad nostrum institutū, usus fuerat Plato lib. 1. *Pol.* ubi monet, parentes amare liberos, ut Poetas opera, ac versus suos. Idque etiam locum habet in *Sophistis*: quoniam à trita aliorum viâ discedentes, excogitant quædam inventa.

tricatam & cavillorum plena, eaque ut filios quosdam exosculantur, & adorant cogitationes suas, ut Ezechiel ait. Nimirum, ut quidam Poetarum accinebat.

*Ingenij est marcor, eladesque rivalitiam, doctos
Quae pessum plures datque aedemque viros:
Qui, veterum abiecta methodo, nova dogmata
querunt,
Nilque suas prater tradere phantasias.*

Et ij quidem eo magis opiniones suas amant, quam communes aliorum, quo magis propria ipsorum opera sunt. Vera itaque est propositio illa maior Arist. qua alteritur, quemlibet naturaliter amare opus suum, & longe magis, quam ab eo diligeretur, si animam & voluntatem haberet.

9 MINOREM Verò illius syllogismi propositionem, in qua dicitur, benefactorem respicere eum, cui benefacit, veluti opus suum, probat Arist. quoniam qui alteri benefacit, videtur effector illius boni, quo imbuat & exornat eum, cui benefacit. Ergo & hic, quatenus eo bono instructus, videtur opus, sive effectus quidam benefactoris. Quo videtur spectare illud vetus Graecorum effatum, ἀνθρώπος πρὸς ἀνθρώπον δαιμόνιον, homo homini deo. Dicit enim solet, de eo qui insperatam alteri salutem attulit, vel illum ingenti beneficio adiuvit quasi instar Dei seu authoris se habeat in eum, cui beneficium contulit, tanquam in opus suum. Apud Veteres enim & Ethnicos pro eodem accipiebatur, Deum esse, ac mortalibus benefacere. Quare pro dijs habebant auctores frugum, vini, legum, medicinae, aliorumque in utilitatem vitae humanae conferentium. Immo & belluas quasdam pro numinibus venerati sunt, quod homines singulare aliquod beneficium ab ijs recepissent. Hinc apud Aegyptios adoratae ciconiae, quoniam credebantur interimere serpentes ex Arabicis paludibus prodeuntes, & hominibus lethiferos. Apud Romanos quoque anteres divino cultu excepti, quod Capitolinam arcem servasse putarentur ab irruptione Gallorum, expergestis tonitu suo custodibus. Denique & similem ob causam inanima quaedam, ut Sol, Luna, aqua, terra, pro numinibus habita sunt: quod, nimirum, vitae & salutis hominum profint. Scythae etiam, referente Luciano in *Toxaride*, per ventum & gladium, tanquam per deos iurabant, quod ille prior vitae seu spirationis principium sit, posterior mortis. Generatimque ab Homero & Hesiodo traditur effatum illud. Θεοὶ δωτῆρες εἰσών, *Dij honorum largitores*. tanquam ij, qui benefaciunt, deorum munere fungantur. Et Strabo lib. 10. inquit: *Rectè dictum est, mortales tunc maxime deos imitari, cum benefici sunt.* Ac libro 17. tradit, quosdam

Aegyptiorum triplicem facere Deum: immortalem unum, qui rerum omnium sit auctor: alium intus per mortalem ignoti nominis: & denique eos, a quibus beneficium accipitur. Hos enim fere pro dijs colebant. Lege plura apud Erasmus in *Adag Homo homini deus*, & apud Cerdam in 1. Eccl. Virgil. ad illud. *O Melibæe*. Aristoteles igitur, ut ad institutum nostrum redeamus, quamvis nolit benefactorem esse Deum illius, cui benefacit (neque enim in Ethnicismo tam insanè erravit, ac Aegyptij, Scythae, aut Romani, alijque plures) alterit tamen esse veluti ipsius effectorem, auctoremque, similitudine quadam Dei, a quo bona cuncta ortum habent. Rectè igitur exinde probat, benefactorem respicere eum, cui benefacit, veluti opus suum: quae est minor propositio illius syllogismi.

10 VERVM In syllogismo praestato restat adhuc assignanda ratio, cur unusquisque naturaliter opus suum amet: in quo potissimum nititur moles huius discursus. Rationem autem Arist. in eo positam ait, quod unicuique naturam insitum sit, ut unicuique & praesertim diligat suum proprium τὸ αἰετὸν, esse. Nimirum, quilibet suum esse, suam vitam, suam perfectionem naturaliter amat. Unde & consequens est, ut amet suam ἐνεργησάν, id est, suam actum, suam ipsius actionem, sive efficacitatem in agendo. Non enim fieri potest, ut amet naturaliter suam vitam & statum, nisi & suam operationem amet, ex qua potissimum dignoscitur status & vita hominis. Videntia enim differunt à non viventibus, in eo quod ex seipsis moveantur, seu operentur, & in actum se proferant. Ergo quisquis vitam & statum proprium amat, necesse est ut etiam amet suam operationem, seu actum, quo se movet & vivit. Insuper illustrat Arist. exemplo terrae ac manus. Terra enim secando est terra, & manus tractatione vivae manus est: definit autem esse proprie manus si abscindatur à reliquo corpore, quoniam abscisa nullum utrumque sive actum habet. Similiter ergo homo, vivendo & agendo est homo: ubi autem nihil operatur, seu agit, aut homo esse definit, aut non apparet homo. Ergo sicut naturaliter amat suum esse, suamque vitam, ita etiam suam operationem, quae ἐνεργησάν, sive actus, homo & vivens est. Hinc & artifices, tunc maxime sunt tales, quando operis functione ipsa artifices sunt: ut pictor, dum Alexandrum lineis exprimit, proprie atque in exercitio pictor est: non vero antequam pingat, nisi potestate solum. Similiter & Poeta, & Orator, & denique sapiens, verè tales sunt, cum in actum se proferunt. Omnes ij igitur insito naturae pondere suam ipsorum operationem amant, sicut & vitam, qua in actu secundo vivunt. Si autem operationem suam, sive actum secundum vitam, naturaliter amant

necesse est ut etiam ament opus ipsum quod efficiunt. neque enim fieri potest, ut qui amat operationem non amet opus ex illa procedens. Si ergo benefactor respicit eum, cui benefecit, tanquam opus suum, necesse est ut illum amet, & quidem maiori amore, quam amator ab ipso: sicuti artifices magis amant opera sua, quam ab ijs amarentur, si iudicio & voluntate constarent.

11 **SECUNDA** Ratio, quâ id ipsum probat, ducitur à iucunditate, quæ est longè maior in conferente beneficium, quam in recipiente. Formula verò hæc adhiberi potest. Quanto enim opus aliquod iucundius est, eò magis amatur, seu amari debet. Atqui opus largientis beneficium est iucundius, quam opus recipientis. Ergo magis amatur, seu amari debet opus largientis beneficium, quam recipientis. Ergo & vniuersusque magis amat eum, cui largitur beneficium, quam amatur ab eo qui recipit. Maior propositio prædicti syllogismi videtur per se nota. Minorem probat Arist. quoniam is, qui largitus est beneficium, quoties recordatur eius operis, quam maximè lætatur: quoniam recollit memoriâ cogitatione opus honestissimum & nobilissimum benefaciendi alteri. Is verò qui recipit, dum recordatur sui operis, quod in recipiendo positum fuit, non recollit animo aliquod opus excellens, vel laude dignum. Recipere enim, aut nullam laudem meretur, aut certè exiguam, & propè nullam, si comparetur cum opere largiendi. Ergo opus largiendi beneficium est longè iucundius, quam opus recipiendi.

12 **CONFIRMAT** Rationem hanc ex eodem iucunditatis capite. Id enim quod semper delectat, multò iucundius & amabilius est illo, quod non semper, sed raptim solùm & in transitu. At largiri beneficium est aliquid semper delectans: recipere autem solùm delectat raptim & in transitu. Ergo largiri beneficium multò iucundius & amabilius est, quam accipere. Maior cum consequentiâ patet. Minor autem probatur quò ad utramque partem. Et quò ad priorem quidem primùm: Quia cum opus largiendi sit honestissimum, ac nobilis animi proprium, non solùm delectat eo tempore quo fit; sed etiam antequam fiat, per solam spem, seu propositum exequendi illud, ex quâ oritur quædam delectatio. Insuper & postquam factum est, dum ad memoriâ revocatur, animum planè delectat. Quo fit, ut iucunditas ab eo procedens, amplectatur tempus omne, non modò præsens, sed & præteritum, & futurum: atque adeò semper maneat, iucundumque sit opus largiendi. Quòd autem opus recipiendi solùm raptim & in transitu delectet, quæ est posterior minoris illius propositionis pars, suadet: Quia receptio be-

neficij solùm delectare potest, quatenus utilitatem affert, sive subsidium indigentia homini recipienti. Atqui utilitas eiusmodi, sive subsidium indigentia, solùm raptim, & in transitu est. Quòd enim hodie est utile & replet indigentiam, cras non est iam utile, nec indigentiam replet, sed omnino transijt. Ergo receptio beneficij solùm delectare potest raptim & in transitu.

13 **DICES**: Desinente eo, cui beneficium est concessum, desinit etiam ipsum beneficium, propter desitionem subiecti. At sæpe accidit ut desinat is, cui beneficium est concessum: scilicet, quando moritur. Ergo & ipsum beneficium desinit. Ergo & nullo modo manere potest in ordine ad delectandum benefactorem: quia delectatio non oritur ex bono quod iam non existit, sive præteritum est, sed solùm ex bono præfenti. *Respondet* Arist. adhuc in eo eventu, quo desierit esse, sive diem extremum clauerit qui beneficium recepit, iucundissimam esse recordationem operis benefaciendi, & multò magis quam recipiendi beneficium. Etenim quod honestum est in hoc longè supereminet vili, quòd illud prius delectationem inferat, etiam solâ sui recordatione, quamvis iam in re præterierit: hoc verò posterius solùm delectare possit, quatenus actu est, seu quandiu explet indigentiam: quòd solùm præstat in tempore præfenti. Cum ergo opus benefaciendi sit honestum, etiam desinente seu mortuo eo, cui beneficium collatum est, delectare animum potest: non autem opus recipiendi beneficium, quòd solùm utile est.

14 **ADDIT** Verò, receptionem boni vtilis, sive beneficij, etiam hoc habere, ut apprehensa de futuro delectet, ac longè magis, quam usus eius de præfenti, aut recordatio de præterito. Ratio est, quoniam bona vtilia antequam obtineantur, apprehenduntur maiora, quam re ipsa sint: atque adeò animum pelliciunt vehementer, ut ea assequatur. Cæterùm dum re ipsa obtinentur, aut dum subit mentem illorum recordatio, apparet statim, quam exilia & nullius momenti sint: ideoque siquæ primùm de ijs obtinendis delectatio fuit, omnino fugax est, & quæ momento ferè temporis labitur. Contra verò accidit in largitione beneficij: quamvis enim apprehensa in futurum delectet, multò tamen magis, dum re ipsa ponitur, aut quando iam præterita in memoriâ revocatur: quia hoc est de ratione operis honesti, ut quòd frequentius exercetur, eò melius cognoscatur illius præstantia, & eò magis animum delectet.

15 **TERTIA** Ratio procedit ex ijs, quæ lib. 5. præmissa sunt circa actionem & perpersionem. Manifestum est enim meliorem præstantioremque esse actionem perpersione, seu

agere, quàm pati. Atqui actio, ad benefactorem spectat: perpelsio autem ad eum, cui beneficium conferitur. Ergo prastantior est benefactor, quàm is, cui beneficium conferitur. At ex constitutis lib. 8. constat, prastantiores, seu excellentiores esse etiam ad amandum prastiores. Ergo benefactor est prastior ad amandum, seu magis amat, quàm is, qui beneficium accepit.

16 **QVARTA** Denique ducitur ex maiori labore, seu difficultate quæ est in dando, quàm in accipiendo. Longè enim magis amantur quæ magno, quàm quæ parvo aut nullo labore parata sunt; & difficilia in maiori pretio habentur, quàm obvia & facilia. In quod probandum affert exemplum eorum, qui suo labore aut industriâ opes & qualibet vitæ commoda pepererunt. Magis enim illa amant, quàm qui hereditario solum iure à maioribus obtinuerunt. Ideoque & lib. 4. cap. 1. dictum est, longè liberaliores esse qui possident divitias alieno labore paratas, quàm qui suo ipsorum. Atqui dare beneficium multò laboriosius est & difficilius; quàm recipere: dare enim, plerumque saltem, imminuit utilitatem & proprium commodum dantis, quòd tanè est difficile & laboriosum: recipere autem, auget utilitatem & commodum recipientis, quòd ipsi nequit non esse facile ac voluptuosum. Si igitur magis amatur quòd difficilius & laboriosius est; amatur etiam magis largitio beneficij, quàm receptio. Ergo & benefactor magis amat eum, cui largitur beneficium, quàm ab eo ametur. Pater hoc: Quia magis amat alium, qui subit aliquid difficile & laboriosum in bonum seu utilitatem ipsius, quàm qui

facile & sine vlllo labore illud recepit in utilitatem propriam. Atqui benefactor, dum largitur, subit aliquid difficile & laboriosum in utilitatem alterius; hic verò recipit illud facile & sine labore vlllo in propriam utilitatem. Ergo magis amat benefactor eum, cui benefacit, quàm ab eo ametur.

17 **COLLIGIT** Hinc (quòd libro etiam octavo cap. 12 stabilitum relinquit) matres maiori ardentiorique amore ferri erga filios suos, quàm patres. Is enim magis amat aliquem, cui ille maiori labore ac difficultate stat, seu ob quem graviora & difficiliora subit. Atqui filij matribus maiori labore ac difficultate fiant, quàm patribus: & ob eorum procreationem matres graviora & difficiliora subeunt ante & post partum. Matres igitur maiori amore, quàm patres, feruntur in filios. Huc etiam spectat, quòd matres multò certius quàm patres, agnoscunt eos esse filios suos: sicuti & ipse certiores sunt de nullo adulterio à se commisso, quàm viri, quibus nequit esse ita nota vxoris probitas, ac ipsi vxori. Ergo maior est amor matrum, quàm patrum, in filios: Quia quantò quis certius agnoscit se benefacille alteri, eò certius novit, illum esse opus ipsius: atque adeò vividiori cognitione impellitur ad maiorem amorem sui operis. Cùm ergo matres certius quàm patres noverint filios esse opus ipsarum, proculdubio impelluntur ad maiorem illorum amorem. Lege alia plura lib. 8. cap. 12. in exornationem huius capituli profutura.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 31. quæ est de Beneficentia, & illius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM.

De amatore sui.



VBITATVR Autem & vtrum oporteat se ipsum amare maxime, an aliquem alium. Increpant enim eos, qui se ipsos maxime amant: & vt turpe, sui amatores appellant. Atque pravus quidem, sui gratia cuncta agit: & tantò magis, quantò pravior est. Incusant igitur ipsum, quia nihil, nisi sibi, agit. Probus autem ob honestatem, & tantò magis, gratiaque amici, quantò prastabilior est: sua verò negligit. Ab his autem verbis non sine ratione ipsa opera discrepant. Nam eum inquirunt oportere summè amare, qui maxime est

est amicus. Is autem maximè est amicus, qui vult cui vult bona illius gratia, si nullus etiam scierit. At hæc ipsi ad se ipsum maximè competunt: & cætera omnia, quibus definitur amicus. Dicitur enim ab ipso ea omnia, quæ ad amicitiam attinent, & ad cæteros pervenire. Eodem accedunt & proverbia univèrsa: ut, anima una: & amicorum omnia sunt communia: & amicitia est æqualitas: & tibiæ genu propinquius. Hæc enim univèrsa ipsi ad se ipsum maximè competunt. Maximè nanque amicus est sibi: & se igitur ipsum maximè amare oportet. Dubitatur autem merito, utris oporteat assentiri, cum utrisque videatur esse credendum. Fortasse igitur tales sermones distinguendi, determinandique sunt, quousque, & quonam modo sint veri. Si itaque sumpserimus quonam utriusque modo sui amator eradicunt, fuerit forsitan manifestum. Qui igitur hoc reprehendendum esse existimant, eos amatores sui appellant, qui sibi plus tribuunt in pecunijs, & honoribus, & voluptatibus corporis: hæc enim ipsa multitudo affectat, & ipsis, ut optimis, omni studio iucumbit: quapropter & in certamen veniunt. Qui igitur in hisce plus habere pergunt, in cupiditatibus, & omnino affectibus, eique parti animæ, quæ rationis est expertis, gratificantur: tales autem sunt ipsi multi: idcirco & appellatio orta est ex multitudine, quæ quidem est prava: ergo iustè vituperantur ij, qui ita se amant. Non est autem obscurum, vulgus eos, qui sibi ipsis talia tribuunt, sui amatores dicere consuevisse. Nam si quis semper studeat agere iusta maximè omnium, aut temperata, aut quævis alia, quæ à virtutibus proficiuntur, honestatemque omnino sibi ipsi semper vendicet, atque usurpet, hunc nemo dicit amatorem sui, neque vituperabit. Magis autem videbitur talis homo sui amator. Nam ea sibi tribuit, quæ pulcherrima, maximeque bona: & gratificatur ei, quod sui ipsius potissimum, in omnibusque illi obtemperat. Ut autem & civitas id esse maximè videtur quod est potissimum, & alius omnis conventus: sic & homo. Amator igitur is est maximè sui, qui illud amat, illique gratificatur. Et continens igitur dicitur, & incontinens, quia mens vincit, aut non vincit: propterea quòd ipsa est hominum quisque. Elegisse ipsi & sua sponte ea videntur, quæ cum ratione maximè egerunt. Non igitur est obscurum, hoc esse maximè unumquemque, & hoc maximè virum bonum amare. Quapropter maximè sui est amator, diversa specie ab eo, qui reprehenditur: tantumque differt, quantum vita cum ratione, differt à vita cum perturbatione: & appetitio aut honesti, aut eius, quod conferre videtur. Qui si omnes ad consequendam honestatem, & ad res agendas pulcherrimas

mas decertarent, atque contenderent, & omnibus publicè ea, quæ oportet, & unicuique privatim maxima bona inessent: siquidem virtus est tale. Quare bonum quidem hominem, amatorem esse sui oportet: nam & sibi ipse, & cæteris proderit, agendo honesta. Prævum autem, non oportet: & sibi nanque nocebit, & propinquis, affectus pravos sequendo. Ea igitur, quæ vir improbus agit, ab ijs discrepant, quæ agere oportet. At probus, quæ oportet, ea & agit. Mens enim omnis id expetit, quod est optimum sibi: & probus obtemperat menti. Atqui verum est illud, quod de studioso dicitur, complura, inquam, ipsum agere, & amicorum, & patriæ gratia, & si opus fuerit, mortem obire. Et pecunias enim, & honores abijciat, & ea bona omnino, de quibus homines decertant, sibi vendicans honestate. n. Expetet enim potius voluptatem brevi tempore vehementem, quàm longo levem: & vitam honestam vno anno, quàm quamvis multis: & vnum actum honestum, magnumve, quàm multos, & paruos. Atque ijs, qui pro amicis, qui pro patria mortem obeunt, hoc forsitan accidit. Magnam igitur sibi ipsis eligunt honestatem, abijciuntque pecunias, ut amici capiant plures: hinc enim amicus facultates, ipse consequitur honestatem, atque sibi maius tribuit bonum. Eundem & circa honores modum, magistratusque servabit: nam hæc omnia amico suo concedet: est enim hoc honestum ipsi, ac laudabile. Meritò igitur studiosus esse videtur, anteponens omnibus honestatem. Fit etiam, ut & res agendas concedat amico, sitque honestius, se ipsum fuisse causam ut agat illas amicus, quàm si ipsemet agat. In vniuersis igitur laudabilibus, ipse studiosus plus honestatis tribuere sibi ipse videtur. Sic igitur sui ipsius (vti diximus) amatorem esse oportet: vt ipsi autem multi sint, non oportet.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

An possit aut debeat quis seipsum diligere præ alijs omnibus. Ratio dubitandi adversus omnem sui amorem, quasi turpis sit. Resolutio, aliquem sui amorem, seu philantiam, vituperabilem esse: aliquem item laudabilem: in idque maximè conferre discrimen inter virum probum, atque improbum.

AD NOBILISSIMUM ET CLARISSIMUM
D. D. FERDINANDVM DE ARCE, ALCANTARENSIS
MILITIÆ EQVITEM, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSI-
LIARIVM, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA
IVRIS PROFESSOREM, ET MAIORIS
COLLEGII CONCHENSIS
SODALEM, &c.

DOCVIT Arist. suprâ cap. 4. huius libri, cum de Amicitia dillexeret, posse illam esse quoddammodo

in homine erga seipsum, saltem, minus propriam, & non perfectam. Nunc vero inquit, quousque extendatur Amicitia eiusmodi, & vtrum
tan,

tanta, & tam ardens esse possit, ut ceterorum omnium amorem vincat: sive, quod perinde est, utrum debeat quisque seipsum maxime diligere, an potius diligere aliquem magis, quam seipsum. Dividit vero caput in quatuor partes. In primâ proponit quoddam problema, ex cuius solutione videtur, unumquemque seipsum debere maxime diligere. In secundâ docet aliquem sui ipsius amorem vituperabilem esse; aliquem etiam laudabilem. In tertiâ eandem doctrinam confirmat quò ad partem posterioriorem, assignato discrimine inter bonum virum, atque improbum, quò ad amorem sui. In quartâ denique occurrit cuidam objectioni ex doctrinâ præiacta orta.

2 CIRCA Primam partem, proponit questionem indicatam, utrum quis debeat amare seipsum præ ceteris omnibus, an potius diligere aliquem magis, quam seipsum. Ac primo quidem quasi tentando & velitando proponit rationem, quâ videatur omnem sui ipsius amorem esse turpem & vituperabilem, iuxta Platonis doctrinam, qui lib. 5. de Legibus omnem sui amorem graviter reprehendit & damnat, veluti πάντων ἀμαρτημάτων αίτιον, omnium peccatorum causam. Ratio autem hæc fere est. Nemo quidquam ita amare debet, ut propterea ab omnibus reprehensibilis habeatur. At quicumque amat seipsum plusquam omnes alios, ab omnibus reprehensibilis habetur. Ergo nemo debet amare seipsum plusquam omnes alios. *Confirmatur.* Quanto quis nequior & vilior est, eo magis omnia propter seipsum agit, & solum habitat ratione suæ utilitatis, quidquid sit de incommodo aliorum: contra vero, quanto alius melior est, & moribus excellentior, eo minus spectat propriam utilitatem, & magis attendit alienam, etiam cum suo incommodo. Ergo qui seipsum ultra omnes alios amat, potius videtur improbus & vilis, quam probus aut moribus excellens. Cum igitur nemo debeat esse improbus, sed potius teneatur similem se exhibere probis viris, & Virtute excellentibus; nemo etiam debet, imo nec iure potest amare seipsum, plusquam omnes alios.

3 ALIUNDE Autem videtur debere seipsum maxime diligere quilibet, & supra omnes alios. Antequam verò id probet, præmittit, à ratione paulò antè propositâ discrepare plurimum res & opera frequentia hominum: ex quibus liquido deprehenditur, neminem esse qui seipsum non maxime amet, ac supra omnes alios: ac proinde rationem illam, quâ videbatur probari oppositum, contrariam esse usus & vitæ communi hominum. In Ethicis autem & Politicis illa, quæ usus & communi vitæ repugnant, admittenda non sunt: cum omnes utriusque disciplinæ, Ethicæ, & Politicæ, præceptiones tradantur, non disputandi gratiâ,

aut secundum theoricæ argumenta, sed prout conferunt ad praxim, & vitam communem. Quare Horatius reprehendit graviter Stoicos, quòd ipsorum doctrina & vita sibi invicem non consentirent, & mores ac præceptiones inter se adversarentur. Ideoque de ijs accinit:

Quæis paria esse ferè placuit peccata, laborant.

Cum ventum ad verum est, sensus moresque repugnant,

Atque una utilitas iusti propè mater est aquæ.

Ergo ratio illa paulò antè proposita, non est admittenda: quippe quæ omnium hominum vitæ & consuetudini contraria est. Usus namque omnium patet, neminem esse tam amicum alteri, quam sibi, omnesque maiori amore erga se suaque propendere, quam in omnes alios. Id vero præterea non esse à ratione alienum, sed merito & secundum rationem fieri, probat Arist. triplici argumento.

4 PRIMVM est. Omnes aiunt, unumquemque debere maxime & supra omnes alios diligere eum, qui maxime sit amicus. Atqui unusquislibet sibi ipsi maxime amicus est. Ergo & iuxta omnium sensum unusquislibet debet maxime & supra omnes alios diligere seipsum. Minor propositio, in quâ esse posset difficultas, probatur. Is unicuique maxime amicus est, cui ille maxime omnium, atque in primis bona vult, ipsius gratiâ, & quamvis nullus id sciret, nec alicui compertum esset. At unusquisque sibi ipsi maxime omnium bona vult, sui ipsius gratiâ, & quamvis nullus id sciret, nec cuiquam compertum esset. quod experimento & inductione deprehenditur. Ergo unusquislibet sibi ipsi maxime amicus est.

5 SECUNDOVM. Omnia enim illa quibus definitur amicus, ac suis plenè numeris expletur, conveniunt homini seipsum amanti: cum probatum iam sit cap. 4. huius libri, quidquid officiorum impeditur, quidquid communicationis, necessitudinisve est inter amicos, totum id nasci, sive ortum ducere ex ijs, quæ unusquisque facit erga seipsum. Ea namque officia quis amico exhibet, quæ sibi ipsi exhiberi vult. Ergo unusquisque sibi debet esse in primis amicus, & se amare supra omnes alios. Patet consequentia: Quia amor ille, qui aliorum mensura est, debet esse primus & maximus omnium: sicut in quolibet genere primum & maximum esse debet, quòd est mensura ceterorum. At unuscuiusque amor in seipsum est mensura amorum in quoslibet alios amicos. Ergo & unuscuiusque amor in seipsum debet esse primus & maximus omnium amorum. Ergo & quilibet sibi debet esse maxime amicus,

ac

ac se amare supra omnes alios. Idque confirmat dulcis illa & vilitata loquela, qua quis volens alteri significare suam in eum amicitiam, dicere solet, cum te diligere, veluti seipsum. Quod etiam observat *lib. 2. Magn. Moral.*

6 TERTIVM Argumentum ducit ex varijs ac vulgatis axiomatis, sive proverbijis, quibus evincitur, unicuique natura insitum esse sui amorem supra omnes alios. Porro quatuor proverbialia in id probandum affert. Primum est, quo amici dicuntur, *μία ψυχή, anima una*. Secundum, quo asseritur, *κοινὰ τὰ φίλων, communia amicorum*; scilicet, omnia. Tertium, quo pronuntiatur *ἰσότης φιλότης, aequalitas amicitia*. Quorum pleraque Pythagoræ tribuuntur, cuius illud effatum referitur, *τὸν φίλιον ἰσότητα εἶναι, καὶ μίαν ψυχήν, καὶ τὸν φίλον ἕτερον αὐτοῦ.* id est, *amicitiam esse aequalitatem, & animam unam, & amicum alterum ipsum*. Quartum denique, quo dicitur, *γένου κνήμης ἔγγυον, genu crure propius*. Et quamvis omnia illa iam decursu Operis explanata fuerint, ac circa hoc postremum nonnulla præmiserimus supra *cap. 4.* iam allegato, addendum modo, illud ortum duxisse ex quodam eventu, quæ ita aliqui referunt. Cum quis videret aliquando duos consanguineos & amicos in prælio æque periclitantes de vita, quorum alter erat germanus, & consobrinus alter, nec utriusque simul suppetias ferre posset, sed alteri tantum; adiuvit & periculo subduxit germanum, omisso consobrino, illa voce addita, *γένου κνήμης ἔγγυον, genu crure propius*. quod postea in adagium abiit. Consonatque illi sententiæ poetice Hæliodi: *Sed nec germano quisquam est æquandus amicus*. Vixque etiam differt ab illo alio Plauti axioma, admodum vilitato, *Tunica pallio propior*. Nimirum, quemadmodum tunica vicinior est, & immediatior corpori, quam pallium; ita & genu propinquius est partibus superioribus corporis, ut capiti, & pectori, quam crus, sive tibia.

7 HÆC Igitur proverbialia omnia in id conspirare videntur, ut ostendant, neminem esse alicui tam vanum, sive tam proximum, quam sibi. Unde & ratio eruitur. Amor secundum rectam rationem debet esse maior, quo maior est coniunctio, seu propinquitas personæ, quæ amatur: ideoque & supra *lib. cap.* statutum fuit, parentes debere magis amari, quam fratres, & fratres quam consobrinos, & sic de alijs, iuxta maiorem, vel minorem coniunctionem. At quilibet sibi magis vnus, seu coniunctus, seu proximus est, quam cuilibet alteri. Ergo quilibet secundum rectam rationem debet amare magis seipsum, quam omnes alios. Videretur itaque dissentiendum à prima illa opinione, quæ universè damnat in homine amorem maximum erga seipsum, & supra alios homines.

8 CIRCA Secundam partem dubitat, utri opinionum prædictarum assentiendum sit: quoniam vnaquæque illarum videtur nititur probabili fundamento. Quare ut res expediat, præmittit, oportere primum statuere quid sit quod utraque opinio appellat suiipsum amorem, & quemnam censeat amatorem sui. Eo namque probe intellecto, fortasse vna & altera sententia erit quoddammodo vera, & neutra alteri repugnabit. Ut autem id ediderat, & rem luculentius exponat, dividit amorem suiipsum, sive *philautiam*, in notiones duas: quarum prima significat amorem unicuique proprium secundum partem illam, quæ rationis experta est, & sentiens dicitur, nec rationis imperio parens; secunda verò, & principalior, exprimit amorem, positum quidem in eadem facultate animæ sentientis & appetentis; verum obtemperante parti rationali, sive imperio rationis. Ea verò distinctione adhibita, pronunciat primo, amorem illum hominis erga seipsum, qui ducitur secundum partem rationis expertam, nec rationis imperio parens, accusabilem esse, ac vituperio dignum. In quo sensu accepta prior opinio, verissima est. Idque probat: quoniam eo sensu, sive secundum hanc acceptionem, quicumque dicuntur amatores sui, male audiunt apud omnes. Etenim ex pecunijs, honoribus, & voluptatibus corporis sumunt sibi plus, quam par sit; neque ullam aliam amoris regulam, seu mensuram præscribunt, quam immodicam cupiditatem vtilis, aut iucundi, contra rectam rationem. Cum verò plerique mortaliū hoc morbo ægrorent; factum est, ut *philautia*, sive amor sui, male ubique audiatur, veluti turpis, & contrarius rationi.

9 ET Merito quidem eo sensu acceptus amor sui reprehenditur, atque exosus habetur. Quisquis enim sic amat seipsum, ut in amando sequatur solum animæ sentientis & appetentis ductum rationi adversum; is plane appetit exuperantiam honorum fortune & corporis ad effrænam cupiditatem explendam. At quilibet appetit exuperantiam honorum fortune & corporis ad effrænam cupiditatem explendam, verè turpis & reprehensibilis est. Ergo quisquis sic amat seipsum, ut in amando sequatur solum animæ sentientis & appetentis ductum, rationi adversum, is plane turpis & reprehensibilis est.

10 PRONUNCIAT Secundò, iuxta alteram prædictæ distinctionis partem, sapienter, & bonum virum, rectè & laudabiliter agere dum ita se amat, ut velit sibi affluentiam omnium bonorum, quæ virtutis & honestatis sunt, eumque sibi usurpare; atque adeo amorem sui in hac acceptione non esse turpem, aut vituperio dignum, sed laudem. Non enim quis eo amore sibi appetit bona corporis fortunæve rationi adversantia, quæ admodum ille prior: neque exoptat ea bona partem

inferiori corporis, cuius perturbationes immodicæ indicunt Virtuti cruentum bellū: sed appetit sibi bona animi, eaque desiderat illi parti, quæ rationis particeps est, & intelligit, habetque in homine principatum. Hoc autem totū est ab omni reprehensione alienū, imō & laude dignissimum, summeque contentanentum naturæ rationali. Quare amor sui in hac posteriori acceptione rectus est; & sic intellecta secunda sententia verissimè docet, hominē debere quā maximè amare seipsum, ac supra omnes alios.

11 PRONVNCIAT Tertio, hominem exoptantem sibi affluentiam omnium bonorū rationi deservientium, longè magis amātem esse sibi ipsius, quā desiderantē sibi immodicā bonorū corporis, & fortunæ abundantiam ad cupiditates explendas. Idque probat duplici argumento. *Primum* est. Quicumque meliora & præstantiora bona sibi exoptat, magis seipsum amat, quā qui inferiora & ignobilia. At qui quærit sibi affluentiam omnium bonorum rationi deservientium, exoptat sibi bona meliora & præstantiora: qui autem quærit immodicam bonorū corporis & fortunæ abundantiam ad cupiditates explendas, exoptat sibi bona inferiora & ignobilia. Ergo qui quærit sibi affluentiam omnium bonorum rationi deservientium, magis seipsum amat, quā qui quærit immodicam bonorū corporis & fortunæ abundantiam ad suas cupiditates explendas. *Secundum* est. Ille sibi maximè amicus est, seu magis seipsum amat, qui toto conatu studet expolire illam partem sui, quæ princeps in homine est, & dicitur *κυριώτατη*, id est, maximè domina. At id plane præstat, qui quærit sibi affluentiam bonorum rationi deservientium: non verò ille, qui quærit bonorum corporis & fortunæ immodicam exuperantiā. Ergo maximè sibi amicus est, seu magis seipsum amat, qui quærit sibi affluentiam bonorum rationi deservientium, quā qui bonorū corporis & fortunæ immodicam exuperantiā. Probatur minor & explicatur. Qui enim quærit sibi affluentiam bonorū deservientium rationi, exoptat planè ijs adiumentis perficere eam sui partē in qua residet ipsa ratio. Hæc autē residet in parte hominis principe, & *κυριώτατη*. qui autē quærit immodicā exuperantiā bonorū corporis & fortunæ, solū vult replere partē illam quæ in homine inferior & ancillatrix est. Ergo qui quærit sibi affluentiam omnium bonorū rationi deservientium, studet planè expolire illam partē sui, quæ princeps & domina est: non autē ille, qui solū quærit immodicā exuperantiā bonorū corporis & fortunæ. Quin imō posterior hic potius videtur odisse seipsum, cū sibi velit, quæ specie tenus bona sunt, & in re perniciē ac turpitudinē afferunt. *Confirmatur*: Quoniam hic posterior invertit na-

turæ ordinem in amore sui. facit enim ut dominetur, ac prævaleat inordinatus amor partis ignobilioris a mori superioris partis, dum solius corporis bona expetit, & nihil curat de bonis animæ. Ergo potius videtur odisse, quā amare.

12 PORRO Hominem potissimū esse se intelligentem & rationalē, sive (quod perinde est) potiore, ac præstantiore sui parte, rationis bonū sequi (quæ fuit basis & fundamentū præcedentis pronuntiat) triplici ratione probat. *Prima* ducitur similitudine à civitatibus, hoc ferè modo. Id potissimū est homo, sive illa est pars hominis præcipua, quæ in homine princeps est, dominatumque gerit: sicut id potissimū est civitas, omnisque cœtus, & societas hominum, quod est pars illius præcipua, sive quod dominatum in ea gerit: ut in Democratia, populus; in Aristocratia, Senatus, sive Optimates; in Regno, sive Regia vrbe, Rex. Atqui ratio sive intelligentia in homine princeps est, dominatumque gerit; sicut in Democratia populus, in Aristocratia Optimates, & in Regia sive Regno Rex. Ergo homo potissimū est rationalis. & intelligens, sive pars hominis præcipua est ratio & intelligentia. *Secunda* sumitur ab eo, qui *ἀργαῖος* dicitur ab Arist. Latine *incontinens*, sive, ut Giphanius mavult, *impotens*, comparato cum continente. Continens enim est, qui rationi monenti obtemperat: incontinens verò qui non paret, sed detrectat, aut renuit obedire rationis imperio. Ergo quia pars in homine imperans, sive principatum gerens, est ratio: ut potè à cuius obedientia inobedienciae, totus homo denominatur continens, aut incontinens. *Tertia*. Quæ ab homine facta sunt secundum rationem, ea verè ac propriè fecisse dicitur homo: quæ autem præter rationem, & ex perturbatione fiunt, non propriè videtur fecisse homo: quia non tam ea videtur fecisse voluntate & arbitrio, quod proprium hominis est, quā commotione sentientis animæ, quæ etiam in brutis animantibus cernitur. Ergo homo potiore parte rationalis est, ab eaque potissimū habet, ut sit & dicatur homo.

13 VNDE Concludit iterum, quod superius aflumbatur, magis amare seipsum, & longè meliùs rectiusque, qui sibi amat affluentiam bonorum omnium rationi deservientium, quā qui exoptat exuperantiā bonorū corporis & fortunæ rationi adversantium: quoniam prior amoris magnitudinē impendit obsequio præstantioris, & nobilioris partis, quā homo est: posterior verò in obsequium partis ignobilioris, quæ homo convenit cū brutis. Ergo prior ille multò magis, & meliùs, ac rectius se amat, quā hic posterior. Quare amor sui ipsius secundum priorem rationem laudabilis, &

& honestissimus est: ideoque proprie non dicitur *philantia*, quae plerumque in malam partem accipitur: sed appellari potest Graeco nomine, quamvis compositio, *φιλαγαθία*, id est, *amor sui bonus*. Sic enim mihi fas videor loquitur, generali illa Graecorum licentia confingendi unum aliquod vocabulum ex pluribus: tum etiam quia Arist. ipse *lib. 2. Magn. Moral. c. 10.* hominem suiipsum amantem secundum rectam rationem non dubitat appellare, veluti proprio nomine, *φιλαγαθόν*, id est, *amatorem bonum, seu bonorum*.

14 NOTANDVM Verò, ne fortè quis errorem suspiceretur aliquem in praedicta doctrina Aristotelis, non doceri ab eo absolute, hominem esse rationem, aut rationalem animum, quasi solum censeatur animà, non autem corpore, ut altera & essentiali parte sui, quamvis inferiore. Licet enim oppositum videatur indicari verbis illis, *ὡς τὸ εἶδος ὅτιος, quasi id unius cuiusque sit*: sive, ut interpretatur Argyropylus, *propterea quòd ipsa (ratio) est hominū quisque*: adhuc tamen sensus Arist. non est, quòd anima, sive ratio, sit totus homo: sed solum pars praecipua ipsius; sive, ut immediate antè praemisserat, pars *vincens*, aut principatum gerens in homine. Quod etiam ex toto ferè capituli contextu patet. Neque enim Arist. in eo errore fuit, ut assereret, animum hominis esse formam dumtaxat assistentem, & proinde totam hominis substantiam in animo, seu ratione, aut mente, consistere: qualiter arbitrati dicuntur Plato, & Averroes: sed disertè censuit & docuit, animam rationalem, sive mentem esse actum corporis, & partem hominis, quamvis praecipuam. De quo vide quae diximus *tom. 2. Philosoph. Nov-antiqua, disp. 79. sect. 1.* vindicantes Arist. ab impostura eius erroris. Quare hoc loco non licet colligere ex illius doctrina, enunciari posse animam de homine per *ταυτότητα, identitatem*, quasi haec propositio vera sit: *Homo est mens*. Proculdubio enim falsa est. Summum licet colligere, magis falsam esse hanc propositionem, *Homo est materia, sive corpus*, quam hanc, *Homo est mens*: quia ex duabus enuntiationibus, quae magis à veritate recedit, seu quae minus verosimilis est, videtur magis falsa. Prior autem earum propositionum minus verosimilis est, quam posterior; quia denominationem totius tribuit parti ignobiliori.

15 CIRCA Tertiam partem confirmat eandem doctrinam praecedentem, statuitque virum bonum diligere seipsum longè alio amoris genere, quam hominem improbum. Amor enim unius differt ab amore alterius, tum ex capite actionis, tum & finis. Ex capite actionis differt: quoniam vir bonus amat seipsum, quatenus vitae actiones, & opera exercet secundum rationem; improbus verò seipsum

amat quatenus vitae actiones; & opera exercet contra rationem rectam, & solum iuxta cupiditatem. Ex parte finis etiam differunt: quoniam vir bonus eatenus seipsum amat, quatenus sibi expetit quod verè bonum est, utpote animam perficiens, & pariens honestatis incrementum: improbus verò ita se amat, ut sibi velit dumtaxat bonum apparens, & re ipsa malum, ac perniciosum. Diverfus ergo est amor utriusque erga se.

16 DEINDE Exponit ampliùs, & vberius confirmat, laudabilem esse virum bonum in amore sui. Laudabilis enim est ab omnibus is, qui sibi vult affluentiam bonorum honestorum, quibus & in se optimus fit, & aliorum utilitati, bonoque, amplissime proficit. Atque vir probus dum seipsum amat, vult sibi affluentiam bonorum honestorum, quibus & in seipso optimus fit, & aliorum utilitati bonoque largissime proficit. Ergo vir probus dum amat seipsum, laudabilis profectò ab omnibus est. Neque enim non possunt alij non laudare exoculari que eum, qui vberissime cumulatus est omni honestate Virtutum, easque affluere facit in commune bonum ceterorum. Contra autem improbus dum amat seipsum, vituperabilis, & exosus alijs est. Non enim solum faciat deturpatque seipsum improbis affectionibus, sed etiam dum vult sibi bona omnia utilia, impedimento ceteris est ut ea assequantur, quibus egent. quod nequit non esse ijs molestum, & odiosum.

17 CIRCA Quartam partem occurrat obiectioni, quae posset ex dictis emergere. Si enim vir probus maxime seipsum amat, & praeter ceteris omnibus, ut constitutum relinquimus, videbitur fortè nihil facturum aliorum gratia, sed omnia propter seipsum. Hoc autè apparet vituperabile, & merito exosum habebit in improbis amatoribus sui ipsorum. Huic verò dubitationi occurrit Arist. disertè pronuncians, virum bonum tam procul ab ea calumniam esse, ut potius is sit, qui plurima praestitit, seu facit gratia aliorum, & patriae suae; ut quae adeò, ut non dubitet eam ob causam, ubi opus fuerit, mortem oppetere. Abijciat enim & pecunias, & honores, ac denique *περιμάχεται*, id est, ea bona de quibus homines decertant, ut vendicat sibi honestatem. Potius enim optabit brevi tempore vehementer letari secundum Virtutem, quam longo leviter; & satius ducet vivere honestè annum, quam aliter plures annos; ac denique meliorem sibi existimabit unam actionem honestam & magnam, quam multas & parvas. Quod certe accidere videtur ijs, qui pro alijs honestissimam, & gloriosissimam mortem subeunt.

18 CUIVS Doctrinae exemplum occurrit in Xenocrate: qui Dionysio Siciliae Tyranno

ranno minitanti se caput amputaturum Platoni, impavidus profiliit in medium, & digito caput proprium assignans, dixit, *Haud prius quam hoc.* Quo ipso se paratū exhibuit ad mortem pro amico subeundam, quamvis id reipsa non fuerit peractum. Pauca alia eiusmodi exempla apud Ethnicos occurrunt, eaque apud Poetas, ne quid certi habereimus. Apud Euripidem Hecuba, Troianorum Regina infelix, videns filiam Polyxenam duci ad eandem, ita loquitur ad Vlyciem, & ceteros Græcorum:

Κτενεῖτε (μὲ) μὴ φίλεισθε, ἐγὼ τέκνον Πάριον,
ὅς παῖδα θετίδος ὤλεσεν τόξοις βαλὼν.

*Occidite (me) ne parcite, ego pepererim Paridē,
Qui perdidit filium Thetidis, sagittis figens.*

Similiter & apud Virgilium Nisus, ut Euryalum amicum seruet incolumen, etiam cum dispendio vitæ suæ, ita Græcos alloquitur.

*Me me: adsum qui feci: in me cōvertite ferrū,
O Rutuli. mea fraus omnis. nihil iste, nec ausus,*

Nec potuit (cælum hoc, & conscia sidera testior)

Tantum infelicem nimium dilexit amicum.

Scio id consilium præstari à Platone in Symposio: *Mori se prius eligat, quam dilectum derelinquere, & periclitanti non succurrere.* Verum fortasse nemo Ethnicorum id opere præstitit, saltem secundum honestatē morū. Quippe id videbatur reservatum ijs, qui ante & post legem Evangelicam, imitatione quadā Mediatoris Dei & hominū, didicerunt pro lege, pro patria, pro amicis, & honestate, perferre dura quælibet, & mortem ipsam. Cæterum quamvis nullum fuisset Mediatoris & Salvatoris nostri exemplum, mortem subire pro honestate, pro patria, pro amicis, quos Virtutis nexus coniunxit, semper est laudabile & gloriosum, & veluti tale habetur ab Arist. hoc loco, diciturque probō viro dignum.

19 NEQVE Ex eo quod vir probus omnia bona fortunæ, atque honoris, & vitam ipsam exponat periculo, aut reipsa amittat gratia aliorum, desinet seipsum maximè amare, & supra omnes alios. Non enim desinet se maximè amare, & supra omnes alios, qui minora bona in aliorum gratiam deserit, seu permittit ut permittit, ut exinde sibi comparet maius & præstantissimum bonum. At qui bona omnia fortunæ, honorisque & vitam corporis iacturæ exponit gratia aliorum, minora bona in aliorum gratiam deserit, seu permittit, ut exinde sibi comparet maius & præstantissimum bonū. Quippe morte ipsa honestissimum & præstantissimum actum Virtutis exercet, qui certè excellentius bonū est, quam ea omnia bona, quæ deserit. Non ergo vir probus desinet se maximè amare, & supra omnes alios, dum omnia bona fortunæ, honorisque, & vitam corporis, iacturæ exponit gratia aliorum.

20 ADDIT Autem vnum, quod videatur fortè incredibile, & paradoxon: nimirum, probum virum quandoque Amicitia præferre honestis actionibus, eaque prætermittere interdū amici causa. Videamus autem quomodo, seu quo sensu id accipiendum sit ex mente ipsius, & ita ut à veritate non aberret. Fieri potest ut quis aptè recteque gerat Magistratū, aut imperium exercitus. Si autem contingat fortè adesse, aut supervenire amicum dexteriores peritioresque ad id munus administrandum, poterit ipsi cedere, ut Magistratum obeat, vel præfecturam exercitus. Quo casu certè propter Amicitiam desistet ab operibus Virtutum, in quibus antea se exercebat. Et tamen non propterea vituperabilis erit, sed potius laudabitur ab omnibus, & longè magis, quam si ea opera fecisset. Nec ideo desinet seipsum maxime diligere: quia actio illa cedēdi amico peritiori, ac renuntiandi amplissimo muneri ob Amicitia honestatem, subrogato alio digniore & excellentiore ministro, est opus sublimè, præstantissimum, & ex quo summum Virtutis incrementum in animo subeat, & laudis apud quoslibet alios.

21 CLAUDIT Denique caput, resumendo, virum probum nihil aliud querere quam honestum, contemptis omnibus bonis inferioribus, quatenus à ratione discordant. Insuper & seipsum maximè diligere, cum appetat sibi bonum excellentissimum Virtutis, etiā cum iactura bonorum omnium inferioris notæ. Qui sanè modus amandi se, plurimum distat ab eo amore, quo plerumque homines se ipsos amant, quoniam improbi sunt, & ex philantia turpi, ac propemodum insatiabili, bona omnia vtilia & iucunda sibi ipsis vnicè expiant, nullo servato Amicitia iure, aut præscripto rationis. Lege pro vberiori exornatione huius capituli quæ dicta sunt hoc ipso lib. cap. 4.

VIDE D. Thomam 2. 2. quæst. 26. artic. 4. 5. 6. 7. & illius Interpretes.

(?)



CAPVT NONVM.

De amicis felicis, & quibus indigeat.

FST Autem controversia & de ipso felici, si indigeat amicis, necne. Non esse enim inquirunt ipsis beatis, & sese sufficientibus, opus amicis: insunt enim ipsis omnia bona. Cùm igitur ex sese sint sibi sufficientes, nullius indigent rei. Amicum autem inquirunt, cum sit alter, ipse, ea afferre amico, que ipse per se amicus consequi nequit. Vnde & hanc sententiam dicunt:

Fortuna cùm bona est, amicis cur opus.

At absurdo simile est, vniversa bona tribuentes felici, amicos ipsi non tribuere, quod externorum bonorum maximum est. Quod si ad amicum conferre potius, quàm accipere beneficia, spectat, atque ad virum bonum, virtutem que dare beneficia pertinet, magisque honestum est amicis, quàm alienis, largiri, beneficiaque conferre: vir studiosus ijs indigebit profectò, qui bona, beneficiaque sunt accepturi. Quapropter & quæritur, vtrum prosperis in rebus, an in adversis opus sit magis amicis, vt pote cùm & is, qui mala fortuna vtitur, ijs indigeat, qui beneficia conferant: & ijs, qui prospera fortuna fruuntur, ijs sit opus, apud quos beneficia collocabunt. Est etiam forsitan absurdum, beatum ipsum solitarium facere. Nemo enim expetet per se bona cuncta habere: nam homo ciuile animal est, & cum alijs aptum vnà vivere. Hoc igitur competit & felici: habet enim ea omnia, quæ natura sunt bona. Constat autem, melius esse cum amicis, probisque, quàm cum alienis ipsum & quibusvis conversari. Amicis ergo beato est opus. Quid igitur illi primi dicunt? & qua parte vera loquuntur? an quia vulgus eos amicos esse putat, qui vtilis sunt? Talibus igitur non indiget ipse beatus: quippe cùm ipsi omnia bona insint. Nec etiam ijs, qui ob voluptatē amantur, aut perparum: nam cùm sit ipsius vita iucunda, adventitia non indiget voluptate. Atque cùm amicis talibus haud indigeat, non videtur indigere amicis. Hoc autem non est forsitan verum. Nam in principio dictum est, felicitatem operationem esse quandam. Constat autem, operationem ipsa fieri, & non vt quandam rem esse, quæ possidetur. Quòd si felicem esse, in vivendo, ac operando consistit, boni autē operatione studiosa, & iucunda per se, vt initio diximus, resque propria ex ijs est,

est, quæ delectant, atque magis propinquos, quàm nos ipsos, & actus illorum, quàm nostros, possumus contemplari: studiosorumque hominum actus, si sint amici, iucundi sunt ipsis bonis, (habent enim ambo ea, quæ sunt natura iucunda) beatus profectò talibus indigebit amicis, si expetit actus bonos, & proprios contemplari: talesq; sunt ipsius boni, si sit amicus. Arbitrantur autem homines, felicem iucundè vivere oportere. Solitario igitur difficilis est vita. Non est enim facile per se ipsum semper operari, cum alijs verò, atque ad alios, facile. Erit igitur operatio continua magis, cū sit per se ipsam iucunda. Quod quidē esse circa beatū ipsum oportet. Studiosus enim hoc ipso, quo studiosus est, gaudet quidē ijs actibus, qui à virtute proficiscuntur. Molestè autē fert eos, qui à vitijs prodeunt: perinde, atque musicus delectatur quidem eleganti cantu, offenditur autē pravo. Fuerit etiam & quædam virtutis exercitatio ex convictu bonorum, vt & Theognidi placet. Naturaliùs autem considerantibus, studiosus amicus expetibilis esse natura studioso videtur. Diximus enim id, quod est bonum natura, studioso bonum, & iucundum esse per se. Definiunt autem ipsum vivere animalium quidem, potentia sensus: hominum autem, sensus, vel intellectio. Potentia verò ad operationē reducitur, & ipsum præcipuum in operatione consistit. Ipsum autē vivere videtur propriè esse ipsum sentire, vel intelligere. At ipsum vivere de ijs est, quæ sunt per se bona, atque iucunda. Est enim definitū, definitum autem natura est bonū. Quod verò natura est bonū, id & bono est bonū: quapropter omnibus iucundū esse videtur. Non oportet autem, vitam sumere pravam, atque corruptam, neque in doloribus constitutam. Infinita nanque est talis, quemadmodum ea, quæ insunt ipsi. Eritque hoc manifestum magis in sequentibus de dolore. Si verò ipsum vivere bonum est, & iucundum etiam est. Quod vel ex eo videtur, quia omnes appetunt ipsum, & maximè boni, Hisce enim vivere maximè est expetibile, & horū vita est beatissima. Qui autē videt, videre sentit: & qui audit, audire: & qui ambulat, ambulare: & in cæteris similiter est aliquid sentiēs nos operari. Sentire verò nos sentire, & intelligere nos, intelligere possumus. Quod quidem est nos esse. Esse enim, sentire, vel intelligere. Sentire autem se vivere, de ijs est, quæ per se sunt iucunda. Vita nanque natura est bonum. Bonum autem sibi quempiā inesse sentire, voluptate afficit. Ipsum verò vivere expetibile est, & maximè bonis: propterea quòd esse, bonū est ipsis, atque iucundum. Sentientes enim id, quod est per se bonū, voluptate afficiuntur. At studiosus vt erga se ipsum, sic sese habet, & ad amicum: amicus enim est alter ipse. Vt igitur se ipsum esse, est vnicuique expe-

expetibile, sic & suum amicum esse, vel similiter. Esse autem ideò est expetibile, quia sibi bonum esse ipsum sentit. At talis sensus iucundus per se ipsum est. Sentiatur ergo & ipsum amicum esse oportet. Hoc autem fieri potest, cum ipso simul vivendo, & verba, mentemve commutando. Sic enim in hominibus dici videtur simul vivere: & non, ut in pecoribus, eodem in loco pasci. Si igitur ipsum esse, per se est expetibile viro beato, cum natura sit bonum, atque iucundum, simile autem est, & amici ipsius esse: amicus etiam ex ijs est profectò, quæ expetibilia sunt beato. At quod est expetibile beato, id adsit ipsi oportet, vel egens erit hac parte. Opus est igitur ei, qui futurus felix, studiosis amicis.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Vir felix an egeat amicis. Rationes dubitandi in utramque partem. Resolutio, virum probum esse non posse perfecte felicem absque amicis veris, id est, secundum honestatem sibi devinctis. Affert eiusdem multiplex ratio moralis, etiam in rerum natura fundata.

PRÆCLARISSIMO ET SPLENDIDISSIMO HEROI,
D. D. IOANNI RAMIREZ DE GVEVARA ET ARELLANO,
CALATRAVENSIS EQVITI, MARCHIONI MIRANDÆ DE AVTA,
SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIO, OLIM
MAIORIS AC VETERIS D. BARTHOLOMÆI
COLLEGII SODALI, &c



ELEBREM Quæstionem exagitantam & dirimendam proponit hoc loco Arist. de viro felici, *εὐδαιμονία φίλων, ἢ μὴ;* *An egeat amicis, necne?* De qua etiam agit *lib. 2. Magn. Moral. cap. 15. & in Eudemij lib. 7. cap. 12.* Dividit autem totum caput in quatuor partes. In prima proponit rationes utrimque verosimiles, quibus partim apareat felicem virum egere amicis, partim non egere. In secunda exponit quid de viroque dicendum sit. In tertia rationibus ex Physica petitur velitat, & querit solutionem controversiæ. In quarta demum ex ijsdem illam expedit & absolvit.

2 CIRCA Primam partem, ut quæstioni iam indicatæ locus sit, præmittendū ex dictis *lib. 1. cap. 7. & seqq.* Aristotelis opinione Felicitatem hominis non in Virtute dumtaxat sitam esse, sed præterea ex omnium bonorum affluentia constari, ac proinde & instructam videri præsidio amicorum, qui inter externa bona censentur. Procedit igitur Philosophus ad examinandum, seu controvertendum dubium in utramque partem, An vir felix egeat amicis? Ac primo proponit rationem

eorum, qui negant felici viro opus esse præsidio amicorum. Quicumque enim omni bonorum genere cumulatus est, & cui omnium rerum copia supererit, nullo alio eger, ac propterea nec amicis. At vir felix omni bonorum genere cumulatus est, omniumque rerum copia ei supererit, cum totum id sit de ratione Felicitatis. Ergo vir felix nullo alio eger, ac propterea nec amicis. **CONFIRMATVR.** Amici ea solum causa necessarii esse possunt, ut succurrant, seu præsidium ferant amico indigenti. Si igitur felix nullam indigentiam habet, utpotè qui bonis omnibus affluit, amici nullatenus viro felici necessarii erunt. Quod declarat apud Euripidem verius ille ab Arist. allegatus, quo Orestes in summis calamitatibus positus patrum suum Menelaum alloquitur:

Ὅταν ὁ δαίμων ἐν δίδω, τί δέει φίλων;
Fortuna cum favet, quid amicis est opus?

3 NEC Alsingat Arist. eius opinionis Authorē. Verum fortale nomine suppresso impugnat Theodorū illum, qui infamī cognomēto dictus est *ἀείας*. Negabat enim viro felici opus esse amicis, idque ex eodem fundamento nuper propositō, ut refert Diogenes Laertius in *Aristippo*.

ALTERA Opinio est aliorum contra affirmantium, & prædictam sententiam refellentium triplici argumento. PRIMVM Est huiusmodi. Quicumque affluit omni bonorum genere, necessario debet etiam affluere amicorum subsidio. At vir felix affluit omni bonorum genere: cum id de ratione felicitatis sit. Ergo vir felix necessario debet affluere amicorum subsidio. Minor cum consequentia patet. Maior propositio probatur. Quicumque enim affluit omni bonorum genere, affluere etiam debet bonis externis. Atqui amici computantur inter bona externa, imo & sunt quid præstantissimum eorum omnium. Quare Arist. lib. 1. *Rhetor.* recensens bona omnia vitæ humanæ necessaria, inter ea refert, veluti præcipuum, *πολυφιλίας ἢ καὶ χηροφιλίας*, id est, *copiam multorum & bonorum amicorum.* Ergo quicumque affluit omni bonorum genere, necessario etiam affluere debet amicorum subsidio.

4 SECUNDVM Argumentum est. Cuiuslibet viro probi magis contentaneum est, ut benefaciat, quam ut beneficia recipiat. Omnis autem homo felix est vir probus. Ergo & omni homini felici contentaneum magis est, ut benefaciat, quam ut beneficia recipiat. Benefacere autem, seu beneficia conferre, potissimum spectatur in ordine ad amicos, quibus opem ferre, & in necessitatibus subvenire, & bona quælibet communicare, iucundissimum atque honestissimum est. Oportet igitur ut vir felix habeat amicos, quibus & opem ferat, & in necessitatibus subveniat, & bona quælibet communicet. Quod ita Ciceroni placuit, ut dubitaverit, satiusne sit viro probi habere amicos divites, an potius indigentes, quorum proinde necessitatibus succurrat. Vnde in *Lælio* ita inquit: *Atque baud sciam, an ne opus sit quidem nihil unquam omnino desse amicis. Vbi enim studia nostra viguissent, si nunquam consilio, nunquam opera nostra, nec domi, nec militia Scipio eguisset?* Ex eo autem quod amici bono viro sint necessarij, monet Arist. suboriri questionem aliam, Quibus in rebus maior & opportunior sit amicorum usus? an in rebus prosperis, an id adversis? Sed differt eius dubij resolutionem usque ad *cap. 11.*

5 TERTIVM. Nullus vir felix & probus debet esse solitarius: cum naturâ sit homo, ac proinde animal sociale, & amicum humani convictus. Ergo omnis vir probus & felix debet habere, quibuscum versetur, seu agat in humano convictu. Nam etiam si omnia pro voto ipsi contingerent, adhuc desideraret societatem hominum, saltem ut ijs bona sua communicaret, & cum ijs ageret. Atqui inter eos, quibus bona communicantur, & quibuscum habetur convictus, præcipui sui amici. Ergo omnis vir probus & felix debet habere amicos.

6 CIRCA Secundam partem accedit ad ferendum iudicium de utraque opinione: & quoniam posterior earum pluribus, ac melioribus nititur rationibus, miratur quomodo Authores prioris opinionis in animum inducere potuerint, ut censerent, virum probum numeris omnibus felicem esse posse absque vilo amicorum convictu. Quærit itaque causam, quæ eos in id erroris impulerit: & putat in eo sitam esse, quod instat maioris partis hominum existimaverint, illos tantum censi debere amicos, qui sint utiles, & in necessitatibus opem ferant. Et sanè si hoc ita esset, Authores ipsi recte sentirent: quoniâ quilibet in necessitate & calamitate positus eget aliena ope, & subsidio, proindeque & amicis vilibus, & paratis ad subveniendum. Quare cum vir felix supponatur positus extra omnem calamitatem necessitatemque, propter affluentiam omnium bonorum, absque indigentia vlla, non videtur villo modo egere amicis secundum eam considerationem acceptis. Sed & similiter cogitasse videntur de amicis iucundis, sive iucunditate afferentibus: quoniâ eo nomine plerumque intelligi solent assentatores, scurræ, & histriones, qui amantur ob voluptatē. Si enim ijs tantum censeatur amici iucundi, neque ijs eget vir felix: quoniâ obtinet intra seipsum fontem vberimum meliorum iucunditatum, & voluptatum. Cum verò aliud genus amicorum sit omnino diversum ab utroque præcedenti, & dignum amore hominis felicitatis; colligitur planè, Authores posterioris opinionis errasse ex falsa hypothese. Negarunt enim felici viro opus esse amicis, quoniâ falso existimarunt, nullum aliud esse genus amicorum præter illud duplex, quod ad felicitatem explendam est impertinens: cum tamen verè aliud genus supersit præstantissimum amicorum, eorum, scilicet, qui solius Virtutis causa amant, & amantur.

7 QVARE Assertio præcipua Aristotelis est, virum probum non posse habere Felicitatem integram & expletam numeris omnibus, sine amicis veris, id est, secundum Virtutem & honestatem sibi devinctis. Idque triplici potissimum ratione ethica, seu morali, probatur.

8 PRIMA, Iuxta interpretationem S. Thomæ, sic ferè institui potest. Ex dictis, *lib. 1. cap. 7.* patet, Felicitatem hominis esse sitam in actione perfecta secundum Virtutem. At omnis actio perfecta secundum Virtutem debet esse iucunda: quoniam omnes actiones honestæ sunt iucundæ, sicut omne quod natura sua est bonum, etiam ex se iucundum est, ut eodè *lib. cap. 8.* dicitur. Ergo Felicitas hominis sita est in actione iucunda. Atqui nihil iucundum est, nisi & cognitum sit: quoniam, iuxta illud veteris effatum, *ignoti nulla cupido.* Ergo primo ad ultimum Felicitas sita est in actione perfecta

Vic-

Virtutis, iucundâ simul, & cognitâ ab ipso viro felici. Modò sic. Nequit vir felix actionem suam perfectam secundum Virtutem habere plenè notam, nisi per amicum probum, tanquam per speculum (vt in Magnis Moral. dicitur) illam intueatur: siquidem internas affectiones nostras non satis bene nec rectè novimus in seipsis; tum ob nimiam amorem rerum nostrarum, quo cæcutimus; tum & ratione perturbationum, quibus plerumque ægrotamus. Ergo vir felix eget probis amicis, vt in ijs, veluti in speculo, intueatur actionem suam perfectam, ex eaque opportunam delectationem capiat, qualiter ad plenam Felicitatem exigitur.

9 CONFIRMATUR Et explicatur ampliùs. Cùm hominis Felicitas sit vita & actio quædam perpetua, quantum patitur fragilitas humanæ naturæ, vt eo cap. 7. lib. 1. dictum est, oportet vt semper illa gignatur seu oriatur. Non enim Felicitas est habitus aliquis, aut res consistens, instar earum, quas possidemus inter bona fortunæ, aut domesticam suppellectilem, sive rem familiarem: sed est actio in perpetuo motu operationis posita. Cùm vero non solum actio sit, sed honesta & iucunda, debet habere ea præsidia, quibus semper iucunda sit. Iucunda autem esse non potest, nisi adsit etiam in amico probò honesta pariter & iucunda actio, eaque pereannis; in quâ vir felix suas videat actiones quasi ad vivum expressas. Ergo vt vir felix iucundam vitam agat, eget amicis probis, in quibus actione suas, veluti expressas, intueatur. Porro actiones probi amici esse aptas ad iucunditatem viro felici ingerendam, probat: quoniam naturâ suâ honestæ secundum Virtutem sunt: omnis autem eiusmodi actio, verè iucunda est, seu nata iucunditatem parere.

10 SECUNDA Ratio ducitur ex communi omnium existimatione de vitâ hominis felicis. Omnes enim sibi persuasum habent, voluptatem hominis felicis esse perpetuam: vt pote alienam ab omni tristitiâ & dolore, iuxta dicta lib. 1. cap. 9. & infra dicenda lib. 10. cap. 4. Atqui voluptas omnis viri felicis in actione posita est, vt constat ex dicto cap. 9. Ergo iuxta omnium persuasionem, voluptas hominis felicis in perpetuâ actione sita est. Modò sic dissero. Perpetuâ actio esse non potest sine subsidio amicorum: cùm nemo possit per seipsum omnia agere, sed necessariò opus habeat alijs, quorum operâ vtatur. Ergo neque perpetua voluptas esse potest viro felici sine subsidio amicorum.

11 CONFIRMATUR. Supposito semel, vitam hominis felicis semper iucundam esse, fieri nequit, vt in solitudine, & procul ab humano convictu, traducatur. Cùm enim homo naturâ suâ sit animal sociale, sive politi-

cum, nequit transigere diuturnum tempus iucundè & suaviter sine convictu aliorum. Ergo oportet vt amicos habeat, quibuscum communicet, & quorum actionibus honestis delectetur: sicut bonus musicus, seu musice peritus, bonis aliorum cantionibus oblectatur, malis autem seu absurdis dolet. Quæ sane sententia præclara est, & vt observat Giphanius, desumpta ex Platone, qui sæpe comparare solet harmoniæ Virtutes, & earum actiones. Neque huic Aristotelis rationi occurrerit satis qui dixerit, ad vitandam molestiam, seu habendam perpetuò iucunditatem, non esse opus amicis, sed sufficere si alij adsint, quamvis non amici. Hanc enim evasionem præoccupat Arist. dum asserit, non ita bene, nec satis retineri posse iucunditatem, aut vitari molestiam per alios, quàm per amicos probos: quippe quorum dumtaxat honesta vita, & diu probati mores viro felici, non modò omnem molestiam amoliuntur, sed & suavissimum oblectamentum afferunt.

12 TERTIA Ratio, sic proponi potest. Ad plenam & omnibus numeris absolutam Felicitatem spectat, vt vir felix assiduam occasionem habeat exercendi se in Virtutibus acquisitis. Cùm enim Felicitas in perpetuâ operatione secundum Virtutem consistat, oportet vt ea adminicula adsint, quibus faciliùs actiones honestæ continuari possint. In id vero congruentissimus est proborum amicorum convictus & consuetudo: cùm & ipsi frequenter in Virtutibus se exercent, proindeque exemplo suo moveant ad similia opera patranda. Ergo vir felix eget convictu seu consuetudine proborum amicorum ad frequens exercitium secundum Virtutem. Quod ait fuisse decantatum à Theonide in sententijs, quas Elegiâ comprehendit, saluberrimis monitis & documentis plenâ. In idque illustrandum prodest observatio Xenophontis *lib. de actis & factis Socratis*, vbi refert, parentes olim fuisse solitos eam adhibere curam erga filios suos, vt non solum illos arcerent ab improborum convictu, sed etiam assuefacerent proborum virorum familiaritati; ex quâ proinde nihil, nisi honestum, & incitans ad Virtutem addiscerent. Quibus omnibus demum conficitur, viro felici opus esse familiaritate amicorum, vel eo solum capite, quòd frequenti eorum exemplo, actionibusque Virtuti consentaneis, vividius & ferventiùs excitetur ad similia Virtutum opera frequenter exequenda.

13 CIRCA Tertiam partem aggreditur probationem eiusdem Asserti supra constituti, moralem quidem aut politicam, sed physico modo traditam. quare & physicam eam dicit. Vt verò eam expendat, initio præmittit, unicuique suam vitam esse iucundam, & quiddam bonum. Quod vt demonstrat, digreditur ad exponendum quid sit vita, ac

primo quidem ea quæ competit belluis, quas hoc loco appellat generali vocabulo ζωα, id est, *viventia*: quemadmodum & *animalis* nomen quandoque generaliter accipitur Latine, ut observat Petrus Victorius lib. 23. Var. Lect. cap. 9. Vitam igitur belluarum docet defini sui ceteri potestate ad sentiendum, quæ est principium sensationis. Potestate, inquam, sentiendi; non autem sensu ipso: quia belluæ etiã dum dormiunt, & sopitos sensus habent, verè vivunt. Ergo vita eorum non consistit in sensu, sed in potestate sentiendi. Vita autem hominis, quæ perfectior est, consistit in potestate, tum intelligendi, tum & sentiendi: quoniam naturâ suâ aptus est ad intelligendum & sentiendum. Quia tamen absoluta rei perfectio non est in potestâ, sed in actu, qui dicitur τοῦ ὑπὸν, seu præcipuum in singulis rebus: ideo & perfectio vitæ humanæ non est sita in potestâ intelligendi, sed in ipso actu, qui dicitur ἐνέργεια. Unde & perfectio vitæ humanæ, non tam per potentiam, quàm per ipsam energiam, sive actum intelligendi, & sentiendi, defini debet. Eo statuto, pergit ad assumptionem probandam; nimirum, vitam unicuique esse quiddam suâ naturâ bonum, & quiddam iucundum: probo autem viro esse simpliciter bonum, & simpliciter iucundum. Probatio verò sic ordinari potest. Quidquid suapte naturâ bonum est, id viro probo bonum & iucundum simpliciter & per se est. Atqui esse & vivere suapte naturâ bonum est. Ergo esse & vivere viro probo bonum & iucundum simpliciter & per se est. Maior patet: quia viro probo idem est bonum, ac iucundum: ut constat ex dictis supra lib. 1. cap. 8. & lib. 7. cap. 12. Ergo quidquid naturâ suâ bonum est, viro probo bonum & iucundum simpliciter est. Minor illa præcipua suadet ab Arist. dupliciter. PRIMO: Quia esse & vivere est de numero rerum definitarum. Omne autem definitum est naturâ suâ bonum, sicut indefinitum, iuxta Pythagoricos, spectat ad rationem mali & imperfecti: quia quidquid definitum est, constat formâ & actu, à quo provenit perfectio. quod autem est indefinitum, constat quidem materiâ, sed caret actu & formâ, ac proinde & omni perfectione. Ergo esse & vivere suapte naturâ bonum est. SECUNDO eandem propositionem probat: Quia nequit naturâ suâ bonum non esse id, quod omnia appetunt: cum universalis appetitus feratur ad bonum: ut lib. 1. cap. 1. constitutum est. Atqui omnia viventia appetunt esse & vivere, ut inductione patet, etiam in ijs, quos ingens calamitas aut miseria premit: adhuc enim affectum seu desiderium vivendi retinent. Ergo esse & vivere naturâ suâ bonum est. In quem verò scopum collineet hæc ratio, seu quomodo adaptetur instituto, quod præ manibus est, infra circa quartam partem apparebit.

14 DEINDE Occurrit cuidam obiectioni, quæ oritur ex eo quod vita quorundam sit vitiosa & prava; quorundam verò, doloribus & ærumnis plena. Ac nihil vitiosum aut ærumnosum, est bonum, aut iucundum. Ergo quorundam vita, nec est bona, nec iucunda. Occurrit, inquam, huic obiectioni aliterendo, hoc loci non esse disputationem de vitâ pravâ & calamitosâ: quia modo solum agamus de vitâ illâ, quæ definita est: non autem de illâ, quæ est indefinita. Vita autem, sive vitiosa, sive calamitatibus plena, non est definita, sed indefinita, sicut & vitia ipsa & calamitates in infinitum procedunt, seu absque numero augeri possunt. Quare semper verum & ratum manet, vitam per se bonam & iucundam esse: illam, scilicet, quæ à vitijs & calamitatibus libera est, & omnino definita per actum & formam. Huiusmodi autem vita est, quæ competit viro probo & felici. Nullis enim vitijs deturpatur: nullis calamitatibus ærumnosa redditur: sed perfectâ est in actu, sive energiâ rectæ & perfectissimæ operationis. Si igitur omnibus iucundum est vivere, ut revera est, planè sequitur, ipsum quoque vivere viro probo esse per se iucundissimum: quia viri probi vita non est quælibet, sed honestissima ac felicissima, ideoque & naturâ suâ apta ad summam iucunditatem pariendam.

15 ADDIT Insuper, vitam ipsam bono viro eò iucundiorem esse, quò magis eam sentit, intelligitque. Quod antequam probet, occasio est ipsi quærendi, an vita sentiri possit. Respondetque, neminem esse, qui non sentiat se vivere: idque evincit sub hac ferè argumendi formulâ. Si se sentire quilibet sentit, & se intelligere intelligit, perfectio & quilibet sentit, seu percipit se vivere: quoniam ipsum sentire & intelligere est quoddam vivere. Ad hypothèsis vera est: nimirum, quilibet sentit se sentire, & intelligit se intelligere: ut dicitur lib. 3. de Animâ. Sicut qui videt, sentit se videre: qui audit, studet, ambulat, sentit se audire, studere, & ambulare. Ergo & quilibet dum vivit, sentit se vivere. Scilicet, ut hoc obiter dicamus, quod vberius explicuimus tom. 2. Phil. Novant. disp. 84. sect. 1. per totam, ultra sensus externos existit in nobis sensus communis, cuius est iudicare de ipsi sensibus externis, & percipere experimentaliter illorum actus, atque obiecta eorum discernere: ac proinde quicumque sensu aliquo externo elicit operationem vitæ, sensu communi & interno sentit se vivere, videndo, audiendo, tangendo, &c. Quâ digressionè absolutâ, colligitur quod probandum assumebatur: viro, scilicet, probo vitam ipsam eò iucundiorem esse, quò magis eam sentit, intelligitque. Quò enim præstantius est bonum, & magis percipitur, eò maiorem iucunditatem parit. Atqui vita hominis pro-

probi est, bonum præstantissimum. Ergo quod magis percipitur, sive sentitur à viro probò, eo ipsi iucundior est.

16 CIRCA Quartam partem redit ad institutum, vnde digrellus fuerat, & confirmat denuo, viro felici opus esse amicis, quod erat præcipuum Assertum. Confirmat autem ferè sic. Demonstratum iam est, vnicuique esse & vivere quiddam bonum naturà suà, & iucundum esse. Ergo & viro probò ac felici esse & vivere iucundū est. Si autem ipsi esse suum & vivere iucundum est, etiam esse & vivere probi amici iucundum erit: quia probus amicus, est quasi alter ipse: & nequit probò viro non esse iucunda vita illius, qui quasi idem cum ipso est. Si autem viro probò iucunda est vita, proindeque & operatio amici probi, oportet vt illius convictu & familiaritate fruatur: nam sine eius modi frequentia non poterit sentire vitam & actionem sui amici, sicut sentit se ipsum vivere & agere. Ergo de primo ad vltimum vir felix eget convictu & frequentia proborum amicorum. Quam Arist. monet non in voluptatibus corporis vnà fruendis sitam esse: non in comotationibus, aut cœnationibus: sed in honestis ac iucundis colloquijs, & mutuâ communicatione consiliorum animi. Hæc enim societas seu familiaritas nobilis & ingenua est, quæ probos viros & amicos secundum honestatem decet. Alia verò quæ comellationibus & comotationibus impenditur, indigna hominum est, & contentanea belluis, quæ quoniam ad pastum natæ sunt, tunc solum censentur vnà vivere, cum eodem loco pascuntur. Vn-

de Cicero lib. de Senect. & lib. 9. Epist. epistola antepen. pulcherrimè observat, rectius Latinos vocabulum *conviviij* instituisse, quàm Grecos *συνδειπνος* & *συμπόσις*. nam nomen Latinum *conviviij* derivatum est à vivendo simul, sive ab honestà vitæ consuetudine, quæ profectò hominibus digna est: nomina verò illa Græca à pastu & potu quæ sunt actiones bel-luarum.

17 POTEST Verò præcipua doctrina huius quartæ partis breviter comprehendî gradatione quadam, & formulâ eleganti, à Giphano constructâ in hunc modum. Si sua cuique vita est iucunda & experenda: Ergo & amici. At sua cuique vita sensu seu conscientia est iucundior. Ergo & amici. Si sensu amici vita est iucunda: Ergo convictu est opus & consuetudine, sine qua sensus ille capi non potest. Vnde demum colligitur, viro probò ad plenam iucunditatem opus esse sensu vitæ amici, proindeque & illius convictu, seu consuetudine. Si autem viro probò opus est convictu seu consuetudine amicorum: Ergo & hominî felici, quoniam hic vir probus est. Alioquin enim desideraret amicos, ac proinde indigentiam pateretur alicuius rei bonæ, imò & optimæ, qualis est bonus amicus. Vnde iam non esset beatus, sive felix, contra hypothesim: quia vt lib. 1. cap. 8. probatum est, absurdum censerî debet, quod vir felix sit indigens, aut careat alliguo bono.

VIDE D. Thomam 1.2. q. 4. art. 8. & illius Interpretes.

CAPVT DECIMUM.

De numero amicorum.



SUNT Ne igitur quàm plurimi faciendi amici, an, vt de hospitalitate dictum concinnè fuisse videtur,

Hospite ne careas, hospes neque pluribus esto. Sic & ad amicitiam accommodabitur, neque sine amicis esse, neque rursus nimium multos habere amicos. Ad eas igitur amicitias, quæ sunt ob utilitatem, & valde id, quod dictum est, accommodatur. Multis enim vicissim sub ministrare, laboriosum est: neque ad hoc agendum, facultates ipsæ sufficiunt. Plures igitur ijs, qui sunt ad facultates proprias

prias satis, supervacanei sunt, atque ad bene vivendum impedimento: non ergo opus est ipsis. Ij quoque, qui comparantur ob voluptatem, sufficiunt pauci, ut in epulis condimentum. At suntne studiosi plurimi comparandi? an & multitudinis amicorum est quidam numerus perinde, ac civitatis? Nec etiam decem ex hominibus, civitas constare potest, nec etiam est ex cetera millibus adhuc civitas. Sed quantitas non est forsitan vna quaedam determinata, sed omnis ea, quae est media inter quasdam multitudinis definitas. Et amicorum igitur multitudo quaedam est definita. Atque ij fortasse sunt plurimi, cum quibus quispiam vivere potest. hoc enim ad amicitiam spectare maxime videbatur. Fieri autem non posse ut vna cum multis quispiam vivat, seque multis impertiat, non est obscurum. Praeterea illos etiam inter sese amicos esse oportet, si simul omnes victuri sunt. Hoc autem difficile est in multis. Est etiam perdifficile, gaudere familiariter cum multis, atque dolere. Concurrere enim haec simul possunt: cum vno, inquam, dolere, & cum altero gaudere. Forsitan igitur bene est, non quaerere quam plurimos amicos habere, sed quot ad communem vitam habendam sufficiunt. Neque enim posse videtur, multis vehementer amicum esse. Quapropter neque adamare plures: exuperatio enim quaedam amicitiae est. Hoc autem est ad vnum. Et vehementer igitur amare, ad paucos erit. Hoc & in ipsis rebus ita se habet. Amicitia nanque sodalitia non fiunt multi amici: & quae fama celebrantur, inter duos fuisse dicuntur. Qui vero multos amicos habent, & omnibus sese familiariter offerunt, ij nemini sunt amici, nisi civiliter, quos & placidos appellant. Fit igitur ut civiliter, multis sit quispiam amicus, etiam si non sit placidus, sed verè vir probus. Sed ob virtutem, & se ipsos, amicitia non est ad multos. Amabile autem est, & paucos invenire tales.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DECIMI.

Quis numerus amicorum conveniens sit, tam in eo Amicitiae genere quod utilitate, quam quod iucunditate, aut etiam honestate ducitur. Resolutio, postremum certo, eoque exiguo, amicorum numero coherere: in alijs vero esse longè maiorem latitudinem.

AD NOBILISSIMUM ET DOCTISSIMUM HEROEM,
D. D. IOSEPHVM BELTRAN DE ARNEDO,
 REGIVM CONSILIARIVM IN SVPREMO IVSTITIAE SENATV, OLIM
 IN SALMANTICENSI ACADEMIA CATHEDRAE DIGESTI VETERIS
 ANTECESSOREM, ET VETERIS COLLEGII D. BARTHOLOMAEI DIGNISSIMUM TOGATVM, &c.



POSTQVAM Superiori capite traditum fuit, viro felici opus esse amicorum convictu & consuetudine ad iucundam vitam plenè

iucundam, & ab omni indigentia alienam; nunc opportunam & coherentem questionem instituit, An plurimi amici sint habendi, an pauci; idque non solum in Amicitia illa quae

hoj

honestate ducitur, & virum felicem ac probum decet: sed in ijs etiam, quarum altera ob utilitatem, altera voluptatem est. De quo videnda sunt quæ docuit supra lib. 8. cap. 6. per totum. Dividitur verò caput in quatuor partes. In primâ quærit, quis numerus, & quanta esse amicorum multitudo debeat, tum in Amicitia utili, tum & iucunda, & quæ Virtutis seu honestatis amore contrahitur. In tertia solvitur ea quæstio varijs rationibus. In quartâ demum fit comparatio inter varia Amicitia genera, & traditur, in quonam illorum maior amicorum numerus admittatur.

2 CIRCA Primam partem proponit Arist. generatim quæstionem, oporteatne plurimos habere amicos; an potius servare in hoc mediocritatem quandam, sicuti Hesiodus servandam consulit in hospitalitate, ut neque quis habeat plurimos hospitis, sive nullos, dum accinit:

τὸ μήτε πολὺ ξείνων, μήτε ἄξωνων.

Neque multum hospes sis, neque non hospes. Videbitur enim fortasse aliquibus, ut quemadmodum sententia Hesiodi prudentissima habetur, circa hospitalitatem: ita etiam censendum merito sit de Amicitia, ut neque per exuperantiam quis peccet in numero amicorum, neque etiam per defectum. Sic enim faciendum esse monet Euripides in *Hippolyto coronato*, dum ait: eodē plane sensu Aristotelis, oportet habere mediocres amicitias. Hanc ipsam ferè quæstionem supra lib. 8. cap. 6. cum ipso Arist. ex professo, examinavimus, eamque copiose expendit Cicerō in *Latio*.

3 RESPONDET Verò quæstioni hoc loco, suppositâ distinctione triplicis Amicitia generis iam indicatâ, in ijs duobus, quorum alterum iucunditate ducitur, non expedire amicos plurimos. Priorem partem probat: Quoniam non expedit subire onus difficillimum, & reddens vitam hominis admodum laboriosam. Atqui plurimos habere amicos vtilis, est subire, seu imponere sibi opus difficillimum, & reddere vitam admodum laboriosam. Ergo non expedit plurimos habere amicos vtilis. Minor, sive assumptio, suadetur & explicatur. Quisquis enim habet plurimos amicos vtilis, ab ijs omnibus utilitatem accipit: ac proinde ijs omnibus tenetur retribuere, seu compensationem facere æqualem. Atqui retribuere plurimis, & compensationem æqualem ijs facere, est onus difficillimum, reddendæque vitam hominis admodum laboriosam. Difficillimum quippe est, ut plurimis fiat satis, absque vllius querelâ de inæqualitate compensationis: laboriosissimum item usque adeo occupare vitam, & collocare horas tot compensandis obsequijs, & officijs rependendis, cum tamen in brevi & fugaci vitâ vix nobis tempus suppetat ad ea quæ sunt longè magis pro-

ficia & necessaria. Ergo plurimos habere amicos vtilis, est subire quemquam, sive imponere sibi onus difficillimum, & reddere vitam plus nimio laboriosam.

4 CONFIRMATVR: Quia hominis *βίος, vita*, seu ut habet in Magnis Moral. *φύσις, natura*, est impar ad ferenda tot obsequia plurimorum amicorum. Quod singulatim exponit Plutarchus aureo libello de *πολυφιλία, multitudine amicorum*: his verbis: *Si ex multis unus roget ad cœnam alius ad funus, alius ut in foro sibi sis advocatus, alius ad nuptias, alius ad iter, alius denique aliud: alius pecuniam roget mutuam, alius vestem, &c.* quis poterit simul esse par omnibus? Nemo tanè. Ergo polyphilia, seu multitudo amicorum vtilium, quibus ea obsequia præstari debeant, nullatenus conveniens est. Quin & Lucianus in *Toxaride* author est, polyphiliam apud Scythas tam infamem fuisse, ac est apud cæteros vnius mulieris consuetudo cum multis viris. Quare amicorum vtilium mensura debet esse vita ipsa, ut tot solùm habeantur, quot ad vitam commodè ineundam sufficiant. Si autem plures sint prætereas, inquit Arist. *πεπληρωτοί ἡδέ εἰ μὴ οἱ τοὺς πρὸς τὸ καλὸς ζῆν. supervacantes, & impedimento sunt ad bene vivendum.*

5 IAM Verò, & amicos iucundos, sive secundum voluptatem, non debere esse plurimos, sic probari potest ad mentem Arist. quamvis leviter solùm, pro more suo, rationem indicet. Vbi pauci sufficiunt amici, frustra plurimi admittuntur, aut colliguntur. At pauci sufficiunt ad idoneam vitæ delectationem, quæ ex Amicitia iucundâ quæritur. Ergo frustra plurimi admittuntur aut colliguntur ad Amicitiam iucundam. Minor, sive assumptio, probatur ab Arist. quia idonea delectatio, quæ ex Amicitia iucundâ quæritur, similis est condimento epularum. At condimentum epularum debet esse modicum, non autem nimium, ad gratiam epulis addendam, ut ex ijs capiatur idonea delectatio. Ergo pauci etiam amici sufficiunt ad idoneam vitæ delectationem, quæ ex Amicitia iucundâ quæritur.

6 CIRCA Secundam partem, quærit an in Amicitia honestatis quærendi sint plurimi amici, an pauci. Videtur enim ex alterâ parte, non debere esse plurimos, seu plures, quam par sit: cum omnis Virtus moralis, & quidquid ipsi affine est, ut amicitia honesta, exosam habeat exuperantiam, & se contineat intra mediocritatem rationis. Aliunde verò apparet, eiusmodi amicos debere esse plurimos. Ideo enim nuper dictum fuit, non oportere plurimos amicos vtilis, aut iucundos, quoniam priores mutuâ debitione officiorum sunt magno vitæ oneri, posteriores autem impediunt opportunam iucunditatem, sicut nimium ciborum condimentum. Atqui hæc ratio non ha-

Habet locum in amicis probis, sive secundum honestatem: quoniam propter suavitatem morum, & honestissimæ vitæ rationem, nulli oneri aut impedimento sunt; & quò plures fuerint, eò magis delectant. Ergo oportet habere, seu deligere, plurimos amicos secundum honestatem.

7 CÆTERVM Arist. adhuc in hoc genere amicorum damnat multitudinem, & servandam mediocritatem docet. Suprà lib. 8. cap. 6. docuerat, vix, aut ne vix quidem posse esse plures amicos secundum honestatem: idque potissimum, quia valde difficile est invenire plurimos ijs qualitatibus præditos, quæ necessariae sunt, ut cum ijs Amicitia honestatis contrahatur. Nunc verò quærit, an oporteat cum plurimis eorum (quamvis plurimi inveniantur) Amicitiam intrare? quia etiam in hoc genere amicorum nimis multi, non tam adiumento, quam oneri & impedimento videntur esse. Id verò probat illustri similitudine civitatis optimè constitutæ, quæ non debet constare plurimis civibus, quamvis optimis, sed mediocri illorum numero inter nimium & exiguum. Neque enim decem cives, inquit, satis putantur ad constituendam civitatem: quoniam pauciores sunt, quam oporteat. Ex altero verò extremo centum millia civium, ab exuperantia peccant: quoniam maiorem numerum iusto constituunt, quam par sit, ad bonum regimen civitatis. Eritne igitur idem servandum in numero amicorum?

8 VIDETVR Autem difficile quòd Arist. damnet multitudinem centum mille civium in vna civitate: cum planè constet nonnullas fuisse, etiam ipsius ævo, optimè constitutas, quæ eiusmodi numerum excedebant. Athenæ ipsæ, ubi Arist. habitabat, viginti quinque miliaria in circuitu habebant: id enim, rebus ad trutinam Geographicam expensis, docet Dio Chrysostron Orat. de Tyrannide, dum ait: *circuitum Athenarum cum Pyreæo & Longis muris fuisse ducentorum circiter stadiorum.* Equivalent autem ducenta stadia viginti quinque miliaribus. Et certè intra ambitum Athenarum usque adeò ingentem, dubium non apparet, quia plura, quam centum civium millia, habitarent. Eodem quoque tempore Syracusæ idem circiter spatium occupabant, teste Plutarcho in Nicia, qui eandem appellat, *vrbem Athenis non angustiores.* Roma ipsa, quæ *Vrbs æterna* audiebat, & *victura cum sæculis*, iam ab ipso tempore Servij Tullij Regis tam vasta & ingens fuit, quam tempore Augusti Cæsaris, teste Dionisio Halycarn. lib. 4. qui postea lib. 8. inquit de ipsa: *Quòd si quis metiri ambitum eius voluerit, conferat Athenarum vrbem, nec multò maior apparebit.* Ergo & Athenæ ipsæ plusquam centum millibus civium constabant: ut potè paulò minores.

9 VERVM Magnitudo eadem vrbis Athenarum (si non multò minor, quam Romæ) & numerus ingens civium ipsius, dignoscitur melius cognita magis & expensâ magnitudine Vrbis, & civium Romanorum numero. Idem Dionysius scribès, ut dicebamus, Augusti ævo, quo Roma non erat maior, quam tempore Servij Tullij, atque adeò & ipsius Aristotelis, inquit, *si quis intuens magnitudinem Romæ excquirere velit, frustra eum fore, & basurum ubi desinat vrbis, ubi incipiat. Adeò suburbana ipsi vrbis adherent, & innexasunt, & speciem IMMENSÆ LONGITVDINIS exhibent: spectanti.* Ideo & Aristides, Græcus etiam Scriptor, tempore Hadriani aiebat, *tantam Romam esse, ut in quacumque parte quis contulerit, nihil impediat & in media eum esse.* Quare & alio loco eam appellat, *commune totius terræ oppidum.* Itemque addit, *omnes gentes quasi vicatim divisas, ad eam suam arcem convenire, qua nunquam vni se negat: sed ut terra solum fert omnes, sic hæc omnes homines capit.* Athenæus quoque Romam ipsam **ORBIS POPVLVM** appellat: Polemon Sophista, **ORBIS COMPENDIVM ET EPITOMEN.** Audit quoque apud Veteres, **VRBS VRBIVM;** Quisnam, rogo, numerus civium assignabitur, non inferior tantæ Vrbis? Seneca, sanè serijs & verax scriptor, ad Helviam, ita loquitur: *Aspice hanc frequentiam, cui vix VRBIS IMMENSÆ tecta sufficiunt. Maxima pars illius turba patria caret: ex municipijs, ex colonijs suis, ex toto denique orbe terrarum confuerrunt.*

10 SED Examinemus paulò explicitius, si fieri potest, numerum civium Romanorum. Ex lapide quodam Augusti Cæsaris, simulque authoritate Suetonij, fuisse *trecenta viginti millia*, plebis vrbane, probat eruditiss. Lipsius lib. 3. de Magnit. Rom. ubi plurimæ & admiranda collegit. Si autem tanta multitudo erat vrbane plebis tenuioris, & quæ è publico victitabat; quanta, putas, cæterorum hominum? Quot Senatores, aut Ordinis Senatoriorij, & ex ipsa plebe honesti. Nonne saltem alia ducenta duo millia? Adde pueros & fæminas duplo aut triplo excedentes. Conficies in vna Roma, inquit Lipsius, *duos hominum milliones.* Quin & intrepidus prosequitur, & plura addit, probatque Veterum testimonijs, & computatione variâ, quam exscribere longum esset. Si autem Athenæ prope modum æquales Romæ, ut ex Dionysio audivimus, idque etiam Aristotelis ævo: Ergo numerus civium Atheniensium longè maior erat, quam centenorum millium. Et tamen vrbis optime constituta erat, legibus, Magistratibus, Senatoribus, ordineque & disciplinâ civium. Quomodo ergo Aristoteles hoc loco docet, centena millia civium, maiorem numerum esse, quam ut pos-

possit comprehendere ab vna civitate optimè constituta? Damnat ergo Arist. regimen ipsarum Athenarum, & Romæ, & aliarum quarundam urbium, aut equalium, aut ampliorum: de quibus plura & selecta exhibuimus in *Theologia Florulenta Lud. IX. excursu 4.* quæ huc transferre piget, quamvis admodum opportunè infererentur.

11 HIS Addendum, quasdam alias civitates intra Europam, aut non adeo procul ab ipsâ Græciâ fuisse, circa tempus Arist. quæ longè excederent numerum centenorum mille civium. De Cæsarea Cappadociæ (quamvis non numeraretur inter vrbes principes) testatur Zonaras habuisse *quadringenta millia incolarum*. De Agrigento Siciliæ vrbe Diogenes Laertius in *Empeocle* scribit, *eam olim octingenta hominum millia inhabitasse*. Mitto plures alias vrbes, de quibus loco indicato disserui. Vnde difficillis omnino redditur doctrina Aristotelis multitudinem centum mille civium in vnâ vrbe damnantis, veluti nimiam, & optimo regimini adversam.

12 EX Ratione præiactâ dubitandi reiicitur interpretatio Petri Victorij ad nostrum caput: vbi admissâ, vt sonat, sententiâ Arist. damnantis eum civium numerum, veluti iusto maiorem, respondet, rationem eius censuræ fuisse, quod Græci veteres soliti essent condere vrbes perexiguas, non autem magnas; eoque civium numero instruere, qui facile angusto murorum ambitu caperetur. Idque probat, quoniam Cretam insulam appellarunt *ἐκατόπολις*, quod in eâ solâ centum vrbes essent. Quæ occasio fuit Virgilio, vt de Cretensibus caneret, *Centum vrbes habitant*. Et Horatio, vt accineret de Europâ Cretam advectâ:

*Quæ simul centum tetigit potentem
Oppidis Creten.*

Alio quoque loco:

*Aut ille centum nobilem Cretam urbibus
Ventis iturus non suis.*

Itaque cum in vnâ Insulâ, eaque mediocri, centum vrbes essent, planè colligitur, omnes illas fuisse exiguas: quoniam aliter maiorem longè circuitum, seu terræ tractum cum suis limitibus occuparent. Quare & totam Græciam existimat idem Victorius exigua solum oppida habuisse Aristotelis ævo: ideoque universè tulisse sententiam, ne civitates ampliùs extenderentur, aut maiori numero civium constarent: quoniam visum ipsi est rationi & publicæ utilitati conforme, vt quod in Græciâ fiebat, vbiq; etiam fieret.

13 REICITVR, Inquam, hæc interpretatio, cū ostentum sit supra testimonijs Dionis Chrysostomi, & Dionysij Halycarnassæi, Græcorum certè Historiographorum, & qui-

bus meritò credendum sit, veluti oculatis testibus, urbem Athenarum vastissimo murorum circuitu constituisse. & Romam ipsam, tota quæta erat, non fuisse admodum maiorem. Neque videtur dici verè posse, Athenas ævo Aristotelis fuisse urbem exiguam, postea autem nimium crevisse, tum amplitudine murorum, tum & multitudine civium. Non, inquam, verè dici posse videtur: tum quia vix, aut ne vix quidem, id probabitur testimonio alicuius Veteris Authoris, & fidedigni: tum etiam, quia de magnitudine ingenti Athenarum constat ex allegatis Dione & Dionysio. de exiguitate autem non constat: tum denique, quia trecentis illis circiter annis qui fluxerunt à tempore Aristotelis, vsque ad tempus Augusti, quo scribebat Dionysius, Imperium Græcorum non subiit incrementa, sed paulatim dilapsum fuit morte ipsâ Alexandri Magni. Quare vix apparet quomodo ab eo tempore Athenæ ex civitate exiguâ creverint in urbem vsque adeo insolitæ magnitudinis, vt pene Romam, primum & maximum Orbis emporium, æmularetur.

14 QVARE Aliter videtur exponendus Arist. & quidem dupliciter. PRIMO, si dicamus, nomine civium nō intellexisse hoc loco quoslibet homines intra moenia civitatis comprehensos: vt inquilinos, peregrinos, pueros, senio confectos, servos, capite cenos, & proletarios, sed illos dumtaxat, qui publicæ alicuius potestatis, administrationisve, participes sunt, seu capaces gerendi Magistratum, aut ferendi suffragium in comitijs. Ij enim dumtaxat veri cives censentur ab eodem Aristotele lib. 3. Polit. cap. 1. Si autem horum centum mille in civitate sint, vltra illos alios ab albo civium expunctos, qui frequenter numero excedunt; videbitur multitudo incolarum maior, quàm vt rectè & ordinate civitas administrari possit. Iuxta eundem Philotophum 7. Polit. cap. 4. vbi hanc ipsam questionem exagitat, modus seu mensura multitudinis civium capienda est *ἀπὸ τῆς αὐταρκείας*, id est, à *sufficiencia*, sive rerum copiâ, quæ victui & vestitui omnium incolarum sufficiat. Difficillimum est autem vt aliquot centenis millibus hominum, partim civibus, partim à civium albo exclusis, sit sufficiens annona, & competens victus, ac vestitus, vndecumque asportetur. Quare tanta incolarum multitudo in vnâ civitate videtur iusto maior.

15 SECVNDO Dici potest, etiam si hoc loco veniant intelligendi civium nomine ij, quos paulò antè expunximus; adhuc nimiam esse multitudinem centum millium incolarum: quoniam tam ingens hominum numerus, nec commodè regi potest ministerio mortalium hominum, nec habere sufficiencia atque opportuna alimentorum & vestium subsidia, nisi in magnâ plerumque caritate, aut etiam

etiam defectu, saltem ad tempus. Quod si verò obijciatur, aut ipsam Atheniensium urbem, aut Romam, maiori civium multitudine constitisse; & tamen utramque fuisse optimè administratam, ac rebus omnibus vitæ humanæ necessarijs abundantem; *Resp.* fortasse utramque urbem melius habiturâ, ac convenientius regendam, instruendamque rebus necessarijs, si minori numero civium constaret. Præterquam quod dici etiam potest, Aristotelem experimento didicisse in vrbe sua, non fuisse rectè constitutum, aut permissum adeò copiosum numerum civium: quoniam regimen opportunum eorum omnium difficillimum erat, & non inveniebatur *ἀντάρξια* illa, sive sufficientia rerum, ex quâ metiendam docet multitudinem civium. Idemque fortasse diceret de ingenti Romæ amplitudine, & numero civium, si rem perspectam haberet. Verùm hoc loco satis fuit notare generatim, & secundum ea quæ plerumque accidunt, multitudinem centum millium incolarum: quia videtur iusto maior, & quàm ut commode regi ac provideri possit.

16 ITAQUE Summa eius doctrinæ est, in numero civium servandam esse mediocritatem opportunâ, ut nec pauci sint, nec multi admodum. Neque enim in hoc deveniendum est ad numerum adeò exiguum, qualis est denarius; neque etiam abundum in infinitum: sed certâ quadam mediocritatis regulâ coercendum, prout visum fuerit expedire ad bonû regimen, & abundantiam rerum in civitate. Querit ergo Arist. an sicut in civitatibus oportet numerum civium non esse indefinitum, sed certum definitumque inter parvum & magnum; sic etiam in Amicitia honestâ expediat numerum amicorum non esse indefinitum, sed certum ac mediocre, ut nec plurimi diligantur amici, neque admodum pauci.

17 CIRCA Tertiam partem procedit ad eam quæstionem dirimendam, & statuit, in Amicitia honestâ non expedire ut amici sint plurimi; neque in multitudine innumerabili, sed certâ, & definitâ. Quod multiplici ratione probat.

18 RATIO Prima est. Amicitia omnis, proindeque & illa quæ honestate ducitur, exigit convictum, familiaritatem, & crebra colloquia, amicorum inter se. Atqui difficile, aut etiam *ἀδύνατον*, impossibile est vnum aliquem habere convictum, familiaritatem, & crebra colloquia cum plurimis. Ergo & difficile, aut etiam impossibile est, vnum aliquem habere cum plurimis Amicitiam honestam. Maior patet ex dictis lib. 8. cap. 3. & 5. Minor ab Arist. dicitur perspicua; & à Plutarcho probatur loco iam allegato, ubi docet, impossibile esse eiusmodi societatem inire cum multis: quia hoc esset veluti se dividere & distrahere in multas partes, ac tanquam scortum cum multis versari.

19 SECUNDA Ratio. Quicumque sunt alicuius amici, debent pariter mutuo seu inter se esse amici. At hoc aut difficile, aut impossibile est, si plurimi sint. Ergo alicuius amicos esse plurimos, aut difficile, aut impossibile est. Maior probatur ab Arist. Quicumque enim sunt alicuius amici, debent vna cum eo vivere, versari, & familiariter colloqui, ac secreta seu consilia intima communicare. Ergo & pariter mutuo, seu inter se debent vna vivere, eaque omnia officia præstare. Cùm ergo officia eiusmodi sint propria amicorum, quicumque sunt amici alicuius, oportet ut & sibi invicem præstent officia propria amicorum. Minor autem suadetur: Quia plurimos sibi tot Amicitia officia præstare, vix paucorum est: plurimorum autem apparet longè difficilior, aut etiam omnino impossibile.

20 TERTIA. Quicumque inter se amici sunt, debent eidem rebus prosperis vna lætari, iisdemque adversis condolere: quippe quorû *κοινὰ μάλιστα*, communia omnia, ac proinde omnes tangentia, si vel vnum aliquem eorum tangant. Atqui difficillimum est gaudere & lætari cum plurimis *οἰκίως*, id est est, familiariter, sive, ut alij, elegantius vertunt, congruenter, accommodatè, amicè, aut ex animo. Ergo & difficillimum est plurimos inter se amicos esse. Quippe cùm in tanto amicorum numero necessum sit frequenter vni aut alteri prospera contingere seu adversa, oporteret ad explenda Amicitia officia, frequenter cum vno dolere, cum alio lætari, & eam affectuum vicissitudinem subire, atque interdum simul. Quod non modo summæ difficultatis, sed gravissimi etiam oneris est, ut idem Arist. observat lib. 2. *Magn. Moral.* cùm miserum planè vitæ genus sit in assiduis penè, aut saltem frequentibus doloribus versari.

21 QUARTAM Rationem ut proponat, prius hortatur ne quis sit *πολύφιλος*, seu deditus quærendæ multitudini amicorum: sed eorum dumtaxat, atque in eo numero, ut satis sit ad idoneum convictum, honestatem & consuetudinem iucundam. Quippe eiusmodi convictus debet esse norma aut mensura ad præscribendum numerum amicorum. Hoc autem præmisso, rationem instituit ferè sub hac formulâ à Giphano expressa. Summa omnia & excellentia in paucis esse solent. Sunt enim pretiosa, ac proinde rara. Amicitia autem honesta est excellentia quædam; & amicorum amor non languidus est, sed fervidus, & acerrimus. Amicitia igitur honesta, & amicorum amor, in paucis esse solet. Non ergo inter plurimos invenitur, aut esse facile potest. Quæ sanè ratio suffragatur alijs duabus expensis lib. 8. cap. 6. illi præsertim, quâ Arist. amicos comparat quoddammodo amatoribus feminarum. Ut enim hi ardentè non amant femi-

minas plures, sic neque quisquam vividè & ardentè amat amicos plures.

22 CONFIRMAT Doctrinam præcedentem experimento in Amicitia sodalium, five sociorum, quæ solet esse maxima & verissima omnium. Nō enim inter multos iniri solet, sed per paucos, & vix, aut ne vix plures, quam duos. Ita enim sæculorū fama, & scriptis hominum consignatū est, ut celebres sociorum amicitia, duorum numero contentæ fuerint, nec ad plures processerint. Quod non edisserit Arist. adhibitis in singulari exemplis, sed generatim indicatis, dum ait: *αι δ' υμῶν φίλοι (φιλία) εν δυσι λέγονται. Quæ verò celebres sunt (amicitia) in duobus extitisse leguntur.* Nimirum eiusmodi paria decantatissima fuerunt, Damon & Pythias, Orestes & Pylades, Theseus & Pirithous, Charitō & Menalippus, alijque nonnulli, quorum meminit Valerius Maximus lib. 4. cap. 7. & Cicero in *Lelio*. Neque obstat quod hic lib. 1. & 2. de Finibus referat, Epicurum domi suæ habuisse maguos fidelium amicorum greges. Ij enim non tam amici, quam discipuli existimandi sunt, five auditores ipsius: qui cum Magistro suo nequeunt habere Amicitiam strictam, de qua loquimur, sed illam solū quæ excellentiæ dicitur, & inter inæquales est, iuxta dicta, lib. præced. neque etiam inter se ineunt Amicitiam *εταρικήν*, five sodalitiā, de qua agimus, sed dumtaxat politicā, & minū propriā.

23 ADDIT, *πολύφιλος*, five studentes inire Amicitiam cum multis, nulli amicos censerī, nisi summū politicè, seu civiliter. Idque etiam tradit in Eudemij lib. 7. cap. 12. illo axiōmate, *ἄλλοι φίλοι ἢ πολλοὶ φίλοι, nullus amicus, cui multi amici.* Cui ferè consonat effatum Senecæ, *Qui ubique est, nequam est.* Et illud tritū Martialis:

————— *laudat Callistratus omnes.*
Cui nemo malus est, quis bonus esse potest?

Rationem verò, ut qui multorum amicus esse vult, nullius sit, optimā assignat Arist. lib. 2. Polit. cap. 2. vbi civilem Amicitiam, quoniam inter multos est, vocat *υδαρῆν*, dilutam. nimirum, tenuem & imbecillā, instar modicæ aquæ in cadum vini missæ, quæ illico evanescit. Sic etiam vis amoris in multos dispersa di-

luitur, & vigorem amittit. Alia comparatione, five similitudinæ fluminis in varios rivos divisi, utitur Plutarchus libro iam allegato: & consonat illud apud Hispanos proloquium: *Quando el Mar se parte, Arroyos se haze.* Ita enim in amorē humano accidit, & multo magis, ob sui exiguitatem. In hoc quippe disidet amor humanus à divino: ut observat Otho Vanius in *Emblematis divini Amoris*: in quorum vno, doctrinā hanc, non solū Latinis, & Belgicis, sed & Hispanicis carminibus elegantè expressam me legisse iam diu memini. Porro carmina Hispanica erant:

QUANDO EL MAR SE PARTE,
ARROYOS SE HAZE.

*Mas en el mar del amar,
Donde Dios el golfo ha sido;
Por mas que este dividido,
En cada parte ay un mar.*

24 CIRCA Quartam partem docet, quamvis cum pluribus simul iniri Amicitia illa non possit, quæ secundū Virtutem, five honestatem est; posse tamen illam quæ civilis dicitur, & vulgi communi vsu Amicitia, quamvis improprie, dicitur. Hæc enim solū exigit vitæ communitatem civilem, qua plures suaviter, seu blandis sermonibus, se invicem alloquuntur, vbi tempus & ratio consuetudoque præscribit. Neque enim alio sensu cives, communitè amici dicuntur. Hoc autem erga plures præstare, imò & plurimos, facile est. Si quis enim civium comes & urbanus sit ac iucundus in colloquijs, absque offensione aliorum, facile sibi plurimorum conciliabit animos in quotidianis congressibus: & saltem cum ijs omnibus, qui eiusmodi genij sunt, civilem Amicitiam inibit. Illa verò strictior, & numeris omnibus absoluta Amicitia, de qua nupe loquebamur, non ita facile, nec cum multis haberi potest: quoniam valde pretiosa est, & veluti rara avis. Ut enim res humanæ habent, difficillimum est invenire vel duos, qui nullo utilitatis, aut iucunditatis intuitu, propter unum honestatis amorem, incant mutuo nexum five necessitudinem illam, quæ ad solidam Amicitiam existit, gatur.



CAPVT VNDECIMVM.

IN QVA FORTVNA SINT HABENDI AMICI.



AT Vtra in fortuna magis opus est amicis. Vtrum in prospera an in aduersa? In vtraque nanque quærentur. Nam & qui fortunam habent aduersam, indigēt ope. Et qui sunt in rerum prosperitate, eorum indigent, quibuscum vivant, & in quos beneficia conferant. Volunt enim donare, beneficiaque conferre. Amicos igitur habere necessarium quidem est magis in aduersa fortuna. Quapropter hic vtilibus amicis est opus. Honestius autem est, in prosperitate fortunæ. Idcirco & bonos quærent: in hos enim beneficia conferre, atque cum his vna degere magis est expetibile. Est enim & ipsa præsentia amicorum iucunda in vtraque fortuna: nam levantur ipsi dolentes condolentibus ipsis amicis. Quapropter & dubitaverit quispiam, si doloris, ut oneris, amici participes fiunt: an hoc quidem non fit, ipsorum autem præsentia, cum sit iucunda, condolendique sensus minuit ipsū dolorem? Verūm si ob hæc, aut ob aliquid aliud levantur, missum faciamus. Id quod dictum est, evenire sanè videtur. Ipsorum autem præsentia immista quædam est: nam aspicere quidem amicos iucundum est, præsertim ei, qui calamitatibus premitur: fertque præfidiū aliquod aduersus dolores. Consolationem enim ipse amicus & aspectu, & verbis afferre potest, modò sit dexter. Scit nanque mores, quibus gaudet, atque dolet. At sentire suas ob ærumnas dolere amicum, affert dolorem. Nam omnes fugiunt, se causam doloris esse amicis. Quapropter viriles quidem natura cavent, ne amici secum condoleāt: & si non exuperent indolentia, dolorem, quo illi afficiuntur, non ferunt. Atque omnino simul plorantes, mœrentesque non admittunt, quia nec ipsi sunt propensi ad luctus. Mulierculæ verò, & huiusmodi viri, gaudent ijs, qui vnà cum ipsis gemunt, & amant eos, tanquā amicos, & condolentes. Oportet autem omnibus in rebus præstabiliorem imitari. At amicorum prosperis in rebus præsentia & voluptatem affert omni in actu, & cogitatione delectat, quòd in ipsius bonis lætantur. Quapropter videbitur oportere in prosperitatibus quidem promptè vocare amicos. Est enim honestum, beneficum esse. In aduersitatibus autem pigrè. Minimè nanque facere participes malorū ipsos oportet. Vnde & illud dicitur:

Sat

Sat est gravis, tristisque, si me fors premit.

Maximè tamen vocandi sunt tunc amici, cum parva suscepta molestia multum prodesse possunt. Contra autem fortasse congruum est, ad calamitosos quidem ire non vocatum, & promptè. Est enim amici beneficia conferre, præsertim in eos, qui indigent, & antea, quam illi requirant. Vtrisque nanque honestius, atque iucundius est. Ad fortunatos autem promptè quidem accedere ad operandum vnà cum illis: est enim ad hæc opus amicis. Lentè autem pro beneficijs consequendis: non est enim honestum, utilitatis suæ causa properare. Cavenda autem est forsitan opinio iniucunditatis in repellendo: accidit enim nonnunquam. Præsentia igitur amicorum in vniversis experibilis est.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS VNDECIMI.

An egeamus amicis potius tempore prosperitatis, quam calamitatis. Statuitur, utroque tempore amicis opus esse: & præscribitur modus, quo se debeat gerere quisque in vtraque fortuna.

AD CLARISSIMVM ET LITTERATISSIMVM
D. D. ANTONIVM SEVIL DE SANTELICES,
IACOBÆV EQVITEM, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIA-
RIVM, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA ANTIQVIORIS
CATHEDRÆ CÆSAREARVM INSTITVTIONVM PROFES-
SOREM, AC VETERIS D. BARTHOLOMÆI COL-
LEGII TOCATVM DIGNISSIMVM, &c.



POSTQVAM De numero amicorum constitutum est, procedit Arist. ad indagandum ipsorum vsum iuxta temporū varietatem. Scilicet, quando sit magis necessarius eorum vsum; an tempore prosperitatis, cum res omnes feliciter, & ex voto contingunt; an potius tempore adversitatis, cum infausta omnia, & adversa. Dividit verò caput in tres partes. In prima, excitat eam questionem, & solvit. In secunda docet, utroque tempore opus esse præsentia amicorum. In tertia denique præscribit modum, quo debeat quis se gerere in vtraque fortuna.

CIRCA Primam partem, in ea questione pronuntiat, utroque tempore amicos requiri; vtilis in adversitatibus; & in prosperitatibus probos. Priorem partem probat: Quicumque enim alieno subsidio indigent, ij maximè opus habent amicis vtilibus, quorum est auxilium ferre in rebus vitæ humanæ necessarijs, & explere indigentiam. At qui experiuntur adversa & infausta omnia, alieno subsidio indigent. Ergo ij maximè opus habent amicis vtilibus, qui auxilium ferant in rebus vitæ hu-

mane necessarijs, & explere indigentiam. Posterior verò pars suadetur. Quicumque est in statu apto ad benefaciendum, & communicandum bona sua alijs, opus habet amicis honestis & probis, atque adeo dignis, quos faciat eorum participes. At qui fortunam prosperam experitur, est in statu apto ad benefaciendum & communicandum dona sua alijs. Ergo opus habet amicis honestis & probis, ideoque dignis, quos faciat eorum, sive felicitatis suæ participes. Imò & nulla adeo prospera fortuna est, nè regnatis quidem, in qua amicis opus non sit. Ideoque aiebat Cyrus apud Xenophontem lib. 8. *Οὐ τοῦτε τὰ χρυσῶν σὺν ἄλλοις, &c.* Non aureum istud seipsum est quod regnum custodit sed copia amicorum est Regibus seipsum verissimum, tutissimumque.

2 QVOD Alij quoque Scriptores confirmant: & quò ad vtramque quidem partem Marcellus apud Ciceronem lib. Epist. 14. dum ait: *Hoc vero huiusmodi esse statuo, ut sine talium virorum & amicorum benevolentia, neque in adversa, neque in secunda fortuna, quisquam vivere possit.* Deinde speciatim prior pars traditur ab Ennio in illo veteri tenario, quem Cicero, instar proverbij refert: *Amicus*

certus in re incerta cernitur. Cuius sensus est, amici fidem in rebus adversis maxime examinari. Id enim quod periculo expositum est, dubium dicitur, pro quo Ennius *incertum* usurpavit, sicut & alij Veteres usque ad ipsum Tullium. Plautus quoque amicum pronunciat, qui in re dubia iuvat. Euripides etiam in *Oreste* accinit, cognosci, seu deprehendi *τὸς φίλους ἐν τοῖς κακοῖς*, amicos in malis, seu adversis. Quare & Tarquinius apud Ciceronem in *Laelio* dixisse fertur, se, dum exul esset, intellexisse, quos fidos amicos haberet, quos infidos. Plerique enim aut ferè omnes mortaliū, amicos in felicitate positos observant & colunt: in calamitate verò fugiunt. Sive, ut aliquando dictum fuit Ferdinando Aragonio Hispaniarum Regi Catholico, Solem sequuntur, ubi oritur: ubi autem occidit, deserunt.

3 ET Certè amicorum fidelitas potius in adversitate probatur, laudaturque, quàm in felicitate. Ideoque, inter plures alios, qui exinde celebritatem meruerunt, commendatur Lycurgus Rhetor. Is enim Xenocratem amicum suum occurrentem, & à Telonè ductum ad carcerem Athenarum, liberavit, impacto fuste in caput Telonis ipsius, eoque in carcerem detruso. Cumque id Lycurgi factum ab omnibus celebraretur, accidit quadam die ut Xenocrates occurreret filijs Lycurgi. Quibus & dixit: Citò retuli gratiam patri vestro. Si enim mihi amico, & in adversitate constituto, auxilium tulit; dignam propterea ab omnibus nactus est laudem. Quare & Alciatus prudenter monet, quærendos esse nobis eiusmodi amicos, ut in necessitate, seu adversitate non deserant. Id verò exprimit eleganti emblemate frondosæ vitis amplexantis vlmum, iam senio confectam & arentem, à qua olim præsidium acceperat. Carmina sunt:

Arentem senio, nudã quoque frödibus vlmũ,

Complexa est virias vitis opaca coma:

Agnoscitque vices naturæ, & grata parèti

Officij reddit mutua iura suo.

Exemploq; monet, tales nos quæere amicos

Quos neque disungat federe summa dies.

4 CIRCA Secundam partem statuit insuper, in vtraque fortuna expetendam esse amicorum præsentiam. In adversa quidem: nam constituto in calamitate levamentum doloris est, quòd amicos videat sibi còdolentes, aut solatium aliquod colloquijs & monitis suis afferentes. Cuius doctrinæ duplicem causam assignat, dubitans vtra earum opportunior sit. PRIMA ducitur eorum exemplo, qui simul grave aliquod pondus gestant, ut alter alteri suppetias ferat. Hac ratione putabit aliquis se habere illum, qui in calamitate positus, ab amico præsentis opem recipit, & so-

latium. Ambo enim simul gestant, seu perferunt illud onus calamitatis & infortunij. Verùm eam similitudinem improbat Arist. veluti non omnino congruentem: quoniam tristitia illa, quam amicus suscipit ex infortunio alterius amici, nò est eadem, sed diverfa ab eaq; quã alter patitur. Onus autem quòd duo aliqui simul gestant, idem omnino est. Ergo similitudo non omnino congruit. Quare amicus amico còdolens, & aliam tristitiam perferens ab ea, qua amicus præmitur, comparandus non est ferenti simul cum alio idem pondus. Poterit tamen ea comparatio esse opportuna quò ad damnum: si, nimirum, alter amicorum de suo sarciat, sive compenset partem damni illius, quòd amicus calamitosus patitur. Tunc enim ambo idem damnum perferet, sicuti duo aliqui idem pondus gestant.

5 SECUNDA Ratio desumitur ex eo, quòd nulla sit tristitia aut calamitas, quæ delectatione extrinsecus adveniente non minuitur. Atqui præsentia amici delectationem aliquam affert amico in calamitate posito. Ergo huius tristitia minuitur ex præsentia amici. Quare vel eo solùm titulo, ut tristitia infortunati hominis minor sit, opus est præsentia amicorum. Neque tamen Arist. videtur decernere, vtra istarum rationum sit præferenda alteri: satique ad rem esse putat, quòd compertum, & experimento frequenter deprehensum sit, neminem in afflictione còstitutum esse, qui ex amicorum præsentia melius non habeat, seu aliquam tristitiæ imminutionem non sentiat.

6 ADDIT Verò, eam delectationem, quam amicus calamitosus recipit ex præsentia amici, non esse eiusmodi, ut totam tristitiam depellat; neque delectationem puram, sed mistam ex tristitia aliqua. Licet enim amicus in calamitate positus percipiat aliquid delectationis ex præsentia & suavi alloquio amici còsolantis; adhuc tamen & non nihil tristitiæ accipit ex eo quòd videat amicum còdolentem. Nequit enim non concipere mœrorem aliquem ex mœrore sui amici. Qui, cum probè perspectam habeat indolem amici sui, sciet profectò quomodo, quibus verbis, & quò vultu debeat ipsum còsolari, & levare ab eo afflictionis onere. Verùm quacumque demum arte utatur, ubi dolorem suum de amici calamitate ostendit, revera non solùm delectationem affert calamitoso amico, sed & tristitiam aliquam: utpote attendenti in ipso mœrorem, & veluti suum reputanti. Hinè esse ait, ut amici fortes, seu virili prædicti animo, nolint in calamitatibus suis admittere luctam aliquam, vel mœrorem in amicis, qui veniunt ad eos solatio afficiendos. Nolunt enim eam còsolationem admittere, quæ amicis ipsorum dolori & tristitiæ sit.

Quin

Quin & cum in non sint ad lachrymandū faciles, aut propensi, agrē ferūt quod amici, causa ipsorum, lachrymentur. Quare ita amicos excipiunt, ad consolandum venientes, ut delectationem quidem accipiant ex eorum conspectu & alloquio: molestiam verō ex ipsorum dolore sentiant. Contra verō fieri observat à mollioribus hominibus & effeminatis: qui, ut faciles ad plorandum sunt, ita & gaudent in calamitatibus, si amicos vna plorantes intueantur. Hos autem minimē sequendos putat, sed priores illos, quod sint excelsioris animi.

7 INSVPER Addit, etiam in rebus prosperis, amicorum presentiam esse iucundam. Quod dupliciter probat. PRIMO: quia non modo iucunda est absolute seu generatim presentia & convictus amici, sed etiam confert nimium in eius conservationem. Dicitur enim lib. 8. cap. 5. Amicitiam ex absentia tepescere, & demum frigheri, aut deleri. Vnde & illud Græcorum adagium: *τηλὸν φίλοι γαιότες ἢ ἐῖς ἐν φίλοι.* Amici, si procul absint, non sunt amici. Quod refert Athenæus lib. 4. Dipnosoph. Consentireque videtur Propertius lib. 3. Eleg. dum accinit: *Quantum oculis animo tam procul ibit amor.* Nimirum, ut Consulti aiunt, *omnis res, per quas causas nascitur per easdem dissolvitur.* Atqui amor nascitur ex oculorum aspectu: ut fuse supra probatum est hoc ipso libro cap. 5. vbi plura de hoc videri possunt. Ergo & amor dissolvitur, aut paulatim tepescit, vbi cessat oculorum aspectus. Nihil itaque mirum, quod amicus amici presentiam amet, saltem ut Amicitiam conservet. Quamvis enim allegato cap. 5. libri octavi dictum sit, Amicitiam illam quæ dissolvitur per absentiam, esse voluptuosam & imperfectam dumtaxat; negari non potest, etiam illam, quæ honestate ducitur, paulatim languescere; præsertim si defectus presentia, litterarū seu epistolarum interventu non compensetur, live suppleatur.

8 CIRCA Tertiam partem præscribit monita quædam servanda in excipienda aut exhibenda presentia erga amicum, idque tam in fortuna prospera, quam adversa. Ac loquendo quidem de prosperitate, suadet, ut promptè alacriterque invitemus amicos, & acceriamus ad nos. Ratio est: quia omnis probus amicus debet amico suo etiam probo benefacere, illique oblectamentum querere. At invitando & accersendo illum in prospera fortuna ad se, ei bene facit, ipsique oblectamentum querit: ut potè ex conspectu mutuo & colloquio utriusque, in eum finem accommodato. Ergo omnis amicus probus debet amicum invitare, in prospera fortuna, & accersere ad se. Vnde & inferitur per locum à contrario, probum amicum in calamitate positum, non debere invitare,

seu accersere amicum, nisi lentè, & cunctanter; sive quasi invito, quoties advertit, ipsum valde condoliturum, & ingenti tristitia afficiendum. Ratio autè est contraria quoddammodo præcedenti. Nullus enim amicus probus vult amicum subire tristitiam ingentem, nisi necessitate adactus, & tunc morosè, cunctanterque. At qui in gravissima calamitate positus est, si amicum acceriat, infert ipsi aspectu suo miserabilè ingentem tristitiam. Ergo nullus amicus probus in gravissima calamitate positus, accersit amicum, nisi necessitate adactus, idque morosè & cunctanter. Idque præterea comprobatur ex illis verbis Orestis in gravissima calamitate positi apud Euripidem: *Αλὲς ἐγὼ δυστυχῶν.* Satis ego miser. Quibus expressit, se nolle amicos advocare, ne eos faceret participes sui doloris.

9 QVOD Si verò ingentes calamitates, quas interdum patimur, invenire presentaneum & certum remedium possint in amicis, absque magno illorum dolore, molestiaque; tunc suadet ut promptè ac facilè advocentur. Id autem ferè sic probat: Quia in qualibet deliberatione maius bonum præferendum est minori. Atqui molestiam seu laborem non magnè ferre pro solatio amici in ingenti calamitate positi, est maius bonum, quam illam non perferre. Ergo ferenda est molestia seu labor non magnus, pro solatio amici in ingenti calamitate positi. Igitur & hic potest facilè promptèque advocare amicum in sui opem solatiumque, ut illud maius bonum præstet, relicto minori bono. Id enim consilium, & est ad optimum amici bonum, & non infert ipsi onus grave.

10 DENIQUE Triplex monitum tradit ijs, qui ad amicos veniunt in utraque fortuna. PRIMVM est, ut ad amicum in calamitate constitutum promptè veniant, etiam si non vocentur. Probat facile. Quilibet amicus debet erga alium præstare id quod melius, & ipsi iucundius est. At venire promptè atque vltro ad amicum in calamitate constitutum, aut consolandum, aut qualitercumque adiuvandū, melius est, ipsique iucundius, quam vocatū, aut rogatū venire. Ergo quilibet amicus debet venire promptè atque vltro ad amicum in calamitate constitutum, aut consolandum, aut qualitercumque adiuvandū, potius quam vocatus, aut ab eo rogatus. Cuius ratio veluti à priori est, quod beneficium, quod magis spontaneum, eo magis gratiosum sit: ac proinde in maiorem splendorem dantis, & gratiam accipientis. Si enim petijt illud, si rogavit, non tam donum accepisse videtur, quam emisit precibus suis.

11 SECUNDVM Est circa amicum in prospera ac leniter blandiente fortuna po-

fitum: quem duplici ex fine convenire possumus, altero ad *συνεργειαν*, id est, ad cooperandum ipsi in felicitate, vel adiuuandam eius honestam actionem: altero ad *συμπραξιν*, nimirum, ad recipiendum aliquod ex ea abundantia beneficium. Priori consideratione; adire oportet, seu convenire amicum, prompto atque hilari animo: quoniam id honestissimum est. Posteriori autem sensu, faciendum est id morose & verecunde: quoniam non satis honestum est eo modo beneficium obtinere: & quandoque timeri poterit, ne id amico, quamvis felici, molestum sit. Pudoris enim honestas videtur potius exigere, ut beneficia sponte ab amico collata aut recusentur, aut lente recipiantur,

quam ut non oblata petantur.

12 TERTIVM Monitum est, ut quando amicus felix beneficia offert urgendo, instando, & veluti ea effundendo in sinum nostrum, non simus morosi ad ea recipienda: quia forte incurreremus notam acerbitatis, aut rusticitatis. Neque enim omnis donorum recusatio laudi est, aut semper modestiæ tribuitur; sed quandoque etiam duritiæ, & inuavi animo. Concludit itaque caput, & identidem docet, in omni fortuna, tum prospera, tum & adversa, præsentiam amici exoptabilem ac iucundam esse.

VIDE D. Thomam 1. 2. q. 4. art. 8. & illius Interpretes.

CAPVT DVODECIMVM.

De præcipuo munere amicorum, bonorum, & malorum.



TESTNE, ut adamantibus amabilissimum est ipse aspectus, magisque hunc sensum, quam cæteros expetunt, propterea quod per hunc maximè est, atque oritur amor: sic & amicis maximè expetibile conversari, simulque vivere? Amicitia nanque communicatio est. Et ut ad se ipsum quisque, sic sese habet & ad amicum. Sensus autem cuique de se ipso est expetibilis, igitur & de amico. At operatio ipsis in simul vivendo fit. Quare non immeritò vivere simul affectant. Atque quod tandem est singulis esse, vel gratia cuius vivere expetunt, in eo cum amicis versari, degereque volunt. Quocirca alij comptant, alij talorum ludo simul incubunt, alij simul sese exercent, & vnà venantur, aut philosophantur, singuli totos dies id simul agentes, quod maximè amant. Vivere enim simul cum amicis volentes, hæc faciunt, & ea cum ijs communicant, quibus cum vna vivere expetunt, quæ maximè ipsos in vita delectant. Fit igitur amicitia quidem improborum flagitiosa. Communicant enim prava, suntque instabiles, & peiores etiam fiunt moribus, similes evadentes. Proborum autem proba, congressionibus suscipiens incrementa. Videntur etiam tales & præstabiliores evadere, tam agendo, quam se mutuò emendando. Eliciunt enim ex sese mutuò ea, quæ placent. Unde illud dicitur rectè:

Disces ex studiosis nimirum optima semper.

Sed hæctenus de amicitia. Deinceps de voluptate dicamus.

SVM;

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS DVODECIMI.

Nihil optabilius aut iucundius esse amicorum convictu, si probi sint. Si autem improbi sint, convictum illorum detestabilem ac pessimum esse.



POSTQVAM Capite superiori constitutum est, amico in quolibet fortuna posito iucundum esse conspectum amici, nunc coherenter dillerit de praecipuo amicorum munere, quod fitum est in convictu, & frequentia utriusque. Dividit vero caput in tres partes. In prima quaerit, an cum amico convivere, ipsumque praesentem habere, sit omnium maxime optabile, & iucundissimum. In secunda statuit, nihil optabilius esse convictu amicorum. In tertia denique docet, Amicitiam improborum hominum ex convictu pessimam existere.

2 **CIRCA** Primam partem quaerit an praesentia amici sit maxime optabilis: idque vestigare incipit per comparationem ab amatoribus, quorum mutuo amori, Amicitia similis quoddammodo est. Experimento enim patet, eos qui se invicem & ardenter amant, nihil habere optabilius, aut iucundius, quam ut mutuo se aspiciant; & hunc oculorum sensum longe caeteris praepone. Quippe ex dictis c. 5. huius libri (vnde huc plura advocari possunt ad commentarium locupletandum) satis constat, amorem, de quo loquimur, ab aspectu oculorum initium ducere. Ideoque vulgata illa vox Veterum est, praesertim Aristotelis & Plutarchi, *ἐκ τῆς ὀφθαλμοῦ γίνεται τὸ ἐρᾶν, ex aspectu gignitur amor.* Vnde & infertur, amorem longe magis in oculis, quam in alio sensu habere sedem: quia ex nullo alio aequè initium, sive originem ducit. Quaerit itaque Arist. an etiam in Amicitia idem existimandum sit, ut nihil magis appetant amici, quam mutuum aspectum, seu convictum.

3 **CIRCA** Secundam partem respondet quaestioni, & pronunciat, nihil amicis optabilius aut iucundius esse convictu. Quod triplici ratione probat. **PRIMA** est. Omnis praecipua vis Amicitiae posita est in communicatione: ut lib. 8. cap. traditum est. Ergo communicatio in Amicitia est maxime optabilis & iucunda. At communicatio fit medio convictu ut patet. Convictus ergo in Amicitia maxime optabilis & iucundus est. **SECUNDA** Cum amicus sit alter ego, ita quis animatus est erga amicum, ac erga seipsum. At quilibet ita animatus est erga seipsum, ut sibi maxime

optabile & iucundum sit quod sentiat se vivere. Ergo & erga amicum sic animatus est, ut maxime optabile & iucundum sit, quod sentiat ipsum vivere. Sentit vero amicum vivere medio convictu. Ergo hic maxime optabilis & iucundus est. Haec ratio illustrari etiam potest ex dictis supra cap. 9 praecipue circa tertiam partem capitis. **TERCIA.** Plerique hominum ita ducuntur amore quorundam studiorum, exercitationumque, ut in ijs vitam expendant, & annos infumant. Ideo & socios quaerunt, alij ut cum ijs telera aut alea ludant, alij ut comparent, alij ut venent, alij ut exercentur in gymasio. Omnes itaque ij amant convictum, in quo non possent ijs studijs vitam impendere, & eiusdem consuetudinis amore qualemcumque illam Amicitiam mutuo ineunt. Convictus ergo in Amicitia optabilis & iucundissimus est.

4 **CIRCA** Tertiam partem docet, Amicitiam improborum hominum ex ipso convictu pessimam esse: quoniam perveritas morum ex convictu incrementa capit, & deterior quotidie fit. Non enim in vno eodemque malitiae gradu consistit: sed ipsa communicatione flagitiosarum actionum assidua suscipit incrementa. Contra vero bonorum amicorum probitas ex convictu augetur: quia cum ij mutuo communicent in honestis actionibus mediante convictu & familiaritate frequenti, necessum est, ut amborum honestas & vitae integritas subeat incrementum. In cuius confirmationem affert vulgatam eo tempore proverbium ex Poeta Theognide: *εὐθλίῳ μὲν γὰρ ἀπὲρ ἰσθλῆ, à bonis quidem bona.* Quae verba etiam à Platone in *Menone* allegantur. Vnde & supra hoc ipso libro monitum quoddam Veterum adduximus, ut parentes non modo carent filios suos avertere à convictu improborum, sed etiam assuefaciant societati & consuetudini proborum, ut exinde Virtutes addiscant, & earum incrementa faciant. Porro quam perniciosa sit improborum societas, quamvis multi dixerint, nemo melius expressit, quam Iuvenalis, dum accinit:

*— — — dedit haec contagio labem,
Et dabit in plures, sicut grex totus in agris
Unius scabie cadit, & porrigine porci,
Vnaque conspecta livorem ducit ab una,*



LIBER DECIMVS ETHICORVM ARISTOTELIS:

AD ILLUSTRISSIMUM ET SAPIENTISSIMUM
D. D. FRANCISCVM RAMOS DEL MANZANO,
SUMMORVM SENATVVM IVSTITIÆ AC REGII CV-
BICVLI CONSILIARVM, CATHOLICI REGIS CAROLI II. MAGISTRVM,
QVONDAM SALMANTICENSIS ACADEMIÆ ORACVLM,
CÆSAREIQVE IVRIS ANTECESSOREM.
PRIMARIVM, &c.

SVMMA LIBRI.



INSTAR Architecti peritissimi se gessit Ari-
stoteles in pulcherrima Philosophiæ Moralis,
seu Ethicæ structura, cui iamiam extremam
manum imponit. Primò enim, vt & Archi-
tectis mos est, concepit Ideam, seu exemplar
totius Operis, veluti cuiusdam ædificij ad
præscriptum artis. Deinde paravit ac dispo-
suit, quasi per partes, omnia illa, quæ necessa-
ria novit ad structuram exequendam & perficiendam. Quare initio
figurativè, vt ipse loquitur, seu lineamentis quibusdam adumbravit
extremum humanæ vitæ finem, qui est Felicitas hominis. Deinde
progressu Operis disseruit vberriè de ijs subsidijs, sive instrumentis,
quæ in eam consequendam plurimùm momenti afferunt: nimirum,
de Virtutibus, tum intellectualibus, tum & moralibus. Insuper &
quosdam alios habitus, seu affectiones exposuit, magnam cum Virtu-
tibus cognationem habentes, ac præsertim Amicitiam, sine cuius
præsidio existimavit, neminem felicem esse posse. Nunc denique ip-
sam formam Felicitatis, præsertim in contemplatione positæ, luculen-
ter tradit. Prius verò disserit de Voluptate, quòd eius penitior noti-
tia plurimùm conferat ad exactam Felicitatis cognitionem.

CA-

CAPVT PRIMVM.

DE VOLVPTATE.

ARIST. Μετὰ τὴν ταῦτα,



OST Hæc sequitur forsitan vt de voluptate dicamus. Maximè namque voluptas nostro generi familiaris est. Quapropter erudiunt iuvenes, gubernantes ipsos voluptate, atque dolore. Videtur autem ad consequendam moris virtutem maximum esse, gaudere ijs, quibus oportet, & odisse ea, quæ oportet. Comitantur enim hæc tota in vita, momentum, & vim ad virtutem habentia, felicemque vitam. Nam eligunt quidem ea, quæ voluptate afficiunt, fugiunt autem, quæ dolore. Talia verò minimè prætermittenda sunt, præsertim cum magna de ipsis sit controversia. Quidam enim summum bonum voluptatem esse dicunt. Quidam contra, vehementer pravum: partim forsitan & credentes sic esse, partim putantes ad vitam nostram melius esse, voluptatem ostendere pravam esse, etsi talis non est. Plerique enim propensiores sunt ad ipsam, & voluptatibus inserviunt. Quamobrem ad contrarium ipsos ducere oportere dicunt: sic enim ad ipsum medium tandem perveniunt. Fortasse autem hoc non bene dicitur. Sermones enim, qui de affectibus fiunt, & actibus, minùs creduntur, quàm opera. Cum igitur ab his discrepant, quæ sensu percipiuntur, tum sprete veritatem etiam ipsam interimunt. Qui namque voluptatem vituperat, is, si eam visus nonnunquam fuerit affectare, ad ipsam inclinari videtur, vt talem omnem. Distinguere namque, non est ipsius multitudinis imperitæ. Sermones igitur veri, non solum ad sciendum, sed ad vivendum etiam, peritiles sunt: creduntur enim, cum sunt operibus consentanei. Quapropter hortantur eos, qui ipsos intelligunt, ad ita vivendum, vt ipsi definiunt. Sed de his hæcenus. Nunc ea, quæ de voluptate dicta sunt, referamus.

SVM.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS PRIMI.

*Dissertationem de Voluptate propriam esse Philosophi Moralis, idque multiplici ex causa.
Reprehensio illorum Philosophorum, qui omnem voluptatem afferebant esse
turpem, cum tamen factis & rebus ipsis nullam non am-
plecterentur. Vbi nonnulla circa veritatem do-
ctrina à Philosophis observanda.*



DIVIDITVR Caput hoc in tres partes, quibus totidem continentur rationes ad probandum, e re Philosophi Moralis esse, ut de Voluptate differat. Neque enim quidquam aliud asserit, probatvè Aristoteles in præsentiarum: quamvis obiter moneat, qualiter Philosophi se gerere debeant in tradenda vera doctrina.

2 **PRIMA** Ratio est. Ad Philosophum Moralem spectat vestigare id, quod est valde familiare toti generi humano, & opportunum maximè iuventuti erudiendæ. At eiusmodi est voluptas. Omnes enim voluptatem querunt, in eaque potissimum assequenda operam suam collocant: dein & iuvenes ipsius consideratione extimulantur ad disciplinam, exercitiumque Virtutum, sicuti & experimento dolorum: ideoque in prosperis & adversis erudiantur à pedagogis & parentibus. Igitur ad Philosophum Moralem spectat vestigare, seu considerationem instituere de Voluptate.

3 **SECUNDA** Ratio. Moralis Philosophi maximè est agere de ijs, quæ plurimum conferunt ad exercitia Virtutum. Talis autem est voluptas, sicut & dolor ipsi contrarius. Exercitia nanque, sive operationes Virtutum, propter voluptatem decentem, aut metu doloris, queri solent: quæ duo sunt materia circa quam versantur Virtutes & vitia. Moralis igitur Philosophi est agere de voluptate, sicuti & de dolore contrario.

4 **TERTIA.** Ad vitam, Virtutem, & felicitatem humanam, spectat cognoscere, tum ea de quibus oportet voluptatem habere, tum ea quæ expedit odisse: quoniam totum pene hominis bonum in quarundam rerum amore, & aliarum odio versatur. Hoc autem difficillimum vestigatu est: tum propter ingentè difficultatem discernendi inter bonum & malum: tum ob differentiam voluptatum penes solidas & apparentes, honestas & turpes: tum denique propter cruentum opinionum dissidium inter Philosophos, quorum aliqui voluptatè aiunt esse summum bonum; alij contra malum aliquid: sive quod ita sibi persuasum habeant, sive quod sic existimari oporteat ad vitam hominis rectè instituendam, quamvis in re voluptas prava non sit. Cum igitur Morali Philosopho curæ sint ea, quæ ad vitam, Virtutem, & felicitatem spectant, ac de quibus oporteat gaudere,

quæ nam autem odisse, consequens est, ut & ipsius sit agere de dolore ac voluptate.

5 **MONET** Verò, quosdam ex ijs Philosophis, qui docuerunt voluptatem esse pravam, nihilominus ita voluptatem omnem amasse & secutos fuisse, ac si bonam arbitrarentur. Id verò fortasse ortum ex eo, quod iudicarent maximè conveniens, ut opinio docens voluptates esse pravas, celebris & plausibilis in populo fieret, quamvis eorum iudicio & praxi non esset vera. Quippe cum plerique hominum amore voluptatum rapiantur, indeque in vitia præcipites ruant, oportet ut ijs persuasum sit, voluptatibus nihil inesse boni, sed mali, & periculi plurimum, quò ab ijs deterreantur. Hanc verò illorum pseudo-philosophiam, seu hypocrisim, redarguit Aristoteles, quòd in consequenter procederent: aliud enim factis, aliud verbo docebant: factis quidem suis, voluptates esse bonas, utpote quas ardentè prosequerentur: verbo autem pravas, & periculis plenas. Hæc autem inconsequentia doctrinæ est, & fini ipsorum repugnans. Homines enim ceteri plus fidei adhibent operibus, quam verbis; magisque ducuntur vitu factorum, quam auditu sermonum. Neque enim est multitudinis imperitiæ discernere inter verba & opera Philosophorum circa mores humanos: ideoque delperata videbatur veritatis causa, si expectaretur à plebe discretio inter illorum doctrinam & vitam; ac iuxta priorem quidem, voluptatum odium; si ex posteriori hauriebatur ipsarum amor. Quare potius distinguere debuerunt inter voluptates: tum ob bonam sui nominis estimationem, tum ob veritatem doctrinæ. Cum enim multi illorum voluptatem illam sectarentur, quæ ex notitia Geometriæ, Astronomiæ, aliarumque eiusmodi disciplinarum oritur, & in quibus nihil vituperabile est, profecto tegebantur illam scripto ac verbo discernere; ab ijs saltem voluptatibus, quæ turpes sunt, & rationi manifestè contradicunt. Sic enim & veritatis, & plebis imperitiæ causam agerent; nullamque ansam ministrarent, ut vel omnes voluptates pravæ existimarentur iuxta illorum doctrinam, vel bonæ iuxta vitam.

6 **QVA** Doctrina videtur refellere opinionem Platonis lib. 3. de Legibus existimantis, mendacium quidem turpe ac fugiendum esse: sed tamen Magistratibus ob publicas causas posse permitti. Verba Platonis loco allegato non longè post initiu libri hæc sunt:

Si rectè paulò antè dicebamus, Deo inutile esse mendacium omne, hominibus tamen nonnunquam est utile, & quasi pro medicamento. Quare publicis medicis concedendum est: privati autem hominibus minimè attingendum. Itaque Rempublicam administrantibus præcipuè, si quibus alijs, mentiri licet, vel hostium, vel civium causa, ad communem civitatis utilitatem: reliquis autem à mendacio abstinendum est. Hæc ille. Eadem verò ratio de Philosophis publicè docentibus videtur esse ex mente Platonis, ubi viderint expedire mendacium aliquod ad iuventutem bonis moribus imbueda. Arist. verò hoc loco videtur ipsi cõtradice re, dũ rejicit Philosophos illos, qui causa utilitatis publicæ mentiendum arbitrabantur: nam tradebant populo, omnes voluptates esse pravas (cũ tamen id falsum esse cognoscerent) ne populares homines voluptatum desiderio in illicitũ raperentur, qui certè finis bonus erat. Et quidem in eo Arist. consequenter ac verè loquitur. Consequenter: quoniam supra lib. 4. cap. 7. dixerat: καὶ αὐτὸ δὲ τὸ μὲν ψεύδος, φῶλον καὶ ψεκτόν. Per se autem mendacium quidem improbum est, & vituperatione dignum. Et lib. I. Elench. loquens de Philosophis inquit: *Est in unoquoque opus sapientis,*

non mentiri de quibus novit, & mentientes alios manifestare. Verè autem: quoniam certa explorataque sententia est, mendacium natura sua malum esse, & ex fine nullius utilitatis; etiam publicæ, aut avertendæ calamitatis, licere. Legèdus de hoc præ alijs clarissimus Theologorum dux D. Augustinus libro integro cõtra mendacium, ubi gravissimis sententijs, & argumentis ineluctabilibus adversus mendacium invehitur, tanquam omnino turpe sit, & rectæ rationi repugnans. Legendi quoque in eam gratiam S. P. N. Gregorius Magnus lib. 18. Moral. D. Thom. 2. 2. q. 110. Quare rejicienda est ut absurda & perniciofa sententia illa Histaspis, qui postea fuit Persarum Rex, apud Herodotum lib. 3. dicentis: *Vbi expedit mendacium dicere, dicatur. Nam idem optamus & qui mendacium dicimus, & qui veritatem. Quippe qui mentiuntur, tunc metiuntur, cum tali mendacio lucri quippiam facturi sunt: & qui verum dicunt, ideo dicunt, ut aliquod lucrum consequantur.*

VIDE D. Thomam 1. 2. quest. 34. que est de bonitate & malitia delectationum, & illius Interpretes, præter plura alia loca S. Doctoris, ubi doctrina huius capituli locum habet.

CAPVT SECVNDVM.

OPINIO EVDOXI DE VOLVPTATE.



EVDOXVS Itaque voluptatem ex eo summum bonum esse putabat, quia cernebat, vniversa ipsam affectare, & quæ rationem habent, & quæ expertia sunt eiusdem. Atque in cunctis quod est expertibile, bonum esse: & quod maximè est expertibile, optimum esse. Vniversa vero ad idẽ ferri declarat, omnibus illud optimum esse. Quod igitur vniversis est bonum, quodque cuncta affectant, id esse summum bonum aiebat. Huius autem viri rationes ob moris magis virtutem, quàm propter se ipsas credebantur: valde enim videbatur esse modestus. Non igitur ut voluptatis amicus hæc dicere videbatur, sed quia verè res ita se habet. Non minùs autem hoc manifestum esse censebat, & ex contrario. Dolorem enim etiam dicebat fingendum per se omnibus esse: itaque contrarium expertibile esse si-

mi-

mili modo. Maximè autem id expetibile esse, quod non ob aliud, neque cuiusquam expetimus gratia. Atque tale ipsam esse sine controversia voluptatem. Neminem enim interrogas, cuiusnam gratia capiat voluptatem, propterea quòd per se ipsam expetibilis est ipsa voluptas. Facereque ipsam quodvis bonum expetibile magis, si illi addatur, ut iustas operationes, temperatasve, & incrementa suscipere bonum ipsum se ipso. Videtur autem hæc ratio voluptatem ostendere bonum esse, & non magis, quàm aliud bonum. Omne enim bonum expetibilius est cum alio bono, quàm solum. Tali itaque ratione & Plato tollit voluptatem summum esse bonum. Vita enim cum prudentia dicit expetibiliorem esse, quàm si sit sola. Quòd si mistum est præstabilius, voluptatem summum bonum non esse: nullo enim addito summum bonum se expetibilius fieri. Constat autem, neque aliud quicquam summum esse bonum, quod cum eorum aliquo, quæ sunt per se bona, expetibilius sit. Quid igitur est tale, cuius & nos participes sumus? nam tale quæritur bonum. Qui verò negant bonum id esse, quod omnia appetunt, ij nihil omnino dicunt. Quod enim vniversis videtur, id esse dicimus. Qui autem fidem hanc tollit, non valde credibilia dicet. Nam si ea solum, quæ mente carent, ipsam appetent, esset aliquid quod dicitur. Sin verò & ea, quæ prudentiam habent, ipsam affectant, qui fit ut aliquid dicant? Fortasse esse autem & in pravis est aliquod naturale bonum præstabilius, quàm ipsa per se sunt, quod proprium appetit bonum. Non videtur etiam & de contrario rectè dici. Inquiunt enim, non si dolor sit malum, voluptatem continuo bonum esse. Adversatur enim & malum malo, & ambo ei, quod neutrum est. Atque hæc non malè dicunt: non tamen verè in ijs, quæ sunt dicta. Si enim ambo essent mala oporteret & fugienda vtraque esse. Sin neutra, neutrum, aut similiter. Nunc verò illum quidem fugere ut malum, hanc autem expetere tãquam bonum videtur. Sic igitur & opponuntur.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SECVNDI.

Eudoxi opinio, & multiplex ratio pro Voluptate, quasi in ea sit posita Felicitas hominis. Aliorum quoque opinio contraria, & illius argumenta. Ostenditur, ea parum aut nihil roboris habere contra Eudoxum.



IMPENDITVR Caput hoc in referenda opinione Eudoxi, & rationibus illorum, qui arbitrabantur Felicitatem, sive bonum hominis summum, in voluptate consistere. Dividi-

tur verò in duas partes. In prima exhibetur opinio Eudoxi, & quatuor illius rationes, quibus probabat sententiam suam. In secunda afferuntur e contra rationes aliorum contra Eudoxum, præsertim verò Platonis, & illarum confutatio, quòd non satis occurrant argumentis Eudoxi. CIR-

2 CIRCA Primam partem notandū est, Eudoxum fuisse Gnidium Philosophum, auditorem Archita, insignem Mathematicū, alijque disciplinis excultum, ac Virtutibus præditum. De quo Cicero lib. 2. de Finibus testatur, tam magnos in Astrologia progressus fecisse, ut eius rationibus, seu argumentis, ne ipsi quidem satisfacere possent Chaldæi: præsertim ubi eos impugnabat circa revolutiones nativitatū, & prædictiones futurorum contingentium ex natalitijs astris. De quo nos plura disserimus tom. 1. Theologiæ Florulentæ Ludo 6. per totum. Hic ergo, teste Aristot. in præsentī, & Laetio, Felicitatem hominis in voluptate collocavit, quasi ea esset summū hominis bonum. Quatuor verò potissimum argumentis nitēbatur, ut suaderet summum bonum, sive Felicitatem hominis, in voluptate sitam esse. PRIMVM est huiusmodi. Illud, quod omnia appetunt, tam ratione vrentia, quam irrationabilia, est summum bonum. At voluptatem omnia appetunt, tam ratione vrentia, quam irrationabilia. Voluptas ergo summum bonum est. SECVNDVM. Id omnibus expetibile est, ac proinde bonum summum, cuius oppositum omnes fugiunt. At dolorem voluptati oppositum omnes fugiunt. Voluptas igitur omnibus expetibilis est, ac propterea summum bonum. TERTIVM. Id quod propter se ab omnibus queritur, & non propter aliud bonum, profectō est bonum vltimum ac summū. At voluptas propter se ab omnibus queritur, & nō propter aliud bonum. Ineptē enim rogaretur aliquis cur querat voluptatem, cū manifestū sit, ipsius voluptatis intuitu voluptatem queri. Ergo voluptas est bonum vltimū & summum. QVARTVM. Id quod additum bono facit illud magis expetibile, est summū bonum. At voluptas addita cuilibet bono facit illud magis expetibile. Voluptas ergo summum bonum est.

3 MONET Aristoteles, Eudoxi rationes præiactas in pretio fuisse multis, non tam ob ipsarū efficaciam, quam propter virtutē & bonā existimationē Eudoxi. Ipse enim valde modestus videbatur: ideoque non illecebrarū ductus amore, sed veritatis, ut sibi apparebat, pro voluptate decertavit, illamq; ad summi boni fastigiū extulit. Præterea & addit, quartū eius argumentum nullius esse efficaciam: quia quod voluptas addita bono facit illud magis bonū, solum probat; voluptatē inter bona ceteri debere; nō tamen pertingere ad culmē summi boni. Omne enim bonū simul cū alio bono expetibilius est, quam seorsim sumptum, quāvis bonum illud associatum non sit summum. Ergo quamvis ratio illa probet voluptatem bonam esse, non tamen summē bonam.

4 CIRCA Secundam partem asserti aliorum sententiam contrariā, ac primō Pla-

tonis, qui vltimum Eudoxi argumentum, nuper ab Arist. impugnatum, aliter rejiciebat, immō & retorquebat hoc fere pacto: Id quod expetibilius sit ex societate alterius boni superadditi, non est summum bonum: quia hoc debet esse summē perfectum, ac proinde incapax additionis. At omnis voluptas expetibilior sit ex societate alterius boni superadditi, v.g. ex societate adiuncta Prudentia, aut Iustitia. Ergo nulla voluptas est summum bonum. Hanc verò Platonis impugnationem, veluti nimiam probantem rejicit Arist. Probat enim non modō voluptati, sed nec alteri cuiquamque ex rebus humanis, competere posse rationem summi boni: quia nihil omnino in ijs est, quod additione alterius boni non reddatur magis bonum, quam seorsim ab illo. Ergo si hanc ob causam excluditur voluptas à ratione summi boni, excludi etiam debet omnis res humana, sive homini potens convenire, aut esse intra hominem. Ergo homini repugabit habere aliquid intra se, quod sit summum bonum. Quare inutilis erit controversia apud omnes celebris, qua queritur, quidnam in homine, seu intra res humanas, habeat rationem summi boni. Si autem recursus fiat ad aliud summum bonum à nobis separatum, quale idem Plato allegatus lib. 1. huius Operis posuit, non est ad propositum huius disputationis: in quo non agimus de summo bono simpliciter, quod nullius boni accessione melius redditur. Id enim esse constat solum Deum, summē atque infinitē bonum à quo bona omnia procedunt, & in quo longe perfectius continentur, quam in seipsis. Disserimus itaque nunc de bono illo, quod dicitur summum intra genus boni humani, seu adquisibilis ab homine intra seipsum. Et hoc certē debet esse limitatum, ac proinde tale ut additionem subeat bonitatis ex consortio alterius boni; quamvis ex se vitam sufficientem, optabilem, & nullius alterius boni indigam præstet. Hoc enim postremum satis est ad rationem summi boni, non quidem simpliciter, sed solum in determinato genere boni humani.

5 ALITER Quoque quidam alij ex Philosophis opiūionem Eudoxi labefactare conabantur, præsertim impugnando primam eius rationem, supra indicatam, procedentemque ex eo quod omnia, tam rationabilia, quam irrationabilia appetant voluptatem, ac proinde hæc sit summum bonum. Arguebant namque ex eiusmodi appetitione ne quidē probari voluptatem esse bonam: quoniam appetitus sæpe fertur in id, quod nec summū bonum, immō nec bonum quidem est. Ergo ex eo quod omnia voluptatem appetant, non probatur illius summa bonitas, immō nec bonitas quidem. Verū hanc obiectionē redarguit Arist.

Quia

Quia esto ratio illa non convinceret, si procederet de solo brutorum appetitu; convincit planè eo ipso quòd procedat de omnibus, quæ sensu, aut etiam ratione utuntur. Impossibile autem est, ut id, quod ea omnia appetuat, non sit bonum. Neque enim omnia rationabilia, & prudentiæ lumine prædita, conspirare in appetendo aliquid, nisi id prudenter appetatur, proindeque bonum sit. DEINDE, id ad quod homo fertur instinctu naturæ suæ, nequit non esse bonum. Fertur autem instinctu naturæ suæ in id quod naturaliter appetit. Ergo si naturaliter voluptatem appetit, voluptas requirit non esse aliquid bonum. DENIQUE, adhuc in pravis hominibus ratio illa convincit: nam & in ijs est naturale bonum rationis & mentis, quod non fertur sponte sua, nisi in id quod bonum est. Cui doctrinæ consonare videtur sententia illa Augustini lib. de Spiritu & litt. cap. 28. *Imaginem Dei non ita detritam esse post peccatum, terrenorum affectuum labe, ut nulla veluti lineamenta extrema remanserint, etiam in idololatriis, unde aliqua legis facere, vel sapere, meritò dici possint.* Ac præterea de eisdem loquens: *ipsi homines erant, & vis illa naturæ merat eis, quæ legitimam aliquid anime rationalis & sentit & facit.* Quibus planè tradit, imperum illum, seu inclinationem naturæ ad bonum, inesse omnibus hominibus, etiam pravis. Ratio ergo illa Eudoxi saltem probat voluptatem esse quid bonum, ex eo quòd ab omnibus appetatur.

6 DENIQUE Alij reiciebant secundum illud argumentum Eudoxi probantis, voluptatem esse bonam per se, quia dolor ipsi oppositus est malus per se. Dicebant enim, optimè componi quod aliquid fugien-

dum sit ut malum, & tamen non ideo contrarium ipsius sit prosequendum ut bonum: siquidem malum non modo opponitur bono, sed etiam alteri malo: ut prodigalitas non solum opponitur liberalitati, quæ bona est, sed ulterius avaritiæ habenti rationem mali. Quo ipso supponebant, voluptatem & dolorem opponi quidem, non tamen immediate, seu absque medio aliquo; sed veluti contraria extrema, inter quæ esset medium vacuitas doloris, seu indolentia: sicut prodigalitas & avaritia opponuntur quidem, sed veluti extrema contraria, inter quæ liberalitas habet rationem mediæ; & veluti color albus & niger, inter quos sunt alij intermedij colores, ut fuscus, & viridis. Non ergo ex eo quòd dolor voluptati contrarius sit malus, colligitur rectè voluptatem esse bonam. Sed tamen hæc evasionem præcludit Arist. quasi importunâ. Licet enim malum non solum opponatur bono, sed & alteri malo, ut probat instantia adducta in vitijs extremè oppositis, & habentibus medium Virtutis interiectum; attamen doctrina hæc extra rem adducitur. Dolor enim non opponitur voluptati ut malum alteri malo, sed tanquam bono contrario. Ea enim quæ inter se opponuntur tanquam malum alteri malo, talis conditionis esse debent, ut ambo fugienda sint. At dolor & voluptas non ita se habent, ut ambo fugienda sint; sed potius ita, ut dolor quidem sit fugiendus, voluptas verò prosequenda, cum ab omnibus appetatur. Ergo dolor & voluptas non opponuntur tanquam malum alteri malo, sed tanquam malum & bonum. Patet igitur, rationibus Eudoxi non fieri satis ab ijs Philosophis, quidquid sit de veritate eius opinionis.

CAPVT TERTIVM.

Dicentium voluptatem non esse bonum, confutatio, etsi non omnis expetibilis sit.



TQVI neque si voluptas non est qualitas, propter hoc bonum non est. Neque enim operationes virtutis sunt qualitates, neque felicitas ipsa. Dicunt etiam bonum quidem ipsum definitum esse, voluptatem verò indefinitum, quia suscipit intentionem, remissione in ve. Si igitur ex eo, quia magis voluptas, minusve capitur, hoc iudicant, erit idem & circa iustitiam, cæterasque omnes virtutes, quibus manifestè dicunt magis, minusve tales eos esse, qui ipsas habent: nam magis sunt iusti,

iusti, forte sive. Et fit, ut & iuste agatur, ac temperate, magis, & minus. Sin in voluptatibus hoc inquiunt esse, videant ne fortasse non dicant causam, si voluptatum alia sunt non mixta, alia mixta. Quid autem prohibet, ut sanitas, quae definita magis est, atque minus, sic & voluptates esse? non enim eadem in cunctis est temperatio, nec una quaedam semper est in eodem. Sed cum remittitur, permanet usque ad aliquem terminum, & differt ex eo, quia magis est, atque minus. Tale igitur & in voluptate esse potest. Praeterea, summum quidem bonum perfectum esse, motiones autem, & generationes imperfectas esse ponentes, voluptatem motionem esse, generationemve ostendere enitentur. Sed non dicere bene videntur. Non est enim motus. Omni nanque motui propria est celeritas, tarditasve, etsi non per se ipsum, ut motui ipsius Mundi: at ad aliud. At neutrum horum competit voluptati. Fit enim ut aliquis cito sit constitutus in voluptate, quemadmodum & in ira: ut velociter autem delectetur, non fit, neque ad alium: sed fit ut velociter ambulet, & accrescat, & omnia id genus. Fit igitur ut celeriter, atque tarde quispiam ad voluptatem mutetur. At non fit ut hac ipsa celeriter operetur, id est delectetur. Generatio vero quonam fuerit modo? Et enim non ex quovis fieri quodvis, sed ex quo fit, in id dissolvi videtur. Et cuius generatio esset voluptas, eius esset corruptio dolor. Dicunt autem, dolorem quidem indigentiam eius esse, quod est secundum naturam, voluptatem vero repletionem. Hi autem effectus corporis sunt. Si igitur voluptas, repletio eius est, quod est secundum naturam, id & voluptate afficitur, in quo est repletio. Corpus ergo capit voluptatem. At non videtur. Non est ergo voluptas, repletio: sed dum fit repletio, voluptate quispiam afficitur: & dum secatur, dolet. Opinio autem haec ex doloribus circa alimentum, & voluptatibus orta est. Nam indigentes facti, & antea affecti dolore, repletionem capimus voluptatem. Sed hoc non circa omnes accidit voluptates: nam sine dolore sunt & ipsae mathematicae voluptates, & quae per olfactum, & auditum fiunt, ac visum, & species quam plures, item & recordationes voluptate afficiunt. Cuius igitur haec generationes erunt? nullius enim rei fuerunt indigentiae, cuius repletio fuerit. Ad eos autem, qui proferunt voluptates eas, quae sunt obscenae, ac improbae, dicere quispiam potest, ea, quae tales afferunt voluptates, non esse iucunda. Non enim si pravè dispositis sunt iucunda, putandum est & iucunda simpliciter esse, nisi illis. Quemadmodum neque salubria, aut dulcia, aut amara, quae aegrotantibus, aut alba, quae lippis videntur. Vel hoc modo dicatur, voluptates experibiles quidem esse, non

non tamen ab illis: quemadmodum & divitem esse, expetibile quidem est, at non ex patriæ prodicione: & sanum esse, at non quodcumque edendo. An voluptates differunt specie? Diversæ nanque sunt, quæ ab honestis rebus, & quæ à turpibus procedunt: & non fit ut quisquam iusti capiat voluptatem, si non sit iustus: aut musici, si non sit musicus: & in cæteris simili modo. Ostendere autem videtur & ipse amicus, cum sit ab adulate diversus, non esse voluptatem bonum, aut specie voluptates differre. Hic enim ad bonum, ille ad voluptatem congregitur. Et ille quidem vituperatur, hanc autem laudant, ut ad diversum congregientem. Nemo prætereà expetet ita vivere, ut mentem habens per vitam pueri, ijs ex rebus capiat voluptatem, quibus pueri maximè delectantur, ut putant: aut gaudere turpissimū quid faciendo nullum unquā suscepturus dolorē: & cō pluribus indulgeremus rebus, etiā si nullam voluptatē afferrent. Damus enim operā ut videamus, ut meminimus, ut sciamus, ut habeamus virtutes. Quod si necessariò hæc sequatur voluptas, nihil refert. Expeteremus enim hæc, etiā si nulla prorsus ab ipsis proventura esset voluptas. Voluptatē igitur neque summū bonū esse, neque expetibilem omnē, & voluptates nonnullas esse per se expetibiles, specie differentes, aut ea, à quibus proveniunt, perspicuum esse constat. Ea igitur, quæ de voluptate, doloreve dicuntur, satis sint dicta.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS TERTII.

Platoniorum varia argumenta adversus Eudoxi opinionem nihil deum esse. Aliorum rationes solum probare, non omnem voluptatem esse bonam, ac per se expetibilem. Itaque distinguendum esse inter varias species voluptatum.



DIVIDITUR Hoc caput in duas partes. In priore illarū Arist. exhibet quinque Platoniorum argumenta adversus opinionem Eudoxi, capite præcedenti relatam, eaque multipliciter rejicit ac solvit. In secunda aliorum rationes in eandem expendit, & concludit quid sentiendum sit de voluptate, utrum bona ac merito expetibilis sit, an potius mala & detestabilis.

2 CIRCA Primam partem affert opiniones Platoniorum, & momenta rationum, quibus probabant, voluptatem non esse bonū. PRIMAM ratio hæc erat. Omne bonum est qualitas: at voluptas non est qualitas: ergo neque bonum. Respondet Arist. hoc argumento nihil evinci. Negari enim posset illa maior, & dici, bonum non modò in qualitate consistere, sed etiam in rebus aliorum prædicamentorū. Nam & actiones Virtutis, & ipsa felicitas,

non sunt qualitates: & tamen ex omnium consensu bonæ sunt. Poterit igitur voluptas esse bona, quamvis non sit qualitas, aut dato quòd non esse qualitas. Sed quia videtur voluntariè dictum ab Arist. & minimè probatum, actiones Virtutis, & ipsam beatitudinem, non esse qualitates, oportet id explicare & tuadere. Itaque distinguendum est ex ipsius sensu, inter actionem Virtutis, beatitudinem, bonum, ac delectationem. Actio Virtutis, quæ & operatio dici solet, quandoque significat ipsam Virtutis procreationem, quæ motio est, & via ad perfectionem: quandoque verò accipitur pro functione, seu exercitatione Virtutis iam comparatæ & perfectæ. Prior illa est quoddammodo de genere actionis, tanquam motus ad terminum nondum acquisitum. Posterior verò est de genere qualitatis, tanquam actus entis iam perfecti. Similiter & beatitudo interdum accipitur pro adeptione, seu productione sui, quæ videtur esse motio quædam, & proin-

proinde spectare ad genus actionis: interdum pro ipso sine ultimo iam obtento, & sic spectat ad genus qualitatis. Rursus etiam bonum, aut accipitur prout est attributum commune entis, & sic non est aliquo genere: aut pro eo quod significat probitatem, seu honestatem, & dicitur bonum morale: quo sensu spectat ad genus qualitatis. Denique in delectatione pariter distinguere oportet: ut quædam sit ex genere actionis, quædam ex genere qualitatis. Prior est quædam procreatio delectationis perfectæ; posterior autem ipsa perfectæ & consummata delectatio. Ad rem igitur. Dum Arist. ait, actiones Virtutis, & ipsam beatitudinē, non esse de genere qualitatis, loquitur de ijs priori sensu, & quatenus sunt quædam motiones, seu procreations: non autem in posteriori. Cætera autem patent.

3 SECUNDA Ratio Platonicorum. Omne bonum est definitum. At voluptas non est quid definitum. Ergo neque bonum. Maior probatur autoritate Pythagoricorum, qui definitum statuebant ex parte bonorum, infinitum verò ex parte malorū. Minor suadetur. Quidquid suscipit magis & minus, seu intensiōem, & remissionem, non est definitum. At voluptas suscipit magis & minus, seu intensiōem & remissionem. Ergo voluptas non est quid definitum. Respondet huic argumento Arist. negando minorem præcipuam. Ad probationē illius, negata maiore, ait, voluptatem suscipere magis & minus, seu intendi, & remitti, dupliciter sumi posse. Primò in concreto, sive ex parte subiecti recipientis voluptatē. Secundò in abstracto, sive ex parte ipsius voluptatis. Priori sensu nihil interest quod voluptas recipiat magis & minus, seu intensiōem & remissionem, quominus bona sit. Nam & Iustitia, & cætera Virtutes, ea incrementa & decrementa subeunt ex parte subiecti; cum iusti quotidie fiant magis iusti, & fortes magis fortes: attamen Iustitia, Fortitudo, aliæque Virtutes evidenter bonæ sunt. Posteriori quoque sensu, nihil probant; præsertim dum non distinguunt inter voluptates puras, & mixtas, seu proprias & improprias. Posteriores enim suscipiunt magis & minus, ex maiori, aut minori admittione dolorum: non tamen ideo non sunt aliquid definitum. nam etiam sanitas definita est, & tamen suscipit magis, & minus, cum non omnibus æqualiter insit. Ergo & voluptates mixtæ, seu improprie, possunt esse quid definitum, dato quod in abstracto suscipiant magis, & minus. Priores autem voluptates, sive puræ, & proprie, si in abstracto non recipiunt magis & minus, evidentiùs definitæ erunt. Ergo si iuxta illam Pythagoricorum doctrinam omne bonum est definitum prout differt à malo, voluptates puræ, & definitæ in abstracto, habebunt utique

rationem boni. Patet igitur, argumento præiacto non excludi voluptates à ratione boni, sive suscipiant, sive non suscipiant magis & minus.

4 TERTIA Ratio eorundem, ad probandum præsertim, voluptati convenire non posse rationem summi boni. Summum bonum debet esse omnino perfectum, ut ex se patet. At voluptas non est perfecta omnino, sed potius imperfecta. Ergo non est summum bonum. Probatur minor. Omne quod consistit in motu, est imperfectum, quia tendit ad quærendum aliquid, quo caret: vnde & motus dicitur actus entis imperfecti. At voluptas consistit in motu: est enim motio quædam appetentis, & generatio quædam tendens ad constituendam naturam. Ergo voluptas est imperfecta. Respondet Aristoteles negando minorem præcipuam, & ad probationem illius similiter negat minorem: quia voluptas non est motus, nec generatio tendens ad constituendam naturam. Non est motus: Quia omni motui convenit esse tardum, aut velocem, ut latè ostenditur *lib. 7. Physic.* At voluptati non convenit esse tardam, aut velocem: neminem enim dicimus, nisi fortè improprie, voluptuari tardè, aut celeriter. Ergo voluptas non est motus. Sed neque generatio tendens ad constituendam naturam, idque ex duplici ratione. *Prima*: Quia omnis generatio est transiens ex termino à quo determinato, in terminum ad quem determinatum: non enim ex quolibet generatur quodlibet, sed ex certo termino, ut album ex nigro, vel alio colore ex intermedijs, ut traditur *1. Physic.* Insuper in generatione opus est dari corruptionem termini à quo, ubi producitur terminus ad quem. At voluptas non est transiens ex termino à quo determinato in terminum determinatum ad quem, nec simul cum illa datur corruptio. Non enim per voluptatem acquiritur aliquis terminus, neque inducitur corruptio aliqua. Ergo voluptas non est generatio. *Secunda ratio*. Si voluptas esset generatio, dolor ipsi oppositus esset corruptio: ac proinde quod generatur per voluptatem, corrumpere per dolorem: ita enim accidit in generationibus & corruptionibus. Atqui nihil apparet, quod generetur per voluptatem, & corrumpatur per dolorem: neuter enim eorum affectum inducere, aut destruerè dignoscitur aliquem terminum. Igitur nec voluptas est generatio, nec dolor corruptio.

5 QUARTA, Et affinis præcedenti. Omnis repletio naturæ indigentis est generatio. Omnis autem voluptas est repletio naturæ indigentis. adversatur enim dolori, qui est indigentia & defectio naturæ, ut patet in fame & siti. Ergo omnis voluptas est generatio.

At nulla generatio est quid perfectum, nec summum bonum. Igitur nulla voluptas est quid perfectum aut summum bonum. Respondet verò Arist. & simul redarguit hanc rationē sic: Omnis repletio suscipitur in corpore. At voluptas non recipitur in corpore. Voluptas igitur non est repletio. Maior patet: quia corporis proprium est repleri, sicut & deficere, seu defectionem subire. Minor autem probatur. Nam si voluptas propriè ac per se loquendo susciperetur in corpore, omne corpus esset capax recipiendi delectationem, seu voluptatem, cuius oppositum planè constat in rebus inanimatis, immò & in viventibus purè vegetabilibus, quæ corpore quidem constant, verum voluptatem recipere nequeunt. Ergo voluptas propriè ac per se loquendo non recipitur in corpore. Restat igitur ut voluptas propriè ac per se solum recipiatur in sensitivo, aut etiam rationali: quoniam ea tantum, quæ sensu, aut ratione prædita sunt, voluptatem, sive delectationem recipere possunt. Ergo de primo ad ultimum voluptas non est repletio, quanquam videatur coniuncta cum repletione, sicuti & corpus coniunctum est cum sensitivo, rationalique. Vnde nec voluptas erit propriè generatio: nec dolor erit defectio, quamvis adiunctam habeat defectionem.

6 MONET Autem Philosophus, rationem existimandi unum & idem cum generatione voluptatem, & cum defectione dolorem, esse sumptā ab Adversarijs ex observatione doloris, ac voluptatis circa alimentum. Quoties enim patimur defectionem cibi aut potus, patimur dolorem famis ac sitis: quoties autem replemur, experimur voluptatem. Vnde existimant, idem omnino esse dolorem ac defectionem, & voluptatem repletionemque. At reverà errarunt: quia esto circa alimentum præcedat dolor & sequatur voluptas, doloremque defectio comitetur, & repletio voluptatem; attamen id univèrsè loquendo falsum est. Plures enim sunt voluptates, & quidem propriæ, quas non præcedat dolor, vel defectio, nec sequatur, aut comitetur repletio: ut patet in ea voluptate, quæ ex disciplinis mathematicis capitur, & ex alijs scientijs speculativis. Quippe nulla defectio, aut dolor eam antecedit; nec repletio comitatur. Idemque est de ijs voluptatibus, quæ capiuntur visu, auditu, memoria, & spe. Igitur non est de ratione voluptatis, quatenus voluptas est, quòd repletio sit, aut repletionem comitetur; ideoque neque quòd sit generatio, aut generationem afferat. Si enim ita esset, omnis voluptas præsupponeret defectionem, & vel esset repletio aut generatio, vel afferret repletionem, aut generationem. Cuius oppositum planè evincitur prædictis instantijs.

7 QUINTA Platoniorum ratio. Si voluptas per se esset bonum, nulla voluptas esset prava. At manifestum est, voluptates aliquas, præsertim obscenas, esse pravas. Ergo voluptas non est bonum per se. Huic argumento triplicem solutionem adhibet Arist. Prima est, voluptates pravas, & obscenas, non esse voluptates propriè & verè, sed apparenter tantum, & in estimatione impiorum: sicut respectu ægrotantium & lipporum quædam sunt apparenter salubria, vel alba, quæ tamen verè non sunt. Quare locus est ut aliæ voluptates, scilicet, veræ & propriæ, sint bonæ, quamvis aliarum & purè apparentium conditio prava sit. Secunda solutio est, voluptatem per se quidem appetibilem esse, non tamen ex quocumque obiecto, aut quolibet medio, sed decenti, ac rationabili. Sic etiam ditari, videtur bonum, quatenus divitiæ deserviunt ad operationes Virtutis; non tamen ditari ex prodicione patriæ. Similiter valere, seu sanitatem accipere, inter bona censetur: non tamen per turpia opera, aut indecens medicinæ genus. Vnde illud insigne elogium S. Casimiri Poloniæ Regis: *Virginitatem, quam ab incunabulis servavit illæsam, sub extremo vitæ termino fortiter asseruit, dum gravi pressus infirmitate, mori potius, quàm castitatis iacturam ex medicorum consilio subire, constanter decrevit.* Similiter & haud vulgaris laus Michaelis Verini, castissimi adolescentis, in alio simili eventu, ijs versibus expressa à Bidhermanno:

*Verinus, puer innocens, Iberæ
Nuper gloria nobilis iuventa,
Cum letbo propior videret, omnes
Desperasse Marthænum catervas,
Aut porò superesse iam malignis
Vnam à Cypride febribus medelam:
Abscedant Veneres, Cupidinumque
Infames, ait, exulent cohortes:
Quæ, cum tot nocent bonis, mihi vni,
Si prodesset velim, malus videbor.*

Aliud quoque exemplum affert Aristoteles in delectatione cibi. Quamvis enim sanitas sit aliquid bonum, non tamen decet illam quolibet cibo quærere. Ideo subeuntibus morbum illum, quem Græci elephantiasin appellant, non licet in medicinam vii puerorum sanguine. Similiter nec experenda est humanarum carniarum comestio ad sanitatem recuperandam: sed dumtaxat concessarum. Voluptates igitur, quæ decentibus medijs, & ex rationabili obiecto capiuntur, bonæ sunt, quamvis aliæ oppositæ habeantur deformes. Tertia, & germanior solutio est, diversas esse species voluptatum. Aliæ namque sunt deformes, turpes, & rationi repugnantes: aliæ pulchræ, honestæ, & rationi conformes.

At

Atque huius posterioris speciei, seu potius generis sunt, quæ ex Virtutum ac disciplinarum exercitio procedunt. Quare voluptas communiter sumpta abstrahit ab eo, ut bona, aut mala determinatè sit, sicut abstrahit ab utraque ex prædictis speciebus.

3 CIRCA Secundam partem affert rationes, quibus alij ex Philosophis contra eandem Eudoxi opinionem probabant, voluptatem non esse bonis accensendam. *Prima* erat huiusmodi. Si voluptas esset aliquid per se bonum, aut omnino bonum, omnis vita voluptuosa iure ac merito experibilis esset. At consequens est falsum: ut patet in vita puerorum, quæ ideo experibilis iure non est, quoniam voluptuosa, seu impensa in puerilibus delectationibus. Ergo voluptas non est aliquid per se bonum, nec omnino bonum. *Secunda* ipsorum ratio, & præcedenti affinis. Si voluptas esset per se bona, ac proinde experibilis, merito voluptatem appetere ex quibuslibet rebus, etiam turpibus & obscænis. Hoc autem absurdum est: cum eiusmodi voluptas irrationabilis sit, & quæ nunquam merito appetatur, etiam ad fugiendos totius vitæ dolores. Voluptas igitur per se bona non est, proindeque nec experibilis. *Tertia*. Illud sine quo, seu independentè à quo, plura bona appetuntur, non est per se bonum, aut appetibile. At voluptas est talis conditionis, ut sine illa, aut independentè ab illa, plura bona appetantur. Ergo voluptas non est per se bona aut appetibilis. Probat minor: Sæpe enim appetimus bonum quod est

in videndo, sciendo, & operando secundum Virtutem, independentè à voluptate inde secutura, aut quamvis secutura non sit.

9 CONCLVDIT Philosophus, & breviter indicat quid sentiendum sit, quidque respondendum ijs tribus argumentis, iuxta doctrinam prius ab ipso traditam. Nimirum, ijs rationibus, ac nonnullis præcedentium, probari quidem voluptatem præcisè sumptam, seu communiter dictam, non esse idem ac bonum, sed indifferentem ad bonam & malam: præterea neque omnem voluptatem esse per se experibilem. Ideo & distingui debere varias species voluptatum, & causarum, à quibus oriuntur: ut quædam per se bonæ sint, atque experibiles, quoniam honestæ rationabileque; quædam autem turpes ac rationi adversantes, ideoque in bonorum album non referendæ, ac nullatenus experibiles. Itaque rejicit in summa opiniones Eudoxi, & Platoniorum. Eudoxi quidem, quatenus docuit, voluptatem esse summum bonum, aut bonum per se: Platoniorum autem, quatenus universè dixerunt, voluptatem esse malam, aut non bonam. Constat quippe ex hucusque traditis, non omnem voluptatem esse bonam, neque item malam, aut à bono alienam. Media igitur sententia, quæ inter voluptates distinguit, & quædam probat, quædam verò rejicit, vera & eligenda est.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. 34. & illius Interpretes.

CAPVT QVARTVM.

Quid non sit voluptas, & quomodo operationem perficias.



ED Quidnam, aut quale sit, magis patebit, si sermonem paulò altiùs repetamus. Visio enim quovis in tempore perfecta est: nihil enim ipsi deest, quod postea factum species ipsius perficiet. Tali persimilis est & ipsa voluptas. Est enim quoddam totum: nulloque in tempore voluptatè quispiam accipiet, cuius species, si maiore tempore fiat, perficietur. Quo circa nec motus est: in tempore enim est omnis motus. Et alicuius etiã finis, ut ædificatio tunc erit perfecta, cum id fecerit, quod affectat, in toto tempore, aut in hoc. In partibus autè temporis omnes sunt imperfectæ. Et à tota, & inter sese diversæ specie sunt.

Compositio nanque lapidū diversa est ab erectione columnæ, & hæc rursus à templi effectione. Et templi quidem est perfecta: nullius enim ad propositum indiget rei. Fundamentorum, autem, & laqueariū imperfecta: est enim vtraque pars. Differunt igitur specie. Et fieri non potest, ut quovis in tempore motus specie perfectus accipiatur, nisi in toto. Similiter res sese habet & in ambulatione, & motionibus cæteris. Nam si latior motus est, quo quidem ex hoc ad hoc itur: & huius differentia iuxta speciem, volatio, ambulatio, saltatio, & talia, motiones sunt, quibus ex hoc in hoc similiter itur. Non solum autem in his res sese habet, sed in ipsa etiam ambulatione. Termini nanque non sunt idem in stadio toto, atque in parte, & in alia, atque alia parte. Neque idem est pertransire lineam hanc, & illam: non solum enim lineam, sed etiam in loco collocatam pertransit. Atque hæc, & illa in diversis sunt locis. Sed exactè quidem de motu alijs in locis est dictū. Videtur autē non in omni tempore esse perfectus. Sed multi sunt imperfecti, specieque diversi: siquidem ipsi termini, speciei sunt effectores. At voluptatis species quovis in tempore est perfecta. Patet igitur, voluptatē, & motū diversa esse, & voluptatem ex ijs esse, quæ tota sunt, & perfecta. Id & ex eo ita esse constat, quia moveri quidē in non tempore nihil potest, voluptate autem affici potest. Quod enim in ipse nunc est, totum est quoddam. Ex his autē patet, non bene dici, voluptatē morum esse, vel generationem: non enim omnium hæc dicuntur, sed partibilium, & non totorum. Neque enim visionis, neque puncti, neque unitatis est ignoratio, neque quicquam horum est motus, vel generatio. Quare neque voluptas. Est enim quoddam totum. At verò sensus omnis ad sensibile est operatio quædam: perfecta autem eius, qui bene est dispositus ad id, quod est pulcherrimum eorum, quæ ipsi subijciuntur. Tale enim maximè videtur esse operatio ipsa perfecta. Atque nihil intersit, sive ipse, sive id, in quo est ipse, operari dicatur. In omni quoque genere præstabilissima est eius operatio, quod optimè dispositum ad id, quod est præstabilissimum eorum, quæ ipsi obijciuntur. Hæc autem perfectissima est, & iucundissima. In omni nanque sensu, voluptas est: & in mente simili modo, contemplatione vè. Iucundissima autē est ea, quæ est perfectissima: perfectissima autē est ea, quæ est eius, quod bene sese habet ad id, quod est studiosissimum eorum, quæ cadunt sub ipsam. Voluptas autem perficit operationem. Atque non eodem modo voluptas perficit, ac sensibile, & sensus, si sunt studiosa: quemadmodum neque sanitas, medicusve, similiter causæ sunt, ut quispiam valeat. In vnoquoque autem sensu voluptatē fieri constat. Dicimus enim

visiones, ac auditiones, voluptatem afferre. Constat autem, & maxime tum, cum sensus est præstantissimus, & circa tale operatur. Atque cum talia sunt, ipsum sensibile, & id, quod sentit, erit semper voluptas, si est quod agat, & quod patiatur. Perficit autem operationem voluptas, non ut habitus, sed ut pullulans quidam finis, perinde atque pulchritudo in ijs, qui vigent ætate. Atque quousque ipsum sensibile, vel intelligibile, & id, quod discernit, vel contemplatur, tale sit, quale esse oportet, erit in operatione voluptas. Nam cum sunt similia, ipsum passivum, atque activum, & inter sese modum habent eundem, idem semper natura fieri solet. Quomodo igitur nemo continuè voluptatem capit, an defatigatur? Omnia enim humana nequeunt continuè operari. Neque voluptas igitur continuè fit: sequitur enim operationem. Nonnullæ autem res, cum novæ sunt, delectant, sed postea non similiter, propter hæc ipsa. Primò nanque invitatur mens, & circa illas operatur intensè, quemadmodum operantur visu, qui inspicunt: deinde non fit talis ipsa operatio, sed neglectior. Quapropter & voluptas extenuatur, ac offuscatur. Putaverit autem quispiam, omnes ideo voluptatem appetere, quia vivere etiam omnes affectant. Vita verò quædam est operatio. Atque circa ea quilibet, & ijs operatur, quæ & maxime amat: ut musicus quidem, auditu circa cantus: avidus verò discendi, mente circa res contemplandas. Eodem modo & singuli cæterorum. Voluptas autem perficit operationes, & ipsum etiam vivere, quod appetunt. Cum ratione igitur & voluptatem affectant: perficit enim ipsum vivere uniuscuiusque, quod expetibile est. Quærere verò utrum ob voluptatem vivere expetamus, an voluptatem ob vitam, missum in præsentia faciamus. Coniuncta enim hæc esse videntur, & non suscipere separationem. Nam & sine operatione voluptas non fit, & omnem operationem perficit ipsa voluptas.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS QVARTI.

Voluptas qualiter habeat esse: an momento indivisibili, an potius tempore successivo. In quomodo consistat, & qualiter perficiat operationem. Quando illa daret: & cur continua non sit. Quid cause, ut ab omnibus appetatur.



POSTQVAM Arist. attulit expenditque Veterum opiniones circa Voluptatē, inquit, quid sit, aut non sit Voluptas, & quomodo perficiat operationē. Dividitur caput in quatuor partes. In prima dicitur utrum voluptas fiat

successivè, seu per partes, an potius tota simul, & momento indivisibili. In secunda decernit ac multipliciter probat, voluptatē non esse motum, aut generationē. In tertia exponit quid sit ipsa voluptas, & qualiter operationē perficiat. In quarta excitat nonnullas quæstiones circa eandem voluptatem, illasque resolvit.

2 CIRCA Primam partem exponit, qualiter, seu quando fiat voluptas; an in parte temporis, an potius in instanti. Respondetque, perinde censendum de illa, ac de visione, quæ est tota simul, & perfecta in qualibet temporis parte, tum etiam in quovis momento indivisibili; neque indiget aliquo alio posterius adveniente, cuius accessione species illius perficiatur. Non enim pars vna visionis primum fit deinde alia: sed tota visio primum fit, ac simul existit: opposito sanè modo rebus successivis, atque in motu aut fluxu consistentibus, quarum vna pars existit post aliam, & nunquam aliqua tota simul. Ita ergo de voluptate existimandam, non habere partem vnã post aliam, nec fieri aut existere per partes; sed fieri, & esse totam simul, & perfectam in qualibet temporis parte, ac momento indivisibili; neque indigere aliquo alio posterius adveniente, cuius accessione species eius perficiatur. Quare si adsit voluptas per vnã horam v. g. erit integra in qualibet parte, & momento illius, perinde ac visio. Illa scilicet, visio, quæ non multiplicatur ad intruendum obiectum per partes, ac diversa latera, cum aliqua successione; sed quæ totam aliquam superficiem eiusdem obiecti immobiliter percipit, & sive parum, sive multum persistit.

3 VERVM Iuxta ea, quæ initio huius libri tradidit idem Philosophus, observanda est distinctio voluptatum corporearum, & habentium rationem generationis quoddammodo, seu motus tendentis ad perficiendam replendamve naturam, à voluptatibus simplicibus, propriisque animæ, & naturam perfectam per habitum supponentibus. Observandum insuper ex dictis eo loci, voluptatem esse quoddam accidens adiunctum operationi sensitivæ aut intellectuali, ac proinde illius naturam sequi. Hisce autem duobus statutis, dicendum est, priores voluptates, fieri & existere successive, ac per partes: posteriores autem simul & ex toto. Ratio primi est: quia voluptates corporeæ & imperfectæ sequuntur naturam operationum, ex quibus resultant. At natura operationum, ex quibus resultant, talis est, ut illæ fiant successive, ac per partes. quod patet in actibus comedendi, ac bibendi, voluptatem afferentibus. Ergo & voluptates ipsæ fiunt successive, ac per partes. Ratio secundi est ex opposito principio: Quia voluptates animi, ac perfectæ resultant ex operationibus etiã perfectis, seu procedentibus à natura plenè constituta: quæ proinde fiunt & existunt totæ simul, instar entium permanentium, absque vlla partium successione. Ergo prædictæ voluptates fiunt etiam existuntque totæ simul, absque successione partium. Et de ijs posterioribus tantum in-

telligendus est in præsentis Arist.

4 CIRCA secundam partem statuit (quod iam non semel tradiderat) voluptatem non esse motum, nec generationem: idque probat: Quia omnis motus, & generatio successiva, necessario fit in tempore, & perfecta non est in qualibet temporis parte, fitque alicuius alterius gratia. At voluptas non fit necessario in tempore, nec talis est, ut perfecta non sit in qualibet temporis parte, nec tandem fit gratia alicuius alterius, sed quaeritur propter seipsam. Non enim se habet instar ædificationis templi, cuius partes successive fiunt: ut primò iaciantur fundamenta, deinde erigantur parietes, ac columnæ, & denique rectum superextruatur. Nec etiam se habet instar motus successivi, aut localis, ut ambulationis, volatus, saltationis, ac similibus, qui procedunt cum latitudine quadam ex vno termino in alium, & variantur ex principiis, à quibus oriuntur, atque ex parte terminorum, à quibus, & in quos tendunt, tanquam in finem motus. Quin potius quocumque temporis momento res sua vis obijciatur, statim percipitur delectatio aliqua. Ergo de primo ad ultimum voluptas non est motus aut generatio successiva.

5 CONFIRMATVR. Impossibile est, ut motus, aut successiva generatio, fiant momento temporis, aut in eo existant secundum suam entitatem: id quippe omni entis successivo repugnat, ut abundè ostenditur lib. 6. *Physic.* At voluptas, ut iam præmonuimus, fit momento temporis, & in eo existit secundum suam entitatem. Quippe quolibet momento inchoari intrinsecè potest, sicut visio, & intellectio: similiterque absque vlla variatione, aut additione partium per aliquam temporis durationem persistere. Igitur voluptas non est motus aut successiva generatio.

6 CIRCA Tertiam partem iam positivè explanat quid sit ipsa voluptas, & an perficiat operationem. Quod ut edisserat, præstat quid sit perfecta operatio: quoniam voluptas propria non, nisi ex perfecta operatione, resultat. Est igitur perfecta operatio, quæ procedit à potentia bene disposita, & nullatenus impedita circa proprium obiectum: perfectissima autem operatio est, quæ à potentia optimè disposita & expedita oritur circa præstantissimum illius obiectum. Igitur operationes sensuum, atque etiam intellectus, quotquot ab eisdem rectè dispositis, & expeditis procedunt circa proprium, aut etiam præstantissimum obiectum, perfectæ operationes sunt, aut etiam perfectissimæ. Neque enim autem esse perfectæ, aut etiam perfectissimæ, nisi subiecto operanti afferant voluptatem: quoniam alioqui carebunt hanc perfectione debita potentis sensitivis, & intellectivis, quæ

quæ à cæteris penes hoc differunt. Ergo voluptas est affectio quædam in potentia sensitiva, aut intellectiva resultans ex perfecta operatione. Hinc autem probatur, operationes ipsa perfici voluptate. Omne enim illud, quod perfectæ operationi inest, quatenus perfecta operatio est, debet illam perficere. Atqui voluptas inest operationi perfectæ, quatenus operatio perfecta est: scilicet, quatenus est operatio potentie rectè dispositæ, & expeditæ circa proprium obiectum. Ergo voluptas perficit operationem. Quare voluptas propria sic ferè definitur poterit: *Lucunditas in principio cognoscens resultans ex operatione perfecta*. Et quidem eo præstantior erit voluptas, quod perfectior operatio: eo autem perfectior operatio, quod à perfectiori potentia, & melius disposita, & circa melius obiectum processerit. Quapropter voluptates animi, quàm corporis; & mentis, quàm sensuum; longè perfectiores sunt, ac maiores, per se loquendo.

7 MONET Verò Aristoteles operationem perfici voluptate; non tamen ut habitu quodam inherente, sed ut sine postea accedente. Id enim denotat illis verbis: *τελειοὶ δὲ τὴν ἐνέργειαν ἢ ἡδονήν, ὅχι ὡς ἡ ἐξὸς ἐνυπαρχούσα, ἀλλ' ὡς ἐπὶ γινόμενον τι τέλος*. *Perficit autem actionem voluptas, non ut habitus quidam qui inest, sed ut finis quispiam postea accedens*. Scilicet, voluptas non est aliqua forma essentialis, aut constitutiva operationis, ut iam sæpe observatum est superioribus; sed veluti affectio quædam, aut corollarium ex perfecta operatione resultans. Quod explicat statim exemplo pulchritudinis resultantis ex flore ætatis rectè disposito, & nullatenus constituentis illud per modum formæ.

8 CIRCA Quartam partem instituit quasdam quæstiones eodem spectantes, illasque resolvit. PRIMA est quantum duret, seu persistat in operante voluptas, sive ad intellectum, sive ad sensum spectet. Respondet autem, illam tandiu durare, quandiu obiectum actu representatum sensui, aut intellectui rectè disposito fuerit conveniens. Quod probat hæc ferè ratio. Quandiu activum, & passivum sunt rectè ac similiter disposita, tandiu manet effectus ex ijs proveniens. At obiectum conveniens, & potentia cognoscitiva sunt activum, & passivum in ordine ad effectum voluptatis. Quippe sicut ex obiecto, ut viro, & potentia ut femina, paritur notitia, sic & voluptas. Ergo quandiu obiectum conveniens & potentia cognoscitiva sunt rectè, ac similiter disposita, tandiu voluptas durat. Contingit verò eiusmodi rectam dispositionem quandoque parum, quandoque multum durare in obiecto, & potentia: ac per consequens voluptatem inde confluentem,

aut esse brevem, aut longam. Cum verò ea quæ sub sensum cadunt, minus stabilia sint, quàm quæ sub mentem; consequens est, ut delectationes mentis sint diuturniores, quàm sensuum, quoniam causam sui diuturniorem habent. Unde fit, delectationem ex theoreticis disciplinis ortam esse magis stabilem ijs, quæ ex sensibilibus obiectis capiuntur.

9 SECUNDA Quæstio: Quidnam in causa sit, ut nemo capiat continue voluptatem, sed saluatim, sive per temporis intervalta? Respondet, rationem esse, quia defatigatur potentia, ex cuius operatione deberet resultare voluptas. Si enim potentia sensitiva, ac proinde corruptibilis sit, ex seipsa languescit, & proinde ab operatione desistit. Si autem intellectiva sit, quanquam ratione sui non defatigetur, sicut nec corruptioni obnoxia sit; adhuc tamen eget sensibus, tanquam instrumentis ad operandum; ideoque ex horum defatigatione desistit à vividis operationibus, quæ possent parere voluptatem. Quæ sanè doctrina consonat axiomati eiusdem Philosophi à nobis illustrato in libris de Anima disput. 83. quo dicitur: *Oportet intelligentemphantasmata speculari*. In quo sanè homo differt à Deo, qui, ut nullius lassitudinis, seu defatigationis capax est, ita & actionem continentem, ac æternam habet, similiterque voluptatem. Quod idem Arist. docet 8. Physicor. & 2. de Cælo cap. 1. atque Author libri de Mundo communiter putatus Aristoteles, sed reverà alius, ac forte Christianus, quantum ex doctrina illius apparet.

10 TERTIA. Quanam ratio sit, ut res noviter cognitæ pariant initio voluptatem, secus verò postea? Id enim omnibus experimento patet: ideoque celebres habentur ij versus à Græco Latine redditi:

Cantio enim hæc hominum longè est celeberrima vulgo,

Et gratissima, quæ utperrima venit in aures.

Et illud Pindari: *ἄνα δὲ παλαιὸν μέν οἶνον, ἀνθρα δὲ ὑμῶν νεωτέρων*. *Lauda vinam veteris: sed hymnorum novorum flores*. Præiactæ vero interrogationi respondet Aristoteles causam esse, quia prima representatio novi, & convenientis obiecti, statim excitat ad intensiorem actum cognitionis, postea verò ad remissiorem. Cum igitur voluptas commensuretur representationi obiecti convenientis, & actui cognitionis, debet esse initio intensior, & postea remissior. Omnis enim effectus naturaliter procedens ab aliqua causa, crescit, aut decrescit in perfectione iuxta incrementum, aut decrementum perfectionis eiusdem causæ.

11 QUARTA. Cur omnes appetant voluptatē? Respondet ideo esse forsitan, quia om-

nibus naturale est ut appetat vivere, ac proinde operari sentiendo, aut intelligendo: nam eiusmodi operationes sunt actus vitæ. Et in ijs quidam operationibus varia est hominum inclinatio, ac multiplex genius: ut propterea quidam speciatim ducantur appetitu musicæ, quidam mathematicæ disciplinæ, quidam philosophiæ, & sic de alijs; ac per consequens magis appetant circa ea objecta, quam circa alia, sentire, & intelligere, quia magis appetunt in ijs exercitijs vivere. Cum igitur voluptas perficiat operationem vitæ, prout iam definitum est supra, consequens etiã est, ut sicut diligunt vitã, ita etiam voluptatem appetant.

12 VERVM Circa hoc ipsum additæ quæstionculam aliam: utrum vita propter voluptatem exspectatur, an potius voluptas propter vitam. Hæc enim duo, scilicet, vita & voluptas, usque adeo coniuncta sunt, ut una ab altera separari nequeat. Huic dubitationi non respondet in præsentia. Verum ex ijs, quæ in se-

quentibus tradit, dicendum est, quamvis appetatur simul atque indivisim operatio vitæ, & voluptas, nihilominus in sensu formali voluptatem appeti propter operationem vitæ, & non e contra; quia voluptas est quies appetitus, non in ipsa, sed in operatione, seu re delectante appetitum. Nemo enim delectatur directe de ipsa delectatione, sive voluptate: sed de re ipsa, quæ delectat. Ergo voluptas appetitur directe, non propter seipsam, sed propter operationem vitæ delectat. Præterea. Quid quid profluit ex aliquo, veluti perfectio accidentalis illius, est propter ipsum: ut proprietates propter naturam, accidens propter subiectum. At voluptas profluit ex operatione vitæ cognoscentis, veluti accidentalis eius perfectio, ut sæpe dictum est. Ergo voluptas est propter operationem vitæ cognoscentis, ideoque propter illam appetitur.

VIDE D. Thomam 2. 2. quæst. 32. quæ est de causa delectationis, & illius Interpretes.

CAPVT QVINTVM.

Quòd voluptates inter se specie differant.



VNDE Et specie voluptates differunt. Nam ea, quæ sunt diversa specie, à diversis perfici putamus. Sic enim sunt & ea, quæ à Natura, & ea, quæ ab arte conficiuntur: ut animalia, arbores, pictura, statua, domus, vas, & similia. Similiter igitur, & operationes differentes specie, à differentibus specie proficiuntur. Operationes autem mentis ab operationibus sensus, & hæc rursus inter sese differunt specie. Igitur & voluptates, quæ ipsas perficiunt. Hoc autem & ex eo patebit, quia unaquæque voluptas est ei propria operationi, quam perficit: propria enim voluptas auget operationem. Qui nanque cum voluptate operantur, singula magis discernunt, atque exactius cõprehendunt: veluti geometriæ fiunt, qui geometrica gaudent contemplatione, magisque intelligunt singula. Similiter & qui musicam amant, & qui ædium extruendarum delectantur arte, cæterorumque; singuli omnes in opere proficiunt proprio, hoc ipso se oblectantes. Voluptates igitur augent operationes. At ea, quæ augent, propria sunt. Quæ verò diversis specie propria sunt, & ipsa diversa specie sunt. Præterea, magis hoc ex eo videbitur ita esse, quia voluptates, quæ à diversis sunt, impediunt actiones. Qui namque de fistulis delectantur, nequeunt mentem sermonibus adhibere, si quempiam

au-

audierint modulantem : magis modulandi gaudentes arte, quàm operatione præfenti. Voluptas igitur ea, quæ à modulandi facultate prodit, operationem, quæ est circa sermones, corrumpit. Hoc idem & in cæteris vfu venit, cùm circa duo simul quispiam operatur: operatio nanque iucundior alteram excludit: & si multùm voluptate præcellat, magis extrudit, atque adeò vt neque operetur per illam. Quocirca cùm vehementer aliqua re gaudemus, non valde aliud agimus, & alia facimus, cùm parum nobis alia placent: vt & in spectaculis qui bellaria edunt, id maximè faciunt, cùm viles sunt, qui contendunt. Cùm igitur propria quidem voluptas exactas operationes reddat, & diuturniores, ac meliores efficiat, alienæ verò extenuent, atque corrumpant, constat ipsas inter sese vehementer distare. Alienæ nanque voluptates id ferè, quod proprii dolores, efficiunt. Etenim proprii dolores operationes ipsas corrumpunt: vt si huic scribere, illi rationem subducere, iniucundum est, atque molestum: hic non scribit, ille rationem non subducit: quippe dolorem cùm auferat operatio. Circa igitur operationes contrarium à proprijs voluptatibus accidit, & doloribus. Atque voluptates, doloresve proprii sunt, qui in operatione per se ipsam fiunt. Alienas verò voluptates simile quid ei facere diximus, quòd ipsi dolores efficiunt: corrumpunt enim, etsi non similiter, operationes. Cùm autem operationes probitate differant, atque improbitate, & aliæ quidem sint expetendæ, aliæ verò fugiendæ, & aliæ neutræ: similiter sese habent & voluptates: nam vnicuique operationi est propria quædam voluptas. Quæ igitur studiosæ propria est, ea & proba: quæ verò pravæ, ea est improba. Etenim & cupiditates honestarum quidem laudabiles sunt, turpium verò vituperabiles. Magis autem propriæ sunt operationibus voluptates, quæ sunt in ipsis, quàm ipsæ cupiditates. Nam hæ quidem seiunctæ sunt, & temporibus, & natura: illæ verò propinquæ sunt operationibus, atque adeò indistinctæ, vt contentio sit, si idem sit operatio, & voluptas. Non tamen ipsa voluptas mentis esse videtur operatio, neque sensus. Est enim absurdum. Sed quia non separatur, idem quibusdam videtur: Vt igitur operationes sunt diversæ, sic & voluptates. Differt autem visus à tactu puritate: & auditus, ac odoratus à gustu. Similiter igitur & voluptates differunt. Et ab his item eæ, quæ sunt mentis. Et hæ rursus differentiam inter sese suscipiunt. Videtur autem vnicuique animalium & propria quædam esse voluptas, sicut & opus. Est enim ea, quæ comitatur operationem. In singula etiam intuenti, id ita esse patebit. Alia nanque voluptas est equi, alia canis, alia hominis: quemad-

mo-

modum & Heraclitus dicit, asinum stramina magis optare, quàm aurum: asinis enim pabulum auro iucundius est. Voluptates igitur eæ, quæ sunt diversorum specie, differunt specie. Eas verò, quæ sunt eorundem, consentaneum est rationi diversas non esse. In hominibus autem mediocriter discrepant. Eadem enim alios dolore afficiunt, alios delectant: & alijs quidem molesta sunt, odioque habentur, alijs verò iucunda, ac amabilia. Hoc & in dulcibus accidit. Non enim eadem dulcia febricitanti, atque sano videntur: neque calidum idem infirmo, atque optimam habitudinem habenti videtur. Similiter & in alijs accidit. In omnibus autem talibus, id esse tale constat, quod studioso videtur. Quod si hoc rectè dicitur, quemadmodum & apparet, & est, atque virtus, & bonus hoc ipso, quo talis est, omnium est mensura: erunt & voluptates perfectò, quæ huic videntur, & iucunda, quibus gaudet ipse. Atque non mirum est, si ea, quæ huic molesta sunt, alicui videantur esse iucunda: multæ nanque corruptelæ, depravationesque hominum fiunt: iucunda non sunt, sed his, & ita dispositis. Eas igitur, quæ sunt sine controversia turpes, constat non esse dicendum voluptates esse, nisi corruptis. Earum verò, quæ probæ, videntur esse, qualem, aut quam dicendum est hominis esse, an ex operationibus constat? has enim ipsæ voluptates sequuntur. Sive igitur vna sit, sive plures operationes perfecti viri, atque beati, eæ voluptates, quæ has perficiunt, propriè dicendæ sunt hominis voluptates. Cæteræ verò secundo, & perparum, quemadmodum & operationes.

SVMMA ET EXPLANATIO OCAPITIS QVINTI.

Voluptates specie differre: tum ex diversitate actionum, unde oriuntur: tum ex probitate, aut improbitate: tum etiam quòd aliæ alijs puriores sint: tum denique ex varia animantium natura ad diversas voluptates proclivi.

AD CLARISSIMUM ET LITTERATISSIMUM HERÒEM,
D. D. GVNDISALVM FERNANDEZ DE CORDOBA,
ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITEM, SVPREMI CASTELLÆ SENATVS CONSILIARIVM, REGIÆ GAZÆ PRÆFECTVM IN EM-
PORIO HISPALENSI, QVONDAM IN SALMANTICENSI
ACADEMIA VERPERTINÆ IVRIS CATHEDRÆ ANTE-
CESSOREM CELEBREM, ET COLLEGII MAIORIS
CONCHENSIS SODALEM, &c.



SCOPVS Capitis huius est differentia voluptatum, quam multipliciter exponit Philosophus. Dividitur autem in quatuor partes. In prima docet actionum specie diversarum delectationes etiam specie differre. In secundâ

ostendit voluptatum differentiam ex probitate aut improbitate oriri. In tertiâ observat, quædam voluptatum differre ab alijs, quòd puriores ijs & sinceriores sint. In quartâ demum addit discrimen aliud delectationum, petitum ex vario genere animantium, quæ diversimodè delectantur.

CIRCA

2 CIRCA Primam partem statuit voluptates differre specie iuxta diversitatē operationum, idq; multipliciter probat. PRIMO. Perfectiones operationum specificē diversarum, nequeunt non differre secundum speciem. Quod patet, tum a priori, quia res essentialiter diversæ exigunt perfectiones specie diversas: tum etiam ab instantiā perfectionum naturæ & artis specie diversarum, quoniam natura & ars specie differunt. Insuper & idem ipsum constat in perfectione animalis, quæ alterius speciei est à perfectione propriâ plantæ, sicut & perfectio domus à perfectione statuæ propriæ. Atqui voluptates sunt perfectiones propriæ operationum specie diversarum, ut sensationis & intellectus, ac sensuum quidem & intellectuum specie differentium inter se. Igitur & voluptates earundem sunt specie diversæ.

3 SECUNDA Ratio. Quæcumque sunt propria & accommodata operationibus specie diversis, necessum est vt specie differant: quia debent ijs competere secundum quod vnum eorum differt specie ab altero. At variæ voluptates sunt propriæ & accommodatæ operationibus specie diversis. Ergo necessum est vt voluptates eiusmodi specie differant. Probatum assumptio. Voluptates enim variæ conservat & augent operationes specie diversas: vt voluptas, quæ percipitur in menturando, conservat augetque operationes faciles atque expeditas in Geometriâ; similiter & voluptas in numerando, operationes proprias Arithmeticæ; & voluptas in canendo artificiose, operationes proprias Musicæ; & sic de alijs. Atqui vnumquodque augetur & conservatur ijs, quæ sunt propria & accommodata suæ naturæ: vt docet idem Arist. in libris de Generat. & vberius adhuc lib. 7. Metaph. Igitur voluptates variæ sunt propriæ & accommodatæ operationibus specie diversis.

4 TERTIA. Quidquid positum in vnâ actione alteri actioni operique est impedimento, proprium est eius in quâ positum est. Alioqui enim commune erit vtrique actioni, ac proinde neutram impediet. Atqui vnus actionis delectatio impedit aliam actionem. Ergo vnus actionis delectatio est propria ipsius: & per consequens distincta à delectatione alterius actionis. Probatum minor, sive assumptio, in quâ solâ est dissidium, exemplo frequentis, quo cernimus, eos, qui sono, sive cantu tibie admodum delectantur, si quem audiant suaviter tibiâ canentem, non posse animum intendere in disputationes cogitatione vel ad sapientiam spectantes. Prævaleret enim delectatio capta de tibiæ cantu, delectationi alioqui capiendæ de disputatione severiorum rerum: & veluti maior superat illam minorem, aut ex

toto impedit. Quod pertinet illud Ciceronis 2. de Oratore observantis, quosdam Philosophorum auditores malle discum audire, quam magistrum; ideoque audito disco, Philosophum disputantem deserere. Vbi loquitur de ludo disci, quem per contentionem iactare solebant. Idque generatim apparet, vbi quis simul duobus aut pluribus rebus occupatus est. Quæ enim maiorem delectationem parit, hebetat etiam, aut ex toto absorbet, si admodum vehemens sit. Vera igitur est assumptio illa, quæ asseritur, vnus actionis delectationem impedimento esse alteri actioni.

5 ALIUD Exemplum affert in confirmationem eiusdem doctrinæ per locum à contrario: vt probet, vnus actionis delectatione vehementi impediri actionem aliam. Vbi enim quis delectatur remissè aut leviter, actione aliquâ: non impeditur vt in aliam rem animum intendat. Quod patet in ijs, qui positi in Theatro se convertunt ad bellaria, illaque dentibus rodunt & comminunt; quoniam remissè attendunt ad actores fabularum, qui parum industrie aut minus proprie, quam par esset, in scenâ fabulas representant. Nimirum, allusio est ad morem Græcorum, qui solebant integros dies in Theatro exigere: ideoque opus habebant deferre secum aliquos faciliores cibos, quibus se reficerent: cuiusmodi sunt, quæ τραγήματα Græcè nominantur, & à Latinis generatim dicuntur bellaria. De quibus Gellius lib. 12. cap. 11. ita loquitur: *Bellaria significat omne mensæ secundæ genus. nam quæ Græci τραγήματα, aut τειχματα dixerunt, ea Veteres nostri bellaria appellaverunt. Vina quoque dulciora est invenire in Comædijs antiquioribus hoc nomine appellata, dictaque esse Liberi bellaria.* Verùm Iulius Pollux lib. 6. cenet eo nomine comprehendi, non modo fructus omnes, quos edimus crudos, & nullo subactos igni, veluti ficus, poma, ceteraque mensis secundis inferri solita; sed etiam ova tosta, & ad ignem indurata, quibus olim cœnæ finiebantur. Græci igitur eiusmodi bellaria secum deferrebant ad Theatra, vt vescerentur quasi rodendo & dentibus comminundo inter medios actus histrionum, præsertim quoties hi frigide aut segniter suas partes agebant. Cum enim tunc remissè attenderent ad representationem in Theatro exhibitam, nihil impediebat, vt se converterent ad vescendum bellarijs, eaque corrodendum. Vbi autem fabula in Theatro ad vivum ab histrionibus exhibebatur, nullus erat locus spectatoribus, vt se ad bellaria rodenda converterent. Ergo quia vehemens delectatio vnus actionis absorbet aliam actionis diversæ.

6 QUARTA Ratio. Quæcumque naturâ suâ pariunt effectus contrarios & in-

com;

compossibiles, deberent esse diversarum specierum. Atqui multæ delectationes pariunt effectus contrarios & impossibiles. Ergo debent esse diversarum specierum. Maior parte: quia a rebus eiusdem speciei secundum naturam suam spectatis nequeunt oriri effectus contrarii & impossibiles: ideoque albedo & nigredo censentur colores diversarum specierum: quoniam naturam suam pariunt effectus contrarios & impossibiles disgregandi & congregandi visum. Minor autem tuaderur dupliciter. PRIMO: Quia delectatio propria alicuius actionis, confirmat illam & auget, ac diturniorem melioremque facit: delectatio autem alterius actionis propria impeditur, diminitur, & efficitur remissior, ratione alterius delectationis pravalentis: ut patet exemplo superius adducto in delectatione ex cantu tibiarum, aut ex toto impediente, aut nimium minuente eam, quæ ἐκ τῶν νουτῶν, *ex rebus speculabilibus*, percipitur. At nihil impeditur ex toto, aut nimium imminuitur ab alio, nisi sit contrarium aut impossibile cum illo. Ergo multæ delectationes pariunt effectus contrarios & impossibiles. SECVNDO probatur eadem minor, loquendo de delectatione aliena: nam hucusque loquebatur de sua, sive propria eius, qui delectatur. Quæ autem delectationes suæ dicantur, quam alienæ, indicat paulo inferius illis verbis: οἷοναι δὲ τῶν, &c. *Atque voluptates, doloresve proprii sunt, qui operatione per se ipsam sunt. Alienas vero voluptates dicimus, eò quòd simile quid, atque ipsi dolores, efficiunt: corrumpunt enim, etsi non similiter, operationes.* Hoc præmissis, altera probatio ab Arist. subobscurè indicata, sic institui potest. Delectatio enim alicuius actionis propria, & eiusdem actionis tristitia etiam propria, eandem delectationem impediens, habent effectus inter se contrarios: quoniam delectatio confirmat & auget actionem: tristitia autem imminuit illam, aut extinguit. Atqui hunc ipsum affectum ex tristitia oriri solitum parit aliena delectatio: quoniam & dolorem efficit, sicut tristitia, & actionem corrumpit: ut patet exemplo iam indicato audientis suavem tibiarum cantum, ideoque impedimentum subeuntis ad actionem disputandi, seu speculandi, & subinde ad delectationem suam, sive propriam, ex ipsa secuturam. Ergo & delectationes propriæ atque alienæ habent effectus inter se contrarios.

7 ADDIT Tamen, quoddammodo differre inter se, quantum ad prædicta, dolorem, & voluptatem alienam. Nam ille propter se, sive naturam suam, est impedimento actioni: voluptas autem, propter actiones alias, eandem actionem impedit. Hoc enim significant verba illa, οὐχοῦναι δὲ, *etsi non similiter*.

8 CIRCA Secundam partem ostendit delectationum discrimen ex probitate aut improbitate actionum oriri. Delectationes enim probarum actionum, honestæ sunt: vitiosarum autem turpes. Quibus & addit neutras, seu indifferentes, quæ nascuntur ex actionibus naturam suam indifferentibus, seu medijs inter bonum & malum: quales sunt actiones legendi, scribendi, cœnandi, aut ambulandi. Quibus tacite videtur impugnare Platonem (cui & Cicero subscripsit) docentem omnes voluptates esse malas. Quamvis Marsilius Ficinus, & Flaminius Nobilius, a Giphano allegati; nolint Platonem univèrse loquutum; sed de ijs nominatim delectationibus, quæ ad corpus spectant, & in quibus dictum est supra lib. 3. circa finem, versari proprie incontinentem. Verum, quidquid sit de mente Platonis, Arist. statuit, delectationum quædam esse bonas, alias valastidque diversimode probat.

9 PRIMO: Quia ex præcedentibus constat, unicuique actioni suam propriam delectationem esse. Ergo oportet ut unamquamque actionem sequatur delectatio similis, seu accommodata naturæ eiusdem actionis. Atqui natura actionum ea est, ut quædam earum probæ sint, quædam autem pravæ. Ergo & delectationum quædam probæ sunt, quædam autem pravæ.

10 SECVNDO: Quoniam cupiditates dividuntur in bonas & malas: ut quæ sunt appetitiones honestarum actionum & rerum, probæ sint; quæ autem turpium, improbæ, & vituperabiles. Ergo cupiditates, sive appetitiones, dividuntur in bonas & malas, iuxta similem divisionem actionum. At multo magis delectationes dividi debent iuxta actionum diversitatem, quam cupiditates ipsæ: quoniam delectationes sunt magis propriæ actionum, ipsæque propinquiore. Igitur delectationes multo potiori ratione, quam cupiditates, dividuntur in bonas & malas. Quod autem delectationes sint magis propriæ & illigatæ actionibus, quam cupiditates, facile suaderur: Quia delectationes sunt in ipsis actionibus, easque inseparabiliter comitantur: cupiditates vero, quibus appetimus actiones ipsas, nec sunt in ijs, nec etiam simul: cum appetitio plerumque tempore præcedat actionem, & prius sit velle agere, quam ipsum agere. Præterea id ipsum constat, quoniam magis illigatum est alteri, quod semper illud spectat ut præsens, quam quod id attendit tanquam futurum. At delectatio semper spectat actionem ut præsentem: appetitio autem ut futuram. Ergo magis illigata est delectatio actioni, quam appetitio.

11 MONET Verò, delectationem non ita illigatam esse actioni, ut ab eâ non distinguatur, quamvis separari non possit plus.

plurima enim tempore non differunt, seu inseparabilia existunt, quae tamen ex alijs capitibus diversa sunt. Itaque delectatio quae capitur ex actione sentiendi aut intelligendi, non est sensio, aut intelligentia, sed quid naturam consequens utramque, veluti propria affectio. Quod sufficit ut iuxta divisionem actionum in bonas & malas, ipsae etiam delectationes dividantur.

12 CIRCA Tertiam partem proponit aliud discrimen delectationum, quod quaedam earum sint puriores & sinceriores alijs: ideoque & specie ab ijs differant. Puras vero, seu καθαράς, illas appellat, quae nihil concretionis terrenae, seu corporae habent: ideoque ad mentis operationem spectant. Porro, cum mens ipsa partim contemplatrix sit, partim actiua; secundum priorem considerationem purior quoddammodo videtur, quam secundum posteriorem: quia contemplatur nimium abstracta ab operationibus sensuum & functionibus corporis; agit autem ministerio eorundem. Verum & adhuc sub hac posteriori inspectione, actio mentis longe purior, & sincerior, siue liberior à concretione est, quam actio corporis & sensuum.

13 HOC Supposito, probat delectationes specie differre ex praedicto capite, ferè sic. Delectationes, ut supra constitutum est, sequuntur naturam actionum, veluti affectiones quaedam. Atqui actiones specie differunt inter se, quod aliae alijs sint puriores & sinceriores. Actio enim videndi longe purior est, quam tangendi: similiter & actio audiendi & odorandi, quam gustandi. Visus enim operatio longe subtilior, seu delicatior est, ceteris actionibus externorum sensuum: ideoque laboriosiori officio naturae paratur, ac plenè admirabili: ut patet ex ijs, quae cum eodem Arist. diximus disp. 86. de Anima. Actiones vero tangendi & gustandi, longe impuriores sunt, & minoribus impensis naturae stant. Actiones denique audiendi & odorandi medium quemdam statum obtinent: quoniam mediocri naturae officio parantur, & percipiunt res, siue objecta; nec ita distantia, ac visus à longè prospiciens colores & lucem; nec adeò contigua ac tactus & gustus; sed medio modo se habentia inter proximum & remotum. Actiones vero mentis longe supereminet quibuslibet operationibus sensuum omnimodà puritate; quoniam longè abstractiores sunt, & liberiores à materiâ; praesertim illae, quae ad partem seu vim animae contemplatricem spectant. Ergo & delectationes eisdem actionibus illigatae dissident specie, quod aliae alijs puriores sint.

14 EIDEM Partitioni delectationum in puras, & impuras, seu concretas, ansam dedit Aristoteli Plato in Philabo, & lib. 9. de Republica. Cicero autem lib. 1. de Finibus, ap-

pellat *liquidas & liberas*. quas Arist. lib. 3. supra *ἀμυγεις*, non mixtas vocat, & frequentius *καθαράς, puras*. Verum, ut monuimus, non omnes aequaliter purae sunt; sed suus cuique gradus est. Primo ordine collocantur delectationes mentis contemplatrices: sub quarum notionem analogiam quandam servant delectationes Dei, Angelorum, animarum à corpore separatarum, & denique Philosophorum: qui, ut ait infra Aristoteles, non homines sunt, sed plusquam homines: quia nihil terrenae faecis habere videntur; sed dumtaxat colere id, quod in homine divinum est: mentem, videlicet, quae non modo Ethnicorum proceres, sed & Philo Iudaeorum disertissimus arbitratur, *θεϊας καὶ ἐνδαιμόνους ἄνθρωπος ἀπόσπασμα, ἢ διαίτητον, divina & bona anima particulam, sed indivisibilem*. Secundo ordine recensentur delectationes, quae ex Virtutum actionibus capiuntur; hominumque propriae sunt; utpotè mixtae ex actione spirituali & corporea, in ordine ad bonum morale. Tertio denique actiones sensuum, & inter has priori loco quae nobilioris sensus sunt: qualem inter externos esse visum iam paulò antè dictum est. Huius enim actio est purissima, quippe quae potissimum in lucem fertur, omnium qualitatuum maximè puram. Vnde Flaminius Nobilius lib. 2. de Voluptate inquit: *Siquis in spelunca per aliquot annos inclusus cauceretur, & adduceretur ei puella pulcherrima, illa luce statim frui mallet, quam puella aspectu*. Succedunt deinde delectationes ex actionibus ceterorum sensuum suo ordine; ac primùm quidem auditus, deinde odoratus, postea gustatus, seu gustus, ut communiter dici solet, & denique tactus, qui est ignobilior omnium sensuum. Quare & idem Arist. supra lib. 3. docuit, intemperantiam esse firam in voluptatibus gustandi & tangendi, tanquam omnium ignobilissimis, quae proinde non tam humanae, quam bellinae sunt.

15 ALIAM Rationem affert Martialis Ficinus ex Platonis lib. de Voluptate cap. 7. cur delectationes oculorum & aurium sint praestantiores ceteris aliorum sensuum: quod, nimirum, maiorem affinitatem habeant cum delectationibus mentis. Rem vero ita esse, sic probatur: Quia & tabulae pictae, quae aspectu percipiuntur, & soni, aut numeri poetici, qui ad auditum spectant, quandam servant harmoniam, & pulchritudinem, partiumque convenientiam. Ergo & servant ordinem: sine quo, nimirum, ea haberi non possunt. At ordo est aliquid proprium mentis, seu rationis. Igitur actiones vivendi & audiendi, dum cum ordinem, siue harmoniam attendunt, planè spectant aliquid admodum affine menti & rationi. Nihil itaque mirum quod virtusque praedicti sensus actiones antecellant actionibus ceterorum sensuum.

CIR

16 CIRCA Quartam partem observat differentiam aliam delectationum petitam ex vario genere animantium, quæ diversimodè delectantur. Sic autem proponi potest. Delectationes quorumlibet animantium sunt diversæ, iuxta propriam unicuiusque naturam. Ergo quemadmodum animantia specie ac naturâ differunt, sic & delectationes. Assumptio probatur, tum ratione, tum & inductione. Ac ratione primum: Quia quorum animantium diversa est natura, diversa etiam actio esse debet, ac subinde delectatio actionem consequens. Atqui animantium diversa natura est. Ergo & actio, subindeque delectatio, diversa esse debet. Itaque quemadmodum animantium natura est varia & multiplex secundum speciem, ita & actio, delectatioque.

17 INDUCTIONE Verò probatur assumptio eadem. Consideranti enim intentè & serio diversa animalium genera, apparebit planè unicuique eorum peculiarem delectationem esse, iuxta propriam naturâ; ut canis, equo, leoni, bovi, & sic de alijs. Ideoque Arist. probat effatum Heracliti dicere soliti, asinum stramenta paleasque malle, quam aurum: quia ex illis voluptatem capit, ex auro verò nullam. Consonaque quòd gallus apud Ætopum frumenti granum unioni pretiosissimo anteponi: quoniam ex priori recipit voluptatem, non item ex posteriori. Nimirum, unicuique animalium sicuti est peculiaris natura & cupiditas, sic etiam delectatio; & ut accinit Virgilius,

Torva leana lupum sequitur, lupus ipse capellam,

Florentem Cythiisum sequitur lasciva capella.

Te Corydon, ò Alexi: trahit sua quemque voluptas.

Quæ postrema verba, inter alios, celebrat S. Augustinus tract. 22. in Ioannem, & imitatur Staius 2. Sylv. dum accinit: *Sua cuique voluptas.* Et Prudentius in Hamart. illo versu: *Dividit hinc illuc rapiens sua quemque libido.* Verissimum igitur est, & inductione comprobatum, singulis animalibus, iuxta naturâ diversitatem in specie, esse peculiare cupiditates, subindeque delectationes specie diversas; & alias quidem humanas, alias autem belluinas; & has rursus diversas, iuxta specificam belluarum diversitatem.

18 VBI Quæri obiter potest, eum animantia bruta habeant certas voluptates, ultra quas nihil appetunt: homo autem per omnium voluptatum genera divagetur, & quasdam quidem modò velit, modò nolit, absque vllâ stabilitate. Quò spectant verba illa Plinij loquentis de homine: *Vni animantium lætus est datus, vni luxuria, & quidem omnibus modis nulli vita fragilior: nulli rerum omnium libitio maior.* Quid igitur in causâ est hu-

ius vicissitudinis circa voluptates diversæ? RESP. belluas solo natura instinctu duci, non autem libertate vllâ: ideoque stabilitè permanere in certâ illâ cupiditate delectationis, quæ natura præscripsit, quin facultas variandi sit. Homo autem, cum arbitrio constet, prohibito divertit in alias atque alias voluptates. Quò spectat illud dictum Iulix corruptissimæ femine ad Augustum Casarem increpantem, & seiscitantem ab eâ, quid causâ esset, cur belluas certo solùm anni tempore ad libidinem citarentur, illa verò assiduò & semper. Respondit enim, causam esse, quòd illæ sint belluæ; ipsa verò mulier: nimirum, libertate prædita. Genuina sanè causa, sed ratio nulla: quasi Iulia ideo bellua non esset, quòd belluas libidine superaret.

19 CONFIRMAT Arist. rationem prædictam expendendo diversitatem delectationum, quibus ducuntur homines, licet eiuſdem naturæ sint. Quamvis enim rationi consonum appareat, ut quemadmodum homines in eadem secundum speciem naturâ conveniunt, sic etiam in quarendâ eadem voluptate consentiant: attamen experimento, atque inductione patet, sæpiſsimè eos abduci delectationibus specie diversis. Idem enim homo pro diversitate temporum, atque eventuum, alijs atque alijs specie voluptatibus ducitur: sæpe etiâ quas vno tempore persequitur, alio fugit. Dum æger est averſatur plura, quæ in bona valetudine ardentè amabat, aut amat quæ oderat. Rursus, quidam hominum certâ aliquâ delectatione rapiuntur, alij diversâ, aut etiam contrariâ. Verissimum quippe est illud Plinij lib. 6. Epist. 27. *Non omnibus eadem placent.* Et Ciceronis effatum: *Sic se res habent: te tua, me delectant mea.* Atque Homeri longè antea Odyſſ. 14. accinentis:

Ἄλλος γὰρ τ' ἄλλοισιν ἀνὴρ ἐπιτὲρ περταίεργος
Alter enim rebus varijs vir gaudet, & alter.

Ergo non modò in diversis animantibus, sed in alijs atque alijs hominibus eiuſdem specie naturæ, inveniuntur delectationes diversæ secundum speciem, & aliæ alijs oppositæ. Cuius varietatis causam nuper ex ipso hominis arbitrio assignavimus. Belluæ autem si quando fortè diversis voluptatibus abripiuntur, id raro accidit, & solùm iuxta variam dispositionem corporis & sensuum, absque libertate vllâ.

20 ADDIT Verò parænesim quamdam, sive admonitionem, ut veræ & solidæ delectationes discernantur ab adulterinis & spurrijs. Priorum enim norma, & veluti canon, est vir probus, & Virtus ipsa. Ut enim iam in hoc Opere dictum est lib. 3. cap. 4. & lib. 7. cap. 12. & lib. 9. cap. 4. iudicium de rebus honestis &

& expetendis, aut etiam honestioribus, debet fieri ad præscriptum Virtutis & viri probi, in quo illa sedem habet. Id nanque honestum est existimandum, quod congruit Virtuti, & viro optimo. Proindeque ex tot & tam varijs delectationib⁹, quot diximus abduci alios atque alios homines, iuxta peculiarem vniuscuiusque indolem electionemque, solum illæ persequendæ sunt vt veræ & solidæ, atque amore dignæ, quas Virtus sequendas præscribit, & vir prudens atque optimus probat. Quæ autem à Virtute recedunt, & in vitium declinant, sugiendæ sunt, veluti commentitiæ & spuria, atque à naturâ rationali degeneres. Vnde & hæc ferè rationis formula proponi potest. Illæ delectationes sunt inter humanas optimæ & amore dignæ, quæ sunt conformes mensuræ & normæ humanarum actionum. Atqui Virtus, seu vir optimus, est mensura humanarum actionum. Illæ igitur delectationes sunt inter humanas optimæ & amore dignæ, quæ sunt conformes Virtuti, & viro optimo.

21 CÆTERVM, Quoniam etiam in viris probis voluptates diuersæ sunt, quamvis omnes honestæ, quarri potest, quænam illarum sit melior, ac proinde magis propria ho-

minis. Huic dubitationi occurrat Arist. pronunciatque, bonitatem seu honestatem maiorem delectationum æstimandam esse ex honestate maiori actionum, quas sequitur delectatio. Quare siue vna, siue plures actiones sint, quæ maximè atque in primis perticiunt optimum ac felicem Virum, sic etiam delectationes de ijs optimæ ac primariæ erunt. Delectationes vero earum operationum, quæ solum secundariò perticiunt virum optimum & felicem, erunt secundariæ, & minoris honestatis. Quippe inter delectationes is ordo est, vt prima ac præstantissima omnium habeatur, quæ ex contemplatione percipitur: secunda, & ipsi proxima, quæ capitur ex actione studiosâ Virtutis: tertia denique quæ habetur ex rebus deservientibus Felicitati parandæ, vel vtrumque stabiliendæ: quales sunt, bona corporis valetudo, opes, amicitia, aliaque plura huius generis, sine quibus Felicitatem non esse plenam & omnibus numeris absolutam, dictum iam est lib. 1. cap. 10. & lib. 9. cap. 9. Lege plura alia lib. 7. cap. 13. de voluptatum speciebus, ad illustrandum hoc ipsum caput.

VIDE D. Thomam 2. 2. q. 32. & illius Interpretes.

CAPVT SEXTVM.

De Felicitate.



DICTIS Autem ijs, quæ ad ipsas virtutes, ac amicitias, voluptatesque pertinent, de felicitate figura dicere restat, quippe cum finem humanarum rerum ipsam esse ponamus. Si igitur ea, quæ prius sunt dicta, repetierimus, orationem sanè fecerimus breviorē. Diximus itaque, felicitatem habitum non esse: inesset enim dormienti per vitam, plantarum vita viventi, & in calamitatibus maximis constituto. Quod si hæc non placent, sed ponendum est potiùs, ipsam operationem esse quandam, vt prius est dictum, & operationum aliæ sint necessariae, & ob alia, aliæ per se ipsas sunt expetibiles, perspicuum est, felicitatem earum aliquam operationum esse, quæ sunt per se, & non ob aliud, expetendæ. Felicitas enim nullius indiget rei, sed est ex sese sufficiens. Operationes autem eæ per se sunt expetibiles, à quibus nihil præter operationem quæritur. Tales verò videntur esse actus ij, qui à virtute proficiuntur. Honestæ nanque, studiosæque agere, ex ijs est, quæ

quæ per se expetuntur. Et item ludorum ij, qui sunt iucundi: non enim ob alia ipsos expetunt. Damna quoque potius ex ipsis, quam comoda, suscipiunt, & corpus, & patrimonium negligentes. Confugiunt autem ad talia oblectamenta & plerique eorum, qui beati esse dicuntur. Quapropter apud tyrannos in pretio habentur ij, qui in talibus oblectamentis sunt dextri. In ijs enim se ipsos præbent iucundos, quæ illi affectant: indigent autem talibus. Videntur igitur hæc ad felicitatem pertinere, propterea quod hisce vacant homines ij, qui sunt in potestatibus constituti. At nullum fortasse signum tales sunt homines: nam nec virtus in potestatibus, nec intellectus consistit, à quibus operationes studiosæ proficiuntur. Nec si illi, cum synceram, liberalemque voluptatem non degustarint, ad corporis confugiunt voluptates, propterea putandum est, has magis expetibiles esse. Et pueri enim quæ apud se ipsos in pretio sunt, præstabiliissima esse putant. Consentaneum igitur est rationi, ut pueris, & viris diversa pretiosa esse videntur, sic & pravis, & studiosis videri. Ut igitur sæpe dictum est, & pretiosa, & iucunda sunt ea, quæ studioso viro talia sunt. Vnicuique autem ea est operatio maximè expetibilis, quæ ab habitu proprio procedit. Et studioso igitur ea, quæ proficitur à virtute. Felicitas ergo non in ludo, iocove consistit. Etenim absurdum foret, humanum finem iocum esse, & negotia multa, molestave per totam vitam causa iocandi suscipere. Cuncta enim ferè, præter felicitatem, alterius expetimus gratia: hæc enim est finis. Studere autem, & laborare gratia ioci, stultum profectò, nimisque puerile habetur, & est. Iocari verò ut studeas, secundum sententiam Anacharsidis rectè sese habet. Iocus enim requieti similis est. Atque cum continuè nequeant homines laborare, indigent requiete. Non est igitur ipsa requies finis: fit enim gratia operationis. At verò vita felix in virtute consistit. Hæc autem vita cum studio est, & in serijs, sed non in ioco consistit. Atque ea, quæ studiosa sunt, serivæ, præstabiliora ridiculis, & ijs, quæ ioco fiunt. Et operationem semper melioris & partis, & hominis, studiosam magis dicimus esse: melioris verò præstabilior est, & ad felicitatem iam magis attinens. Frui prætereà quivis, & mancipium, voluptatibus corporis, non minùs, quam optimus homo, potest: at felicitatem nemo mancipio tribuet, nisi & vitam tribuerit studiosam. Felicitas enim non in talibus consistit modis vivendi, sed in operationibus, quæ à virtute proficiuntur, ut prius etiam diximus.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEXTI.

Felicitatem non esse sitam in habitu, sed in actione, eaque per se expetibili: quæ proinde non sit actio ludi, sed Virtutis perfectæ. Quod multiplici ratione probat.

AD ILLUSTRISSIMUM ET LITTERATISSIMUM
D. D. PETRUM GIL DE ALFARO,

IACOBÆI ORDINIS EQVITEM, SUPREMORVM SENATVVM, REGIÆ
GACÆ PRÆSIDEM, ET IVSTITIÆ CONSILIARIVM, VALLISOLETANO
PRÆTORIO EXPRÆFECTVM, QVONDAM ACADEMIÆ COM-
PLVTENSIS PRIMARIVM IVRIS ANTECESSOREM,
ET MAIORIS COLLEGII D. ILDEPHONSI
SODALEM, &c.



AGGREDITVR Arist. postero-
rem huius libri tractationem,
& vltimam totius Operis, qua
dissert de Felicitate: ac sum-
matim in hoc capite docet, Fe-
licitatem non esse habitum, sed

opus aut actionem optabilem, & per se expe-
tendam; quæ quidem non sit posita in opera-
tione ludi, sed Virtutis. Dividit verò totum ca-
put in tres partes. In prima, quasi recapitu-
lando doctrinam lib. 1. traditam, statuit, Feli-
citem, non in habitu sitam esse, sed in actio-
ne per se expetenda. In secunda docet, non esse
positam in actione ludi. In tertia denique cõ-
cludit, constitutam esse in operatione secundũ
Virtutem.

2 CIRCA Primam partem breviter,
& veluti in epilogo perstringit præcipua eo-
rum, quæ toto opere docuit, vt tandem coro-
nidem ipsi imponat tractatione hac de Felici-
tate, quæ est finis vltimus humanæ vitæ. Ac pri-
mum quidem commemorat se abundè egisse de
Virtutibus: nimirum, ab initio libri secundi,
vsque ad finem septimi; idque continenter, seu
disputatione perpetua, & minimè interrupta.
Deinde & octavo ac nono libro integris de
Amicitia: ac tandem initio huius libri de Vo-
luptate per quinque priora capita, præter
plura, quæ de ipsa disserit septimo libro.
Nec refert ea, quæ libro primo docuit cir-
ca summum bonum, sive Felicitatem homi-
nis: quoniam ea ipsa ferè summam repo-
nuntur quatuor postremis capitibus libri hu-
jus, quamvis plura in ijs addantur, quæ da-
ta opera ibidem prætermitta sunt. Etenim tunc
solum agebatur de Felicitate politica: nunc
verò iam sermo est de Felicitate, quæ posi-
ta est in contemplatione. De qua tamen mo-
net, se solum dicturum *ἐν ῥόπῳ*, in figura;
id est, rudi popularique modo, vt oportet
tractanti res Ethicas, iuxta tradita lib.
1. cap. 3. non autem subtili, & exacta dis-
putatione, vs fieri solet in alijs theoreticis dis-
ciplinis.

3 RESVMIT Itaque plura præceden-
tibus tradita: ac primùm quidem, Felicitatem
non esse sitam in habitu. Quod docuerat lib. 1.
cap. 7. & nunc denuò probat dupliciter. Pri-
mò. Felicitas non est sita in eo, quo existente in
homine, ipsa non existit. Quippe vnumquodq;
necessum est existere quoties & vbi existit, id
per quod constituitur. Atqui existente quoli-
bet habitu in homine fieri potest, ac solet, vt
non existat Felicitas. Ergo hæc in nullo habitu
sita est. Probat minor sive assumptio, in ho-
mine prædico quibuslibet habitibus, sed tamen
dormiente: in quo certè nõ est Felicitas. Porrò
hanc non esse in homine dormiente, convincit
ratione manifesta. Felicitas enim est quid
perfectissimũ, & absolutissimũ: vt pote summũ
naturæ rationalis bonũ. Atqui in homine dor-
miẽte nihil est perfectissimũ, & absolutissimũ.
Dum enim dormit, est omnino absque actione
perfecta rationalis animi, solumque exercetur
in ea, quæ omni animæ viventi & sentienti
communis est, & consistit in motu nutritionis,
atque imaginatricis facultatis, seu phantasie,
eo tempore inordinata. Quòd si forte aliquan-
do intellectus in dormiente videtur aliquid
cognoscere, id solũ imperfectè sit. Felicitas er-
go non est in homine dormiente. Et tamen in
eo resident, vt supponimus, quilibet Virtutum
habitus, tam intellectuales, quam morales. Fe-
licitas igitur in nullo eiusmodi habitu sita est.
Secundò id ipsum probat: Quia in quibuslibet
calamitatibus, etiã extremis, manent omnes
habitus Virtutũ antea acquisiti, hærentque ani-
mo vici probi. Et tamen tunc non inest Felici-
tas. De quo relegenda sunt, quæ tradidit lib.
1. cap. 10. Felicitas ergo in nullo habitu Vir-
tutum posita est. Quare superest, vt consistat
in actione, vt traditum fuit eodem lib. 1.
cap. 7.

4 VERVM Cum actiones humanæ
sint plurimæ, atque inter se dissidentes, non fa-
tis est dicere, Felicitatem in actione sitam esse,
nisi & præterea explicatiùs, ac nominatim di-
catur, quænam eiusmodi actio sit. Hoc autem,

vt edisserat, dividit actiones humanas: vt quædam illarum sint propter se expetendæ, quædam autem solum propter aliud. Ea verò divisione præmissa, decernit, Felicitatē sitam esse in actione per se optabili & expetenda. Probatque: Quia quidquid propter se quaeritur, & non propter aliud, si in actione consistit, debet esse sitū in eā quæ per se optabilis & expetenda est. Atqui Felicitas propter se quaeritur, & non propter aliud: cum sit summum hominis bonum, de cuius ratione est vt propter se quaeratur, & non propter aliud: vt *ead. lib. 1. c. 4.* demonstratum est. Ergo Felicitas, si consistit in actione, debet sita esse in ea, quæ propter se optabilis & expetenda est.

5 SED Præterea, cum & actiones per se optabiles, & expetendæ sint plures, ac diverse, restat adhuc inquirendum, in quam illarum consistat Felicitas. Id vt expediatur, constituit duo genera actionum per se optabilium. In altero eorum collocat eas, quæ Virtutum actiones dicuntur & sunt: in altero verò ludicras, quæ ad voluptatem referuntur. Et utriusque quidē generis actiones propter se expetibiles esse probat. Priores quidem: quia ratione honestatis suæ nos alliciunt, absque ordine ad utilitatē, voluptatemve. Posteriores autē: quia delectationes ex ludo alijsque rebus institutis ad oblectamentū animi, non referuntur ad utilitatem aliquā: cum ex ijs nemo ferè commodū, seu utilitatē percipiat; quin potius plurimū detrimenti subire soleat. Experimento enim patet, plurimos ludorum causā, non modò patrimonium dilapidare, & opes suas prodigere, sed & salutē corporis perdere, & impedire magna honoris incrementa, quæ alioqui haberent. Igitur posteriores voluptates, id est, ludicras, non quaeruntur utilitatis causā, sed dumtaxat suipsarum.

6 CIRCA Secundam partem statuit, ex duplici genere actionum per se optabilium Felicitatem solum esse positā in priori; nimirum, in actione Virtutis: non autē in posteriori; videlicet, in actione ludicrā. Quod quidē nō frustra docet, sed vt debellet insitū ferè errorē vulgaribus hominibus, qui nullam aliā Felicitatē cogitare videntur, aut optare, nisi eam, quæ ludicris exercitationibus contenta est. Huius autē erroris causam Aristoteles monet esse in eo quod videant eos, qui potestate & rerum amplitudine supereminent, nullam aliā expetere Felicitatē. Quippe ij plerumque opes suas & horas collocant in aliendis, audiendiq; hominibus, non tam urbanis, & lepidis, ac colloquio suavis (quod ad Virtutē spectare dictū est *lib. 3. cap. 8.*) quam scurris, histrionibus, parasitis, morionibus, & pumilionibus: quorum inanes & ridiculas operas amplissimā mercede conducunt, vt risum exinde, voluptatemque omnino ludicram capiant. Quam eandem po-

pularis erroris causam indicaverat iam *lib. 1. cap. 5.* & videtur redigi ad hunc syllogismum vulgarium hominū. Felicitas sita est in eo, quod Reges, Principes, ac primarij in Republica homines, summo studio expetant, & persequuntur; quippe qui vnicē in votis habere videntur, vt felices, seu beati sint. Atqui Reges, Principes, & primarij quique in Republica homines, summo studio expetant & persequuntur ludicras voluptates. Felicitas ergo sita est in ludicris voluptatibus.

7 NIMIRVM, Potētib; in sæculo plerumque in voluptatibus, & ludicris exercitationibus, vitæ tempus infumitur, quasi nulla præterea Felicitas sit, quam quaerere oporteat. Quippe ij reip̄a, aut etiam verbis dicunt illud Alcioni apud Homerum *Odyss. 1.* alloquens Vlysem:

Semper nobis convivium gratum est, citbaraque, choreaque,

Vesteque mutatoria, balneaque calida, & cubilia.

Sed agite Phœacum saltatores optimi, tripudiate.

Præterea venit ferens citbaram canoram

Demodoco: hic autem postea iovit in medium: circum autem iuvenes,

Puberes saltabant periti saltationis.

Verū quæ demum solis maneat, quis tandem exitus sit eius spurie felicitatis, sapientissimus Iob paucis edisserit *cap. 21. v. 12.* dum de ijs hominibus inquit: *Tenant tympanum, & citbaram, & gaudent ad sonitum organi. Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Ibi luunt, quas meruerunt, a siduorum ludorum & voluptatum turpium acerbissimas pœnas: vbi,

Flamma immortalisque, atroxque, interminaque, & nec

Vi, sorte, aeterno aut dissolvenda die.

8 CÆTERVM Ratiocinationē illam vulgi refellit Arist. quoniam Principes ac potentes homines, è quorum exemplo argumentum efformant, non sunt apti, quibus fides præstetur; nec digni, quos ceteri sequantur in quaerenda, aut æstimanda Felicitate. Neque enim talis eorum vita est, aut existimatio, sive iudicium de rebus agendis, vt actiones humanæ censeantur bonæ, aut malæ, voluptatesque veræ, aut falsæ, prout ipsi definiierint. Actionum namque honestarum, & solidarū delectationū, sive per se expetendarū fons est duplex: Virtus & Mens; sive Ratio recta & Prudentia. Neutra autem earum Regno, aut Principatui annexa est. Ergo ex eo quod Reges, aut Principes agunt iudicantve, non est statuenda regula aliqua actionum, aut delectationum honestarum. Quippe ipsi plerumque ignorant,

ex-

Experimento saltem puras delectationes & immixtas; solumque vacant ijs, quæ ludicra, aut aliter turpes sunt. Superest igitur, ut actionum humanarum quæ bonæ sunt discernantur à malis, & delectationum quæ veræ à falsis, iuxta præscriptum rationis rectæ & Prudentiæ. Pessimissima ergo est ratiocinatio illa vulgi: quoniam Felicitas non est metiendæ ex eo, in quo improbi Reges Principesve suam felicitatem constituunt; nimirum, ex delectationibus ludicris, & impuris: sed in eo tantum putanda est consistere, quod iuxta Virtutem, & rationem rectam est. Id enim solum apparet dignum, ut in eo summum hominis bonum collocetur.

9 CIRCA Tertiã partem demum constituit, Felicitatem solidam in actione Virtutis positam esse; non autem in lusione, sive exercitatione ludi. Assertio hæc bimembris est, & seorsim quò ad singulas partes ab Arist. probatur. Quò ad priorem quidem in hunc fere modum. Id quod maxime expetendum atque optabile est viro probò, veluti pretiosissimum inter omnia, est in quo sita est Felicitas. Atqui actio Virtutis est quid maxime expetendum & optabile viro probò, veluti pretiosissimum inter omnia. Ergo actio Virtutis est id, in quo sita est Felicitas. Maior patet: Quia id quod maxime expetendum atque optabile est viro probò, est id in quo situm est summum hominis bonum, sive ultimus finis humanæ vitæ. Felicitas autem est summum hominis bonum, sive ultimus finis humanæ vitæ. Ergo id quod est maxime expetendum & optabile viro bono, est in quo sita est Felicitas. Iam minor primi & præcipui syllogismi suadetur. Unicuique enim maxime expetenda & optabilis est actio profecta ex illo habitu, quem sibi assiduo, ac voluntario exercitio paravit. Ideoque Philosopho, seu prædico Philosophiæ habitu, suavissimum & maxime expetendum est philosophari, musico canere, pictoriquæ expingere: quoniam eiusmodi operationes procedunt ab habitu voluntarijs actibus adquisito: ut dictum est *lib. 9. cap. 9.* Atqui etiam actio Virtutis in homine probò oritur, sive proficiscitur ex habitu Virtutis, quem ipse sibi assiduo & voluntario exercitio paravit. quod supra *lib. 2. cap. 1.* traditum est. Ergo actio Virtutis est quid maxime expetendum & optabile viro probò.

10 CONFIRMATVR. Cum vir probus sit veluti canon, seu norma totius honestatis, ut sæpe dictum est, proindeq; & Felicitatis, ad quam ducit honestas; censenda est Felicitas in eo consistere, quod eidem viro probò optimum inter omnia est. Atqui actio Virtutis viro probò quid optimum & pretiosissimum inter omnia est. Ergo in actione Virtutis con-

sisistere censenda est Felicitas.

11 POSTERIOREM Asserti partem, quæ dicitur, Felicitatem nullo modo in lusione, seu actione ludi positam esse, multipliciter probat. PRIMO: Felicitas solú est posita in illa actione, quam vir probus existimat optimã, & maxime propter se optabilem. Atqui lusio, sive actio ludi, non est quam vir probus existimat optimam, & maxime propter se optabilem. Felicitas ergo non est posita in lusione, seu actione ludi.

12 SECVNDO. Felicitas est summum hominis bonum, & omnium actionum humanarum finis, ex dictis *lib. 1. cap. 4.* At lusio, sive actus ludendi, non est summum hominis bonum, seu omnium actionum humanarum finis. Ergo lusio, sive actus ludendi, non est hominis Felicitas. Probatur minor, sive assumptio. Omnes enim actiones humanæ fiunt propter summum hominis bonum, sive ultimum finem ipsarum: ut ibidem statutum est. Atqui non omnes actiones humanæ fiunt propter lusionem. Inter eas enim quæ agimus plurima sunt, quæ summo labore & studio paramus; alia quæ non, nisi cum ingenti dolorum perpersione laboreque. Quis autem, inquit Arist. nisi puer, aut stultus, existimet ea omnia fieri propter lusionem? Ergo lusio non est summum hominis bonum, sive omnium actionum humanarum finis.

13 TERTIO. Felicitas nullo sanè modo consistit in illa actione, quæ propter aliam actionem hominis expetitur: cum ipsa sit ultimus finis. At lusio propter aliam actionem hominis expetitur. Felicitas ergo non est lusio. Minorem, in qua esse posset dissidium, probat Arist. autoritate Anacharsidis, cuius proverbium illud fuit: *Ludendum, ut studeas; non studendum, ut ludas.* Simile planè alteri Socraticis effato: *Edendum, ut vivas; non vivendum, ut edas.* Ergo lusio est propter aliam actionem: nimirum, studendi. Siquis autem scire velit, quis, aut quantus fuerit Anacharsis, quem in Philosophorum classe recensendum putaverit Arist. & cuius sententiam, ut gravem ac veram, receperit; consulat Laertium, qui eius vitam & obitum refert. Sufficiat dicere, illum unum inter Scythas, veluti miraculo quodam, fuisse Philosophum. Vnde & in proverbium abiit: *Anacharsis inter Scythas.* quo extollitur aut sapientia alicuius inter indoctos educati, aut Virtus eximia cuiusdam inter improbos. Galenus quoque, sive ut Schyrtas irrideret, sive ut Atheniensibus adularetur; dixit, sicuti miraculum fuit inter Scythas unum aliquem existimare Philosophum, nimirum, Anacharsidem; ita & inter Athenienses miraculo fuisse, quod aliquis non philosopharetur. Porro Diogenes iam allegatus præterea author est, illum fuisse sapientia in-

signum, vitæque ac morum suæ Gentis corrigendorum studiosissimum. Cum autem id lectio apud suos curaret, eique observandas proponeret Atheniensium leges, à fratre Regis Scythiæ sagitta contusus fuit.

14 CONFIRMAT Arist. eandem rationem: Quia ludus institutus est natura sua ad relaxationem animi, requiemque à labore & studio; ut, nimirum, ea intermissione levati ab onere, identidem ad studium & laborem redeamus. Homines enim, inquit, *ἀπορα τὸντες οὐρεχὸς πορνῆ, ἀναπαύσεως δεοῦται, cum non possint assidue laborare, requiem indigent.* De quo vide supra lib. 4. c. 8. & lib. 9. cap. 9 & hoc ipso lib. cap. 4. Igitur lusus propter laborem & studium repetendum instituta est: atque adeo propter alium finem, quod sane repugnat Felicitati, quæ ad nullum alium ordinatur finem. Felicitas ergo non est in lusione posita.

15 QUINTO. Felicitas est melioris, tum rei, tum hominis, tum & partis eiusdem hominis. At lusus non est melioris, tum rei, tum hominis, tum & partis eiusdem hominis. Felicitas ergo non est lusus, seu posita in lusione. Maior propositio syllogismi patet. Felicitas enim est in re meliori: quoniam si duarum rerum bonitate inæqualium comparatio fiat, quaeraturque, in utra earum sit Felicitas posita; respondebitur plane, positam esse in meliori. Est etiam melioris hominis: quoniam ex duobus hominibus inter se comparatis ille censetur felix, qui apparuerit melior. Est denique melioris partis eiusdem hominis: quia Felicitas potius in anima, quam in corpore, sedem habet: ut demonstratum est lib. 1. cap. 5. Felicitas ergo est melioris, tum rei, tum hominis, tum & partis hominis. Minor autem præcipua probatur: Quia nec res ludicræ sunt meliores, quam seriæ, gravesque: nec vir ludendi studiosus melior est, quam qui serijs & gravibus intentus est: nec denique corpus, quo ludicra peraguntur, melior pars hominis est, quam anima, in cuius recessu tractantur gravia & seriæ. Ergo lusus, sive actio ludicra, non est melioris, tum rei, tum hominis, tum & partis hominis.

6 CONFIRMATVR. Etiam eiusdem animæ partes, sive facultates, sunt plures, & aliæ alijs meliores, seu præstantiores. Felicitas autem solum ad præstantiorem animæ partem spectat: ideoque præstantior censetur, qui se exercet secundum partem animæ contemplaticam, quam effectricem: melioresque sunt qui contemplantur, quam qui Virtutis moralis operationem exercent absque contemplatione. Igitur Felicitas collocata est in facultate, & actione animæ præstantiori meliori que. Hanc verò non esse lusionem, patet: quoniam nec in præstantiori animæ parte exercetur; nec an-

tecellit contemplationi, nec operationi secundum Virtutem moralem; sed est inferiori loco relatè ad utramque. Felicitas ergo longè præstantior est, quam ut in lusione constituat.

17 QUINTO. Mancipia, (servique) non sunt capaces Felicitatis, quandiu in servitute, & pessima eius status miseri conditione existunt. At iidem ipsi capaces sunt eius delectationis, quæ ex ludo habetur. Felicitas ergo non est posita in ea delectatione, quæ ex ludo habetur. Maior, in qua est difficultas, sub obscure significatur ab Arist. illis verbis: *εὐδαιμονίας δ' ἡ δαίμων ἀνθρώπων μὴ αἰσχροσύνην, ἀλλὰ τὴν ἡμετέραν.* Felicitatem verò nullus mancipio tribuit, nisi etiam vitam. Quibus planè supponit, servos non esse participes vitæ: nimirum, felices: ut hoc loco interpretantur Eustratius & Argyropilus, alijque. Aut certe, iuxta expositionem Giphani, & conformiter ad stilium Iuriconsultorum, Aristoteles omnem servis vitam negat: quoniam servi in iure pro nullis habentur, aut pro mortuis, quatenus civili vitæ mortui sunt, neque ad ullam Reipublicæ partem spectant, iuxta l. *Quod attinet, ff. de Regul. iuris.* Unde iuxta hanc expositionem, sic probari potest illa maior propositio. Quicumque capax est Felicitatis, capax est etiam vitæ: cum Felicitas sit vita perfectissima. At servi non sunt capaces vitæ: ut nuper probatum est. Ergo neque sunt capaces Felicitatis. Et tamen capaces sunt ludicræ delectationis. Felicitas ergo sita non est in ludicra delectatione.

18 ALII Demum eo nomine *ταῖς βίαις*, vitæ, ab Aristotele servis denegatæ, intelligunt eam, quæ secundum Virtutem est. Itaque iuxta expositionem hanc sic probanda erit maior illa propositio. Quisquis capax est Felicitatis, capax est etiam vitæ posita in actione Virtutis. Nam, ut idem Philosophus loquitur lib. 7. Polit. c. 13. *ὁ σκλαβὸν ἀδύνατον, non est otium servis.* Cum enim proflus addicti sint imperio dominorum, non possunt rebus honestis vacare, & ijs actionibus, quibus adquiruntur Virtutes, & paratur Felicitas. Ergo servi capaces non sunt Felicitatis.


19 CONFIRMATVR Doctrinæ hæc, simul & explicatur, observando ex eodem Aristotele lib. 1. Politic. cap. 8. quaestionem esse, an servus, puer, & mulier, possint esse Virtutis participes. In qua controversia, postquam in utramque partem disputavit, sic demum ex propria sententia responderet: *Atque omnibus (nimirum, servis, pueris, & mulieribus) insunt sanè animi partes; sed insunt dissimiliter. Nam servus quidem profusus non habet vim consultandi: femina verò habet vim, sed infirmam: puer*

ut.

verò habet quidem, sed imperfectam. Quare
& simile n oportet esse rationem, & in mora-
libus Virtutibus existimandum; oportere qui-
dem omnes esse participes; sed non eodem modo:
verùm quantum cuique ad suum opus, & mu-
nus sit satis. Itaque non omnino negat Aristo-
teles servis (sicut nec pueris, nec fœminis)
actionem Virtutis; cum planè concedat ijs to-
tam illam, quæ necessaria est ad servile mu-
nus honestè exercendum, ut neque per intem-
perantiam, neque per timiditatem deserant
opera sibi à domino iniuncta: quod insuper

habetur eodem capite. Verùm ea Virtus tan-
ta non est, nec tam perfecta, ut sufficiat ad
parandam Felicitatem, quæ certè non, nisi
actionibus Virtutum omnino perfectis, & vn-
dequaque absolutis acquiritur. Servi igitur
capaces Felicitatis absolutæ non sunt. Et ta-
men idonei sunt ad ludicras voluptates exci-
piendas. Felicitas ergo posita non est in ludi-
cris voluptatibus.

VIDE D. Thomam 1. 2. quæst. 4. art. 2.
& q. 4. art. 1. atque illius Interpretes.



CAPVT SEPTIMVM.

De Felicitate contemplativa.



QUOD Si felicitas operatio est per virtutem, con-
sentaneum est rationi, per eam esse, quæ est
præstabilissima: hæc autem eius fuerit, quod
est optimum. Sive igitur mens sit hoc, sive
aliquid aliud, quod quidem natura dominari
videtur, ac imperare, & animadversionem
habere de honestis, divinisque rebus, aut quia
divinum & ipsum est, aut quod eorum, quæ sunt in nobis, est divinis-
simum, huius operatio per virtutem propriam ipsa felicitas fuerit bea-
tudoque perfecta. Dictum est autem, ipsam esse contemplationem.
Atque consentaneum hoc & antea dictis, & veritati videbitur esse.
Hæc enim operatio præstabilissima est: quippe cum & mens sit eorū,
quæ in nobis insunt, præstantissimum, & ea, circa quæ mens versatur,
cognoscibile præstabilissima sint. Est prætereà continua maximè:
nam contemplari magis continuè, quàm agere, quod vis possumus. Ar-
bitramur prætereà, felicitati voluptatem admixtam esse oportere. Iu-
cundissima autem operationum virtutum, est ea haud dubiè, quæ per
sapientiã. Itaque Philosophia mirabiles tum puritate, tum firmitate vo-
luptates habet. Atque consentaneum est rationi, scientibus, quàm quæ-
rentibus, oblectamentum ipsum iucundius esse. Ipsa quoque sufficien-
tibus maximè fuerit in contemplatione: nam & sapiens, & iustus, &
cæteri rebus ijs indigent, quæ necessariae sint ad vitam. Sed si satis his
talia adsunt, iustus quidè eorum indiget, ad quos, & eum quibus ege-
rit iuste: & temperans item, ac fortis, & singuli cæterorum. At sapiens, si

si solus etiam sit, contemplari potest: & quò sapientior est, eò magis potest. Melius autem fortasse si habeat adiutores: attamen sufficientissimus ipse est. Præterea, propter se ipsam amari sola videtur: nihil enim ab ipsa fit præter hoc, contemplatum, inquam, esse. At cum agimus, præter ipsam actionem, aut plus aliquid, aut minus assequimur. Videtur etiam in otio felicitas ipsa consistere. Negotia nanque suscipimus, ut otium habeamus: & bellum gerimus, ut in pace degamus. Operationes igitur activarum virtutum, civilibus, aut bellicis in rebus versantur: actiones autem, quæ in his fiunt, negotiosæ sunt. Atque bellicæ quidem omnino. Nemo nanque bellum expetit gerere, gerendi gratia belli, neque bellum ob bellum parat: videbitur enim crudelis quidam, & sanguinolentus penitus esse, si faciat amicos hostes, ut pugnae, caedesque fiant. At & ipsius civilis negotiosa est, & præter ipsam administrationem potestates comparantis, atque honores, aut felicitatem sibi ipsi & civibus: quæ quidem diversa est à civili, quam quaerimus ut diversam. Si igitur civiles quidem, & bellicæ actiones, cæteris actibus, qui à virtutibus profiscuntur, pulchritudine, magnitudineque præcellunt: hæc verò negotiosæ sunt, atque aliquem finem affectant, & non propter se ipsas sunt expetibiles: mentis autem operatio, & studio antecellit, cum contemplativa sit, & præter se ipsam nullum affectat penitus finem, habetque voluptatem propriam, quæ quidem operationem ipsam exauget. Sufficientia insuper, otium, defatigationis vacuitas, & humana, & quæcunque alia viro tribuuntur beato, per hanc operationem illi inesse videntur. Perfecta felicitas hominis fuerit hæc profectò, sumpta longitudine vitæ perfecta. Nihil enim felicitatis est imperfectum. Talis autem vita superat hominis naturam. Non enim hoc ipso, quo homo est, ita vivet, sed quo est quid in ipso divinum. Quantum igitur hoc ab ipso composito differt, tantum & huius operatio distat ab ea, quæ à virtute alia profiscitur. Quòd si mens divinum ad ipsum hominem est, & vita, quæ ab hac manet, divina est respectu ipsius vitæ humanæ. Oportet autem non, quemadmodum monent quidam, humana nos sapere, cum simus homines, aut mortalia, cum simus mortales: sed, quo ad fieri potest, immortales nos ipsos facere, cunctaque efficere, ut ea vita vivamus, quæ ab eo manat, quod est eorum, quæ in nobis insunt, præstabilissimum. Nam tamen si parum est mole, vi tamen, & pretio multum omnibus antecellit. Videbitur autem, & unusquisque hoc esse: siquidem præcipuum est, & melius. Absurdum igitur esset, si non suam, sed alicuius alterius, expeteret vitam. Id insuper, quod dictum est antea, nunc etiã accommodabitur.

Quod

Quod est enim natura unicuique proprium, id optimum unicuique, & iucundissimum est. Et homini igitur ea vita, quæ ab ipsa proficitur mente: siquidem maximè hoc est homo: hæc ergo est & felicitissima vita.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS SEPTIMI.

Felicitatem sitam esse in operatione Virtutis optimæ secundum optimam facultatem. Hanc verò esse intelligentiam: ideoque demum Felicitatem perfectam consistere in veritatis contemplatione: utpote quæ actione præstantior sit.

AD SPLENDIDISSIMUM, ET EXIMIÈ ERVDITVM, OMNIBVSQVE
GRATIARVM DOTIBVS AFFLVENTEM
HEROEM,

D. D. PETRVM DE VLLOA ET GOLFIN,
ALCANTARENSIS MILITIÆ EQVITEM, SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS
CONSILIARIVM, OLIM IN SALMANTICENSI ACADEMIA
PRÆSTANTISSIMÆ DECRETI CATHEDRÆ PROFESSOREM
CELEBERRIMVM, ET COLLEGII MAIORIS
CONCHENSIS SODALEM, &c.



STATVTVM Fuit præcedenti capite, Felicitatem sitam esse in actione Virtutis. Cum verò actiones Virtutis plurimæ & diversæ sint, aliæque solum in contemplatione consistant, aliæ verò circa opus versentur, pergit Aristoteles ad exponendum, in quonam eorum generum sit actio, in qua Felicitas posita est. Dividit verò caput in tres partes. In prima docet, Felicitatem esse sitam in actione secundum optimam Virtutem optimæ facultatis: hanc verò esse intelligentiam, quæ principatum obtinet in homine. In secunda statuit, perfectam Felicitatem in contemplatione veritatis sitam esse. In tertia idiptum probat comparatione facta inter contemplationem & actionem.

2 **CIRCA** Primam partem, supposito ex præcedenti capite, Felicitatem actione Virtutis consistere, discernit, eam in actionem debere esse optimæ Virtutis, & sedem habere in optima hominis facultate. Quod totum colligitur ex ipsa notione Felicitatis, quæ est ultimus finis, sive summum hominis bonum, ac proinde præstantissimum. Ergo si consistit in actione Virtutis, debet certè actio esse Virtutis summæ ac præstantissimæ. Virtus autem summa & præstantissima debet residere in eâ animæ facultate, quæ cæteris omnibus præstantior est. Felicitas igitur debet constitui in actione secundum optimam Virtutem, quæ proinde sedem habeat in optima sive præcellentissima animæ facultate.

3 **QVÆNAM** Autem sit facultas animæ optima, idem Aristoteles edidit, tum ex nominibus & appellationibus ipsius: tum præterea ex proprietatibus, sive notis. Circa nomina autem inquit, eam fortasse appellari *νοῦν*, mentem, sive alio quoppiâ nomine. Quod dixisse videtur, quia a Platone nominatur *νοῦς ψυχῆς*, intelligens anima. Vicumque autem appellanda sit facultas animæ optima, monet illam esse, quæ secundum naturam videtur dominari, & præesse, ac notitiam habere de præclaris, ac divinis rebus: sive illa sit aliquid divinum; sive eorum, quæ in nobis sunt, divinissimum. Quibus verbis videtur meminisse opinionis illius, seu potius erroris quorundam Veterum, existimantium, mentem hominis esse aliquid divinum, seu particulam divinæ mentis. Quidam enim Deum ipsum appellabant *animam Universi*, cuiusque magnæ animæ particulas faciebant animas hominum. Unde & apud Laertium in *Zenone*, aiebant, *τῆς τῶν ὄλων ψυχῆς μὲν εἶναι τὰς ἐν τοῖς ζῴοις ψυχὰς*, animæ *Universi* partes esse animantium animas. Plutarchus quoque in *Apologia de Dogmat. Platonis*, sic loquitur, quasi ex mente ipsius: *Anima mentis, & rationis consors, non solum opus Dei est, sed & pars: neque ab ipso, sed ex ipso est facta.* Et præterea cap. 14. *Anima iligata, & coniuncta Deo sunt, ut particule sint eius, & decerpta.* Sunt & alia his similia apud Græcos.

4 **LATINORVM** Quoque plures fuerunt in eodè errore, indicato ab Aristotele

in presenti, quantum ex eorum verbis conijcere licet. Cicero 5. Q. Q. Tullius. *Humanus*, inquit, *animus decerptus ex mente divina*. Seneca Epist. 92. loquens de homine: *Quid est autem, quod non existimes in eo divini aliquid, existere, qui Dei pars est*. Idemque docet de Vita beata, cap. 32. dum ait, *hominem divini spiritus esse partem, ac veluti scintillas quasdam sacrarum* (alii legunt, *astrorum*) *in terras desiluisse, atque alieno loco adhaesisse*. Manichæi quoque, & Marcionistæ hæretici *animam de propria Dei substantia formabant*, ut testatur Tertullianus lib. 4. *adversus Marcionem*, cap. 37. Idem sentit Carpocrates apud Irenæum lib. 1. *adversus hæreses*, cap. 24. & Cerdo apud Theodoretum lib. *de divinis decretis*, & Gnostici, ac Priscillianistæ apud S. Augustinum lib. *de Heresibus*, cap. 46. & 70. Ut mirum non sit quod Horatius, Ethnicus, & Poeta, eidem errori subscripserit, illis versibus:

————— *corpus onustum*
Extremis vitijs, animum quoque per gravat
una.

Atque affigit humo divina particulâ aureâ.
 Neque hoc loco impugnanda est tam irrati-
 onabilis existimatio: cum id propriam sedem
 habeat in libris de Anima: ubi id iam præstari
 disp. 75. & 79. Modò sufficiat notare, quinã
 fuerint in eo errore indicato ab Arist. in præ-
 senti, verbis illis: *εἰτε θεῶν ἢ ἢ ἀυτῶ, αὐτὸ*, *aut*
quia divinum quid ipsum est.

5 CÆTERVM, Quamvis facultas in-
 telligentis animæ, sive mens, quæ cæteris fa-
 cultatibus longè supereminet, sit in cuius actio-
 ne Felicitas sedem habet, adhuc tamen dubita-
 tur quænam sit eiusmodi actio: an contempla-
 trix, an potius operatrix. Vtrumque enim ha-
 bet intellectus, sive mens: quoniam altera illius
 actio, sine ullo ordine ad opus, contemplatur
 potissimum res divinas, & à corporis, sive ma-
 teriæ concrectione liberæ; deinde & veritates
 quaslibet, ac naturas rerum: altera in operatio-
 nem tendit, dum perspicit in moribus & re-
 bus agendis quid honestum sit, idque exe-
 quendum præcipit; atque insuper præscribit
 ea, quæ ad utilitatem publicam spectant, &
 privatam vniuscuiusque. Dubitatur, inquam,
 vtra prædictarum mentis actionum aptior sit,
 ut in ea constitutur Felicitas. Respondet ve-
 rò Arist. illam sitam esse potius in actione cõ-
 templante, quàm operatæ; sive, ut vocibus apud
 Scholasticos receptis utamur, potius consistere
 in cognitione speculativa, quàm practica.
 Quâ resolutione dirimit celebrem illam con-
 troversiam, in qua quaeritur, summa dissiden-
 tium partium contentione, vtra Felicitas po-
 tior sit. an contemplatrix & solitaria: an po-
 tior civilis, & socialis, seu collocata in publi-
 ca luce. Dirimit, inquam: & pro contemplatri-

æ Felicitate suffragium fert, tanquam nobilio-
 re, & excellentiore.

6 CIRCA Secundam partem decer-
 nit, Felicitatem in actione contemplantis ani-
 mæ sitam esse. Idque probat sex rationibus.
 PRIMA sic proponi potest. Felicitas absolu-
 ta hominis posita est in illa actione, quæ opti-
 ma est, seu perfectione supereminet inter om-
 nes alias. At sola contemplatio animæ est op-
 tima actio, sive perfectione supereminens in-
 ter omnes alias. Ergo in sola contemplatione
 animæ sita est Felicitas absoluta. Maior patet
 quia Felicitas absoluta hominis est suprema
 illius perfectio. Ergo sita esse debet in ea actio-
 ne, quæ omnium optima est, ac perfectione su-
 pereminens cæteris. Minor autem suadetur.
 Quia perfectio actionis colligitur ex perfe-
 ctione subiecti in quo recipitur, & obiecti cir-
 ca quod versatur. Ergo sola illa actio erit op-
 tima, cuius subiectum, pariter & obiectum, fue-
 rit optimum. Atqui contemplationis subiectum
 optimum absdubio est; nimirum, intellectus, si-
 ve mens, potentiarum hominis nobilissimæ;
 obiectum quoque summè excellens; nimirum,
 res præstantissimæ, & mortalis, seu corporeæ
 concrectionis expertes, ac potissimum divinæ.
 Ergo sola contemplatio animæ est actio opti-
 ma, sive perfectione supereminens cæteris.

7 SECUNDA Ratio. Felicitas ho-
 minis est actio inter cæteras maximè continua-
 ta & perpetua, ut lib. 1. cap. 7. dictum est: quo-
 niam id ipsum denotat notio ipsa Felicitatis,
 ut durabilis, constans, & diuturna sit. Atqui
 inter omnes actiones humanas contemplatio
 est maximè continuata, & perpetua. Ergo in-
 ter omnes actiones humanas sola contempla-
 tio est in qua consistit Felicitas. Probatur mi-
 nor, in qua esse posset dissidium: Quia cæte-
 ræ omnes actiones per se loquendo inferunt
 corpori defatigationem & molestiam, quo-
 niam corporis facultatibus exercentur: ideo-
 que eas abrumpere opus est & intermittere, ut
 quis iterum possit illas repetere. Ergo cæteræ
 actiones per se, sive ex naturâ sua nequeunt esse
 continuatæ, sive perpetuæ. Contemplatio au-
 tem, cum non exerceatur mediante aliqua fa-
 cultate corporis, sed solius mentis, quæ æter-
 na, & incorruptibilis est, per se loquendo, si-
 ve ex natura sua, nullum laborem, sive defati-
 gationem parit, nisi ad summum per accidens,
 & quatenus præsupponit ministerium phan-
 tasie, aliorumvè sensuum. Ergo contempla-
 tio sola inter cæteras actiones hominis per se
 loquendo est maximè continuata, & per-
 petua.

8 TERTIA. Sola illa actio, quæ
 omnium iucundissima est, videtur idonea ad
 Felicitatem constituendam. At contemplatio
 est actio omnium iucundissima. Ergo sola
 contemplatio videtur idonea ad Felicitatem
 con-

Constituendam. Major patet ex communi omnium sensu. Omnes enim arbitramur, Felicitatem absolutam hominis iucundissimam esse, & summo gaudio affluentem: quoniam in eâ possidetur quod summè optabile atque expetendum est: id autem nequit non esse in primis ac maximè iucundum. Minor autem suadetur ab Arist. quia inter actiones humanas illa censeri debet iucundissima, quæ omnium purissima, & maxime sincera est. ideoque hoc ipso libro cap. 5. dum ageretur de speciebus voluptatum, dictum est, eò præstantiores esse, quò puriores & sinceriores sunt. Atqui contemplatio est actio omnium purissima, & maximè sincera: utpotè, habens causam maximè liberam, & segregatam ab omni fœce, sive sorde materiæ; nimirum, sapientiam ipsam, ex quâ proficiscitur. Ergo contemplatio est actio omnium iucundissima. Quare proculdubio iucunditas ex contemplatione procedens superat, non solum delectationis turpes corporis & sensuum, sed etiam illas, quæ nascuntur ex operationibus Virtutum moralium; quoniam purior est, & causam à materiâ liberiores habet.

9 CONFIRMATVR. Actio enim illa, cuius delectatio stabilior est, etiam existit aptior ad constituendam Felicitatem: quippe quæ stabilis & diuturna esse debet. At actionis contemplandi delectatio stabilior est, quàm delectationes ex quibuslibet alijs actionibus ortæ. Etenim delectationes aliarum actionum capiuntur ex rebus instabilibus: quibus mutatis, aut corruptis, nequeunt illæ permanere. Delectatio autem contemplationis sumitur ex rebus stabilibus ac perperuis; proindeque & ipsa stabilis ac firma est. Ergo actio contemplandi aptior est cæteris omnibus ad constituendam Felicitatem. Vbi notandum, Aristotelem loqui de contemplatione ortâ ex habitu Philosophiæ, sive, ut ille ait, secundum sapientiam: quoniam hæc parit delectationes miras ex cognitione rerum excellentium, & longè positarum à naturâ vulgariū hominum. Licet enim initio sit labor in quærenda earum veritate; at tamen ubi ea obrinetur, & in animo versatur, inexplicabilis est voluptas, seu delectatio mētis, quæ oritur ex illius purâ & quietâ contemplatione. Hinc nonnulli præstantium Philosophorum olim absorpti, & quasi extra se positi, atque officiorum civilis vitæ prorsus immemores: quoniam ita rerum stabilium contemplatione delectabantur, ut extra se rapi viderentur.

10 QVARTA Ratio desumitur ab affluentia bonorum, quam sæpe Arist. dicit *ἀυτάρχεια*, sive sufficientiam, quæ certa quædam nota Felicitatis est: ut multoties decursu Operis traditum fuit. Ratio autem sic institui potest. In eâ Virtutis actione, ad quam sibi ho-

mo sufficiens est, absque interventu aliorum, sita est Felicitas: quoniam propria huius nota est *ἀυτάρχεια*, seu copia illa, quâ sibi quisque sufficiens est. Atqui contemplatio est Virtutis actio, ad quam sibi homo sufficiens est, absque interventu aliorum. Ergo in contemplatione sita est Felicitas. Minor, in quâ solâ est difficultas, probatur: Quia homo ad contemplandum veritatem, non indiget villo externo præsidio, adiumentove civilis vitæ, qualiter ad proferendos actus Virtutum moralium. Etenim exercere non potest Iustitiam v. g. nisi adsint iij, erga quos iustus sit: nec Liberalitatem, aut Magnificentiam, nisi habeat opes mediocres, aut magnas, quas in aliorum gratiam impendat: nec Temperantiam, nisi adsint voluptates, à quibus abstinere. Quare summa laudis est illud quod Cicero lib. 2. de Finibus tradit de Pompeio, *magnam ipsi gratiam habendam, quòd cum impunè multa posset, nulla tamen iniquè ageret.* Sola autem contemplatio id habet proprium, ut quisque eius habitu præditus fuerit, absque vllâ externâ ope, aut præsidio aliorum, possit se in illâ exercere, etiam in solitudine, & recessu à cæteris hominibus. Est enim opus internum mentis, quod nullo eget consortio hominum. Ergo contemplatio est Virtutis actio, ad quam sibi homo sufficiens est, absque interventu aliorum.

11 VBI Aristoteles non negat prodesse cōtemplationi societatem aliorum, etiam contemplantium: cum iam antè statuerit lib. 8. cap. iuxta illud Homericum, *δύοτε δ' ἀέρομαίρω*, duos simul euntes consentientesque in re aliquâ melius habere, quàm vnum seorsim. Itaque viro sapienti, ut contempletur, profunt, atque adiumento sunt alij, pariter contemplationi dediti. Verùm quævis eiusmodi societas desit, adhuc pronuntiat, virum probum & sapientem fore sibi satis simpliciter ad contemplandum. Verba in ipso textu plana sunt: *At sapiens, si solus etiam sit, contemplari potest; & quò sapientior est, eò magis potest: melius autem forsasse, si habeat adiutores. At tamen sufficientissimus est ipse.* Quo spectat tritum illud: *Mibi, & Musis.* Ac præterea celebre Scipionis effatum, se nunquam minùs solum, quàm cum ellet solus. Videturque desumptum ex Homero Odyll. k. ubi de Tiresiâ vate accinit, *τῷ δ' ἐτεθρεῶτι*, &c. id est:

*Huic etiam extincto dederat Proserpina mentem,
Ut solus saperet, reliquis volitantibus umbris.*

Et apud Plutarchum in Apophthegmatis Romanorum habetur illud simile: *Ille sapit solus: volitant alij velut umbræ.* Insuper, cum absolute in solitudine possit sapiens contemplationi vacare, patet illum non egere tot bonis for,

fortuna, seu externis, ac degentem in aliorum conuictu, sed longè paucioribus, & ijs tantùm, quæ ad vitam conseruandam necessaria sunt. Quo duplici nomine, & solitudinis, & minoris necessitatis, differt Felicitas contemplatrix à civili & actiuâ.

12 QUINTA Ratio. Felicitas sita esse debet in eâ actione, quæ solùm propter seipsam ex naturâ rei quæritur. At inter actiones humanas sola contemplatio propter seipsam ex naturâ rei quæritur. Ergo inter actiones humanas sola contemplatio est, in quâ Felicitas sita esse debet. Maior constat ex dictis lib. 1. cap. 2. & 4. & evincitur ex ipsâ notionem vltimi finis, qui secundùm naturam suam spectatus, solius sui gratiâ quæritur. Minor autem suaderetur. Quia ceteræ actiones humane pariunt ex naturâ rei alios effectus, quorum gratiâ amari possint: veluti, honorem, gratiam, existimationem, utilitatemve. Sola autem contemplatio est, quæ per se spectata, nihil aliud homini affert, præter veritatis notitiam. Licet enim quandoque magnæ utilitates proveniant ex contemplatione Mathematicæ, aut Physicæ v.g. id solùm est per accidens, sive ex eventu fortuito. Ergo inter actiones humanas sola contemplatio propter seipsam ex naturâ rei quæritur.

13 SEXTA. Felicitas perfecta, licet in actione Virtutis posita sit, ut capite præcedenti demonstratum est; non tamen in actione Virtutis moralis, sive operatricis. Ergo sita esse debet in actione Virtutis intellectualis contemplatricis. Consequentia patet: quia præter Virtutes morales, & ad operandum ordinatas, nulla alia est, nisi intellectualis contemplatrix. Antecedens verò probat Arist. quia Felicitas perfecta exigit otium, seu tranquillitatem animi quiescentis in vltimo fine. At nulla actio Virtutis moralis, seu operatricis, posita est in otio, aut tranquillitate animi quiescentis in vltimo fine. Quod sic suadetur. Actiones præcipuæ Virtutum moralium & practicarum, iuxta ipsum Arist. lib. 1. Polit. cap. 3. bipartitò dividuntur, ut quædam sint civiles, quædam autem bellicæ, seu militates. Earum verò nulla est quæ in otio, aut tranquillitate animi consistat: quoniam utrumque genus actionis negotiosum est, & turbis motibusque obnoxium. Felicitas ergo sita non est in actione aliquâ Virtutis moralis, seu practicæ. Solùm itaque consistet in actione Virtutis contemplantis, quæ certè otium & tranquillitatem affert. Cùm enim sit contemplatio, seu possessio vltimi finis naturalis; nihil restat ampliùs quod quærat, ubi summum bonum obtineatur. Quare superest, ut animus hominis, dum contemplatur, omnino quiescat, & felici otio perfruatur.

14 CONFIRMATVR Et explicatua ampliùs. Actiones enim civiles, quamvis

secundùm Virtutem sint, & ex illâ procedant, nequeunt in otio & tranquillitate fieri: quoniam & in turba populari exercentur, & in ordine ad bonum aliquod, sive privatum, sive commune civium. Quare dum id bonum quærant, sollicitæ sunt de aliquo vltiori bono obtinendo, quod patet impedimento esse tranquillitati & otio. Actiones autem bellicæ (quæ sunt alterum extremum divisionis prædictæ) evidentius carent tranquillitate & otio: cùm & turbulentiæ sint, inter medios armorum strepitus; & præterea non exercentur gratiâ sui, sed in commodum pacis. Nemo enim est, nisi forte immanis, aut sanguinarius, qui gerat bellum propter ipsum bellum: ut eleganter monet Cicero *Philippica* 13. his verbis: *Nam nec privatos focos, nec publicas leges, nec libertatis iura cara habere, quem discorata, quem civium cades, quem civile bellum delectet, eumque ex numero hominum ejiciendum, ex finibus humana natura exterminandum puto.* Verùm & fortasse nervosius idem Aristoteles in præsentiarum loquitur, dum ait: *Nemo namque bellum expetit gerere gratiâ belli: neque bellum ob bellum parat. Videbitur enim crudeliter quidam atque sanguinolentus penitus esse, si faciat amicos hostes, ut pugna cadesque fiant.* Quare eam ob causam exprobrat Marti crudelitatem apud Homerum Pallas, & insuper Horatius lib. 1. Carm. dum eundem Martem ita alloquitur:

*Heu nimis longo satiate ludo,
Quem iuvat clamor, gaudetque leves,
Accerit Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.*

Igitur de primo ad vltimum neque civiles, neque bellicæ actiones fiunt in tranquillitate & otio: ideoque ineptæ sunt ad perfectam Felicitatem constituendam. Quare superest ut ea posita sit in contemplatione, quæ eiusmodi tranquillitate & otio gaudet.

15 NOTANDVM Verò est, quo sensu dicat Arist. contemplationem esse positam in tranquillitate & otio. Non enim est sensus, animam contemplantis viri mortuo modo se habere, aut nihil omnino agere. Duplex enim otium, seu vacatio ab agendo est. Altera quæ solùm significat intercapedinem quædam laboris, seu cessationem interiectam, ut postea quis identidem ad laborandum redeat. De quâ diximus non nihil capite præcedenti, & lib. 4. cap. 8. Et hæc quidem iptum laborem reperendum pro fine habet, quoniam illius gratiâ quæritur. Altera autem vacatio liberalior est, quæ nullum omnino finem eiusmodi habet, neque suscipitur gratiâ alicuius extrinseci: sed solùm quæritur gratiâ sui, quoniam habet rationem finis vltimi & perfectissimi. Diciturque

vacatio, otium, aut requies, quatenus non quaerit quidquam aliud; licet in se ipsa sit actio, & quidem admodum intenta ac vivida circa veritates, quas contemplatur. Hoc igitur posteriori sensu contemplatio dicitur requies, & otium quoddam, quamvis valde vivida & intenta sit. Quare procul a mente Arist. est prior ille sensus, & insuper communis atque vsitatus, quo dicitur quis vacare alicui rei, cui operam dat, ceteris praetermissis: quo sensu apud Ciceronem dicitur vacare armis aut Philosophiae, apud Plinium vacare corpori, apud Curtium vacare sermone, apud plerisque passim vacare alijs rebus. Vacatio autem hoc loco pro tranquillitate animi felicitis accipitur.

16 CIRCA Tertiam partem confirmat eandem excellentiam contemplationis, paulo ante probatam, comparando illam cum actione practica, atque huic illam praefereendo. Ratio aurem, qua id suadet, sub hanc formulam proponi potest. Vita quae competit homini secundum quod est aliquid sublime & quoddammodo divinum, perfectior & excellentior est, quam illa, quae ipsi competit quatenus homo est. At contemplatio est vita competens homini secundum quod est aliquid sublime, & quoddammodo divinum: actio autem practica competit ipsi quatenus homo est. Ergo contemplatio perfectior & excellentior est, quam actio practica. Maior cum consequentia patet. Minor autem probatur. Contemplatio enim est vita competens homini secundum mentem, sive intelligentiam, quae certe aliquid valde sublime est, & imitatio quaedam divinae mentis; ideoque quid divinum per participationem, aut similitudinem. Actio autem practica, etiam ex Virtute morali procedens, competit homini prout composito ex corpore & anima, ac versanti in civili convictu, seu modo communi vivendi cum alijs hominibus. Ergo contemplatio est vita competens homini secundum quod est aliquid sublime & quoddammodo divinum: actio autem practica competit homini secundum quod homo est.

17 CONFIRMATVR. Vita hominis prout constantis animo & corpore, intellectu & sensu, eatenus perfecta dicitur & est, quatenus opera animae sentientis ab homine facta sunt rationi consentanea: ideoque operationes Virtutum moralium, in appetitu sensitivo residentium, procedunt ab homine, prout constante animo & corpore, intellectu & sensu. Ergo longe minus perfectae sunt, quam contemplatio veritatis pura: quoniam haec solum procedit a nobiliore & praestantiore hominis parte, quae est anima & mens, in qua sola sedem habet sapientia, contemplationis parens. Vnde & iterum conficitur, perfectam Felicitatem hominis, non in actione practica, aut operatione Virtutis moralis, sitam esse: sed in contempla-

tionem sola, quae certe vita perfectior & excellentior est.

18 OPPONIT Aristoteles sibi effatum quorundam, alleverantium, hominem non debere esse sollicitum comparandi sibi id quod divinum quoddammodo est, sed quod humanum. Ita enim tradidisse videtur Socrates apud Lactantium lib. 3. divin. Instit. & apud Xenophontem lib. 3. & 4. de dictis & factis Socratis similiterque Diogenes lib. de Natura, teste Simplicio, Isocrates in laudatione Helene. Praeterea in eadem opinione fuisse Anaxagoram, Socrate antiquiorem, testatur idem Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2. atque initio eiusdem Metaphysicae, tribuit eam Hesiodo, quem alioqui ut sapientissimum Poetam saepe allegat cum laude. Itaque obiectio summatim haec est. Si contemplatio, ut hactenus diximus, est bonum adeo sublime, & quo quoddammodo divinum, non erit expectanda profectio ab homine, qui solum debet quaerere bonum humanum. Atqui ab homine quaerenda est Felicitas: cum naturaliter debeat suum ultimum finem appetere. Felicitas igitur non est sita in contemplatione.

19 HANC Verò objectionem, & aliorum opinionem refellit Aristoteles: Quia potius expedit homini, ut immortalia & aeterna cogitando studiosè perquirat, quo ea limpidam mentis acie contempletur. Quod sic ferè probat. Convenientissimum homini est, ut studeat id assequi, quod sibi competit secundum nobiliorem & praestantior partem sui. At contemplatio ita est aliquid divinum, ut tamen competat homini secundum nobiliorem & praestantior partem sui. Ergo contemplatio ita est aliquid divinum, ut convenientissimum sit homini quod studeat eam assequi. Quare extrarem opponunt allegati Philosophi, hominis studium non debere ferri ultra ea, quae humana sunt, & divina censentur. Quippe contemplatio non est aliquid divinum, quasi ab homine separatum, & in altiori omnino ordine positum: sed solum est quid divinum, quatenus exercetur in ea hominis parte, sive secundum illud, quod praecipuum, & ut loquitur Arist. supra lib. 9. κυρίως τῶν, maxime dominans in homine est. Nimirum, contemplatio est actio hominis secundum partem animae superiores, quae est mens, & dicitur θεῖον τι, divinum quid, quatenus speculatur divina & aeterna.

20 DICES: Paulo superius traditum fuit, vitam contemplatricem non esse vitam secundum hominem, sed longè excellentiorem, & quoddammodo divinam. Modo autem vivemur asserere oppositum: siquidem pronunciamus, vitam contemplatricem esse homini consentaneam secundum portior partem sui, quae est mens. Quidquid enim homini competit secundum aliquid proprium ipsius, est quid proprium hominis, quia homo est. At contem-

plac

platio, ex modo dictis, competit homini secundum mentem, quæ est aliquid maxime proprium ipsius. Ergo contemplatio, seu vita contemplatrix, est aliquid proprium hominis, quia homo est.

21 RESP. Viramque doctrinam facile coherere. Dum enim supra dixit Arist. vitam contemplatricem non esse propriam hominis, loquebatur de homine ut quoddam totum sive complexum est ex animo & corpore: quæ ratione solum exercet actiones ab animo simul & corpore dependentes, inter quas non censetur contemplatio. Cum verò in extrema capituli parte docet, contemplationem competere homini, seu esse propriam ipsius; non loquitur de homine adæquatè considerato, sive quatenus complexum quoddam est: sed solum inspecto secundum partem superiorem & præstantiorem, quæ est anima, seu mens sapientiæ habitu prædita. Iuxta hanc enim considerationem maxime proprium, seu contentaneum est ipsi æterna & divina contemplari. Quare merito rejicit Aristoteles existimatio-

tionem Hesiodi, Anaxagoræ, & Socratis, sive lint contemplationem veritatis non esse homini quaerendam, tanquam aliquid sit omnino superius homine. Licet enim ita sit, considerato homine in ratione totius ex corpore & animâ coalescentis, & secundum utramque partem simul operantis; non tamen inspecto secundum id solum, quod *υψηλότερον*, sive prædominans in homine est. Vnde quamvis contemplari studeat, non propterea vult altum sapere, nec contraire documento illi eiusdem Socratis, *τὰ ὑπὲρ ἡμῶν, ἢ πρὸς ἡμῶν. quæ supra nos, nihil ad nos.* Vide Alcibiæ Emblem. 102. & ibidem Cl. Minoem, ubi plura ad rem.

Ad questionem hoc ipso capite profiligatam de præstantiâ Felicitatis contemplatricis supra actuosam, pertinet tota fere doctrina capituli sequentis. Quare Obertus Giphanius censet, perperam fuisse ab Interpretibus divisum unum caput ab alio.

VIDE D. Thomam 2.2. q.3. art.3.4.5.6.7.& 8. atque illius Interpretes.

CAPVT OCTAVVM.

De Felicitate activa, & præcipuo munere operationis.



SECUNDO Autem est ea vita, quæ à virtute aliamanat. Operationes enim, quæ ab hac prodeunt, humanæ sunt. Nam iusta, & fortia, & cætera, quæ à virtutibus proficiuntur, inter nos ipsos agimus, in commercijs, & necessitatibus, atque actibus communibus, & item affectibus unicuique servantes decorum: hæc autem omnia constat esse humana. Nonnulla autem à corpore provenire videntur, & multum virtus morum, cum affectibus iuncta est. Coniuncta est etiam & prudentia moris virtuti, & hæc prudentiæ: si principia quidem prudentiæ à virtutibus ipsis emergant, rectum verò moris virtutum à prudentia manat. Cum autem hæc sese sic habeant, ut à se mutuò pendeant, sintque coniunctæ affectibus, circa ipsum compositum fuerint. At compositi virtutes humanæ sunt. Quare & ea vita, quæ ab ipsis proficitur, & felicitas humana est. Mentis autem, est separata. Atque tantum de ipsa sit dictum: exactè nanque dicere, proposito maius est. Videbitur autem & externa affluentia perparum, aut minus indigere, quam moralis. Opus est enim utrisque

ne-

necessarijs rebus. Atque sit æquè: quanquàm circa corpus, & res tales civilis homo magis elaborat: parva enim differentia fuerit. In operationibus autem non mediocriter different. Etenim liberali quidem, ad liberalitatis operationes exercendas: & iusto ad retributiones, pecunijs opus erit. Voluntates enim non sunt manifestæ. Simulant autem & qui non sunt iusti, agere iustè velle. Forti autem opus est potentia, si agit aliquid eorum, quæ à virtute proficiscuntur: & potestate etiam temperanti. Quo nanque modo aut hic, aut cæterorum quisquam manifestus erit? Quæritur autem utrum magis proprium sit virtutis electio, an ipsi actus: quippe cum in vtrisque virtus consistat. Atque constat in vtrisque, perfectum ipsum consistere. Ad actus autem multis indiget: & quò maiores, pulchrioresque sunt, eò pluribus indiget. At contemplanti nullis huiuscemodi rebus ad operationem est opus: quin & ipsæ impedimento ferè sunt ad contemplationem. Sed hoc ipso, quo homo est, atque cum pluribus vivit, expedit ea agere, quæ à virtute proficiscuntur: indigebit igitur talibus ad ea agenda, quæ ad hominem spectant. Atque felicitatem perfectam contemplativam quandam operationem esse, hinc quoque fuerit manifestum. Deos enim maximè beatos esse putamus, atque felices. At quosnam actus tribuere illis oportet, iustosne? An ridiculi videbuntur, si commutent, & deposita reddant, & huiusmodi cætera agant? At fortesne, propterea quòd formidolosas res sustinent, periculaque subeunt honestatis ipsius causa? An liberales? At cuinam dabunt? Absurdum est in insuper, si nummos etiam habeant, aut aliquid tale. An temperantes? at quidnam fuerint? An laus est importuna, si pravas diu cupiditates non habere dicantur? Ita per omnia discurrenti, cuncta, quæ sunt circa actus, parva quædam, & non digna dijs immortalibus sanè videntur. At verò vivere ipsos vniversi putant: quare & operari. Non enim oportet illos, vt Endymionem aiunt, dormire. Videnti igitur ei, cui actio, & multò magis effectio non tribuitur, quidnam aliud præter cōtemplationem restat? Quare Dei operatio præcellens beatitudine, contemplativa sine controversia fuerit. Et humanarum igitur operationum ea homo est summè felix, quæ illi maximè est cognata. Signum est huius, & animalia cætera felicitatis expertia esse, tali penitus operatione privata. Nam dijs quidem tota est vita beata, talem habentibus operationem: hominibus autem quo ad ipsos talis operationis quædam inest similitudo. At animalium cæterorum nullum prorsus est felix: quippe cum nulla ex parte particeps sit contemplationis. Quousque igitur contemplatio

sese extendit, eousque sese extendit & felicitas ipsa: & quibus contem-
 platio magis inest, ijs & felicitas magis inest, non per accidens qui-
 dem, sed per ipsam vtrique contemplationem: hæc enim per seipsam
 est pretiosa. Quare felicitas contemplatio fuerit quædam. Est autem
 opus huic & prosperitate externa, cum sit homo. Natura nanque ipsa
 non est ad contemplandum sufficiens: sed & corpus sanum esse oportet,
 & alimenta, relinquumque famulatum adesse. Non tamen putan-
 dum est, multis, ac magnis ei opus fore, qui futurus est felix, si fieri non
 potest, ut sit beatus sine bonis externis. Neque enim sufficientia, ne-
 que iudicium, neque actus, in exuperatione consistit: sed fieri potest, ut
 & non principes terræ, ac maris agant honesta. Etenim mediocribus
 felicitatibus potest quispiam agere per virtutem. Atque id clarè cer-
 nere licet. Privati nanque non minùs agere videntur res bonas, quàm
 qui sunt in potestatibus constituti: imò etiam magis. Satis autem est,
 tot facultates habere. Erit enim eius vita felix, qui per ipsam opera-
 tur virtutem. Solon etiam bene fortasse de felicibus sensit, qui quidem
 eos esse felices dixit, qui mediocriter res habuerunt externas, & pul-
 cherrimas res (ut putabat) egere, modesteque vivere. Fieri enim
 potest, ut mediocria possidentes agant ea, quæ agere oportet. Videtur
 autem & Anaxagoras non locupletem, neque potentem felicem ipsum
 existimasse, cum dixisset, se non mirari, si quis absurdus multitudini vi-
 deatur: hæc enim sentiens res solùm externas, his iudicare tantummo-
 do solet. Consentaneæ igitur nostris sententijs, & sapientum opiniones
 sunt: at enim habent quidem & talia quandam fidem. Veritas tamen
 in ijs, quæ in actionem veniunt, ex operibus iudicatur, & vita. In his
 enim præcipuè certitudo veritatis consistit. Considerare enim oportet
 ea quæ antea dicta sunt, ad opera referentes, & vitam. Et si conso-
 na sunt operibus, accipienda sunt: sin verò discrepant, verba sunt tan-
 tum putanda. At verò qui mente operatur, & eam colit, dispositur
 optimè: is & amicissimus dijs immortalibus est. Nam si dii curam
 humanarum rerum, ut existimatur, aliquam habent, rationi sanè con-
 sentaneum fuerit, ipsos eo gaudere, quod est optimum, maxime quæ
 sibi cognatum: hoc autem fuerit, ipsa mens. Et in eos, qui maxime
 hoc amant, atque honorant, beneficè vicissim conferre, tanquam cu-
 ram ijs, quæ sibi sunt chara, ac diligentiam adhibentes, & rectè, bene-
 que agentes. At constat, hæc omnia maxime sapienti inesse. Amicissi-
 mus igitur sapiens ipse dijs immortalibus est. Eundem autem conve-
 niens est & felicissimum esse. Quare sapiens hoc quoque modo ma-
 xime fuerit felix.

SUMMA ET EXPLANATIO CAPITIS OCTAVI.

Virtutem moralem ac Prudentiam in bonis humanis versari, ac competere homini, quatenus animo & corpore constat. Porro Felicitatem contemplatricem esse præstantiorem, quàm actuosam. Vir felix qualiter se gerat in rebus externis.

AD CLARISSIMUM ET NOBILISSIMUM EQVITEM,
D. D. MARTINVM DE VADARAM ET OSINALDE,
SVPREMI IVSTITIÆ SENATVS CONSILIARIVM, QVONDAM IN SAL-
MANTICENSI ACADEMIA PRÆSTANTEM IVRIS CÆSAREI
PROFESSOREM, ET VETERIS COLLEGII D. BAR-
THOLOMÆI SODALEM, &c.



UPERIORI Capite disputatum est de Felicitate illâ, quæ in cōtemplando posita est. Nunc agit Arist. de eâ quæ activa, seu politica dicitur: & summam decernit ac probat, illam consistere in operibus moralium Virtutum ac Prudentiæ. Dividit verò caput in tres partes. In primâ monet, omnem moralem Virtutem, ac Prudentiâ versari in bonis humanis, & easdem competere homini quatenus constanti ex animo & corpore. In secundâ docet, Felicitatem vitæ contemplatricis perfectiorem esse, quàm operatricis sive actuosæ vitæ. In tertiâ denique præscribit modum, quo se habet vir felix in rebus externis.

2 CIRCA Primam partem præmittit, actiones Virtutum moralium esse humanas; & Prudentiam in rebus humanis versari, atque eas omnes Virtutes in id potissimum tendere, ut moderentur & perficiant hominem, prout constantem animo & corpore. Id verò ut singularim edisserat, præmittit, esse aliam Felicitatem distinctâ à superius explicatâ, inferiorè, & secundariam; quæ consistit in actionibus humanis secundum Virtutes; ut Iustitiam, Fortitudinem, & alias; quæ versantur in actionibus & affectibus honestis naturæ humanæ. Prior illa Felicitas contemplatrix, capite præcedenti appellata est divina, quod sedem habeat in solâ hominis mente, quâ æterna & divina speculatur, in secretiori animæ recessu. Posterior verò, de quâ nunc agimus, humana dicitur: quoniam posita est in actionibus Virtutum & Prudentiæ, quæ certè sunt humanæ, quoniam in rebus humanis versantur. Quod ferè sic probat. Omnium moralium Virtutum & Prudentiæ actiones, aut versantur in rebus externis, quæ in usum hominum veniunt; qualiter opera Iustitiæ, Fortitudinis, & aliarum quarundam Virtutum, iuxta quas aliquid inter nos commutamus, distribuimus, aut qualitercumque agimus: aut versantur in necessitatibus seu indigentibus hominum sublevandis; ut Liberalitas, Magnanimitas, Clementia, & aliæ quædam.

Aur denique spectant corpus ipsum, & modèq; rationem perturbationum animi; ut Temperantia, Mansuetudo, & aliæ permultæ, quibus curæ est moderatio affectuum. Prudentia autem omnibus ijs præscribit modum in operando. Atqui omnia prædicta continentur intra meras rerum & actionum humanarum. Ergo omnes Virtutes morales, & ipsa Prudentia; versantur in rebus & actionibus humanis.

3 VERVM Adhuc speciatim id ipsum docet de Prudentiâ, nimirum, versari in rebus & actionibus humanis. Probat autem hoc pene modo. Quamvis Prudentia sit Virtus intellectualis, est tamen colligata cum Virtutibus moralibus, veluti earum norma & lex: ut ostensum fuit lib. 6. c. 13. disiderque longè à Sapientiâ, quæ versatur in rebus divinis, æternis, & longè superioribus, quàm sint res humanæ: quod & ibidem cap. 12. traditum est. Hoc autem supposito, ratio sic procedit. Omnis moralis Virtus versatur in actionibus & rebus humanis. Atqui Prudentia, licet sit Virtus intellectualis, versatur in eadem materiâ moralium Virtutum. Prudentia igitur, licet sit Virtus intellectualis, versatur etiam in actionibus & rebus humanis. Maior nuper probata fuit. Minor autem suadetur ab Arist. quoniam principia Prudentiæ sumuntur ex Virtutibus moralibus. Fines enim Virtutum moralium sunt principia Prudentiæ, accipientis ea, veluti certa & explorata, ac deinde procedentis, ad eligenda adiumenta, seu media conferentia in eisdem fines Virtutum obtinendos. At nequit Prudentia versari in medijs conferentibus ad obtinendos fines Virtutum moralium, nisi & in earum materiâ versetur, ut patet. Prudentia ergo versatur in eadem materiâ Virtutum moralium.

4 ADDIT, Virtutes morales, & Prudentiam ipsam, versari in perficiendo toto homine, prout coalescente ex animâ & corpore indivisum. Id autem probat: Quia tam Virtutes morales, quàm Prudentia, versantur in moderandis perturbationibus: ut saepe ostensum est in hoc Opere, præsertim lib. 2. c. 2. & 3.

At perturbationes competunt homini, quatenus constanti ex anima & corpore indivisim ut patet. Virtutes ergo morales, & ipsa Prudentia, versantur in moderando, seu perficiendo homine, quatenus constante ex anima & corpore indivisim. Quare longè dissident à Sapientiâ, quæ solùm perficit hominem secundum præstantiorem sui partem; nimirum, intelligentiam, seu mentem, iuxta dicta præcedenti capite. *Præterea* id probat: quia Virtutum opera habent quoddammodo ortum ex variâ corporum temperatione, vî cuius aliqui ad Iustitiam, alij ad Temperantiam, alij ad alias Virtutes sunt proclives, iuxta dicta libro 6. cap. vlt.

5 CIRCA Secundam partem decernit, Felicitatem contemplativam esse præstantiorem, quam activam. Sed priusquam id expressio doceat, reponit, quod paulo antè tradiderat, tam Prudentiam, quam Virtutes morales, quatenus distinctas à Sapientiâ, esse positas in toto homine perficiendo, prout est totum quoddam ex corpore & animo coalescens; non verò in alterâ eius parte tantum. Hinc verò infert, Felicitatem activam, sive practicam etiam esse positam in perficiendo toto homine, atque adeò humanam omnino esse. Id planè probatur ex præsupposito. Felicitas enim practica, seu activa, consistit in actionibus Virtutum moralium & Prudentiæ. Atqui omnes actiones Virtutum moralium & Prudentiæ positæ sunt in toto homine perficiendo, ideoque prorsus humanæ sunt. Felicitas ergo practica, sive activa, posita est in toto homine perficiendo, ideoque prorsus humana est. Vnde & infertur, præstantiorem esse Felicitatem contemplativam: quoniam hæc non perficit hominem totum, sive secundum utranque partem; sed secundum alteram & præstantiorem tantum, quâ divinum aliquid est, vt cap. præced. dicebatur. Quare Felicitas contemplativa non est propriè humana: quia non perficit totum hominem: sed longè sublimior, & propria mentis *ακαχορισμὸν* separata; id est, libera & independens ab officio corporis. Quod tamen hoc loco monet non esse tradendum exactè, quia præter rem esset & iam lib. 3. de Anima explicatum fuit.

6 POTEST Autem sub hac formulâ probari excessus Felicitatis contemplativæ supra activam. Quidquid perficit subiectum prorsus liberum à materiâ, & quoddammodo divinum, est longè præstantius, quam id quod perficit subiectum constans materiâ, & prorsus mortale, atque humanum. Atqui contemplativa Felicitas perficit solam mentem, quæ est subiectum prorsus liberum à materiâ, & quoddammodo divinum; activa verò perficit totum hominem, qui est subiectum constans materiâ, & prorsus mortale, atque humanum.

Ergo contemplativa Felicitas est longè præstantior, quam activa.

7 SECUNDA Ratio, quæ probat eam Felicitatis contemplativæ præstantiam supra activam, sive practicam, sic ferè ab Arist. proponitur. Omnis illa muneris functio, vel actio, quæ paucioribus bonis externis eget, præstantior est, quam quæ indiget pluribus. At contemplativa Felicitas paucioribus bonis externis eget, quam activa. Ergo & præstantior Felicitas est. Maior patet: Quia omnis illa muneris functio, vel actio, quæ paucioribus bonis externis eget, est magis sibi ipsi sufficiens, quam quæ indiget pluribus. At quidquid est magis sibi ipsi sufficiens, etiam præstantius est. Ergo omnis illa muneris functio, vel actio, quæ paucioribus, præstantior est, eget quam quæ indiget pluribus. Iam minor illa præcipui syllogismi tuadetur ab Arist. quia licet uterque felix, nimirum, & contemplator, & actor, egeant subsidijs vitæ conservandæ necessarijs, vt victu & vestitu; attamen in operibus Virtutum, & actionibus exercendis, posterior eget longè pluribus bonis externis, quam prior. Etenim Felicitas activa, sive practica, vt in actum Liberalitatis procedat, vel Magnificentia, eget pecuniâ, aut opibus: vt in actum Iustitiæ prodeat, eget, aut facultatibus ad reddendum alteri debitum, aut auctoritate ad faciendam distributionem. Felix autem contemplationi deditus, quâ parte contemplator est, sibi ipsi sufficit, neque ijs extrarijs adiumentis opus habet; cum eius functio posita non sit in dando, aut distribuendo. Ergo contemplativa Felicitas paucioribus bonis externis eget, quam activa.

8 SED Obijcit sibi difficultatem, quæ oriri posset ex indigentia hæc bonorum externorum in iusto & liberali viro. Potissimâ enim functio iusti, & liberalis viri, aut quæcumque aliâ morali Virtute præditi, non est opus ipsum externum dandi, aut distribuendi; sed bona voluntas, sive propositum, quo non præeunte, nullo modo opus ipsum in re poneretur. At bona voluntas, sive propositum eiusmodi, non eget bonis externis, cum sit aliquid internum, sive animo inhærens. Ergo potissimâ functio iusti, & liberalis viri, aut quæcumque aliâ morali Virtute præditi, non eget bonis externis. Ergo neque ijs eget Felicitas activa, quæ in eâ functione propriâ Virtutum potissimam sedem habet.

9 RESPONDET Arist. ita quidem esse, vt præcipua Virtutum functio in interiori actu, seu voluntate, posita sit: verumtamen Virtutes illas, quæ non prodeunt in lucem, sive in apertum non se proferunt, obscuras esse. Multi etiam se simulant liberales, ac iustos; & de seipsis voluntatem illam, sive internum propositum prædicant, qui tamen non proprie-

terea iusti aut liberales habentur: quoniam nihil eiusmodi agunt foris. Ergo ut Virtus moralis obscura non sit, aut vera habeatur, necessum est ut re ipsa, sive operibus honestis in apertum se preferat. Cumque hoc nequeat prestare sine bonis externis, ut probatum est; planè inferitur, functiones, seu actiones moralium Virtutum egere bonis externis. Felicitas autem contemplativa, cum in solo recessu animæ posita sit, neque ex se inferat aliquod opus eiusmodi; non indiget externis bonis, nisi ijs tantum, quæ necessaria sunt ad conservationem vitæ.

10 HINC Autem monet, oriri aliam quæstionem. Si enim Virtus non solum exercetur interno voluntatis actu, sed etiam opere externo, & sine hoc obscura est, ut modò diximus; merito dubitari potest, quodnam eorum exercitiorum sit in Virtute morali præcipuum; an internum electionis, an potius externum operationis. Respondet autem Aristoteles huic dubitationi, internum electionis actum in Virtute morali præcipuum ac primùm locum habere: ceterùm adhuc opus esse actu externo ad perfectionem eiusdem Virtutis: quia cum humana sit, & quæ convicium aliorum spectat, nequit habere perfectionem sibi congruentem intra arcanos voluntatis recessus, nisi præterea lucem aspiciat, & in actum exteriorum se proferat. Hoc autem præstare nequit absque bonis externis, quamvis secundaria sint, & mera Virtutis exercendæ instrumenta. In Felicitate verò contemplativa longè alia ratio est: quoniam tota illa in interno actu consistit, & nullis bonis externis eget, adhuc secundariò, ut perfecta existat, nisi ijs dumtaxat, quæ ad vitæ conservationem necessaria sunt. Quin potius externa bonorum affluentia posset impedimento esse contemplationi: quoniam affert multiplices curas, & distrahit animum ad plura; cum tamen contemplator debeat in unam animi vacationem, ac recessum ab hisce fluxis & caducis rebus, vires suas exere.

11 RURSUS Et indidem alia subiicitur difficultas. Si enim iuxta Arist. hoc loco, Virtutis moralis functio præcipua & primaria in solo actu interno posita est; oportebit dicere, quamlibet Virtutem moralem adquiri posse absque actionibus externis in materia ipsius, ex sola consuetudine interiorum actuum. Aliunde verò obstare videtur, quòd idem Arist. nunc pronuntiet, obscuram esse Virtutem & imperfectam, nisi in actum exteriorum prorumpat. **RESPONDEO**, posse intimum Virtutis moralis habitum generari & absolute augeri internis actibus, identidem, seu frequenter exercitis, circa materià illius absolute possibilem; quavis per accidens, & ex solo defectu exteriorum subsidiorum, aut occasionis opportuna, non sit

locus ad externa opera eiusdem Virtutis exercenda. Quod non solum hoc loco insinuat satis Arist. sed & *lib. 4. cap. 2.* dum docet, Liberalitatem non in multitudine donationum sitam esse, sed in habitu interno Virtutis: ideoque liberalem esse posse, non modò divitem hominem, qui plura donare potest, sed & pauperem, qui nulla, aut exigua. Hoc autem non diceret, si ex ipsius mente externa opera essent simpliciter necessaria ad gignendum & augendum Virtutis moralis habitum. Neque obstat quod in præsentiarum docet, obscuram esse Virtutem & imperfectam sine actu externo. Non enim loquitur de Virtute morali quò ad perfectionem intrinsecam, essentialemve; neque de illa, ut primò acquiritur, & simpliciter augetur: sed solùm quò ad perfectionem extrinsecam & civilem, quæ potissimum spectatur in humano convictu.

12 TERTIA Ratio. Illa actio, quam Deo tribuimus, excellentior est ea, quam ipsi negamus. At contemplatio est actio, quam Deo tribuimus: operationes vero Virtutum moralium sunt actiones, quas Deo negamus. Ergo contemplatio est actio præstantior, quam operationes Virtutum moralium: ac proinde Felicitas contemplativa est excellentior, quam activa. Consequentia quò ad utramque partem est perspicua. Maior patet: Quia perfectioribus perfectiora tribuimus, & ab ijs excludimus quæcumque minus perfecta sunt. Minor autem suadetur ab Aristotele: Quia Deos, inquit, putamus beatos & felices esse. At non existimamus eos beatos, quasi exerceant actiones Virtutum moralium. Non enim actiones Iustitiæ: quoniam ridiculi existimarentur, si exerceant commercia, aut deposita redderent, atque alia eiusmodi facerent. Non actiones Fortitudinis: cum non sustineant formidolosa, subeantvè pericula: neque enim hoc alicuius honestatis, aut excellentiæ in ijs esset. Non actiones Liberalitatis: cum nihil mutuo sibi dare possint, nec pecunia utantur, aut opus habeant. Non actiones Temperantiæ: quoniam illæ solùm in corporea natura, & perturbationibus obnoxia, inveniri possunt. Dicere autem, Deos esse liberos à perturbationibus, seu non habere privas cupiditates, est exigua laus, & quæ magis illorum perfectionem videatur deprimere, quàm extollere. Denique, percurrenti singulas actiones Virtutum moralium, inquit, apparebit, eas omnes esse longe inferiores, & indignas, quæ Dijs tribuantur. Ergo Dijs non tribuimus actiones Virtutum moralium, ac proinde nec Felicitatem activam in ijs consistentem.

13 QVOD Verò ijs tribuatur actio contemplandi, seu Felicitas speculativa (quæ est altera illius præcipuæ minoris part:) probat Arist. hoc penè modo. Dijs enim tribuitur aliquod actionis genus. Ergo cum actio eiusmodi non sit effectio, seu operatio, ut probatum est

nuper; restat ut ijs tribuatur actio (speculativa, ac proinde contemplatio. Assumptionem, in qua est difficultas, tuadet dupliciter. *Primò:* Quia Dij ab omnibus putantur vivere. At vita est actio, cum sit motus à principio intrinseco se movente. Ergo Dij ab omnibus putantur agere, seu esse in actione vitæ. *Secundò:* Nemo, nisi infans, existimabit Deos dormire; ut Endymionem illum, qui putatus fuit semper dormiens, proptereaque *ἀδρανῶς, καὶ ἀνήψως μὲν, ἰμμερτῶς, & ἐκπερῶς ἴσμεν ἰμμερτῶς.* Unde & in proverbium abiit *Endymionis somnus*. quem dormire dicuntur, quicumque, aut nimium dormiunt, aut vitæ molli & otiose se tradunt. Cui adagio aliud quoque simile est, *ἄνιγ ἐστὶν ἐν δὴν νεκροῦ ἰούσας, ὅτι ἔρα Epimenidis somnum dormisti.* Quod est apud Diogenem Laertium, Gellium in *Noctibus Atticis*, & Lucianum in *Timone*. Eoque indicatur, Epimenidem Cretensem, cum aliquando fessus ambularet, ingressum fuisse specum, in eaque dormisse integris quinquaginta septem annis; & expergefatum postea vidisse longè aliam rerum faciem, atque ingentem mutationem factam. Quam narrationem refert, & ut fabulosam irridet Plinius *lib. 7. cap. 52.*

14 VERIOR Sanè, quàm Endymionis, & Epimenidis, imò & certus atque exploratus quondam fuit somnus cuiusdam pij, ac Sancti Monachi Religionis Nostræ: qui cum meditaretur, animoque revolveret versum illum Psalmi Davidici, *Quoniam mille anni ante oculos tuos, tanquam dies besterna, quæ præterijt;* cum, inquam, id secum expenderet, dubitare que quonam modo fieri posset; inspirante Deo exivit è Monasterio ad locum vicinum: ubi recreatus harmoniâ cuiusdam avis dulciter canentis, raptus fuit in ecclâsim, sive somnum illum cœlestis contemplationis, quo nihil vigilantius est. Et in eo tranquillo, ac beato otio exegit plusquam ducentos annos. Excitatus autem à Deo, & existimans se paulò antea è Monasterio egressum, redijt ad illud, quasi neque hora transijisset. Sed ecce videt longè aliam Monasterij faciem: mutatam ædificij formam: ianitorem alium, & Prælatum, Monachosque prorsus diversos ab ijs, quos paulò antè sibi videbatur in Monasterio reliquisse. Ille vrget, rogat, instat, ut recipiatur, veluti Monachus eius Cœnobij, paulò ante egressus. Verùm cæteri putabant insanum hominem: donec rebus maturè expendit, & còsultis libris antiquis, ubi nomina Monachorum scripta erant, deprehensum fuit certò, ipsum tot annis dormijisse, aut potius contemplationi vacasse, putantè id brevissimo tempore peractum. Monachus verò paulò post receptis iuxta ritum Ecclesiæ Sacramentis, felicissimè, & sanctissimè obiit, atque impollutum Deo spiritum reddidit.

15 ITAQUE Arist. ut probet contemplativam actionem esse præstantiorem, quàm practicam, docet, probatque, in Deo solùm esse locum actioni contemplativæ; non autem practicæ, neque operationi Virtutum moralium, quas arbitratur nullatenus esse dignas Deo, sed longè inferiores, quàm ut ipsi adscribantur.

16 CÆTERVM Doctrina hæc intelligenda est ita, ut excludatur à Deo omnes Virtutes morales, quæ ex sua ratione formali exprimunt imperfectionem aliquam, vel minorem decentiam: si verò aliqua sit, quæ nullum eiusmodiævum afferat, ea planè tribuenda est Deo. Ac primò quidem oportet ipsi adscribere, non solùm actionem contemplativam, quæ seipsum intuetur; sed etiã practicam, qua creat & producit alia à se: & quidè indistinctam ab iplo actu necessario voluntatis, quo Deus seipsum amat. Deus enim, cum lumine naturæ cognoscatur summè perfectus, & causa rerum omnium, non est putandus velie liberè alia à se per actum diversum in entitate aut actualitate, ab eo actu quo seipsum necessario amat: sed per eundè ipsum, cū aliqua connotatione ad creaturam contingenter existentem in aliqua temporis differentia. Illa autè actio est practica, quoniã verè causat aliquid extra ipsum Deum. Neque hanc actionè putandus est Deo in præsentem negare Arist. qui sæpe in Physica & Metaphysica docet, Deum esse primâ omnium causam & omnis mutationis expertè. Solùm itaque Deo negat actionè practicam, quæ sit operatio Virtutum moralium: quoniã has omnino excludit à Deo.

17 VENIAMVS Igitur ad morales Virtutes, ut paulò antè præmissimus: & faciem præferat S. Thomas *1. p. q. 2. art. 1.* ex cuius doctrina intelligetur, quo sensu Virtutes morales habeant, vel non habeant locum in Deo. Dicendum itaque est, tam ad mentem S. Doctoris, quàm Arist. hoc loco, nullum habere in Deo locum Virtutes illas morales, quæ ex sua formali ac propria ratione in moderandis animi passionibus, sive perturbationibus versantur. Eiusmodi autem sunt, Temperantia, quæ cupiditates voluptatum corporis frænat; Fortitudo, quæ timorem & audaciam cohibet; Mansuetudo, quæ moderatur indignationè, & iram; Iustitia commutans, quæ præcipue in emptionibus, venditionibus, permutationibus, & contractibus posita est. Omnes enim hæc Virtutes, & nonnullæ aliæ ijs affines, tam ex parte subiecti, quàm sui ipsarum, imperfectionem claudunt, aut saltem minorem decentiam: ideoque locum habere nequeunt in Deo, nisi per metaphoram quandam, & valde improprie.

18 LOQVENDO Autem de Iustitia distributive, affirmat S. Thomas (nec vide-

detur dissentire Arist. in presenti) Deo adscribi debere: idque probat hac ferè ratione, vt interpretatur Caietanus. Iustitia distribuens ex propria & formali ratione id habet, vt tribuat unicuique pro merito & dignitate: quemadmodum apparet in oprimo rectore cuiuslibet multitudinis, Reipublicæ, aut familiæ. Atqui totum id competit Deo, in gubernatione huius Univerſi. Cum enim creaturas condiderit perfectione inæquales, non eadem omnibus tribuit, sed diversa, pro varietate naturarum, atque unicuique quod suum est, sive congruum sibi. Ideo homini ex rationali animo & corpore constanti tribuit intellectum & sensum: cæteris animantibus sensum dumtaxat: plantis vim, qua se intus nutriant & augeant: gravibus & levibus qualitates, quibus centrū suum quærant; alijs denique rebus facultates & præsidia opportuna ad tuendam servandamq; naturam ipsorum propriam. Iustitia ergo distribuens verè competit Deo. Quare idem S. Thomas laudat sententiam Dionysij *cap. de Divin. nominibus*, prope finem, & *cap. 9. prope medium*, ubi inquit: *Videre oportet in hoc veram esse Dei iustitiam, quòd omnibus propria tribuit, secundum uniuscuiusque existentium dignitatem, & uniuscuiusque naturam in proprio salvat ordine, ac virtute.*

19 QVARE Iustitia distribuens Deo asserenda est, quamvis excellentior & longè sublimior, quàm quæ hominibus competit: similiter & subiunctæ quædam Virtutes, seu eidem agnate, vt Liberalitas, & Magnificentia: non quidem prout faciunt sumptus parvos, aut magnos in commodum aliorum; siquidem Deus nullos sumptus facit, quoniam non exuit amittitvè dominium earum rerum, quas donat, vt in nobis accidit: sed quatenus dat omnibus affluenter, absque vllò intuitu utilitatis: in quo consistunt eæ Virtutes secundum tuam rationem formalem. Aristoteles ergo dum videtur Liberalitatem hoc loco excludere à Deo, intelligendus est de illa, quæ facit sumptus, & per eos alienat dominium rei datæ ab ipso dante: non verò de ea, quæ inclinat ad liberalem, & gratuitam donationem. Aliæ autem Virtutes morales ex propriâ & formali ratione positæ in moderandis perturbationibus, excludendæ à Deo sunt, vt supra dicebamus. Idque etiam agnovit Cicero *lib. 3. de Natura Deorum*, nisi quòd malè Virtutes intellectuales Deo negavit, & Iustitiam distribuentē. Verba sunt. *Nam iustitia, quæ suum cuique distribuit, quid pertinet ad Deos? Hominum enim societas, & communitas, vt vos dicitis, iustitiam procreavit. Temperantia autem constat ex prætermittendis voluptatibus corporis: cui si locus in cælo est, etiam voluptatibus. Nam fortis Deus intelligi qui potest? in dolore, an in labore? an in periculo? quorum Deum nihil attingit.*

Simile aliud testimonium est eiusdem in *Hortensio*, allegatum à Div. Augustino *lib. 4. de Trinit.*

20 QVIBVS Adnotatis pro illustratione textus Aristotelis, ratio illa remota ipsius, sic breviter illustratur, & in synopsis redigitur. Felicitas illa, secundum quam homo magis Deum imitatur, & ipsi similis est, præstantior censeri debet. Atqui secundum Felicitatem in contemplatione positam homo magis Deum imitatur, ipsique similior est, quàm secundum practicam consistentem in exercitio Virtutum moralium, quibus moderamur perturbationes animi, cum illa prior locum habeat in Deo, non autem hæc posterior. Felicitas ergo in contemplatione posita præstantior censeri debet, quàm practica consistens in exercitio Virtutum moralium, quibus moderamur perturbationes animi.

21 QVARTA Ratio in idem probandum sic proponi potest ad mentem Arist. Illa actio est præstantior, proindeq; aptior constituenda Felicitati, quæ remotior est à belluis, & magis propria ventium ratione. Atqui actio contemplandi est remotior à belluis, & magis propria ventium ratione, quàm actio Virtutis moralis, ideoque aptior Felicitati constituenda. Ergo & contemplativa Felicitas est præstantior, quàm activa. Vtraque consequentia est perspicua. Maior patet: Quia actio propria præstantioris subiecti, & ab imperfectione remotior, debet esse præstantior: vt potè procedens à præstantiori virtute activa, & nobiliori agente. Minorem verò probat Arist. quia actio contemplandi nullum omnino locum habet in belluis, eū sit actio purè spiritalis: quæ proinde Deo & substantijs separatis maxime competit: hominibus autem in gradu inferiori, & belluis nullo modo. Actiones autem Virtutum moralium quoddammodo, sive per quandam similitudinem, in belluis conspiciuntur. In quibusdam enim earum apparent simulachra quædam Virtutum moralium.

22 QVOD Probatur ecurrando per quasdam animalium species, in quibus eæ Virtutum vestigia apparent. Aristoteles ipse *lib. 9. de Historia animalium* tradit, in camelis eam esse Pietatis & reverentiæ in parentes similitudinem, vt ne coacti quidem coniungantur matribus suis. Quin & aliquando contigisse, vt cum admittarij copia non haberetur, curator cæcelum mitteret in matrem cooperiam: sed eum post accessum, cognita matre, eo pudore suffuturum, simul & ira concitatum fuisse, vt impresso morsu curatorem interficeret, veluti authorem eius sceleris. Eodem quoque loco narrat, Scytharum Regi fuisse elegantem corpore atque indole equam, marium pullo- rum præstantiū procreatricem: eorumque vñ

ceteris pulchriorem admissum & oblatum genitrici, ut ex eo procrearet filios; constanter recessisse. Cum vero operæ metri & ignora te adiunxisset, veluti pudore actus, fugam arripuit, & se præcipitem dedit. Hæc duo Pietatis exempla profert in belluis Arist.

23 ADDENDA Autem sunt specimina aliarum Virtutum moralium, in elephantis præfertim: Ac primò quidém Religionis vim præ se ferunt: quoniam Solem exorientem adorant, & novam Lunam: ut testantur Plutarchus, Elianus lib. 7. cap. 44. & Plinius lib. 4. cap. 10. his verbis: *Animalium maximum elephas, proximumque humanis sensibus quippe intellectus illis sermonis patrij, & imperiorum obedientia, officiorisque, quæ didicere, memoria; amoris & gloria voluptas. immo verò, quæ in homine rara. probitas, prudentia, equitas, RELIGIO QUOQUE, Siderum, Solisque ac Luna veneratio.* Vbi non Religionem modò, sed & plures alias Virtutes in elephantis expressit. Iustitiæ quoque vindicatrici species in ijs effulget. Cuius duo exempla memorat Ælianus. Primum refert lib. 10. cap. 15. in hæc ferè verba. Romæ, imperante Tito, cuiusdam magistri elephantorum vxor cum altero mechabatur. Verùm quidam ex elephantis inspecto scelere utrumque transfixit dentibus, & interfectos adulterij socios servavit, quoadulque dominus veniret, consciusque fieret, tam criminis commissi, quàm iustæ vltionis. Alterum narrat lib. 8. cap. 17. valde affine præcedenti in suum ipsius magistrum, & adulteram foeminam.

24 CASTITATIS Etiam imago quædam in elephantis apparet, teste Arist. lib. 5. Historiæ animal. cap. 16. vbi tradit, marem, quam semel inierit, non ultra tangere: & interposito triennio repetere coitum, sed cum aliâ. Plinius quoque lib. 8. cap. 4. Probitatem ijs adscribit tantam, ut si hominem inveniant in agro, non offendant, cum facile possint; quin potius illi demonstrant iter, ut rectâ procedat. Pietatem quoque in magistrum ijs tribuit lib. 5. usque adeo, ut quandoque propter obitum eorum dolore atque inedia contabuerint. Similiter & ita pios tradit esse erga prolem suam, ut vrgentibus venatoribus malint capi, aut cædi, quàm natos periculo obijcere. Quin & ijs magnam esse reverentiam in senes, ideoque iuniores senioribus cedere in cibo, potu, ac loco. Fidelitatis quoque exemplar mirum est quod idem Ælianus lib. 10. cap. 14. & Athenæus lib. 19. cap. 30. referunt, his pene vtriusque verbis. Antigonæ Regi elephas foemina fuit. Evenit ut in obsidione oppidi Megarensis puerum pareret vxor Indi elephantistæ. Is suâ linguâ commendat infantem inter bellicas turbas elephati-

, (ita nomen eius fuit) Nicææ. Capit illa ferò in fidem: & omnia officia exhibet, quæ pijsima aliqua nutrix, sive mater. Infans ante pedes eius deponi debebat, nisi fieret, cibum non capere, iram omnibus signis ostendere, & dolorem: gaudere contra eoadiacente: & tunc cunas movere ad oblectandum, aut somnum conciliandum: tum ventilare, & pellere muscas. quod faciebat, sanè scitè, arundinis ramum promuscide suâ mutans. Atque hæc officia interdum usurpabat elephas maritus. Hastenus prædicti Authores.

35 EX Quibus omnibus, alijsque pluribus huiusmodi, quæ consultò omittimus, patet, veram esse propositionem illam, in quâ assumebatur, belluis esse similitudinem quamdam earum actionum, quæ ex Virtutibus moralibus procedunt, quamvis nullum specimen præbeant actionis in contemplando positæ, quoniam hæc purè intellectualis est, & in quâ solus homo Dei, atque Intelligentiarum materiæ expertium, similitudinem refert. Cum igitur Felicitas perfecta sit ponenda solum in eo, quod Deo, & Intelligentijs atque hominibus per imitationem competit, non autem in illo, cuius imago quædam etiam in brutis cernitur; consequens est, ut perfecta Felicitas non in actionibus Virtutum moralium posita sit, sed in actu contemplationis.

26 CONFIRMAT Arist. quia quò perfectior est contemplatio, eò maior censetur Felicitas: & tantundem Felicitatis habere quis censetur, quantum habet contemplationis. Deus enim summè felix est, quia summum contemplationis gradum attingit. Inter substantias intelligentes, tum separatas, tum & materiæ concretas, illa felicior censetur & est, quæ ceteris contemplatione antecellit. Felicitas igitur perfecta in contemplatione posita est præcipue, & multò magis, quàm in actione.

27 CIRCA Tertiam partem præscribit mensuram bonorum externorum in viro felici. Cum enim antè tradidisset Felicitatem debere esse perfectissimam, præfertim eò quòd vir beatus sibi sufficiens sit; nunc quaerit an egeat externis bonis, & in quâ mensurâ. Respondet verò huic quaestioni, virum felicem opus habere externâ prosperitate, quoniam homo est, & intra fines humanæ conditionis inclusus. Natura enim humana non est sibi satis, sive sufficiens ad contemplandum, nisi adiuvetur externis subsidijs, & prosperitate aliquâ: sine quibus non poterit congruenti modo se habere. Quare vir felix primò opus habet bona valetudine, ac sano corpore: quoniâ alias dolores, & aegritudines impedimento erunt animæ ad quietem.

quietam & permanentem contemplationem. Secundò oportet abundare iustis alimentis, idoneoque victu, & vestitu: propter necessitatem & bonam habitudinem corporis. Tertio & opus est congruè famulatu, quo necessaria sibi suppedientur. Famulatu, inquam, ut Argyropilus alijq; θεωρητικῶν interpretantur. Alij cultū vertunt: quasi eo nomine significetur, felici viro opus esse omnibus ijs, quibus eget vita humana, ut habitatione, vestibus, armis, & re familiari.

28 NEC Tamen vult ea omnia vitæ subsidia in magna affluentia felici viro competere: quoniã nec in ea copia sunt necessaria, nec opus habet magnis divitijs ad permanendum in eo felici statu contemplationis: sed sat est εὐχάρεια illa, sive sufficientia sibiipsi, quæ moderata sit, quæque necessitati consulat, & non indulgeat cupiditati. Idque probat ferè sic. Plura sunt necessaria ad Felicitatem activam, seu positivam in actionibus Virtutū moralium, quæ civilis, seu politica est, & in medio hominum convictu, quàm ad Felicitatem theoreticam, sive consistentem in actu solitario & interno contemplationis. Atqui ne ad priorem quidè Felicitatem necessariae sunt ingentes divitiæ, aut magna & exuperans bonorum externorum affluentia. Ergo multò minùs necessaria hæc sunt ad Felicitatem theoreticam, sive contemplativam.

29 PORRO Felicitati activæ, seu politicæ, necessariam non esse eam ingentem bonorum externorum affluentiam, probat: Quia fieri potest, ut aliquis non obtinens imperium terræ marisque, scilicet, non maximis abundans divitijs, laudabiliter se gerat in actibus Virtutū moralium erga concives suos, & multò melius Rempublicam administret, quàm Principes ipsi, & Reges, terræ marisque dominantes. Qui enim imperio, dominatu, aut divitijs maximè affluunt, nimium distrahuntur, & quasi in plurimas partes dividuntur: ideoque multiplex impedimentum subeunt ad opera Virtutū moralium exercenda: præsertim, cum immodicæ opes, & ampla sæculi potestas, elationem & arrogantiam pariant Virtuti repugnantem. Mediocritas verò divitiarum idonea est actionibus Virtutū exercendis, quoniã & hominem in officio, seu mediocritate continet. In quam doctrinam confirmandam adducit effata, sive sententias sapientium virorum, in primisque Solonis dicentis: πολλὰ μέσοισιν ἀρίστη. μέσος θέλω ἐν πόλει εἶναι. Longè optimum medijs est: medius esse volo in civitate. Deinde & Anaxagoræ, qui nec divitem, nec potentem esse voluit felicem virum, cum dixit, se non miraturum, si, cum hæc diceret, irrideretur à multis: quoniã plerique, & populares homines, Felicitatem collocant in rebus sensibilibus, & externarum rerum affluentia. Quo etiam spectat illud eiusdem Arist. lib. 1. Eudem. sic loquentis: Anaxagoras Clazomenius

interrogatus, quisnam beatissimus esset, respondit, nemo ex ijs quos tu putas: sed is qui tibi videatur absurdus. Quibus verbis significavit, eum esse felicem, qui, contra sensum & opinionem popularium hominum, dimitteret affluentiam externorum bonorum, & eligeret mediocritatem. Ergo ad Felicitatem politicam, seu civilem, non proficit, sed potius nocet magna bonorum externorum affluentia: atque adeo multò minùs necessaria est ad Felicitatem contemplativam, quæ paucioribus est contenta, & sibi sufficiens. Quò circa visum est excerpere nonnullos versus tatis opportunos ex Operibus Poeticis atque Ethicis Serenissimi Caroli Vianæ Principis, ritu ac stilo veteri Hispanorum scriptis; hinc inde excerptos:

De los bienes de fortuna
tantos toma,
Que conserves de corcoma
Tu coloma.
Tal turpidadat repugna
Ca de fecho
Non sea turable provecho
So la Luna.
Que quanto mas adquisieres,
Mas querrás:
Pues piensa qual vale más,
Si bien sintieres, &c.
Ca non pienses que el estado
E ascension
Augmenta la perfeccion
En maior grado.
Mas accrecienta cuidado
Ansia è pena:
Al libre pone cadena
De su grado.
En malvada tyrania
Non entiendaas,
Mas de sus aboles sendas
Te desvia.
Elige la mediania
De la gente
La qual es vida placiente
Sin posia.
Quiere aquello que pudieres,
E non mas:
Ca vemos de oy en atrás,
Si lo atendieres,
Grandes triunfos è poderes
Derribados,
E los mui desconsolados
Veer plazeris.

30 MONET Verò, ea sapientium virorum effata non esse contemnenda: quoniã ij non solum doctrina præstantes extiterunt, sed & honestate vitæ. Alioqui enim, id est, si verba quidè speciosa appareant, sed tamen vitæ & mores non consentiant doctrinæ; ait non

esse fidendum ipsorum monitis, neque putandos illos oracula quaedam actionum humanarum: quoniam in rebus agendis, non tam verba spectantur, quam mores & opera docentis. Parum enim est si sententiæ admirandæ in ore sint, dum cernuntur opera non coherentia doctrinæ: quia populus, non tam movetur, seu excitatur ad exequendam doctrinam, quam ad imitandum exemplum, sive vitam eorû, qui in sublimi loco sunt, & cæteris antestant. Quod tamen ita intelligendum in sano & vero sensu, ut si sententiæ ipse Philosophorû veræ sint, & iuxta honestatis præscriptum; sequendæ sint, & opere exequendæ: non quia ab ijs traditæ, sed quia veritati & honestati conformes. Id enim & ratio recta præscribit, & Salvator noster monuit dum dixit, faciendum esse id quod à Pharisæis secundum legem divinam præcipiebatur: opera verò eorum non esse ad exemplum, seu imitationem trahenda. *Quæ dicunt, facite*, inquit: *secundum opera autem eorum nolite facere.*

31 DENIQUE, Cùm iam docuerit quomodo se habeat vir felix circa bona externa, subdit qualiter se gerat erga seipsum ac Deum. Ac primò quidem observat, eum agere vitam *κατὰ νόον, secundum mentem*. Probatque ferè sic. Ille vitam agit secundum mentem, qui omnia operatur dirigique prout præscribit recta ratio, sive Virtus. At vir felix omnia operatur dirigique, prout præscribit recta ratio, sive Virtus. Ergo vir felix vitam ager secundum mentem. Vnde & sequitur ut vivat potiùs mente, quam corpore: quoniam cùm potissimùm contemplationi vacet, quæ est opus præcipuum mentis, & nullo modo ad corpus spectat; planè sequitur, felicem hominem vivere secundum mentem. Ideoque ille ab Aristotele dicitur *κατὰ νόον ἰνερπύον, secundum mentem agens*. Secundo infert, eundem esse Deo charissimum: idque hoc penè pacto probat: Siqua de rebus humanis cognitio & cura est Deo (est autem maxima) par est ipsum maximè diligere ac delectari in eo, quod optimum est, & ipsi simillimum in homine. Similitudo quippe plurimùm confert in amorè. Atqui opus contemplationis est optimum, & Deo simillimum hominem faciens. Ergo par est Deum maximè diligere ac delectari in homine, qui vacat operi contemplationis. Denique & exinde infertur, præstantiorem esse Felicitatem cõtemplativam, quàm activam: qui est præcipuus scopus huius capituli, & præcedentis: Quoniam per Felicitatem cõtemplativam redditur homo Deo similior, quàm per activam: cùm contemplatio sit potissimùm actio divina, sive Dei. At quanto aliqua actio reddit subiectum Deo similius, tanto præstantior est. Felicitas ergo contemplativa præstantior quàm activa est,

32 DVBITARI Autem potest, an verè sapienterque Aristoteles præposuerit Felicitatem contemplativam activæ, seu politicæ. Videbatur enim contrà existimandum duplici ratione. *Prima* est opposita doctrinæ nuper traditæ: quoniam, scilicet, perfectior est illa Felicitas, iuxta quam homo redditur similior Deo. At similior redditur Deo secundum Felicitatem activam, quàm contemplativam: quia ratione Felicitatis activæ, sive actus Virtutis moralis, dicitur & est homo causa secunda rerum, sicut Deus est prima procreans omnia per intelligentiã, ut docet Aristoteles *lib. 12. Metaph.* ratione autè Felicitatis contemplativæ nihil extra se operatur homo, ideoque nullius causa est, nec Deum imitatur in agendo extra se. Perfectior igitur est Felicitas activa, quàm contemplativa. *Secunda* ratio dubitandi. Felicitas enim illa, quæ melioribus & præstantioribus cõpetit, proculdubio est præstantior. At qui activa Felicitas, sive politica, melioribus, seu præstantioribus competit: ut præfectis Reipublica, & moderatoribus civitatum, qui debent esse cæteris meliores, & præstantiores. Ergo activa Felicitas, seu politica, præstantior quàm contemplativa est.

33 IN Oppositum verò sunt tot rationes Arist. utroque argumento productæ ad probandum, longe præstantiorè esse Felicitatè contemplativam, quàm politicam, sive activam. Quibus & accedunt nonnullæ aliæ ex eodem Arist. eruta, quas solum indicabo. *Prima* est: Quia licet utraque Felicitas sit in intelligenti animæ facultate, contemplativa tamen exercetur secundum habitum Sapientiæ, qui est longè præstantior, quàm habitus Prudentiæ, secundum quem exercetur activa Felicitas, ut dictum est *lib. 6.* Atqui exercitia habituum præstantiora sunt quò ex habitu præstantiori exercentur. Felicitas ergo contemplativa præstantior, quàm activa est. *Secunda.* Felicitas contemplativa versatur circa Deum ipsum: activa autem seu politica, circa bonum commune civium. Ergo prior illa versatur circa aliquid longè sublimius, quàm hæc posterior. Quare & præstantior erit: quoniam ex maiori excellentia obiecti capitur maior habituum actuumque perfectio. *Tertia.* Id quod ex natura rei est finis, debet esse præstantius omni eo, quod in ipsum ordinatur, sive ipsius gratia fit. Atqui contemplativa Felicitas ex natura rei est finis; activa autè ordinatur in ipsam, seu ipsius gratia fit; cū consistat in actibus Virtutum moralium, qui iuxta Arist. eo tendunt, ut compositis affectibus animi per moralè Virtutè, vacemus tandè contèplationi. Ergo contèplativa Felicitas præstantior est, quàm activa. *Denique,* cū delectatio sit comes Felicitatis, hæc præstantior ceteri debet quatenus majorè & firmiterè delectationè

parit. Contemplatrix autē maiore delectationē parit, & firmiore, quam activa: siquidem hæc libera non omnino est: sive, quia in convictu politico plures occasiones tædij & pœnitentię sunt: sive quia, ut inquit Eustratius, vir politice felix, dum quosdam plectit, afficitque supplicio, nequit non affici tædio aut dolore aliquo. Præstantior ergo existimari debet contemplativa Felicitas, quam politica.

34 NEQVE Obstant duæ illæ rationes supra obiectæ, quibus oppositum assumebatur probandum. AD I. negatur assumptio, cum iam sæpe ostensum sit, similiores nos Deo fieri per actionē contemplandi, quam per actus Virtutum moralium. Neque obstat quod actio contemplandi nihil extra se producat, sicut actus Virtutis moralis. Adhuc enim imitatur præcipuum Dei actum, sive Felicitatē essentialē, quæ non consistit in producendo alia à se, sed in contemplando seipsum. Hæc enim est perfectio necessaria Deo, in qua totam suā Felicitatē obtineret, quamvis nihil extra se pro-

duceret. Similiter ergo Felicitas præcipua hominis, qua similior Deo redditur, solum sita est in contemplatione Dei, & rerum æternarū, veluti præstantiore actibus Virtutum, quibus homo efficit, sive profert aliquid extra se.

35 AD II. Fatemur meliorem esse Felicitatem illam, quæ melioribus & præstantioribus competit. Hæc autem non est politica, sed contemplativa. Neque obstat quod opponitur de Præfectis Republicæ, & Governatoribus civitatum. Ij enim, sicuti meliores cæteris esse debent in actibus Virtutum moralium, ita & in contemplatione Dei, ac rerum æternarum. Quod si verò solum præditi sint perfectione activa, seu politica, minus boni, atque omnino inferiores erunt viro contemplationi dedito. Hic enim supponitur præditi eisdem Virtutibus moralibus, sine quibus nulla est solida Felicitas: intuper ornatus est excellentissimo habitu Sapientiæ: ratione cuius magis similis Deo existit, ac proinde præstantior est.

CAPVT NONVM.

Peroratio Operis.



Enim si de his, atque virtutibus, & insuper de amicitia, voluptateve satis figura diximus, estne putandum, nostrum propositum iam finem habere? An quemadmodum dicitur, non est hoc in rebus agendis finis, perpexisse, cognovisse quæ singulas, sed potius agere? Nec de virtute scire sat est, sed enitendum est, ipsam habere, ac uti: vel si quo alio modo boni efficiuntur. Si igitur verba sufficerent, ad faciendos homines bonos, multas iure mercedes, secundum Theognidem, atque magnas afferrent: & comparare ea oportet. Nunc verò iuvenes quidem liberos hortari, ac provocare, moribusque ingenuis, veræque honestatis amatoribus, idoneis ad obtemperandum educatione bona iam factis, periuadere verba possunt: vulgus autem ad probitatem incitare nequeunt. Non enim sunt tales, ut ob pudorem obtemperent, sed ob metum: nec ut à pravis ob turpitudinem abstineant rebus, sed ob pœnam. Nam quia affectibus vivunt, persequuntur quidem proprias voluptates, & ea, quæ illas efficiunt: fugiunt autem dolores oppositos. Honestatis autem, voluptatisque veræ, nullam prorsus habent animadversionē: quippe cum eas nō degustarint. Tales igitur, quænam verba traducere, moderarique possent? Fieri enim non potest, aut nō facile fit, ut ea verbis mutantur ac extrudantur, quæ impressa sunt moribus, temporeque diuturno retēta. Amabile autē est fortasse, si cum omnia essent, quibus boni fieri videmur, participes virtutis efficiamur. Fieri verò bonos, alij natura, alij consuetudine, alij doctrina putant. Natura igitur (ut constat) non in nostra est potestate: sed inest ijs hominibus per causam quādā divinam, qui verè sunt fortunati. Verba autē præceptionesve, non in omnibus vires habent, sed opus est, auditoris animum antea moribus esse cultum ad rectè gaudendum, ac abhorrendum, perinde atque terram, quæ semina sit nutritura. Qui nanque vivit cum perturbatione, non audiet ea verba, quæ dehortantur, neque intelliget. Is verò, qui ita dispositus est, qui fieri potest ut dissuadenti obtemperet? Omnino autem nō verbis ipsa perturbatio, sed vi cedit. Mores igitur præcedant aliquo modo virtuti familiares oportet, amantes bonum, atque abhorrentes à turpi. Difficile autem est ut ab adolescentia rectè quis ad virtutem institutur, non sub talibus legibus educatus. Modestè nanque vivere, continenterque, plerisque hominibus, præsertim & invenibus, non est iucundum. Quapropter educationem, atque officia à legibus instituta esse oportet. Non enim dolorem afferent, si fuerint consueta. Fortasse autem non sufficit,

dum sunt adolefcentes, rectam educationem, & curam esse adeptos: sed cum oporteat viros quoque factos, ipsa agere, ac assuescere, & in his, & omnino omni in vita legibus esse opus. Multitudo enim necessitati potius, quam rationi, & pœnis, quam honestati parer. Idcirco sunt, qui legumlatores oportere censent ad virtutem invitare, ac provocare honestatis gratia, propterea quod iis, qui probi sunt, ob consuetudinem præcipuè obtemperabunt. Adversus autem inobedientes, & hebetiores ingenio, castigaciones, pœnasq; instituere. At eos, qui curari, ac emendari nequeunt, extrudere, atque exterminare. Probum enim hominem, & ad honestatem viventem, rationi obtemperaturum inquam esse: improbum verò voluptatem affectantem, dolore afficiendum esse perinde, atque iumentum. Quapropter & eos dolores afferri oportere dicunt, qui maximè concupiscentiis voluptatibus adverteantur. Quod si eum, qui bonus futurus sit, bene educatum (ut dictum est) ac moribus bonis assuefactum esse oportet, deinde bonis exercitijs vivere, & neque invitum, neque sponte res agere pravas. Hæc autem fuerint, si mente aliqua, rectoque ordine vires habente vivatur. Opus est mente profectò, munere cuius ita hæc evenire possint. Igitur patris quidem præceptio vires non habet, neque necessitatem, neque vllius omnino vnus viri, nisi rex, aut aliquis talis. Lex autem vim habet cogentem, quæ quidem est sermo ab aliqua prudentia, atque mente profectus. Et homines quidem eos ovile solent, qui appetitionibus adverteantur, & si rectè id ipsum faciunt. Lex autem non est eis molesta, probitatem iubens. In sola autem Lacedæmoniorum civitate cum alijs paucis, curam adhibuisse in educatione, atque officijs legislator videtur. In pluribus autem civitatibus tales res sunt neglectæ. Et ita vnusquisque vivit, ut sibi placet, ritu Cyclopium filios regens, atque uxorem. Præstabilissimū igitur est, diligentiam rectamve curam adhibere communem: idque ipsum facere posse. Quod si negligitur publicè, ad vnumquemque pertinet filios suos, atque amicos ad virtutem dirigere, vel saltem velle dirigere. Atque maximè id ipsum posse videbitur ex his, quæ diximus, idoneus ad leges ferendas factus. Publicas igitur diligências, atque curas per leges fieri constat: bonas autem, per studiosas. Nec interesse quicquam videtur, scriptæ sint, an nō scriptæ: vnus, an plures per illas instituantur: ut & in musica, exercitandiq; facultate, & eruditionibus cæteris, hoc nihil refert. Nam ut in civitatibus leges, ac mores: sic & in domibus possunt paterni sermones, ac mores: quinetiam magis ob cognationem, beneficiaque collata. Sunt enim ipsi filij iam pridem affectione devincti, & facile obtemperantes natura. Differunt insuper & instituta privata à publicis perinde, atque in medicina. Univerfaliter enim, febricitanti confert inedia, & quies: at alicui forsitan non conducit. Magister quoque ludi, non omnibus fortasse pugilibus eandem pugnam imponit. Singula autem magis exactè fieri videbuntur, adhibita cura, diligentiaq; privata: magis enim id adipiscitur vnusquisque, quod congruum est. Atque optimè quidem in singulis curam, ac diligentiam adhibuerit, & medicus, & ludi magister, & quivis alius, qui hoc universale scit: omnibus, inquã, aut talibus hoc esse accommodatum. Scientiæ enim, communis ipsius esse dicuntur, & sunt. Nihil tamen forsitan obstat, quin & is, qui scientiæ quidem est expertus, exactè autem ea perpexit experientia, quæ in vnoquoque accidunt, rectam in vno aliquo diligentiam adhibeat, atque curam: quemadmodum & quidam optimi sibi ipsis esse medici videntur, qui tamen nulli alij possunt opem afferre. Verùm nō minùs forsitan oportere videbitur, eum, qui vult artifex, & contemplator evadere, ad universale pergere, atque illud (ut fieri potest) cognoscere. Dictum est enim, scientias circa hoc ipsum versari. Fortasse autem & is, qui vult sua cura, diligentiave meliores facere, sive multos, sive paucos, enitatur oportet, ut ad ferendas leges aptus evadat, si boni legibus fieri possumus. Nō est enim cuiusvis quœvis rectè disponere. Sed si alicuius est, scientis est: ut in medicina fit, & in cæteris facultatibus, quarum est aliqua cura, atque prudentia. Hæc cum ita sint, considerare potest hoc oportet, vnde nam, & quomodo qui ipsa legumlator evaserit. An ab ijs, qui Rempublicam gerunt, quemadmodum & in cæteris facultatibus fieri solet? nam pars civilis est ipsa ferenda, vnde legum facultas. An nō similiter in civili, & cæteris facultatibus fit, & scientijs? Nam in cæteris quicquid idem tradunt facultates, & per ipsas operantur, ut medici, atque pictores. Res autem civiles docere quidem pollicentur ipsi sophistæ, nemo autem ipsorum agit: sed iis, qui Rempublicam gerunt, qui quidem potentia quadam id agunt, & experientia potius, quam mente. Neque enim scribant de talibus, neque loquuntur: quod tamen præclarior forsitan esset, quam iudiciales orationes, vel deliberativas componere. Neque filios suos, aut amicorum vllos idoneos ad gubernandam Rempublicam efficiunt. Erat autem consentaneum rationi, si possent. Neque enim melius quicquam civitatibus reliquissent, neque sibi ipsis, aut charissimis aliud magis optassent, quam talia posse. Non tamen parum experientia conferre videtur: non enim fierent per civilem consuetudinem ad gubernandam Rempublicam aptiores. Quapropter iis, qui de re civili capiunt scire, experientia insuper opus esse constat. Sophistæ autem iis, qui

facultatem hanc profitentur, tradendi viam ignorant. Neque enim quale quid est, neque circa quæ veretur, omnino sciunt. Non enim ipsam, & oratoriam facultatem idem, neque inferiorem ponerent, congregatis ijs legibus, quæ sunt probatæ. Fieri enim posse dicunt, ut optimè deligantur: proinde quasi selectio non esset sagacitatis, & iudicare rectè non esset maximum: ut in musicis. Qui nanque sunt in singulis experti, rectè opera iudicant: & quibus, aut quomodo perficiantur, & quæ sunt his consona, comprehendunt. Inexpertis autem satis est, si non lateat iplos bene, an malè factum sit opus: ut in pictura. Leges autem operibus similes civilibus sunt. Quoniam igitur modo quispiam ex his legum fuerit lator, aut eas, quæ sunt optimæ iudicaverit? Neque enim medici ex libris fiunt: & tamen dicere conantur non solum curationes, sed etiam ægrotantes curari posse, & ut curare oportet, habitu uniuersumque distincto. Hæc autem expertis quidem vtilia, ijs verò, qui scientia carent, inutilia sunt. Et legum igitur forsitan, & rerum publicarum congregationes ijs quidem, qui perspicere, atque discernere possunt, quidnam rectè sese habet. vel contrà, aut quæ quibus accommodantur, vtilis esse possunt. Sed ijs, qui sine habitu talia tractant, rectè quidem iudicare non possunt, nisi fortuito. Magis autem ad ea comprehendenda fortasse fuerint apti. Cum igitur nostri maiores ea, quæ ad facultatem ferendarum legum pertinent, sine perscrutatione reliquerint, nos ipsos illa fortasse præstat considerare: & omnino de republica pertractare oportet, ut quoad fieri potest, ea philosophia perficiatur, quæ circa res humanas veritatur. Primum itaque si quia rectè à maioribus dictum, id enitatur recensere. Deinde ex congregatis rebus publicis considerare, quænam civitates, & rerum publicarum singulas evertunt, atque conservant: & quas ob causas aliæ rectè gubernantur, aliæ contrà. His enim perspectis, magis fortasse perceperimus, quænam sit Respublica optima, & quomodo vnaquæque disposita, quibusve legibus vtens, ac moribus, bene fuerit constituta. Dicamus igitur, hinc initio sumpto.

CLARISSIMO ET SPLENDIDISSIMO PRINCIPI,
D. D. MARTINO DE GVZMAN,
 MARCHIONI DE QUINTANA, IACOBÆI ORDINIS
 EQVITI COMMENTARIO DE BIEN-VENIDA, &c.



POSTQVAM Excellentissimis Parentibus Tuis Commentarios Philosophiæ Ethicæ inscripsi, ORNATISSIME PRINCEPS, visum est Opus claudere & consignare simili sine, ac exordio inchoatum est. Neque enim satis fuit uniuscuiusque amborum umbram seorsim rudibus lineamentis exprimere. nisi & vividam vtriusque imaginem pennicillo adumbrarem. Filios Parentum tuorum naturales imagines esse, & *ζώντα τὰ ἀγάλματα viventia simulacra*, passim audimus & legimus.

Excurret ea similitudo, non modò per humanum genus, sed animantes quoque brutas. Felicissima sanè conditio originis Tuæ, quæ vtriusque Parentis nobilitatem summam, ingenium, indolem ad vivum expressisti. Paterno NVÑEZ DE GVZMAN genere, quid tota Hispania illustrius? Octo circiter sæculis continuatum & eximium splendorem ducit à Serenissimo Infante D. NVÑO, germano fratre ALPHONSI, Hispaniarum Regis, cognomento Magni. Nörunt id omnes, quibus aliqua Historiæ lux affulsit. Maternis etiam cognominibus, NIÑO, & HENRIQVEZ, quid sublimius? Vtrumque id Regium pariter est, & ex duplici Castellæ Infante derivatum. Nemo id necit, nisi fortè qui Gentis nostræ res nec à limine salutavit. Verum & hæc hæreditaria sunt, quibus non laus, sed honor debeat. Maius quoddammodo & gloriosius est Parentum Tuorum nobilissimam indolem, moreisque expressisse, quàm sanguinem intra venas animasse. Amandat procul Aristoteles in hoc Opere adolescentes à studio Ethicæ doctrinæ, quòd & nimis lateviant ætatis flore, & minùs ad prudentiam apti sint, defectu experientie multiplicis. Non tamen omnes eos à sacrario huius disciplinæ arcet, sed illos nominatim, qui *moribus iuniores* sunt. Nimirum, prævidit, quorundam genium & educationem eius conditionis futuram, ut statim intra penitiora Ethicæ adyta recipiantur. TE Verò, MARTINE PRINCEPS, huius generis esse, meritò existimet quisquis noverit, & mentis Tuæ amplissimam capacitatem, & animi propensionem toto impetu in honestum eantem, & optimam à puero institutionem. Neque enim minùs ampla mens futura erat Primogenito talium tantorumque Parentum: quorum unicuique, alteri inter Viros, & inter Heroinas alteri, videtur esse mens & anima multiplex. Scilicet, alteri ad summam rerum Hispaniæ adeò strenuè gerendam

dam, alteri ad tot naturæ & gratiarum dotes accumulandas, quasi multiplici anima, siue ut Græcè exprimat, *πολυψυχία* opus est. Ideo & amborum imitatione à primis ferè vnguiculis omnia ea facile didicisti, quæ Heroem ac Principem decent. Latinam linguam si dixerim TE cum ipso lacte lussisse, non mentiar. Notum est, Excellentissimæ Genitrici Tuæ tam facile fuisse Ciceronianum nectar insillare, quàm lac. Historiæ lectio, Equestris ars, & Gymnastica, deliciae Tuæ sunt. Hinc est, ut Hispaniarum Rex CAROLVS II. TE in primis charum habeat, & quasi coadutorem in liberalibus litteris addiscendis. Ideo frequenter TE alloquio & familiaritate sua dignatur. Neque enim ille Hispaniæ SOL, & qualsati Imperij vnica post Deum spes, rarijs vicinis vrit, sed denauleet. Flammanem illius lucem pupillis oculorum immotis excipere soles. Eadem ferè luminis acies imperstricta Clarissimo Fratri Tuo D. D. GARCIA DE GVZMAN. Vice licet, ambo Aquilarum filij, in Solem Hispaniæ, quam vis infans orbe splendens, facile oculorum aciem intenditis. Felices ambo, quibus tanti sideris vicina ac benigna lux est. Felices ambo, quibus tales habere contigit Parentes beneficio naturæ, ut nec licuisset eligere præstantiores. Felicissimi denique, si probatos vtriusq; mores, si virtutes Christianis Heroibus dignas, ab ijs derivatas, & in hoc Opere explanatas diuturno vitæ progressu & longa annorum periodo expresseritis. Hoc meum votum & amplissimum scriptiois præmium. Eius finis est Introductio ad Politicam, seu Doctrinam Civilem, quæ profectio Principum Philosophia est. Non enim ij opus habent implexis syllegimorum meandris, aut tricis, quarum vbertima in Scholis seges. Melius horas suas collocabunt in pacato studio Philosophiæ Moralis, quæ & honestè vivere, & rectè imperare, & contendere ad Felicitatem docet. non illam tantùm, quam Aristoteles Fidei lumine desinitus agnovit, sed eam insuper quæ longè altior, & æternùm duratura est. Hanc ipsam Tibi exopto, PRINCEPS CLARISSIME, & quibus possum desiderijs à Numine precor. Salmanticiæ XIII. Kalendas Sextiles, anno Reparatae salutis CM.LXXV.

SVMMA ET EXPLANATIO CAPITIS NONI.

Non satis esse homini addiscere Philosophiam Ethicam, nisi & probus fieri studeat: nec probum futurum absque bona consuetudine. Eam verò parari institutione legum optimarum, Erudendum quoque esse, ut quis iuuenis sit condendis legibus: & quomodo ea obtineri possit. Denique traditur institutio quadam ad libros Politicorum.



IMPONIT Aristoteles coronidem lectissimo & admirando Operi totius Ethicæ disciplinæ, tum introductione quadam ad Politicos libros, quorum nonnulla præludia in præsentiarum apparent: tum & epilogo, seu peroratione totius Operis. Summa capituli ferè est, finem doctrinæ hucusque traditæ esse actionem: inuentutè institui oportere: usum arti adiungendum, artem vsui, ut finis Ethicæ obtineatur. Dividit verò caput in sex partes. In prima monet non satis esse homini addiscere, quæ hisce libris tradita sunt, nisi & probus fieri studeat. In secunda docet, hominem probum fieri per consuetudinem bonam. In tertiâ observat, bonam consuetudinem effici per institutionem legis. In quartâ tradit necessariam esse legem homini, ut probus fiat. In quinta, oportere hominem idoneum fieri ad leges condendas. In sextâ denique præscribitur modus, quo homo ad id se efficere possit idoneum.

2 CIRCA Primam partem in id potissimum tendit, ut ostendat non satis esse homini nosse quæ hæcenus dicta sunt de Virtutibus, de Amicitia, de Voluptate, ac Felicitate, nisi & conetur finem totius doctrinæ traditæ

assequi: nimirum, honestatem vitæ & operationum. Id autem ferè sic probat. Non satis est vicumque disciplinam practicam addiscere, nisi illius finis obtineatur. At Philosophia Ethica est disciplina practica, eiusque finis honestas operationum & Morum: ut lib. I. cap. 3. & saepe alias ostensum fuit. Ergo non satis est vicumque Philosophiam Ethicam addiscere, nisi & obtineatur honestas operationis & morum. Neque enim, inquit, præclaræ sermones disputationisve sufficiunt ad Virtutem probitatemve parandam: sic namque homines, qui plura & speciosa verba parant, magnam sibi laudem assequerentur, ut aiebat Theognis. Addendæ igitur sunt actiones & opera, ut Virtutes comparemus, & solidam laudem mereamur.

3 CONFIRMAT Id ipsum: Quoniam licet adolescentes nobilis & ingenite indolis sint eius conditionis, ut moveantur ad honestum, & declinent à turpi, vi suasionis alicuius, sermonis, disputationisve; non tamen ij, qui inveteratâ consuetudine vitiorum egrotant, veluti penè immedicabili morbo. Quare nec exhortationibus, nec pudore, nec notitiâ recti moventur ad fugiendum malum, & bonum prosequendum. Restat igitur ut metu pœ-

na deterrantur. Quod & antea observaverat Plato in *Protagora*, ubi narrat, Mercurium à Iove in terras missum, mortalibus pudorem ac poenam attulisse: quæ sunt duo vincula Reipublicæ in officio continendæ, ut aiebat Seleucus Legumlator apud Stobæum: quoniam serviles animi moventur metu: liberi autem verecundiâ & honestate. Vnde i. i. novissimi verus:

Oderunt peccare boni, virtutis amore.

Oderunt peccare mali formidine poenæ.

Itaq; hominibus in vitio iam inveteratis vnum superest remedium terroris à penâ incurrendâ. Ijs verò, qui ingenui & liberales sunt, præsertim adolescentibus, in quorum animo improbitas nondum radices fixit, exhortatio & disciplina remedium afferre potest, ut errata corrigant, & ad honestatis præscriptum suos mores componant. Quamvis & in hoc insistere oporteat: quoniam licet iuvenes quâ parte minus in vitio obfirmati sunt, facilius curari possint, aliunde fervore ipso ætatis, perturbationumque ardentium, quasi rapiuntur ad suas cupiditates explendas. Quod observat idem Arist. 2. Rethori. cap. 12. illis præsertim verbis: *οἱ μὲν δὲ νέοι, &c. Ac iuvenes quidem moribus sunt cupidi, & parati ad ea efficienda, quæ concupierint, & ex cupiditatibus quæ circa corpus versantur maxime eius sectatores sunt, quæ circa res venereas est, & incontinentes ipsius, & in horas mutabiles, & fastidiosi in cupiditatibus.* Apud Horatium quoque in *Arte Poetica* sic iuvenis dipingitur:

*Cercus in vitium stecti, monitoribus asper,
Vtilium tardus provisor, prodigus æris,
Sublimis, cupidusque, & amata relinquere
pernix.*

4 CIRCA Secundam partem præscribit modum, quo homo fieri probus possit. Quod ut edisserat, præmittit tres hominum opiniones. Prima est existimantium, homines ipsâ naturæ conditione, sive origine probos existere: quoniam id habent ex naturali propensione, aut indole, vel impressione cælestium corporum, sive astrorum vi. Secunda opinantium totam hominum probitatem in consuetudine, sive exercitatione bonorum operum, sitam esse. Tertia summam honestatis in doctrinâ ponit, asseritque eos probos evadere, qui optimos magistros, sive institutores nacti sunt. Quare iuxta eam triplicem opinionem tria sunt præsidia Virtuti comparandæ: natura, consuetudo, doctrinaque, sive educatio. Nominè naturæ *εὐφυΐα* intelligunt: id est, quandam naturæ bonitatem, seu optimam indolem ad Virtutes, comparandas; quæ in hominis arbitrio non est, sed Dei dono recipitur simul cum naturâ ipsâ. Verùm eum hoc loco Arist. solum disserat de his, quæ ab usu nostro & li-

berâ voluntate pendent, eam acceptionem mittit, veluti instituto importunam. Procedit igitur ad ea, quæ iuxta leges à nobis fiunt, & omnino differunt à naturâ: quoniam, ut inquit Plato lib. 10. de Legibus, *si natura tanquam divina virgula, boni effici possimus, nullis legibus opus esset.*

5 QVARE Procedit ad consuetudinem & doctrinam: quæ duo ex tribus prædictis sunt in nostrâ potestate. Ac de consuetudine educationeque præmittit, priores esse debere, quàm doctrinam: quia quotquot nullam honestorum operum consuetudinem habuerunt, sed pravis moribus imbuti sunt, pravæ opinionēs animo excipiunt, quibus præoccupati, postea non percipiunt veritatem, nec monitorem aut docentem ferre possunt. Ideoque ut rectæ doctrinæ facilis aditus in mente sit, debet animus prius excoli usu probi, & optima educatione: veluti tellus, quæ plurimo cultu subigitur & paratur ad sementem excipiendam. Quæ eadem similitudine vitur Cicero in 3. *Tuscul. QQ.*

6 ITAQVE Arist. parandæ Virtuti & probitati morum tria præsidia assignat: quorum primum esse docet consuetudinem, secundum doctrinam, tertium naturam, sive illius bonam constitutionem. Ac naturam quidem, quamvis optimâ indole præditam, non sufficere ad probitatem, probat ferè sic. Nequit homo fieri probus ex eo, quod in ipsius potestate non est. Ac natura, & optima indoles, in ipsius potestate non est: quippe quæ dono Dei habetur ante omnem usum arbitrij. Ergo nequit homo fieri probus ex naturâ, & optimâ indole. Quod verò nec sufficiat doctrina, ita suadet. Id quod experimento convincitur repulsam pati, & effectum non obtinere, nullatenus est præsidium efficax ad rem allequendam. Atqui doctrinâ, quantumvis bonam, experimento convincitur repulsam pati, seu effectum non obtinere: cum plures improbi existant, qui nullâ institutione doctrinæ, nullis monitis excitantur, ut turpitudinem deserant, & probifiant. Ergo doctrina non est præsidium efficax ad turpitudinem deserendam, & probitatem allequendam. Denique restat ut ex ijs tribus præsidijs consuetudo, & educatio sit primum ac præcipuum. Quod non solum colligitur ab exclusione cæterorum, sed & ratione hæc: Quia illud est optimum ac præcipuum præsidium ad probitatem allequendam, quod præparat animum, docetque ijs gaudere, & lætari, quibus gaudendum merito ac lætandum est; ea verò odibile, quæ odio digna sunt. Sic enim paratur animus ad ferendum Virtutis fructum, sicut terra ad sementem excipiendam. At bona consuetudo & recta educatio ea omnia præstat, ut apparebit consideranti singula. Ergo illa

illa est optimum & præcipuum præsidium ad probitatem assequendam. Secundum vero locum obtinet doctrina, & infimum omnium bona naturæ indoles.

7 CIRCA Tertiã partem docet, ad eam consuetudinem habendam, insigni præsidio esse bonam educationem, sive institutionem, quam catachesim Græci dicunt. Hęc enim valde præparat animum adolescentis ad doctrinam Ethicam seriò addiscendam, ut dictum est lib. 1. cap. 4. Quare præscribit modum, quo eiusmodi educatio sive institutio recta habeatur: ut eo adiumento comparet sibi quis bonam consuetudinem, in quã est præcipua vis ad Virtutem & probitatem adquirendam.

8 PORRO Institutionem rectam pezendam esse docet à constitutionibus legum optimarum, quæ sunt regula humanorum actuum. Afferit itaque, necessarias esse leges ad bonam consuetudinem inducendam. Idque dupliciter probat. PRIMO: Quia quoties aliquod bonum est admodum difficile obtentu, opus est aliquod subsidium adhibere, quo excitante, & quasi compellente, adigamur in eius consecutionem. At proba institutio & consuetudo recta est bonum aliquod difficile obtentu: tum ob sui præstantiam, tum & ob luctam perturbationum, quibus provocamur ad pravam consuetudinem: tum etiã, quia iuvenes dediti sunt delectationibus, ut dictum est lib. 1. cap. 3. difficile autem est delectationibus resistere & modum imponere. Ergo opus est aliquod subsidium adhibere, quo excitante, & quasi compellente, adigamur ad bonam institutionem, & consuetudinem rectam. Id vero non est aliud quam lex, quæ proposito præmio hortatur ad bonum; & indictã pœnã avertit à malo. Ergo ad bonam institutionem consuetudinemque parandam optimis opus est legibus. Monet verò, quamvis bona consuetudo sit initio sui aspera & dura, progressu ipso fieri dulcem ac suavem, etiam iuvenibus: neminemque adultorum, seu etiam provectæ ætatis, eximi legibus, quibus ad honestum excitetur: præsertim cum plerique hominum imperio potius, quam exhortationi pareant, & non tam honestatis amore, quam timore pœnæ ducantur. Quare manifestum est leges hominum moribus rectè instituendis & formandis viles ac necessarias esse.

9 SECUNDO Idipsum probat ab authoribus & conditoribus earundem legum: qui optimi & prudentissimi fuisse existimantur. Ij verò leges statuerunt, quibus & promittitur præmium rectè operantibus, & indicitur supplicium ijs, qui malè agunt. Observaverunt enim, quosdam hominum esse ad honestatem propensos, & nobilis atque ingenuæ indolis,

qui Virtutis amore ducantur, & quoddammodo excitentur præmio proposito. Alios verò ad vitium proclives, improbos, & servilis animi, qui solo timore pœnæ arceantur ab iniquitate. Alios denique inveteratã vitiorum consuetudine deploratissimos, & prorsus insanabiles: quos propterea Plato lib. 2. de Legibus, nullam aliam medicinam monet habere posse, quam mortem. Ideoque à civitate excluduntur, aut ultimo supplicio damnantur. Quare iidem Legumlatores iuste & prudenter leges statuerunt, quibus & proponeretur bene operantibus præmium, & malè agentibus supplicium. Ergo quia existimantur omni hominum conditioni, sive proborum, sive impiorum, necessarias esse leges ad rectam morum consuetudinem sibi parandam, quocumque demum fine ducerentur.

10 CIRCA Quartam partem confirmat ferè doctrinam nuper traditam, ostenditque, leges esse per se necessarias, ut homines probi fiant. Quippe consuetudo non ideo probitatem hominibus affert, quia consuetudo sit: sed quoniam conformis est optimis & probatis moribus. Itaque probitatem hominum ad leges potissimum existimat referri debere: idque duplici ratione probat. PRIMA est. Quicumque hominum probus est efficiendus, is volens, nolensve continere debet à malis. At ut quis volens, nolensve contineatur à malis, necessaria sunt leges. Ergo ut quisquam hominum probus fiat, necessariae sunt leges. Maior patet: quia nemo hominum potest operari bonum, quodecumque illud sit, nisi aut spontanea voluntate id præstet, aut coactã: & priori modo operantur qui honestam indolem nati sunt, honestatemque colunt; posteriori verò, qui improbi existunt ac refractarij. Ergo quicumque hominum probus est efficiendus, is oportet ut volens nolensve contineatur à malis. Minor illa præcipua probatur: Quia ut quis volens contineatur à malis, oportet esse leges, quibus promovetur & excitetur ad honestum, præsertim proposito præmio. Ut autem vel invitus, sive nolens, à malis abstineat, opus etiam esse legibus, suadet sic: Quia nemo potest contra propriam cupiditatem, & improbam consuetudinem agere invitus, nisi ab aliquo potentiori & sublimiori coercetur. Ergo opus est ut adsit potentior aliquis & sublimior, qui coercet, & instrumentum, quo id præstet. At qui Legumlatores sunt potentiores & sublimiores cæteris, quoniam *ἰσχυρὸν*, id est, robur, seu fortitudinem habent ac coercendum improbos: leges autem sunt instrumenta, quibus vim inferunt, dum pœnam indicunt transgressoribus. Ergo ut quis, etiam nolens, seu invitus, se contineatur à malis, opus est legibus.

OBIICIT

11 **OBHICIT** Aristoteles sibi ipsi, rationem hanc non videri urgentem: quoniam occurri posset, responderique ab aliquo, ad rectam institutionem, sufficere imperium parentum: qui iure patriæ potestatis possunt filijs præcipere quidquid oportet ad formandos sibi bonos mores. Verùm evasionem hanc præcludit idem Arist. quia parentum potestas non habet tantum robur ac vim, quantà opus est ad corrigendos degeneres filios, seu Virtuti repugnâtes. Quare altiori potestate & fortitudine opus est, quanta & qualis invenitur in Regibus, alijsque simili potentiâ præditis. Cùm autem ab ijs propriè leges ferantur, proculdubio ad rectam institutionem necessariae sunt leges. Sunt quippe illæ, ut aiebat Seneca, minis admista præcepta, & propterea magis idoneæ ad compellendum, quam iussa patrum: ideoque Ulpianus l. 1. ff. de Iustitia & Iure dixit, *Jurisconsultos opera iuris & legum efficere bonos homines metu poenarum.*

12 **SECUNDA** Ratio, quâ idem ipsum suadet, est: Quoniam longè aptiores videtur leges, quam præceptum superioris, ut obtemperemus, & imperata faciamus. Homines enim eius conditionis & genij sumus, ut difficilè pareamus alieno imperio. Ideoque aut illud detrectamus, si possumus: aut ægré ferimus, si locus non sit detrectandi. In causa est, quod durum appareat alieno regi imperio hominem naturâ liberum; & quod sæpe certissimus præceptum superioris ex malevolentia, aut aliâ sinistra affectione procedere. Hoc autem impedimentum nõ vrget in lege: quoniam illa generatim fertur ad omnes absque malevolentia vllâ, aut sinistra affectione optimi Legumlatoris: qui solâ honestate & studio boni communis ductus eam tulit æqualiter in omnes. Ergo ad bonam institutionem, consuetudinemque parandam, subindeque honestatem morum, leges sunt admodum necessariae.

13 **CIRCA** Quintam partem hortatur homines, ut se idoneos præstare studeant ad leges ferendas: cùm iam antè docuerit, bonam consuetudinem, probitatemque morum ab optimis legibus ortum ducere. Itaque vult unumquemque à primâ ineunte ætate se talem exhibere, eamque in honestate operum curam impendere, ut progressu temporis *ρομοθετικὸς*, idoneus legibus ferendis evadat. Nisi enim aliqui sibi ipsi leges imponant, & suæ ipsorum institutioni studeant, non facilè invenient, à quo instruuntur: quoniam in pluribus civitatibus nulla instituendorum puerorum cura suscipitur, neque vllæ sunt leges circa eorum educationem conditæ. Solam quippe fuisse ait Lacedæmoniorum civitatem, & alias Græcorum per paucas, quæ publicâ lege præscriberent institutionem puerorum; quomodo ij educandi essent: in pluribus autem solùm erat privata

cura, eaque mala, & temerè suscepta, & veluti Cyclopica: quâ parentes ita filios educabant, ut nullam aliam haberent legem, quàm privatam, & pro uniuscuiusque arbitrio. Quo eodem stilo loquitur lib. 1. Polit. desumpto ex Homero lib. 8. Odysseæ, ut credo: ubi accinit, Cyclopes eo barbaro & inculto more solitos educare filios suos. Itaque solos nominatim laudat Lacedæmonios quod publicas circa id leges tulissent: quod etiam tradit Xenophon lib. 1. ubi testatur, id fuisse proprium Spartanæ civitatis inter omnes Græciæ populos: ideoque *& initio Cyropædiæ* ob eâ causâ laudat Perlas. Verùm inter eas Græciæ vrbes, quæ puerorum instruendorum curam publicam habebant, & generatim paucè dicuntur ab Arist. intelligendæ veniunt Athenæ ipsæ, quibus olim publicè ea cura fuit teste Isocrate *in Areopagitico.*

14 **QUONIAM** Autem, ut modò dictum est, in plerisque vrbus, leges publicæ non erant, hortatur præterum patres familias, ut privatis legibus ad rationis præscriptum studeant filios suos educare, & instruere. Invenient verò seu deprehendent eas rationi conformes, si se tales moribus exhibeant, ut Legumlatores evadere possint. Qui enim se idoneum præstat ut legem publicam ferre possit, multò magis ferre poterit privatam institutis filijs ac familiæ suæ: quoniam hoc longè facilius est, & minorem prudentiam exposcit. Aut certè si filij ipsi parentum educatione destituti sint, oportet ut studeant honestati ab initio, & sibi ipsis privatas veluti leges imponant, quibus ad Virtutem & probitatem concitentur. Utrovis enim modo, aut parentes cum filijs, aut filij ipsi secum faciant, quod facit in civitate cum omnibus Legumlatoris: eo solùm discrimine, quod huius lex sit publica, illorum autem privata.

15 **DEINDE** Assignat nonnullas rationes aliqualis diversitatis inter eas privatas leges & publicas. Prima est, quod leges publicæ sint scriptæ: privatae autem non scriptæ. Huius dissimilitudinis etiam meminit lib. 3. cap. 8. Politic. & lib. 1. Rhetor. eamque pariter tradit Iustinianus Imperator lib. 1. Institut. tit. 2. §. constat: ubi & illud effatum profert, solemne apud Græcos, *τῶν νόμων, οἱ μὲν, ἔγγραφοί, οἱ δὲ ἀγγραφοί.* *Legum quidem aliqua scriptæ, aliqua non scriptæ.* Vbi iuris scripti lex veluti species designantur: nimirum, lex, plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placite, Magistratum edicta, responsa prudentum. Deinde circa ius non scriptum inquit aliquantò postea: *Sine scripto ius venit, quod vjus approbavit: nam diuturni mores consensu ventionum comprobati, legem imitantur.* Itaque primum discrimen publicarum legum à privatis apud Aristotelem est, quod priores illæ sint ius *ἔγγραφον* scriptum: posteriores verò ius *ἀγγρα-*

ἀγραφοῦ, non scriptum, & potius mores, consuetudinesque, quam leges. Hanc verò differentiam per exiguam esse monet: quoniam utrarumque vis eadem est, modo sint bonæ, & rationi conformes, etiam non scriptæ. Quare & laudantur pariter Athenienses, qui scriptis legibus utebantur, ac Lacedæmonii, qui non scriptis. De quo legendi Dionysius Halycarn. lib. 1. Plutarchus in *Lycurgo*, & Cicero pro *Fiacco*.

16 SECUNDA Differentiam legis publicæ à privatæ in eo sitam esse ait, quod prior instituta sit ad erudiendos omnes cives; posterior verò ad unam familiam dumtaxat. Hanc quoque differentiam exiguam esse docet: nam idem fere est quod instituitur unus aut plures: sicut videre est in Musica, aut arte Gymnastica, quæ eadem est, siue præcepta utriusque tradantur uni, siue etiam pluribus. TERTIA in eo consistit quod lex publica versetur in regendâ tota civitate: privata autem in unâ familiâ, aut domo. Et hæc exigua quoque apparet discriminis ratio, sicut & præcedens, à quâ vix difert, nisi quod lex privata videatur longe maiorem vim habere in unâ domo, quàm publica in totâ civitate. Rationem verò eius maioris vis in lege privatâ consisturam esse ait in necessitudine, seu vinculo cognationis, ac beneficiorum, quibus filius abstrigitur patri. Inde enim quasi naturaliter redditur ἐὺν νόμῳ, facίε ὑπακούειν πατρί, cum ab eo accepit τοῦ ζῆναι, ἑσθλῶς ἔσσειν, ac vivere. Hæc autem ratio celiat in lege publicâ: quoniam Legislator non est natura pater civium: ideoque minus potens ad rapiendum animos illorum in obedientiam. Ergo potentior videtur lex privata, quàm publica, ad obedientiam subditi, siue inferioris.

17 QVA Expositione præoccupatur obiectio, aliqui difficilis, quæ oriri posset ex dictis circa quartam partem: ubi tradidimus cum Aristotele, potentio rem esse potestatem regiam, quàm paternam, ad homines in officio continendos: ideoque non sufficere quod filij parentibus subiecti existant, nisi & ferantur leges, quibus optemperare debeant. Id autem videtur modò confutari, cum nuper dixerimus maiorem esse vim in lege privatâ & paternâ, quàm in publicâ, ut homines obtemperent, seu iussa faciant. Præoccupatur, inquam, obiectio hæc, & facile solvitur: quoniam ibi loquebamur de obedientiâ coactâ, ad quam extorquendam à subditis, validior est lex publica, propter maius robur seu vim Regum & Principum, indicentem pœnas transgressoribus. Hoc autem loco agimus de obedientiâ spontaneâ, quæ proinde affectu, siue amore voluntatis ducitur, ac proinde eò efficacius & potentius, quò urgentior & intimior est ratio amandi. Cum igitur intimior & urgentior sit filijs ratio amandi patres, quàm Legulatores,

consequens est ut efficacior sit ad conciliandam filiorum obedientiam lex parentum privata, quàm publica Legulatores.

18 QUARTA Differentia in eo ponitur ab Arist. quod lex publica præcipit aut prohibet univèrsim, ac generalia & communia præcepta tradit, ab omnibus observanda: privata vero lex solùm præcipit res agendas, aut verat fugiendas uni, vel alteri, aut paucis quibusdam eiusdem familiæ. Unde oritur, ut privatae leges sint accommodatiorès unicuique, quàm publicæ. Id exponit Arist. similitudine peritæ ex arte medendi. Prior enim est singularis & certa medicina, quæ quis huic aut illi in singulari remedium efficax & opportunum affert, quàm generales quædam eiusdem artis præceptiones, & pronuntiata, quæ ex variâ & dissimili subiectorum temperatione, sæpe deprehenduntur nullum omnino fructum afferre. Unde præstantiores vtilioresque medici sunt ij, qui ultra præcepta generalia sciunt in singulari unicuique proprium adhibere remedium, iuxta peculiarem ipsius constitutionem; quàm qui solùm generalia documenta & pronuntiata didicerunt. Non enim curanda est ab infirmitatibus natura humana in abstracto, vel idea hominis; sed Socrates, aut Titius. Fieri que potest, inquit Arist. ut licet univèrsè dicatur inedia vtilis febricitanti, aut quies; alicui tamen infirmo utraque, aut altera earum nociva sit. Magister quoque pugilum, ut strenuè suam artem exercent, non pariter omnibus eandem pugnam præscribit, sed accommodatam unicuique: quia exactius servantur præcepta singulis opportuna, quàm omnib⁹ generaliter præscripta. Idemque in alijs artibus cernere est. Pariter ergo privatæ leges magis se insinuant & adaptant singulis subditorum, quàm publicæ.

19 VNDE Sequitur (quod paulò superius monuimus) parum aut nihil esse discriminis inter legem publicam & privatam: quia quòd uni aut pluribus præscribitur, quòd generalia quædam pronuntiata contineat, vel singularia; parum variat legem, quæ simpliciter eadem manet: sicut eadem ars Medicinæ aut Gymnastica est, quæ præceptiones univèrsè tradit, ac quæ in singulari remedium, seu certam pugnam alicui præscribit. Quòd autem privata lex potentior sit ad obedientiam subditorum inducendam, quàm publica, aliquale quidem discrimen utriusque legis in movendo probat; non autem naturam diversam: sicut natura Medicinæ aut Gymnasticæ artis in singulari & in univèrsim eadem est; quàmvis in singulari potentior sit ad obtinendum effectum, quàm in univèrsali.

20 MONET Itaque Arist. peritiam patris familiæ in condendis legibus privatis anteponendam esse generali scientiæ in ferendis

dis legibus publicis. Quod equidem difficile apparet: cum alijs locis generalem scientiam præstulerit singulari; & præterea scientia legum vniverse ferendarum procedat à Prudentiâ civili & generali, quæ sublimior apparet, quàm familiaris & domestica Prudentia, secundum quàm privatae leges ab vnoquoque conduntur in vsum familiæ suæ. Patet verò, actus præstantiores esse, prout ab habitu præstantiori proficiuntur. Huic verò difficultati occurrendum est asserendo, non præferri absolute peritiâ patris familiæ in condendis legibus privatis, scientiæ generali in ferendis legibus publicis. Quippe oppositum evincitur rationibus nuper propositis. Solum itaque præfertur singularis illa peritiâ vniversali, iuxta sensum quartæ differentiæ iam traditæ inter vtramque legem: quatenus, scilicet, peritiâ condendi legem privatam potentior est & efficacior ad obtinendum effectum, siue spontaneam subditorum obedientiam (quoniam singulis adaptatur iuxta vniuscuiusque indolem peculiarem) quàm peritiâ vniversalis, quæ solum decernit aliquid in genere, absque consideratione singularium, ideoque minus accommodata est. Hac etiam ratione præfertur peritiâ medendi efficaciter alicui morbo in singulari, & vtilior ac fructuosior habetur hic & nunc, quàm scientiâ Medicinæ in genere præscribens remedium, quod in hoc singulari salutem non operatur.

21 ALIUNDE Verò, & absolute loquendo, non negat hoc loco Arist. quod sæpe alias docet, scientiam rerum in vniversum præstantiorem esse notitiâ in singulari. Quare peritiâ condendarum legum generatim præstantior est, quàm earundem ferendarum in singulari. Hæc verò tunc erit prior solâ, siue seorsim sumptâ præstantior, quando simul cum eâ habetur. Evidens namque est inferius bonum coniunctum superiori magis valere, quàm superius seorsim ac per se solum. Vnde & maior seu præstantior erit peritiâ patris familiæ scientis condere legem privatam domui suæ, simul & publicam civitati, quàm scientiâ Legumlatoris illius, qui solum novit publicas leges condere. Similiter & peritior medicus qui in singulari simul & in vniversum mederi scit, quàm qui in genere tantum. Enitendum igitur esse monet Arist. vt quisque in suâ arte, siue disciplinâ, notitiâ vniversalem coniungat peritiâ in singulari: proindeque & patribus familiæ curandum est vt idoneos se præstent, non modo ad ferendas leges privatas domui & familiæ suæ, sed etiam ad cognoscendû generalia præcepta publicis iuris. Sic enim evadent peritissimi & scientissimi familiæ suæ gubernanda: qualis profectò esse debet, quisquis erudire iuvenes, & bonis instruere moribus curat.

22 CIRCA Sextam partem inquirat modum, quo quis se præstare possit idoneum ad leges condendas, earumque civiles, seu publici iuris. Dubitati enim posse ait, vtrum eam aptitudinem possit quispiam aequi consuetudine, institutione, aut doctrinâ ab ipsis Reipublicæ administratoribus, siue Principibus, acceptâ. Verum hanc postremam partem refellit: quia licet in alijs disciplinis oporteat doctrinam accipere ab ijs qui eam opere exercent, non tamen in Nomotheticâ, seu disciplinâ ferendarum legum. Quippe in alijs disciplinis idem est qui eas doctrinâ tradit, ac qui opere exercet: vt patet in medicis, pictoribus, fabris, scriptoribus, & alijs artificibus. Non enim solum faciunt opera arti consentanea, sed etiam regulas, seu principia præscribunt, ad eam discipulis tradendam. In Nomotheticâ autem seu Politicâ non ita fit: quoniam alij eam docent, alij opere exequantur, dum Reipublicam administrant. Non itaque ab ijs posterioribus dicenda est Nomothetica, siue doctrina condendarum legum.

23 VBI Arist. videtur loqui de Sophistis, qui eo tempore sibi peritiâ Politicæ arrogabant, quasi ij tantum apti essent ad eam tradendam: quod Plato plurimis locis apud Giphanium de ijs testatur, ac præterea Isocrates de Sophistis, Cicero lib. de Oratore, Aristides Orationibus adversus Oratores, & idem Arist. initio lib. I. Rhetor. Itaque Sophistæ reprehensi sunt, quod doctrinâ contenti nihil agent politice, neque vlli Reipublicæ administrandæ operarentur. Politici autem, quibus cura erat gubernandæ Reipubl. in solo opere versabantur, doctrinâ Sophistis permittit, quin aliquid illius aut discerent, aut scriberent, aut docerent. Quare solum erant politici vtu ipso & exercitatione, non autem doctrinâ, quales & fuisse eos, qui Iurisperiti appellabantur, observat Cicero in Bruto: quoniam nemo eorum, excepto Servio Sulpitio, scientiam iuris didicerat, nisi dumtaxat vsum.

24 POLITICOS Autem ipsos nullam scientiam eius doctrine habuisse, probat dupliciter. PRIMO: Quia si præditi fuissent eâ scientiâ, vtilissimâ sane, & præstantissimâ, profectò de eâ scripsissent, aut docuissent. Ac neque aliquid eiusmodi scripsisse, aut docuisse inveniuntur, inquit Arist. quod pulchrius esset, quàm orationes iudiciales, seu deliberativas scribere. Ergo Politici nullam eius doctrine scientiam habuerunt. Loqui autem videtur de Politicis quibusdam, vt Clithene, Thucydide, Pericle, Critiâ, Alcibiade, & Epaminonda, qui in iudiciali, vel deliberativo genere, vel in foro ad populum, vel in Senatu, Orationes habuerunt, earumque scripto mandarunt: nihil tamen docuisse aut scripsisse, quod spectat ad Politicam, vili sunt.

AL.

25 ALTERA Ratio, siue coniectura, qua idem ipsum coniecit, est: Quoniam si ijs, qui Politici dicebantur, eius doctrinae peritiâ essent prae diti, profecto illam tradidissent filiis suis, & amicis, quos charos in primis habebat. Neque enim putandum eos inuidisse coniunctissimis & maxime suis peritiâ, disciplinae praestantissimae atque vtilissimae. At nihil eius doctrinae filiis suis, aut amicis tradiderunt. Quod & Plato antea observauerat in *Euthydemo*, & *Alcibiade*: ubi eam ob causam omnes reprehendit Politicos. Ergo nulla Politicâ peritiâ erant prae diti. Quare putandi sunt solum habuisse illius usum, siue exercitium, quod certe non sufficit ad doctrinam aliquam pro dignitate tradendam. Vnde neque ab ijs, qui communiter Politici appellantur, doctrina Politicâ addiscenda est: sicut nec ab ijs, quos supra diximus, usu & exercitatione caruisse.

26 SI Autem usus & exercitatio non sufficit ut homines gnaros Politicâ faciat, quid tandem vtilitatis ex usu & exercitatione erit? Huic quaestioni responderet Aristoteles se nullo modo improbare usum siue exercitium Politicâ, cum id sufficiat ad Rempublicam administrandam, & cives faciendos Politicos; non quidem peritiâ, sed opere ipso, & experimento. Quod & in Iurisconsultis notat Cicero ubi nuper: dum ait, eos non à Scholis prodijisse, sed ex usu & consuetudine Iurisconsultorum. Nimirum, Scholas postea fuisse institutas testatur Pomponius l. 2. ff. de Origine. Iuris. Quare Aristoteles solum reprehendit imperitiâ eorum, qui Politici dicebantur: quoniam nisi doctrina hæc à suis fontibus, siue principijs petatur, eo modo quo disciplinae aliæ, quamvis usus & exercitatio adsit, nemo evadet perfecte Politicus. Vtrumque igitur coniungere oportet, peritiâ, & præterea usum: quoniam alterum sine altero non est satis.

27 REFUTATIS Politicis, tanquam ineptis ad Politicâ docendam, accedit ad probandum, nec Sophistas ad id munus præstandum idoneos existere, sed eos *ωὐδὲ γὰρ εἰς αὐτὴν τὸ διδάσκειν, προεὐθεστὸν ἔστιν ἄλλοις*, procul esse à docendo. Id autem fere sic probat: Nemo aptus est ad eam artem, seu disciplinam, quam nescit, siue non satis novit. At Sophistæ disciplinam Politicâ nesciunt, seu non satis norunt. Sophistæ igitur apti non sunt ad disciplinam Politicâ tradendam. Maior patet. Minor autem suaderet ab Aristotele tripliciter. PRIMO: Quia Sophistæ sui temporis (de his enim loquitur) confundebant Politicâ cum Rhetoricâ. Vtramque enim indivisim profitebantur, quasi vna eademque disciplina ellet: ideoque Rhetores & Sophistæ dicebantur. De quo legendus Ludovicus Cresolius in *Theatro Veterum Rhetorum lib. 1. cap. 2.* post Platonem, Hocratem, & Aristidem, locis superius indicatis. Nemo autem

utramque disciplinam Rhetoricâ & Politicâ confundit, seu pro vna eademque reputat, nisi qui Politicâ naturam nescit, seu non satis novit. Sophistæ igitur Politicâ disciplinæ naturam nescierunt. SECVNDO id probat: quia iidem Sophistæ dicebant (quamvis inconsequenter) Rhetoricam esse Politicâ præstantiorem. Quod absurdissimum dictum est, & ab eo solo proferri potest, qui Politicæ naturâ & præstantiam ignorat. TERTIO: quoniam Sophistæ eo solum nomine se Politicos prædicabant, quod collegissent in vnum plurimas aliorum leges dispersas, Politicâ deturventes. Hoc autem non sufficit ad peritiâ Politicâ habendam: quoniam hæc omnino exigit iudicium ac delectum earum Legum secundum Prudentiam politicam, & rectam singulorum rationem: sicuti ut quis Musicæ peritiâ præditus sit, non satis est si utcumque noverit plures concentus esse bonos malosve, nisi & præterea singulorum rationem ex ipsis Musicæ elementis, siue principijs, reddere possit. Idemque accidere monet in arte pingendi, aliisque similibus. Cum igitur Sophistæ solum aliorum leges collegissent, nec tamen de ijs iudicium ferrent ad præscriptum Prudentiæ, nec rationem earum redderent ex principijs Politicâ deductam, planè colligitur, eos Politicâ naturam non satis calluisse, nec idoneos fuisse ad eam doctrinam alijs tradendam.

28 CONFIRMAT Id ipsum: Quoniam ad perfectum Politicum, siue scientem, spectat, non modo probare leges aliorum optimas, & improbare malas: sed etiam, ubi opus fuerit, condere novas leges iuxta temporis opportunitatem utiles Reipublicæ. Quod comprobatur exemplo perfecti medici, cuius non solum est, probare, opportuna remedia ab alijs præscripta, aut improbare quæ inutilia sunt, vel nociva: sed etiam excogitare & adinvenire nova quædam remedia, ubi id necessarium, siue conveniens fuerit. Hoc autem præstare medicus non potest, nisi Medicinæ peritiâ ex fontibus siue principijs hauserit, ut inde procedat ad singula diiudicanda & decernenda. Quare cum Sophistæ operam suam collocassent solum in coacervandis aliorum legibus, & quibusdam probandis, aut improbandis, quin tamen Politicâ ex principijs siue fontibus haussissent, nec ex ijs pollent excogitare novas alias leges pro temporum opportunitate, profecto censendi sunt nullatenus fuisse perfecti Politici, siue scientes.

29 DENIQVE Cum nec Politici, nec Sophistæ illius temporis Politicâ veram aut didicissent, aut docuissent, promittit Aristoteles se ex professo de illâ acturum, proindeque de Nomotheticâ, quæ est disciplina legum sapienter ferendarum, & pars quædam Politicæ. Obiterque carpit prædecessores suos, quod

In ea illustri doctrina tradenda nihil studij, aut cura posuerint, aut certe non satis. Quo ipso videtur non probare Politicam prius à Platone traditam, aut saltem non plenam absolutamque censerent existimet necessarium esse de ea scribere. Id autem se facturum promittit eo ordine, ut primùm conetur persequi quid recte dictum & maioribus fuerit: deinde ex collectis Rebus publicis considerare, quæ nã sint opportuna servandis civitatibus, tum in genere, tum & in singulari; aut etiam destruendis: insuper & causam, sive rationem, propter quam aliqua Rerum publicarum administrantur recte, aliqua autem male. Ijs enim omnibus consideratis, apparebit quæ Politia, sive Respublica sit optima, & quomodo unaquaque constituta sit, & quibus legibus ac moribus utatur. His ferè verbis libros Ethicorum claudit, & sese accingit ad libros Politicorum. Similiter & ego Commentarium totius Ethicæ claudio & consigno aureis illis Senecæ verbis Epist. 8. *Posterorum negotium ago: illis ali-*

qua, quæ possunt prodesse conscribo. Salutaris admonitiones, veluti medicamentorum vitium compositiones, tibi tibi mando: esse illas efficaces in meis visceribus expertus; quæ, etsi per sanatum non sint serpere uiderunt. Rectum iter, quod serò cognovi. & lassus errando, alijs morasira. Vainam aliquo Dei obsequio, & proximorum fructu. Quidquid autè à me dictum, scriptum, dicendum, scribendum, sponte, & summa animi demissione subijcio correctioni S. Romanæ, Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ, necnon SS. Patrum doctrinæ, præsertim clarissimorum Theologiæ luminum, AVGVSTINI, THOMÆ, & ANSELMI, per quos potissimum proficere studui, & studebo, quoad hęc vltra superstes fuerit. Disputationes Ethicæ, quibus doctrina in hoc Opere tradita plenius illustratur, quam primùm licuerit commitemus alicui, & publice luci.

A



IN-

INDEX ALPHABETICVS

RERVM ET VERBORVM

MEMORABILIVM VTRIVSQUE PARTIS:

In quo I. significat Introductionem ad Philosophiam Moralem, initium
Operis editam, l. denotat librum, c. caput, n. numerum vnicuique
ferè §. Commentarij præfixum.

ABDICATIO filij an liceat patri, & e contra. l. 5. c. 14. à n. 8. Modus, & formula illius apud Græcos, & Romanos, *ibid.* *Ακόλαστος* cur Græcè dicantur intemperans. *lib. 3. c. 2. n. 9.*

Actio in quo differat ab effectione. *lib. 6. c. 4. n. 3.* An sit perfectior contemplatione, *lib. 10. cap. 7. n. 6.*

Actiones humanae quot & quæ principia habeant, *lib. 1. c. 1. n. 3. § 4.* Inconstantia illarum, & existimatio diversa apud alias atque alias nationes, *lib. 1. cap. 3. n. 3.* Qualiter sint probæ ex mediocritate, & improbæ ab excessu, aut defectu. *lib. 2. c. 2. toto.* Quænam earum sint natura sua pravæ, *lib. 2. c. 6. à n. 9.* Nullam earum servare mediocritatem, *ibid.* Non posse omnibus actionibus humanis convenire unam regulam, propter earum varietatem & inconstantiam, *lib. 2. c. 7. n. 2. § 3.* Quænam earum sint voluntariæ, aut involuntariæ, *lib. 3. c. 1. tot.* Quænam earum circumstantiæ. *ibid. à n. 23.* Actiones natura sua turpes an liceant, ob vitanda gravissima mala. *ibid. à n. 11.* Actiones, quibus generantur virtutes & vitia, an sint in nostra potestate. *lib. 3. c. 5. toto.* Actiones civiles, in quibus versatur Iustitia commutativa. *lib. 5. c. 2. n. 12. § 13.* Actiones virtutis an sint qualitates. *lib. 10. c. 3. n. 2.*

Adulatores reprehensi, *lib. 4. c. 5. n. 2. 3. 7. 10.*

Æqualitas qualiter spectetur à Iustitia distribvente. *lib. 5. c. 3.* Qualiter à Iustitia commutante. *lib. 5. c. 5. toto.* An sit unum, & idem cum ratione Pythagorica. *ibid. latè.* Æqualitas ex nummo & indigentia. *ibid. à n. 8.* Æqualitas duplex. *lib. 6. c. 6. n. 6.*

Æquitas, seu Epikia, quid sit, & in quo positum eius officium. *lib. 5. cap. 10. toto.*

Agathonis Poetæ celebre effatum examinatur. *lib. 6. c. 2. n. 15. § seqq.*

AFFABILITAS, virtus, eiusque exte-

ma vitia. *lib. 4. c. 6. toto.* Est mediocritas quædam inter sermonis suavitatem & asperitatem circa alios. *ibid. à n. 2.* Est similis Amicitia, itemque dissimilis. *ibid. n. 5.* Conciliatrix animorum. *ibid. n. 6.* Eius proprietates. *ibid. n. 7. 8. § 9.* Vitia ipsi opposita exponuntur. *ibid. n. 10. Αλαζονεία.* Vide Arrogantia.

ALPHONSVS Rex Aragonum & Sici-
liæ à Serenissimo Principe Vianæ D. CARO-
LO, laudatur tanquam præditus eximijs virtu-
tibus. *Intr. c. 5.*

Ambitio notatur. *lib. 4. c. 3. § c. 4. n. 6.*

AMICITIA, & *Amicus*. Vtrum Amicitia sit postponenda Veritati. *lib. 1. c. 6. n. 1.* An communem faciat fortunam prosperam, vel adversam amicorum, seu viventium, seu vita functorum, *lib. 1. c. 11. per tot.* Tractationem de Amicitia ad Philosophum Moralem pertinere. *l. 8. c. 1. n. 1. § seqq.* Opinio eorū qui docent, sitam esse in similitudine, item & contraria id negantium, *ibid. n. 9. § seqq.* In quo verè illa consistat, *lib. eodem, c. 2. per tot.* Eius obiectū *φιλονεία*, seu amabile, videtur, & exponitur. *ibid.* Eius triplex præcipua species, *ibid. c. 3. per tot.* Amicitia sola proborum est perfecta, eaque rara, & multiplici experimento probanda. *ibid. n. 9. § seqq.* Comparatio earum trium specierum Amicitia inter se, *lib. 8. c. 4. per tot.* Amicitia contrahendæ aptos non esse, nisi qui convictum servant, *c. 5. n. 3. § seqq.* Qualiter tollatur ex cessatione convictus, seu absentia, *ibid.* An consistat in habitu, an in actu, *ibid. n. 10. § seqq.* Quinam inepti sint ad illam contrahendam, *cap. 6. num. 2. § 3.* An inter plures contrahenda sit. *ibid. num. 4. & seqq.* Principum & potentum Amicitia multiplex. *ibidem num. 8. § 9.* Amicitia in excellentia, quænam. *lib. 8. cap. 7. per totum.* An inferior possit illam contrahere cum superiori, *ibidem num. 2.* Quomodo illa sit stabilienda, *num. 3. & sequentibus.* Comparatur Amicitia cum Iustitia. *num. 7. & sequentibus.* An obliget ab

ad exoptandum amico maxima bona. *ibid.* n. 10. & *seqq.* An consistat magis in amare, quam in amari. *lib. 8. cap. 8.* per totum. Quibus praesidijs conseruetur. *ibid. num. 5.* & *sequentib.* Invenitur quandoque inter eos, qui genio contrario invicem sunt. n. 7. & *seqq.* Amicitia civilis, quana, & quousque extendatur. *lib. 8. c. 9.* per tot. Amicitia regia, paterna, materna, economica, fraterna, & coniugalis explicatur. *lib. 8. c. 11.* per tot. Triplex species pravae amicitiae ex triplici Republicae specie vitiosa. *ibid. n. 6.* & *seqq.* Amicitia sodalitia, filialis, consanguinea, & coniugalis expeditur. *lib. 8. cap. 12. n. 2.* & *seqq.* Qualiter eiusmodi personae ducere possint suavem, & pacatum convictum in ijs amicitijs, earumque proprietates. *ibid. latè.* Quomodo querelae vitandae sint in quolibet Amicitiae genere. *lib. 8. cap. 13.* per tot. Eas locum habere praesertim in Amicitia spuria utilitatis. *ibid. n. 5.* & *seqq.* Remedium in compensatione situm esse, & qualiter ea adhibenda sit. *ibid. n. 10.* & *seqq.* Querelae Amicitiae in excellentia, earum radix, & cautio. *lib. 8. c. 14.* per tot. fere. Amicitia dissimilium, seu inaequalium, quibus conservetur praesidijs, quibus querelis solvatur, & harum remedium. *lib. 9. c. 1.* per tot. Quousque durent omnes Amicitiae species, & an honesta Amicitia semel soluta, oblivione sepelienda sit. *lib. 9. c. 3.* per tot. Amicitiae opera quanam sint, & qualiter a viro probato exhibenda. *lib. 9. c. 4.* per tot. Improbos non praestare opera Amicitiae. *ibid.* Mors pro amico quam gloriosa. *lib. 9. cap. 8. n. 17.* & *seqq.* Vir felix an egeat amicis. *lib. 9. c. 9.* per tot. Amicorum numerus quantus debeat esse in omni Amicitiae genere. *lib. 9. c. 10.* per tot. In ea quae perfecta, est exiguus esse debet. *ibid. n. 17.* & *seqq.* An egeamus amicis potius in prospera fortuna, quam in adversa. *lib. 9. c. 11.* per tot. Nihil optabilius, quam amicorum convictum, si probi sint; nec detestabilius si improbi. *lib. 9. c. 12.* per tot.

Amoris varij gradus inter se comparantur. *lib. 8. c. 12.* fere per tot. Amor coniugalis omnium maximus. *ibid. n. 16.* & *seqq.* Amor viri probi erga se qualis. *lib. 9. c. 4. n. 5.* & *seqq.* Amor sui qualis esse debeat. *lib. 9. c. 8.* per tot.

Αυδρα apud Arist. quid. *lib. 1. c. 3. n. 6.*

Ασχησία, seu *lentitudo*, vitium Mansuetudinis oppositum, explicatur. *lib. 4. c. 5. n. 3.* & 6.

Anima pars, sive facultas duplex. *lib. 1. c. 13.* In qua earum sedem habeat Felicitas. *ibid.* toto fere cap. Tractatio de Anima ad quem Philosophum spectet. *ibid. n. 6.* An sit immortalis ex mente Arist. *lib. 3. c. 9. n. 6.* & *seqq.* Anima putata ab Ethnicis naturae ignee. *lib. 2. c. 6. n. 11.*

Απιστοκαλία, vitium Magnificentiae contrarium. *lib. 4. c. 2. n. 2.*

Architectonica artes quana. *lib. 1. cap. 1. num. 9.*

Architecti legumlatores, & cur. *lib. 6. cap. 8. num. 7.*

Architectus, quis. *lib. 4. c. 2. n. 2.*

Aristippi Philosophi libido reprehensa. *lib. 6. c. 5. n. 13.*

Aristocratia quanam species Republicae, & qualiter in ea iustum servetur. *lib. 5. ca. 3. n. 6.* Explicatur amplius. *lib. 8. c. 10. n. 2.* & *seqq.*

ARISTOTELES quantum illustraverit Philosophiam Moralem. *Intr. cap. 2. n. 3.* Quanti fecerit D. Thomas doctrinam Ethicam ipsius *ibid. n. 7.* Interpretes illius, & Explanatores quinam, & plures illorum laudati. An libri Ethicorum ab eo scripti fuerint, an potius a Nicomacho ipsius filio. *ibid. n. 4.* per tot. Scriptorum, seu operum illius historia. *ibid. n. 3.* Icit haece libris fundamenta totius Philosophiae Moralis, seu actuale, quae tripartito dividitur. *ibid. cap. 4.* per tot. An falso ad scripserit Platoni opinionem de Idea Boni. *lib. 3. c. 6. n. 2.* & 3. An fuerit inventor Ethicae, vel alterius disciplinae. *lib. 2. c. 1. n. 3.* Quo sensu docuerit hominem vitiosum non posse fieri probum. *lib. 3. c. 5. num. 14.* & *seqq.* An negaverit premium virtutis, & poenam vitiorum, post mortem hominis. *lib. 3. cap. 6. n. 6.* & *seqq.* Eius doctrina circa materiam, in qua versatur Magnanimitas, an vera, & cum Christiana Religione cohaerens. *lib. 4. c. 3. n. 4.* & *seqq.* An creationem animae rationalis agnoverit. *lib. 6. c. 4. n. 9.* An putaverit alia constare spiritu intelligente, & rationali animo. *lib. 6. cap. 7. n. 14. 16.* & *seqq.*

Arrogantia vitium veritati oppositum per excessum. *lib. 4. n. 7. n. 4.* Non iudicatur ex potentia, sed ex electione, eaque ex habitu mentendi. *ibid. n. 4.* & 5. In quibus praesertim appareat, & vertetur. *ibid. n. 16.*

ARS in quo versetur, quid sit, quas functiones habeat. *lib. 6. cap. 4.* per totum. Differt à Prudentia. *ibid. n. 2.* Ratio propria Artis. *n. 4.* & 5. Functio, & materia ipsius. *n. 16.* & *seqq.* Eius operatio, & naturae, diversa. *ibid. n. 7.* & 8. Itemque inferior. *ibid.* Diversitas materiae ipsius à materia scientiarum. *ibid. n. 10.* Comparatio illius cum fortuna. *ibid. n. 11.* & *seqq.* Item cum inertia sibi contraria. *ibid. n. 14.* & 15. Eius distinctio à Prudentia multiplex. *lib. 6. c. 5. n. 14.* & *seqq.* Ars magis, quam Prudentia, subiacet oblivioni, & cur. *ibid. n. 19.* & *seqq.* Artes liberales an inutiles sint, & quatenus proficuae esse possint. *lib. 6. c. 7. n. 23.* & *seqq.*

Ars Princeps, seu Architectonica, quanam. *lib. 1. cap. 2. n. 9.* Philosophia civilis est eiusmodi. *ibid.*

Artes qualiter spectent proportionem in commutationibus operum suorum. *lib. c. 4. n. 16.* & *seqq.*

Αστυ proprie quis. *lib. 4. cap. 1. n. 4.* & *αστυα*, an sit aliquid aliud à prodigertia. *ibid.*

Asperitas, vitium Affabilitati oppositum per defectum, *lib. 2. c. 7. n. 8. & lib. 4. c. 6. n. 2. & 18.*

Astra an ex mente Aristotelis consentiant rationali animo, *lib. 6. cap. 7. n. 14. 16. & seqq.*
Quid de alijs Ethnicis. *ibid.*

Astrologi confutantur, *lib. 6. c. 7. n. 23. & seqq.*

Athene, qualis olim, & quanta vrbs, *lib. 9. cap. 10. n. 8. & seqq.*

Athenienses novitatum amantes. *lib. 3. cap. 10. n. 10.*

Avaritia vitium liberalitati oppositum per defectum, in quo versetur, *lib. 4. c. 1. n. 5.* Est peior, quam prodigētia ipsi contraria. *ibid. n. 20. & seqq.* Est vitium insanabile. *ibid. n. 19.* Est magis opposita liberalitati. *ibid.*

AVCTOR, Operis huius, quo consilio aggressus fuerit illud. *Intr. c. 1.* à princ. Quorum hortatu. *ibid.* Quorum Interpretum, & Explicatorum ope usus. *ibid. n. 2.* Qua methode. *n. 3.* Quo stilo. *n. 4.* Quos Præceptores olim habuerit in Iurisprudētia. *ibid. n. 8.*

Audacia, opposita Fortitudini per excessum, exponitur, & illustratur exemplis. *lib. 3. c. 7. n. 9. & seqq.*

Auditus moderatio circa voluptates an spectet ad Temperantiam. *lib. 3. c. 10. n. 6. & seqq.*

Aves, an delectentur olfactu, aut visu rerum iucundarum. *lib. 3. c. 10. n. 16. & 17.*

AVGVSTINVS, clarissimum Ecclesie, ac Theologiae lumen, sæpe laudatur, & explicatur decursu Operis.

Axiomata summa quænam. *lib. 6. c. 6. n. 23.* Quo sensu nõ sit illorum scientia, ars, aut prudentia. *ibid. & seqq.*

B

BALDI Iuriconsulti mors ex levi morsu canis cuiusdam. *lib. c. 11. n. 11.*

Bavaria, vitium Magnificentie oppositum per excessum. *lib. 4. c. 2. n. 3.*

Baukocanepoi, quoniam apud Arist. *lib. 4. c. 7. n. 21.*

Barbaries immanis quorundam hominum. *lib. 5. c. 5. n. 17.*

Belluæ an voluptatem capiant olfactu, auditu, aut visu rerum iucundarum. *lib. 3. c. 10. n. 15. & seqq.* Vtrum sint temperantes, aut intemperantes. *lib. 7. c. 6. n. 1. & 12.* Variæ illarum delectationes. *lib. 10. c. 5. n. 16. & seqq.* An in ijs sint virtutes morales quoddammodo. *lib. 10. c. 8. n. 21. & seqq.*

Belluina quorundam hominum indoles. *lib. 7. c. 5.* latè. Exemplis confirmata. *ibid. n. 17.*

Beneficentia querelarum occasio. *lib. 9. c. 7.* ferè per totum. Notio propria Dei. *ibid. n. 9.*

Beneficia quomodo, quando, & quibus conferenda. *lib. 4. c. 1. n. 9. & seqq.* latè. Singulis pro dignitate conferenda sunt, & quo ordine. *lib. 9. c. 2.* per tot. An debeat esse maior cura retribuendi beneficium, quam donandi ami-

co. *ibid. n. 3. & 4.* Quænam beneficia, & quibus exhiberi possint, ac debeant. *ibid. n. 7. & seqq.* Qui beneficia ab alijs acceperunt, minus eos amant, quam ab ijs amantur. *lib. 9. c. 7.* ferè per totum. Quænam sit causa. *ibid. n. 2. & seqq.* latè. Iucunditas maior est in conferente beneficio, quam in recipiente. *ibid. n. 11. & seqq.* Beneficia dare gloriosius, & melius est, quam recipere. *lib. 9. cap. 9. n. 4.*

Benevolentia viri improbi erga seipsum nulla. *lib. 9. cap. 4. n. 14.* Benevolentia an sit idè, ac Amicitia, vel amatio. *lib. 5. n. 1. & seqq.* Est inium Amicitie. *ibid. n. 7.* Ducitur ex oculorum aspectu. *ibid. & seqq.* Solius Amicitie honesta principium est Benevolentia. *ibid. n. 12. & seqq.*

Βωμολόχος Cur appellet Aristoteles scurtas. *lib. 4. c. 8. n. 4. & seqq.*

BONVM, quid & quotuplex. *lib. 1. cap. 1. n. 5. & 6.* Idea boni an sit ipsa hominis Felicitas. *lib. 1. c. 6.* per totum. Bonorum distinctio in laudabilia, & honorabilia. *lib. 1. c. 12.* Quibus eorum accenseri debeat Felicitas. *ibid. toto capite.* Bonum, an verum, an potius apprens, sit in quod fertur voluntas. *lib. 3. cap. 4.* per totum. Boni seu φίλων, amabilis divisio in honestum, iucundum, & vile. *lib. 8. cap. 2. n. 2. & seqq.* Bona fortunæ plura an sint necessaria Felicitati. *lib. 10. c. 8. n. 27. & seqq.*

Βύλησις & βυλητιον, quid sit ex mente Aristotelis. *lib. 3. c. 4. n. 1.*

C

CAMELORVM pietas in parente. *lib. 10. c. 8. n. 22.*

Cantio, quæ novissima gratissima: vetus adagium. *lib. 9. c. 4. n. 10.*

CAROLVS Vianæ Princeps, Regum Navaræ Primogenitus, Ethicos Aristotelis libros Hispanicè reddidit. *Intr. c. 1. n. 2.* fine. Eius prologus in idem opus ad Alphonsum Aragoniæ, & Siciliæ Regem, describitur. *Intr. cap. 3.* Illius elogium. *ibid. n. 3.* Variæ sententiæ & versus antiquo sermone Hispano scripti, sæpe in decursu Operis.

Celtarum immanis barbaries. *lib. 1. cap. 5. num. 19.*

Cercyon an mollis. *lib. 7. n. 13.*

Ciconia symbolum pietatis filiorum erga parentes. *lib. 9. c. 2. n. 8.*

Circumstantie actionum humanarum quotæ & quænam. *lib. 3. c. 1. n. 23. & seqq.*

Cæli portenta an timenda sint à viro forti, & qualiter. *lib. 3. c. 7. n. 2. & seqq.* Illorum mira aliquot exempla. *ibid. n. 3.* Cæli an consentiant rationali animo ex mente Aristotelis. *lib. c. 7. n. 14. 16. & seqq.* Cælum ne rueret, timebant aliqui. *lib. 6. c. 5. n. 17. & 18.*

Collata, seu illata in Rempubl. quæ. *lib. 5. cap. 4. n. 3.*

Columna Athenis imposita Iphicrati, & cur. *lib. 4. c. 3. n. 27.*

COMITAS Virtus, eiusque extrema. *lib. 4. cap. 8. per totum. Versatur in ludis, tanquam vera virtus, servans in ijs mediocritatem. ibid. n. 2. & 3. Vitium ipsi oppositum per excessum est proprium scurrarum. ibid. num. 4. & 5. Vitium oppositum per defectum est rusticitas. ibid. num. 6. & seqq. Eorum habituum proprietates, & multiplex comparatio. ibid. n. 9. & seqq.*

Commutativa Iustitia, quænam virtus, & in qua materia versetur. *lib. 5. cap. 2. num. 12. & seqq. Vide Iustitia.*

Compensatio qualiter fieri debeat ad tollendas amicorum querelas. *l. 8. cap. 13. n. 11. & seqq. item. l. 9. cap. 1. Quis debeat esse iudex in ea compensatione. ibid. num. 6. & seqq. Modus quo illa facienda est. ibid. n. 9. & seqq.*

Concordia viri improbi erga seipsum nulla. *l. 9. cap. 4. num. 15. & seqq. Quid illa sit, in quibus versetur, & quocum sit. l. 9. cap. 6. per totum.*

Constantia, eiusque extrema. *l. 7. cap. 1. Constantis, & mollis cum continente, & incontinente comparatus. l. 7. c. 7. per totum. Constantis definitio. ibid. n. 8.*

Consuetudo bonarum actionum, origo Virtutum moralium. *l. 2. c. 1. Necessaria est, ut homo evadat probus. l. 10. c. 9. n. 4. & seqq. Refert maxime ad illam bonam educationem. ibid. n. 7. & seqq.*

Consultatio, seu deliberatio, aut consilium de quibusnam rebus sit, aut non sit. *l. 3. cap. 3. n. 7. & seqq. Quo modo, ordine, ac fructu fieri debeat. ibid. n. 6. & seqq. Debet habere finem certum. ibid. n. 10. Qualiter comparetur cum electione. ibid. n. 11. & 12. Non est de rebus æternis, aut necessarijs. lib. 6. c. 1. n. 6. Consultatio bona. Vide *Eubulia*. Consultatio debet non temerè, sed maturè fieri; facta autem semel est exequenda celeriter. *lib. 6. c. 10. n. 4.**

Contemplatio an præstantior, quam actio. *lib. 10. cap. 7. n. 6. & seqq. latè.*

Continentia, & eius extrema. *lib. 7. c. 1. Eius subiectum quale sit, & quomodo comparetur cum temperato. lib. 7. c. 2. Continentes quomodo agant. lib. 7. c. 3. Circa quæ versentur continens, & incontinens. lib. 7. cap. 4. Circa quæ non versentur. lib. 7. c. 5.*

Continens ira, & multiplex eius consideratio. *lib. 7. c. 6. Continens, & incontinens cum constante, & molli comparatus. lib. 7. cap. 2. Comparatur incontinens cum intemperato. lib. 7. c. 8. item cum pertinaci. c. 9. An incontinentia, & Prudentia simul esse possint. c. 10.*

Contractus in quibus versatur Iustitia commutativa exponuntur. *lib. 5. c. 2. n. 12. & seqq.*

Contrariorum alterum ducit ad cognitionem alterius. *lib. 5. c. 1. n. 10. & 11.*

Credere quam necessarium discendi. *lib. 6. c. 8. n. 15. & 16.*

Crudelitas execranda, & ferina aliquorum. *lib. 7. cap. 5. n. 6. & 7.*

Cupiditas quædam communes, quædam peculiæ singulorum. Quomodo circa vitæque se gerant vir temperans, & intemperans. *l. 3. c. 11. ferè per totum. In communibus pauciores peccant, quam in peculiaribus. ibid. n. 9. Harum exemplum. ibid. Cupiditas habendi plus iusto, seu pleonexia, quodnam vitium sit. lib. 5. c. 1. n. 12. & seqq.*

Cyclopes nullam habebant curam educationis puerorum. *l. 10. c. 9. n. 13.*

D

Delphines an voluptatem ex musica capiant. *lib. 10. c. 10. n. 16. & 17. Narratio Delphinis cuiusdam deferentis doctori Arionem, an fabulosa. ibid.*

Democratia quid, & qualiter in ea ius servetur. *lib. 5. c. 3. n. 6. expenditur, & improbat, veluti iniqua species Reipublicæ. l. 8. c. 10. n. 2. 5. & seqq.*

DEVS ampliori cultu, quam laude dignus. *l. 1. c. 12. n. 5. Idem decernitur de Mentibus separatis. ibid. An possit infecta reddere, quæ semel facta sunt. lib. 6. c. 2. n. 15. & seqq. Est agens perfectius, quam natura, & natura, quam ars. l. 6. c. 4. n. 9. Eius voluptas perpetua, & immutabilis. l. 10. c. 4. n. 9. Dicitur ab Ethnicis anima Unive'si. lib. 10. c. 7. n. 3. Deo, quæ actio potissimum tribuatur. l. 10. c. 8. n. 12. & 13. An in Deo sint virtutes morales. ibid. & n. 15. ac seqq.*

Dexteritas Eutræpelis comes. *l. 4. c. 8. n. 9.*

Dextra pars melior, & fortior, quam sinistra. *lib. 4. c. 8. n. 10.*

Dissimulatio. Vide *Ironia*.

Distributiva Iustitia, quænam virtus. *lib. 5. cap. 2. num. 11.*

Divinora homine, & *paragorata*, seu clarissima, cur astra dicantur ab Arist. *lib. 6. cap. 7. num. 16. & seqq.*

Divinorum, augurum, & auspicum genus mendax. *lib. 4. c. 7. n. 16. & seqq.*

Divitiæ quam multis exierint ruinæ extreme occasio, etiam Cæsaribus. *lib. 1. c. 3. n. 9. Hereditate obtentæ, facilius donantur, quam industriâ acquisitæ, & cur. l. 4. c. 1. n. 16. illarum amor quæ alienus a Philosopho. l. 9. c. 1. n. 8.*

Doctrina, quid, & qualiter per eam adquirantur virtutes intellectuales. *l. 2. c. 1. n. 4. & seqq.*

E

Ebrii puniuntur duplici pœna, & cur. *lib. 3. c. 5. n. 9. & 10. Scelerata ex ebrietate secuta puniuntur. ibid. Loth an culpandus propter stuprum ex ebrietate secutum. ibid.*

Educatio bona ab ipsa pueritia, est maxime

necessaria ad Virtutes comparandas. *l. 2. c. 1. n. 24.* & latius. *lib. 10. n. 7. & seqq.* Lacedaemones lege publica educationem puerorū curarunt. *ibid. n. 13. & seqq.* Cyclopus filij absque educatione. *ibid.*

Electio, seu propositum agendi, quid sit, aut non sit. *l. 3. cap. 2.* per totum An sit vnum, & idem cum spontaneo, voluntario, cupiditate, voluntate, ira, aut opinione. *ibid. n. 4. & seqq.* Sitā est in voluntaria opinione ex consilio praecedenti. *ibid.*

Elephantum religio, castitas, & fidelitas aliqualis. *l. 10. cap. 8. n. 23. & 24.*

Επιδελξιότης, dexteritas Eutrapelia comes. *l. 4. cap. 8. n. 9.*

ΕΠΙΚΙΑ, quānam virtus, & quod eius officium. *l. 5. c. 10.* per totum.

Encomium, quid. *l. 1. c. 12. n. 9.*

Elatio vitium Magnanimitati oppositum per excessum. *l. 2. c. 7. n. 7. & l. 4. cap. 2. num. 42. & 43.*

Ελλείματα legum quānam. *l. 5. c. 9. n. 4.*

ETHICA NICHOMACHÆA, illorumq; decem versiones Latinæ. *ibid. c. 1. n. 2.* Hispanica à Serenis. Principe Vianæ D. Carolo scripta. *ibid. fine.* Interpretes, & Explanatores eorum præcipui. *ibid.* An ab Aristotele, an potius à Nicomacho ipsius filio, scripta fuerint. *ibid. c. 4.* per totum. Sunt fundamentum totius Philosophiæ Moralis, & Politicæ. *ibid. cap. 5.* per totum. Ethicæ totius compendium. *ibid. c. 10.* per totum. Vide plura alia. v. *Philosophia Moralis.*

Εθῶν, atque *ἠθῶν*, qualem nominis, & rei cognitionem habeant. *l. 2. c. 1. n. 14.*

Eubulia, seu bona consultatio, quid non sit, quid etiam sit, & quas condiciones exigat. *l. 6. c. 10.* per totum. Eius proprietates *ibid. n. 4.* Diffinitio. *ibid. n. 6.*

Ευδαιμοσιμόσ, quid significet. *l. 1. cap. 12. num. 9. & 10.*

Eudoxus quis. *l. 10. c. 2. n. 2.* Eius opinio de voluptate examinatur latè. *ibid. & seqq.*

Ευελπίδες, quānam. *lib. 3. c. 8. 17. & seqq.*

Euripus quid. *l. 9. c. 6. n. 8. & seqq.* Euripi homines, qui. *ibid.*

Eutrapelia. Vide *COMITAS.* Eutrapelus vir, eiusque functiones, & proprietates. *l. 4. c. cap. 8.* latè.

Experientia confert ad generationem virtutum intellectualium. *l. 2. c. 1. n. 2. & seqq.* Est quandoq; parens fortitudinis spuriae. *l. 3. cap. 8. n. 6. & seqq.*

F

FACULTAS Animæ præstantior qualis sit, intellectus, an voluntas. *lib. 10. cap. 7. num. 6. & seqq.*

Felicitas est vltimus finis humanus, & quomodo illa vestiganda sit. *l. 1. c. 4.* per totum. Quānam

multæ extiterint opiniones circa id, in quo illa sita est. *ibid. n. 3.* Eam non esse sitam in voluptate, honore, virtute, aut divitijs. *l. 3. c. 5.* per totum. Neque in Idea boni. *ibid. c. 6.* per totum. Quānam sint illius attributa, & in quo tandē ipsa sit posita. *l. 1. c. 7.* per totum. Morū opiniones ad verum sensum redactæ, aut reiectæ. *l. 1. c. 8.* per totum. Quomodo illa obtineatur, an industria seu arte hominis; an cōleatur inter honorabilia. *l. 1. c. 12.* per totum. Est perfectissimum bonū huūmanū. *l. 1. c. 7. n. 2. & 3.* Affert sufficientiam ceterorum bonorum. *ibid. & n. 4.* Consistit in operatione virtutis optimæ, & perfectissimæ. *ibid. n. 7.* An possit persistere inter calamitates, & ærumnas huius vitæ. *l. 1. c. 10. n. 9. & 10.* item *l. 10.* An egeat præsidio amicorum. *l. 9. c. 9.* per totum. Imò an egeat amicis magis, quàm fortuna, aduersa. *lib. 9. c. 11.* per totum. Felicitas an in habitu, an potius in actu consistat. *lib. 10. c. 6.* Eam in actione sitam esse. *ibid. n. 2. & seqq.* eaque non ludicra, sed virtutis solidæ. *ibid. n. 6. & seqq. latè.* An servi sint capaces Felicitatis. *ibid. n. 17. & seqq.* Est sita in operatione Virtutis optimæ, secundum habitum. *lib. 10. c. 7. n. 2. & seqq.* Quānam ea sit, an contemplatio, an potius actio. *ibid. latè toto ferè capite.* Felicitas contemplativa an sit præstantior, quàm activa. *lib. 10. c. 8. n. 5. & seqq. latè.* An egeat pluribus fortunæ bonis. *ibid. n. 27. & seqq.*

Felix quānam esse possit, aut non possit. *lib. 1. c. 9. n. 5. & seqq.* An quis in hac vita existimandus sit felix, an solum post fata. *lib. 2. c. 10.* per totum. Virum felicem, seu superstitem, seu vita functum, an tangat amicorum fortuna prospera, aut aduersa. *lib. 1. c. 11.* per totum. An secundum vitæ dimidium felix differat aut nō differat à misero, & cur. *lib. 1. c. 13. n. 7. & 8.* Felix an egeat amicis. *lib. 9. c. 9.* per totum. Felicem viro iucundissima est vita. *ibid. n. 13. & seqq.* An felix potius quam miser, egeat amicis. *lib. 3. cap. 11.* per totum.

Feritas quorundam horribilior vitio humano. *lib. 7. c. 1. & c. 4.* Eius execranda malitia. *lib. 7. c. 5.* An sit peior vitiositate. *lib. 7. cap. 6. n. 9. & seqq.*

Ferocitas animi opposita veræ Fortitudini, & illius exempla. *lib. 3. c. 7. n. 4. & seqq.*

Fistula lentè, adagium celebre, exponitur. *lib. 6. c. 10. n. 5. & seqq.*

Finis aliquis extremus est, in quem omnes actiones humanæ cōtendant: vnus quoque alijs præstantior, iuxta rerum, ac facultatum, sive artium diversitatē. *l. 1. c. 1.* per totum. item *c. 2.* Quāliter de illo disserat Philosophia Moralis, seu civilis. *ibid. n. 9. & seqq.* Quandoque finis vnicō medio, quandoque pluribus obrineri potest. *lib. 3. c. 3. 4. n. 7. & 8.* Finis actionum Fortitudinis, aliarumque virtutū debet esse honestus. *lib. 5. cap. 6. n. 12. & 13.*

Fisci causa, mala est sub bono Principe. *lib. 5. cap. 6. n. 12. & 13.*

Fœmina dives, nobilis, & arrogans, intolerabile matrimonij onus. *lib. 8. cap. 10. n. 9.*

FORTITVDO in qua materia vertitur, *lib. 3. cap. 6. per totum.* Multiplex eius acceptio. *ibid. num. 2.* Est medicritas inter timiditatem, & audaciam. *ibid.* Quid proprie sit. *ibid. num. 3.* Vertatur interribilibus, & quæ nam ea sint. *ibid. num. 4. 5. & seqq.* An etiam in ijs, quæ divina sunt, live supra hominem. *lib. 3. cap. 7. num. 2. & seqq.* Virtus Fortitudini contraria exponuntur. *ibid. num. 7. & seqq. latè.* Comparatur cum ijs vitijs extremis. *ibid. num. 11. & seqq.* Fortitudo anivositatis ex furore, & ira. *ibid. num. 10. & seqq.* Fortitudo ex imperitia. *ibid. num. 21. & 22.* Fortitudo solida qualiter se gerat circa timores, & audaciam, tristitiam, & delectationem. *lib. 3. cap. 9. num. 2. & seqq.* An patiatur secum dolorem ex terribilibus illatum. *ibid. num. 3. & seqq.* An vir fortis doleat quia moritur. *ibid. num. 6. & seqq.* Fortitudinis solida proprietates. *ibid.*

Fortuna an sit causa felicitatis humane. *l. 1. cap. 9. ferè per totum.* Prospera, aut adversa, qualiter non impediatur functiones magnanimi viri. *lib. 4. cap. 3. num. 18. & seqq.* Fortunę comparatio cum arte. *lib. 6. cap. 4. num. 11. & seqq.* An in prospera fortuna sit magis opus amicis quam in adversa. *leg. 9. cap. 11. per totum.*

Franciscus Piccolomineus scriptor Philosophiæ de Moribus, laudatur. *l. cap. 1. num. 2. impugnatur. ibid. cap. 5. & 8.*

Fratum œconomia comparata Timocratiæ. *lib. 8. cap. 10. num. 10.* Amor fratrum maior quam consanguineorum, & cur. *lib. 8. cap. 12. num. 10. & seqq.*

Fuga magnanimi viri, si quando necessaria est, decorum servat. *lib. 4. cap. 3. num. 14.* Fuga leonis, qualis. *ibid.*

Fugere dimissis manibus, quid. *ibid.*

G

Galeatini Mantuani equitis ingens temeritas. *lib. 3. cap. 8.*

Gloria quid proprie significet. *lib. 1. cap. 12. n. 9.*

Gneij Pompeij casus infelix. *lib. 5. cap. 11. num. 11.*

GNOME, quid, & qualiter comparetur cum Synesi ac Prudentia. *lib. 6. cap. 12. ferè per totum: Qualiter etiam comparetur cum habitu principiorum. ibid. num. 6. & seqq.*

Græci multa putabant licita, quæ Romani turpia, & è converso. *l. 4. cap. 9. n. 8. & 9.*

Gula immodicæ exempla. *l. 10. cap. 10. num. 20.* Eius vitiij deformitas quanta, etiam iudicio

Ethnicorum. ibid. num. 21. & cap. 11. n. 7. 8.

Gustus voluptates qualiter moderetur Temperantia. *l. 3. cap. 10. num. 18. & seqq.*

H

HABITUS intellectuales quinque explicantur. *l. 6. cap. 3. ferè per totum.* Eam divisionem esse exactam. *ibid.*

Habitus principiorum, Græcè *ὕψις*, five mens, est virtus intellectualis, superaddita intelligentiæ. *l. 6. cap. 6. num. 2. & seqq. latè.* An sit inditus à natura, an potius acquisitus. *ibid. num. 14. & seqq.* An sit magis à natura, quam ceteri virtuum habitus. *ibid. num. 19. & seqq.* Comparatur cum Gnomo. *l. 6. cap. 12. num. 6. & seqq.* Est principium ac finis, & quo sensu. *ibid. num. 12.*

Hellogabili luxus: & insanum Magnificentie genus. *l. 4. c. 2. n. 8.*

Hellonum nobilium exempla. *l. 3. cap. 10. n. 20. & c. 11. n. 7.*

Heroica quorundam gesta, præsertim M. Attilij Reguli Bruti, & Alphonsi Perez de Guzman. *l. 3. cap. 1. num. 9.* Heroica virtus, & Heroes. *l. 7. cap. 1.*

Hirtius qualiter se gesserit cum Ptolomæo Egypti Rege. *l. 4. c. 3. n. 26.*

Homerus multis locis illustratus. *l. 3. cap. 3. & 6. & 7. & 8. & 11. item l. 4. cap. 8. l. 5. cap. 9. lib. 6. c. 7. lib. 7. cap. 1. & 6. alijsque locis.*

Homium triplex gradus: & qualiter erga unumquemque eorum se gerat magnanimus vir. *l. 4. cap. 3. num. 25. & seqq.* Homo sit probus præteritum consuetudine, seu vlti proborum actionum. *l. 10. cap. 9. num. 4. & seqq.* Homo an præstantior alijs. *l. 6. cap. 7. num. 17. & seqq.*

Honor quibus rebus debeatur. *l. 1. cap. 12. & l. 4. cap. 3. num. 22.* Est cultus soli virtuti debitus. *ibid.* Honores regulare, qualiter deceat, aut dedecet. *ibid. num. 41.* Honor Principum debitus. *lib. 5. cap. 6. num. 14.* Quidam Principum nimium & humano maiorem extorserunt à subditis. *ibid.* Honor divinus habitus Brasidæ Lacedæmonio, & cur. *l. 6. c. 7. n. 4.* Etiam Arato Sicyonio. *ibid.*

Humilitas Christiana an componatur cum Magnanimitate, & qualiter. *l. 4. cap. 3. n. 3. & seqq. ac præterea. num. 41.*

I

Idea boni an verè tradita à Platone, & quo teniu. *l. 1. cap. 6. n. 2. & 3.*

Ignavia, seu timiditas, opposita Fortitudini per defectum, exponitur, & illustratur exemplis. *lib. 3. c. 7. n. 9. & 10.* Quibus pœnis olim

punitur. *lib. 3. c. 8. n. 2. & 5.* Eius exempla alia. *ibid. n. 9.*

Ignorantia quotuplex sit. *lib. 3. c. 1. n. 17. & seqq.* Qualiter reddat involuntariam actionem. *ibid.* An omnis improbus sit ignorans. *ibid. n. 22.* Ignorantia legum non excusat à culpa, ideoque punitur. *lib. 3. c. 5. n. 7. & seqq.*

Imperitia belli est quibusdam causa fortitudinis non veræ, simul & ruinæ. Illustratur exemplis. *lib. 3. c. 8. n. 21. & seqq.*

Improbus omnis ignorans est. *lib. 2. c. 1. n. 22.* An possit ab habitu vitij ad Virtutem transire. *lib. 3. c. 5. n. 15. & seqq.* Improborum convictus, quam delectabilis. *lib. 9. cap. 12. n. 4.* Est alienus ab omni benevolentia & concordia erga seipsum. *lib. 9. c. 4. n. 12. & seqq.*

Incontinentia & incontinens. Vide *Continentia.* An incontinens sciat malum esse id quod agit. *lib. 7. c. 2. per tot.*

Indecorum an sit magnis viris indulgendum in gravi periculo. *lib. 3. c. 1. n. 10.*

Inertia arti contraria exponitur. *lib. 6. cap. 4. n. 14. & 15.*

Iniuriam pati volens an aliquis possit. *lib. 5. c. 9. per tot.* An sibi ipsi iniuriam irrogare valeat. *lib. 5. cap. 11. per tot.* An vis, seu facultas vna eadem hominis alteri iniuriam inferat. *ibid. n. 12.* An peius sit facere iniuriam, quam pati. *lib. 1. n. 9. & seqq.* Occidens seipsum an sibi iniuriam faciat, an Reipublicæ. *ibid. n. 4. & seqq.*

Inscitia decori sumptus, seu sordiditas, virium Magnanimirati oppositum per excelsum. *lib. 2. c. 7. n. 7. & lib. 4. cap. 2. n. 7. & 8.*

Insidjs uti an liceat magnis viris. *lib. 4. c. 3. n. 30. & seqq.*

Intellectus vide *Habitus* principiorum.

Intelligens anima duplici constat facultate. *lib. 6. c. 1. n. 4. & seqq.* An vna ab altera recipiat, an ratione solum distinguatur. *ibidem, n. 8. & seqq.*

Intelligentia practica & speculativa qualiter comparentur, & suas functiones obeant. *lib. 6. cap. 2. n. 6. & seqq.* Prior earum dividitur in activam & operariam. *ibid. n. 11. & seqq.* An sit perfectior, quam voluntas. *lib. 10. c. 7. late.*

Intemperans segetur instar puerorum. *lib. 3. c. 12. n. 5.* Intemperans proprie quis, & qualiter differat ab incontinente. *lib. 7. c. 2. Vter eorum peior sit. ibid.* Vtriusque discrimen ex profectio traditur. *lib. 7. c. 8. per totum.* Dicitur in sanabilis, & cur. *lib. 7. c. 2. n. 6.*

Intemperantia per defectum, quæ *lib. 3. cap. 11. n. 13.* Quæ excelsum habet, comparatur cum timiditate, ab eaque discernitur. *lib. 3. cap. 12. n. & seqq.* Intemperantia an sit peior, quam incontinentia, & qualiter cum ea comparetur. *lib. 7. c. 8. toto.*

Ironia vitium veritati oppositum per defectum. *lib. 4. c. 7. n. 5.* Socrates potissimum, &

Oratores ea vsi. *ibid. n. 5. & 6.* Ironiæ duplex genus. *ibid. n. 20. & seqq.*

IVRISPERITIA quam vile & necessarium sit studium Moralis Philosophiæ. *ibid. c. 2. num. 8.*

IUS, sive iustum Iustitiæ distribuentis, in medio & æquali secundum proportionem situm esse. *lib. 5. c. 3. per totum.* Quenam sit eius, modi proportio. *ibid. n. 8. & seqq.*

Iusta agere, & iuste agere, in quo differant. *lib. 2. c. 4. per totum.* Non omnem iustam actionem esse notam Virtutis partem, sed illam solum, quæ electione, & constantia sit. *ibidem.* Iusta legitima in operibus virtutum posita sunt. *lib. 5. cap. 1. n. 9.* An omnis qui iniuste agit, iniustus censeri debeat. *lib. 5. c. 6. n. 2. & 3.* Iustum atque iniustum politicum, herile, paternum, ac coniugale, quid sit, & in quibus. *ibid. n. 4. & seqq.* Iuste aut iniuste an fieri aliquid possit, quin sit ex iustitia aut iniustitia. *lib. 5. cap. 8. per totum.*

IVSTITIA, & iniustitia ipsi opposita in qua materia versentur, quid quæque illarum, & quotuplex sit. *lib. 5. c. 1. per totum.* Discrimen multiplex illius à reliquis virtutibus moralibus. *ibid. n. 2.* Iustitiæ vulgaris definitio expressa. *ibid. n. 3. 4. & seqq.* Multiplex eius acceptio. *ibid. n. 10.* Iniustus quis, & quotupliciter. *ibid. n. 11. & seqq.* Iustitiæ definitio exacta itemque iniustitiæ. *lib. 5. c. 5. n. 14. & 15.*

IVSTITIA Commutativa in quibus rebus versetur. *lib. 5. c. 2. n. 12. & seqq.* Eius propria functio, prout differt à Iustitia distributive. *lib. 5. c. 4. per totum.* Qualiter spectet medium in commutationibus. *ibid. num. 11. & seqq.*

IVSTITIA Distributiva. *lib. 5. c. 2. n. 11. & seqq.* Distribuens aliter, quam exigant merita personarum, semper iniustum agit. *lib. 5. cap. 9. & seqq.* An peior sit distribuens quam recipiens. *ibid.*

IVSTITIA Legalis, quanam, & quanta virtus sit. *lib. 5. c. 1. n. 15. & seqq.* Est ad alterum. *ibid. n. 18.* Virtutum regina, aut complexio. *ibid. n. 19.* præstantissima etiam. *n. 20. 21. & 22.* Est virtus vniuersa quoddammodo. *ibid. n. 23.* Non est frustra. *ibid. n. 24. & 25.*

IVSTITIA Particularis, distincta à communi, an verè sit, & in quibus conveniat ac differat ab illa. *lib. 5. c. 2. per totum.* Qualis virtus sit. *ibid. n. 8.* Dividitur in Distributivam, & Commutativam. *ibid. n. 11. & seqq.* vbi & exponitur vtriusque materia propria.

IVSTVM quibus proprie insit. *lib. 5. c. 9. n. 12.* An sit idem ac æquum & bonum. *lib. 5. c. 10. per totum.*

Iustum civile, herile, & æconomicum, ac politicum. *lib. 5. c. 6. ferè per tot.*

Iustum commutativum quodnam sit, & qualiter servetur. *lib. 5. c. 4. & 5.*

Iustum distributum, quid sit, & in quo consistat *lib. 5. cap. 3.* per totum, qualiter seruetur in varijs Reipublicæ speciebus. *lib. 5. c. 3. num. 6.*

Iustum naturale simul & legitimum, exponitur, atque inter se comparantur. *lib. 5. c. 7.* per totum. *Iustum legitimum* non est, nisi post legem conditam: simul nec iniustum ipsi oppositum. *ibid. n. 4. & seqq.* vbi & exemplis confirmatur. *Iustum naturale*, similiter & naturale in quibus versatur, & an omnino mutari nequeant. *n. 5. & seqq.*

Iuvenes minus apti ad studium Philosophiæ Moralis, & cur. *lib. 1. cap. 3. n. 11. & seqq.* Quantũ eos deceat pudor. *lib. 4. c. 9. n. 5. & 6.*

L

LAVS In quo consistat. *lib. 1. cap. 12. n. 9.* Quæ apud optimos & sapientes habetur, maximi pretij est. *lib. 4. c. 3. n. 17.*

Leges plane demonstrant, Virtutes, & vitia non esse nobis indita à natura. *lib. 2. c. 1. n. 23. & lib. 3. c. 5. n. 6. 7. 8.* Qualiter puniant ignorantés, & ebrios. *ibid. & n. 9. ac 10.* Legum finis utilitas communis. *lib. 5. c. 1. n. 15. & seqq.* Legis definitio. *ibid. n. 17.* Legum naturalium firmitas, & humanarũ inconstantia. *lib. 5. c. 7.* per totum. item, *cap. 10.* per totum ferè, vbi de *Epijchia*, seu Virtute correctrice legum. Earum ελλειματα, id est, reliqua, quænam. *ibid. n. 4.* Legibus condendis vnusquisque se aptum præstare debet, & qualiter id fiat. *lib. 10. c. 9. 13. & seqq.* Legum multiplex differentia. *ibid. n. 15. & seqq.*

Legati apud Græcos, quidam sacri, quidam profani. *lib. 4. c. 2. n. 2.*

Legum latores cententur Architecti, & cur. *lib. 6. c. 8. n. 7.*

Leo Magnanimitatis speciem exhibet, etiam dum fugit. *lib. 4. c. 3. n. 14.*

Liberalitas, quæ Virtus sit, & in qua materia versetur. *lib. 4. c. 1.* per totum. Est mediocritas interiecta avaritiæ & prodigentia, veluti vitij extremis. *ibid. n. 4. & seqq.* Actiones, & functiones propriæ illius. *ibid. n. 6. & seqq.* Cautiones observandæ in largiendo. *ibid. n. 9. & seqq.* Proprietates illius quot & quænam. *ibid. n. 15. & seqq.*

Lotb an peccaverit in stupro ex ebrietate secuto. *lib. 3. c. 5. n. 10.*

Lucroniũ, seu *Sulio* brigæ, nobilissima *Rivogizæ* vrbs, laudatur. *lib. 3. c. 8. n. 13.*

Ludus aliquis vitæ humanæ necessarius est, *lib. 4. c. 2. & seqq. item lib. 10. c. 6.* An in actione ludi consistat humana Felicitas, *ibid. n. 11. & seqq.*

Lucrum, & *damnum* qualiter accipiatur & spectetur in iusto commutato. *lib. 5. cap. 4. num. 7. & seqq.*

Luscinia, avis, vulgo, *Raysenior* an delectetur

tur cantu *lib. 3. c. 10. n. 16.*

Luxuriosi & intemperantes reprehensu acriter à Gellio. *lib. 3. c. 10. n. 21.*

M

MAGISTRATUS virum ostendit, Biantis celebre effatum. *lib. 1. c. 1. n. 21.*

MAGNANIMITAS Virtus, atque eius extrema vitia. *lib. 4. c. 3.* per tot. In qua materia versetur, tam illa, quam vitia opposita. *ibid. n. 2. & seqq.* An tradita ab Arist. sue sit verè, & absque offensione doctrinae Christianæ. *ibid. n. 4. & seqq.* Non opponitur humilitati Christianæ. *ibid.* Comparatur cũ alijs Virtutibus. *ibid. n. 12. & seqq.* Eius functiones, seu officia, tum in prosperis, tum & in adversis. *ibid. n. 27. & seqq.* Res magnæ, in quibus versatur, quænam sint. *ibid. n. 10.* Variæ atque insignes notæ magnanimi viri eiusque proprietates. *ibid. n. 23. & seqq.* Qualiter se gerat cum superioribus, æqualibus, & inferioribus. *ibid. n. 25. 26. 27.* Novem illius proprietates. *ibid. n. 29. & seqq.* Viri magnanimi plures existimati. *ibid. à n. 27. vsque ad 35.* Gestus & oratio magnanimi viri, qualis esse debeat. *lib. 4. c. 3. n. 39.* Vicia Magnanimitati opposita expenduntur & comparantur inter se. *ibid. num. 40. & seqq.*

MAGNIFICENTIA Virtus, eiusque extrema vitia. *lib. 4. cap. 2.* per tot. Versatur in sumptibus splendidioribus, & illustrioribus, tanquam in propria materia. *ibid. n. 2. & seqq.* Vicia ipsi opposita. *ibid. n. 3.* Proprietates illius. *ibid. n. 4. & 5.* Functiones propriæ. *ibid. n. 6.* Proprietates illius. *ibid. n. 4. & 5.* Functiones propriæ. *ibid. n. 6.* item & ipsi contrariæ per excessum, aut defectum. *ibid. n. 7.* Magnificentia genus insanum in *Heliogabalo*. *ibid. n. 8.*

Mala visa magis terrent, quàm audita. *lib. 1. c. 11. n. 4. & 5.*

Mala, in quibus Fortitudo versatur quænam sint. *lib. 3. c. 6. n. 4. & seqq.* latè. Mala quædam ex natura rei, quædam opinione, seu consuetudine tantum apud varias nationes; eorumq; exempla. *lib. 4. c. 9. n. 8. & 9.*

MANSUETUDO, & vitia ipsi opposita. *lib. 4. c. 5.* per tot. Caret proprio nomine apud Græcos, quamvis vicumque appelletur *ωπαδων*. *ibid. n. 2.* Similiter & extrema caret proprio nomine, sicut & apud nos. *ibid. n. 3.* Servat mediocritatẽ circa iram. *ibid. n. 4. & seqq.* Vitium ipsi oppositum per defectum, quod dicimus lenitudinem, exponitur. *ibid. n. 6.* Vitium exuperans *iracundia*, eiusque multiplex modus. *ibid. n. 7. & seqq.* Vtrum vitiorum eorum sit peius. *ibid. n. 12. & seqq.*

Margarites stulticiæ, exëplar mirũ. *lib. 6. c. 7.*

Matres an magis quàm Patres diligant filios suos. *lib. 8. c. 12. n. 5. & seqq.* item *lib. 9. cap. 7. num. 17.*

Me

Mediocritas duplex, & in qua earum posita sit Virtus moralis. *lib. 2. cap. 6.* fere per totum. *Mediocritatum* inter varia extrema dispositio. *lib. 2. c. 7.* per totum. Quibus præceptis insistere oporteat ad servandam *mediocritatem*. *lib. 2. c. 9.* per totum. Quam difficile sit illam invenire. *ibid. n. 2. & seqq.*

Mendacium hominum triplex genus notat. *lib. 4. c. 7. n. 17. & seqq.* Est natura sua turpe. *ibid.* An liceat ex fine bono, seu ob utilitatem publicam *lib. 10. c. 1. n. 5. & 6.*

Mens & appetitus in homine, principia duogendi, exponuntur. *lib. 6. c. 2.* fere per totum. Vide *Intellectus.*

Mentes separatae appellantur Diæ ab Arist. aliisque Ethnicis. *lib. 5. c. 7. n. 6.*

Metus, an reddat involuntarias hominis actiones. *lib. 3. c. 1. n. 3. & seqq.* *Metus Panicus.* *lib. 3. c. 8. n. 7.* *Metus* quorundam nimius, ac risu dignus. *lib. 7. c. 5. à n. 17.*

Milites qualiter debant studere Fortitudini verae. *lib. 3. c. 6. & 7.* Quæ sint species Fortitudinis spuria, & merito ab ijs fugienda. *ibid. cap. 8.* per totum. Stipendiarij quandoque meliores ad victoriam & cur. *ibid. n. 11.*

Milo Crotoniates quis, quantarum virium, & qualiter perierit *lib. 1. c. 3. n. 7.* Eius voracitas incredibilis *ibid. & lib. 2. c. 6. num. 6. & lib. 10. cap. 9.*

Modestia eiusque extrema vitia. *lib. 4. c. 4.* per tot. Caret proprio nomine apud Græcos. *ibid. n. 1.* Comparatur cum Magnanimitate, sicut Liberalitas cum Magnificentiâ. *ibid. n. 3.* In qua materia versetur. *ibid. n. 3. & seqq.* Eius *mediocritas*, & vitia opposita. *ibid. n. 7. & seqq.* Modicitas vitium Magnificentiaë contrarium per defectum. *lib. 2. c. 7. n. 7. & lib. 4. cap. 2. n. 7.*

Mollitudo, Vitium, Constantiaë oppositum, exponitur per comparisonem cum illa, & cum inconinencia. *lib. 7. c. 7.*

Mollis quis proprie loquendo. *ibid. n. 8.* An sit peior, quam incontinens *ibid. n. 10.* Mollium exempla. *ibid. n. 14. & seqq.*

Mors ultima linea rerum. *lib. 3. cap. 6. n. 4.* qualiter in periculis mortis versetur Fortitudo. *ibid. & seqq.* Malorum omnium maxime terribile. *ibid. n. 10.* An post mortem sit felicitas, aut pœna aliqua ex mente Arist. *ibid. n. 10.* *Mors* quæ in bello incurritur maxime gloriosa, & cur. *ibid. n. 11.* Quæ in aqua accidit, infelix habebatur, & quam ob causam. *ibid.* Præmia statuta morientibus in bello. *ibid. n. 13.* Mortem sibi ipsi consciscere, potius est extreme timiditatis, quam Fortitudinis. *lib. 3. c. 7. n. 13.* Exempla aliquot eorum, qui sibi ipsis exitiales manus attulisse leguntur. *ibid.* Peccant adversus Rempublicam, ideoque legibus puniuntur. *lib. 5. c. 11. n. 6. & seqq.* *Mors* an sit acerbata fortibus viris. *lib. 3. c. 9. n. 6. & seqq.* *Mors*

pro amico, quam gloriosa. *lib. 9. cap. 8. num. 17. & seqq.*

Mos & *Mores* quomultipliciter accipiantur, & qualiter ad Philosophiam moralem spectent. *Intr. cap. 6.* per totum. *Morum* diversitas apud varias nationes. *lib. 4. c. 9. n. 8. & 9.*

Mureti laus. *Intr. c. 1. n. 4.* Eius monitum prudens & modestia plenum circa stilum Auctorum, qui res Scholasticas tractant. *ibid.*

N

NATURALIA quæque vix, aut ne vix quidem mutantur. *lib. 2. c. 1. n. 19. & 20.*

Necessitas apud Consultos, quæ *lib. 5. c. 2. n. 14.*

Negotiosi, seu polygramones, quinam. *lib. 6. cap. 7. n. 10.* Cur ardeliones dicti. *ibid.*

Niobe immodica in amandis filijs. *lib. 7. cap. 4. n. 13.*

Nomothetica seu disciplina condendarum legum, non tradebatur à Sophistis, aut Politicis. *lib. 10. c. 9. n. 22. & seqq.* Promittit Arist. se illam traditurum in libris Politicorum. *ibidem n. 29.*

Nos, sive Intellectus principiorum, quam virtus intellectualis, & qualiter à cæteris distincta. *lib. 6. c. 6.* per totum.

Nummus qualiter deserviat commutationibus iustis, & quam necessarius sit. *lib. 5. c. 5. n. 8. & seqq.*

O

OBERTVS GIPPANUS quantum illustraverit libros Ethicorum. *Intr. c. 1. n. 2.* præsertim observationibus iuridicis. *ibid. cap. 2. n. 8.* In eius Commentarijs extant nonnullæ hæreses, atque execrationes in Ecclesiam Romanam. *ibid.* Eius interpretatio in Arist. Ethica probatur, aut improbat varijs locis decursu Operis.

Occidens seipsum, an irroget sibi iniuriam, an Reipublicæ. *lib. 5. c. 11. n. 4. & seqq.*

Oculorum intuitus, origo amoris. *lib. 9. c. 5. n. 7.* Occasio multiplicis ruinæ spiritualis, & amoris turpis. *ibid. & seqq.* item *lib. 9. cap. 12. n. 2.* Illorum rara quædam infirmitas in quibusdam. *lib. 7. c. 7. n. 17.*

Odorum & vnguentorum voluptates moderari, an spectet ad Temperantiam. *lib. 3. c. 10. n. 13. & seqq.*

Oeconomia viri & vxoris, expenditur comparaturque cum Aristocratiâ & Oligarchiâ. *lib. 8. c. 10. n. 8. & seqq.*

OECONOMICA pars Philosophiæ Moralitatis. *ibid. c. 5.* Quænam sit eius materia propria, sive subiectum. *ibid. c. 8.*

Oligarchia, quænam Reipublicæ species, & qualiter in ea iustum servetur. *lib. 5. c. 3. n. 6.* Expenditur & improbat. *lib. 8. cap. 10. n. 2. & seqq.*

Oppi.

Opinio an sit vnum & idem cum electione. *lib. 3. c. n. 13. & seqq.*

Orgia quæ apud Græcos. *lib. 8. c. 9. n. 9.*

ὀργή, iracundia. Vitium Mansuetudini oppositum per excellum. *lib. 4. cap. 5. num. 3.* Eius multiplex modus. *ibid. n. 7. & seqq.*

P*arentum* obligatio ad filios rectè instituendos. *lib. 5. cap. 6. n. 18. & lib. 9. cap. 2. n. 7. ac seqq. & lib. 10. c. 9. n. 13.* qui vtuntur filijs vt seruis, comparantur Tyrannis. *lib. 8. cap. 10. n. 7.* Cura illorum olim circa educationem filiorum. *lib. 9. c. 9. n. 12.* Ea ipsa vberius traditur, & confirmatur exemplis. *lib. 10. c. 9. n. 7. & seqq.* Eorum amor iusto maior in filios, notatus. *lib. 7. c. 4. n. 15.* Item filiorum in parentes. *ibid.*

Pastoris boni & mali officium. *lib. 5. c. 6. n. 11.* Agamemnon populorum Pater dictus ab Homero, & cur. *lib. 8. c. 11. n. 2.*

PATRES Ecclesiæ dum Dialecticam & Philosophiam speculatricem reiiciunt, quo sensu loquantur. *l. c. 2. n. 4.*

Patris amor in filios, an sit maior, quàm filiorum erga ipsos. *lib. 8. cap. 12. n. 5. & seqq.* An item maior, quàm matris. *ibid. n. 10. & lib. 9. c. 7. n. 17.* Patri an liceat abdicatio filij, & è contrà. *lib. 8. c. 14. n. 8. & seqq.* An filius debeat Patri in omnibus obedire. *lib. 9. cap. 2. n. 5. & 6.* quænam ipsi officia debeat, & an possit aliquando excusari ab onere alendi Parentes. *ibid. n. 7. & seqq.*

Periapton, quid. *lib. 1. cap. 7. n. 6.*

Pertinax & continens qualiter conveniens & differant. *lib. 7. cap. 9. per totum.*

Perturbationes, seu affectiones, in quo consistant. *lib. 2. cap. 5. n. 3.* quot illæ sint *ibid.* & latius *lib. 2. c. 7. n. 4. & seqq.* quæ ex aliqua perturbatione fiunt, an sint voluntaria. *lib. 3. c. 1. n. 33. & seqq.*

Petri Rogerij, aliàs Clementis VI. admiranda memoria ex vulnere inflictio. *lib. 5. cap. 11. num. 11.*

Phantasia quid, & an necessitatem homini imponat. *lib. 3. c. 5. n. 17. & seqq.*

Pbilecteti casus acerbus. *lib. 7. cap. 7. num. 11.*

PHILOSOPHIÆ MORALIS origo, dignitas, vtilitas, & præstantia supra cæteras disciplinas, quanta & qualis. *l. c. 2. per totum.* An à Pythagora primum tradita. *ibid. à n. 1.* Quid Socrates, Plato, & Aristoteles in eam contulerint. *ibid.* Philosophiæ Moralis fundamenta iaciuntur in hisce Ethicorum libris. *l. cap. 5. per totum.* Eius divisio in Ethicam (quæ & Monastica) Oeconomicam, & Politicam. *ibid.* Ethicam esse præparationem quandam ad duas posteriores. *ibid. num. 3.* Ethicæ scopum esse institutionem vitæ singulorum, ex

mente. D. THOMÆ, cuius opinio vindicatur ab impugnationibus Piccolom. *ibid. num. 4. & seqq.* Quo sensu dicatur Moralis, & qualiter Mores accipiantur, prout ad ipsius considerationem spectant. *ibid. c. 6. per totum.* quænam sit illius materia, siue subiectum, tam generatim acceptæ, quàm divisæ in Ethicam, Oeconomicam, & Politicam. *ibid. cap. 7. & 8.* Illam esse scientiam, non speculatricem, sed practicam; non effectricem, sed activam. *ibid. cap. 9. per totum.* Quo ordine addiscenda. *ibid. n. 5. & seqq.* Compendium breve illius, quatenus traditur his decem libris Ethicorum. *ibid. c. 10. per totum.* Est Architectonica relatè ad cæteras disciplinas; & quo sensu. *lib. 1. c. 2. n. 9. & seqq.* Eius auditor qualis esse debeat, & qualiter illam tradi oporteat. *lib. 1. c. 3. per totum.* An potius, senibus, quàm iuuenibus conveniens sit illius studium. *lib. 1. c. 3. n. 11. & seqq.* Eius auditorem debere esse probè institutum ab ipsa pueritia. *lib. 1. cap. 4. n. 6. & seqq.* Methodus quænam debeat esse in tradenda eâ. *ibid. n. 4. & 5. & lib. eod. 1. cap. 7. n. 8. & 9.* Ad illam spectat agere de Virtutibus. *lib. 1. c. 13. n. 2. & 3.* Similiter de actionibus bonis, & malis. *lib. 2. c. 2. n. 2.* Item de Voluntario atque involuntario. *lib. 3. cap. 1. num. 2.* Item de electione, seu consilio agendi. *lib. 3. c. 2. n. 2. & seqq.* Item de Voluptate. *lib. 7. cap. 11. & lib. 10. c. 1. per totum.* Item de Amicitia. *lib. 8. c. 1.* Philosophiæ Moralis studium non sufficere, nisi præterea vnusquisque fieri probus studeat. *lib. 10. c. 9. n. 2. & seqq.*

Philosophus quàm alienus debeat esse ab amore divitiarum. *lib. 9. c. 1. n. 8.* Debet id ipsum docere, quod verum existimat, idque factis confirmare. *lib. 10. c. 1. n. 5. & 6.*

Pietas parentibus debita à filijs, eiusque officia. *lib. 9. cap. 2. n. 7. & seqq.*

φιλαυτία in quibuslibet erga suum opus. *lib. 9. cap. 7. n. 7. & seqq.* De amatore sui latè. *ead. lib. cap. 8. per totum.*

φιλόθυμ Græcè in bonam & malam partem. *lib. 4. cap. 4. n. 5.*

Philoxenus Eryxius, insignis helleuo. *lib. 3. cap. 10. n. 10.* Exoptabas guttur Trium Cubitorum. *ibid.*

φρονσις, quid sit. *lib. 6. c. 4. n. 11.*

Pindari elogium. *lib. 4. cap. 1. n. 16.*

Pleonexia, quodnam vitium. *lib. 5. cap. 1. n. 12. & seqq.*

PLATO quid contulerit in Philosophiam Moralem. *ibid. cap. 2. num. 2.* An illam didicerit ex Sacris litteris. *ibid.* An Ideam boni & aliarum quarumlibet rerum in Deo tradiderit, & quo sensu. *ibid.* Eius Commentum de Virtutibus inditis animo, & earum oblivione, reiectus. *lib. 2. c. 1. n. 12. & 13.* Variæ itidem eius opiniones probatæ aut improbatæ decurso Operis.

Poe

Poetarum nemo malus sibi videtur. *lib. 4. c. 1. n. 16. & lib. 9. c. 7. n. 8.*
POLITICVM quid significet. *lib. 5. c. 6. n. 4. & 5.*
POLITICA Philosophiæ Moralis pars præcipua. *l. c. 5.* Eius subiectum, sive materia propria. *ibid. c. 8.* An tradat institutionem privatam singulorum. *lib. 5. c. 2. n. 10. & lib. 10. c. 9. n. 1.* An idem habitus sit cum Sapientia. *lib. 6. c. 7. n. 22. & seqq.* In quo conveniat cum Prudentia, aut ab ea differat. *ibid. cap. 8. num. 2. & seqq.* Imperat omnibus disciplinis, & quo sensu. *ibid.*
POLITICIS, quàm necessarium Ethicæ studium. *l. c. 2. n. 9.* Eorum studium in virtute collocatum esse debet. *lib. 1. cap. 13. n. 3.* Nesciebant olim condere leges. *lib. 10. cap. 9. nu. 24. & seqq.*
Princeps bonus debet exequi leges suas. *lib. 5. c. 6. n. 10.* Qualiter se gerere debeat cum subditis. *ibid. n. 12.*
Principia agentis quænam sint. *lib. 6. cap. 2. per totum.*
Prodigiosa vitium oppositum Liberalitati. *lib. 4. c. 1. n. 4.* Comparatur cum avaritia extreme contraria. *ibid. n. 16. & seqq.* Frequenter alij vitijs coniunctum. *ibid.*
Prodigia, sive ostenta terribilia, an timenda sint à viro forti, & qualiter. *lib. 3. c. 6. n. 2. & seqq. latè.*
Proportio, quæ & qualis ad Iustitiam distributivam spectet. *lib. 5. c. 3. n. 6. & seqq.* item quo duplex. *ibid. item. c. 4.*
PRUDENTIA differt ab Arte. *lib. 6. c. 4. n. 23. & 4.* ac latius *c. 5.* Vestigatur eius propria ratio ex consideratione virorum prudentium. *c. 5. n. 2. & seqq.* Distinctio illius à scientia. *n. 6.* Definitio. *n. 8.* Materia in qua versatur. *ibid. n. 9. & seqq.* Prudentem esse ac scientem non idem est, idque exemplis confirmatur. *ibid. 10.* Quo sensu dicatur scientia à Socrate, Platone, & Arist. *ibid. n. 11.* differt ab Arte multipliciter. *ibid. n. 14. & seqq.* An sit idem habitus cum sapientia. *lib. 6. c. 7. n. 13. & seqq.* iterumque. *n. 22. & seqq.* Insuper distinctio utriusque ex parte materiæ ostenditur. *ibid. n. 27. & seqq.* Quatenus conveniat cum Politicæ, aut ab ea differat. *lib. 6. c. 8. n. 2. & seqq.* An curet solum bonum privatum prudentis, an etiam familiæ, aut civitatis. *ibid. num. 10. & seqq.* Tres species ipsi subiunctæ, Oeconomica, Nomothetica, & Chirotechnæ. *ibid. n. 8. & 9.* Chirotechnæ rursus dividitur in *buleutiken*, & *dicastiken*. *ibid.* Pueri Mathematicas scientias addiscere possunt. *ibid. n. 12. & 13.* Illam perfecte acquirere, quàm difficile. *ibid. usque ad n. 18.* Distinctio illius à scientia, & intellectu principiorum. *ibid. n. 18. & seqq.* Cur illa dicatur notitia *ῥῆσις ἀληθῆς*, *extremi*, Intellectus vero *ἡ σφαιρα*, *terminorum*, *ibidem*. *Præ-*

dentis comites, seu adiutrices plures. *lib. 6. c. 10. n. 1.* An prius acquiratur, quàm *synesis*. *ibid. n. 6. & seqq.* Eius utilitas ad parandam Felicitatem. *lib. 6. cap. 13. latè.* Connexio illius cum cæteris Virtutibus. *ibid. & cap. 13. sequenti per totum.* Versatur in bonis humanis, competitque homini, quatenus corpore & animo constat. *lib. 10. c. 8. n. 2. & seqq.* Prudentia an simul esse possit cum incontinentiâ. *lib. 7. c. 10. per totum.*

Pudor Vide *Verecundia*.

Pueri Mathematicis disciplinis apti potius quàm Prudentiæ. *lib. 6. c. 8. n. 12.*

Pulchra & formosa non dicuntur, nisi quæ magna. *lib. 4. c. 3. n. 7.* Placritudo corporis & proceritas auget in viris auctoritatem. *ibid. num. 19.*

Pumiliones possunt esse belli, non pulchri. *lib. 4. c. 3. n. 7.*

Pusillanimitas, Vitium Magnanimitati oppositum per defectum. *lib. 2. cap. 7. n. 7. & lib. 4. c. 3. n. 40. & 41.*

PYTHAGORAS An inventor Moralis Philosophiæ. *l. c. 2. à n. 1.*

Pythagoreorum Talio an sit vnum & idem cum iusto. *lib. 5. c. 5. per totum.*

Q

Qualitates an sint actiones virtutis. *lib. 10. c. 3. n. 2.*

Quærelæ oriri solitæ in varijs Amicitia speciebibus, præsertim verò in eâ, quæ utilitate ducitur. *lib. 8. cap. 13. fere per totum.* Eas compensatione præsertim tolli, & quomodo hæc facienda sit. *ibid. n. 10. & seqq.* Oriuntur etiam quærelæ ex Amicitia in excellentia. *lib. 8. cap. 14. per totum fere.* Radix earum, & modus, quo præcaveri possint. *ibid. num. 5. & seqq.* Quærelæ in amicitia dissimilium, earumque remedium. *lib. 9. cap. 1. per totum.* Quærelæ benefactorum, quod minus iusto amantur ab ijs qui beneficia acceperunt. *lib. 9. cap. 7. fere per totum.*

R

Ratio recta quænam sit, & qualiter necessaria ad Virtutes acquirendas. *lib. 6. num. 2. & 3.*

Rifus nimis effusus an venia dignus. *lib. 7. cap. 7. num. 13.*

Regibus & Principibus quàm utile & necessarium sit studium Philosophiæ Moralis. *ibid. cap. 3. per totum.* quantum profint aut nocent subditis exemplo suo bono aut malo. *lib. 1. cap. 4. num. 5.* Illorum amicitia multiplex. *lib. 8. cap. 6. num. 8. & seqq. item cap. 7. per totum.* Regum Persarum ac Scytharum filij

molles. *lib. 7. cap. 7. n. 14.* In quo Reges differant à Tyrannis, & quænam virorumque officia. *lib. 8. cap. 10. num. 3. & 6.* Regia amicitia, quænam. *lib. 8. cap. 11. num. 2. & 3.* Rex subditorum debet esse quasi Pater. *ibid.*

Res contingentes & humanæ, quædam sub actionem, quædam sub effectum cadunt, & ad habitus diversos spectant, *lib. 6. cap. 4. num. 2. & seqq.*

RESPUBLICÆ specie diverse, & varius in ijs modus servandi iustum. *lib. 5. cap. 3. nu. 6.* Æqualitas non vna & eadem in iusto ab ijs spectata. *lib. 5. cap. 6. n. 6.* Rempublicam curare, an spectet ad Prudentiam. *lib. 6. cap. 8. n. 10. & seqq.* Item latè de varijs illius speciebus. *lib. 8. cap. 10. per totum.* Comparatio illarum, tum inter se, tum etiam cum tribus alijs speciebus Reipublicæ vituperio dignis. *ibid.* Comparatio earum cum varijs Amicitia formis. *lib. 8. cap. 11. per totum: item cap. 11. num. 6. & seqq.*

Rhadamanti Regis ius quale, & an iustum. *lib. 5. cap. 5. toto.*

Romæ magnitudo mira olim, & numerus civium. *lib. 9. cap. 10. num. 9. & 10.*

Romanis plura putabantur licita, quæ Græcis turpia & inconcessa, atque è converso. *lib. 4. cap. 9. num. 8. & 9.*

Rusticitas, vitium comitati oppositum per defectum. *lib. 2. cap. 7. num. 8. & lib. 4. cap. 8. à num. 19.*

Ruy Diaz Lucroniensis militis facinus memorabile. *lib. 3. cap. 8. num. 13.*

S

Sagacitas. Vide *Synæsis.*

Sapientes quinam dicantur simpliciter, quinam ex parte solùm. *lib. 6. c. 7.* Sapientum dictis quantum deferre oporteat, etiam si demonstrationibus nõ vtantur. *lib. 6. c. 12. n. 12.*

SAPIENTIA An versetur circa principia, ijsque assentiat. *lib. 6. c. 6. n. 25. & seqq.* Quibus illa tribui soleat. *l. 6. c. 7. n. 23. & seqq.* Quo item sensu dicatur caput habens, & scientia eorum quæ honorabilissima sunt. *ibid. num. 9. & seqq.* An sit idem habitus cum Prudentia, & Politica. *ibid. num. 13. & seqq. & 22. cum seqq.* Latè. Sapientiæ utilitas ad parandam Felicitatem. *l. 6. c. 12. latè.* An sit præstantior, quàm Prudentia. *l. 6. c. 13.*

Sardanapali Regis luxus immodicus. *l. 1. c. 5. n. 5.*

SCIENTIA propriè dicta ex quibusnam causis procedat, in qua materia versetur, & quæ sit propria eius ratio. *l. 6. c. 3. n. 8. & seqq. latè.*

Scipio in bello Numantino qualiter puniret milites ignavos. *l. 3. c. 8. n. 5.* Eius dexteritas & humanitas. *l. 4. c. 8. n. 9.*

Scurras cur Aristoteles appellet βωμολόγ.

αἴσ. *l. 4. c. 8. n. 4. & 5.* Qui semel scurra, nunquam pater familias, *ibid. n. 5.* Scurre & faniones notantur. *ibid. & n. 17. ac seqq.*

SENECA an potius doctrinã, quam vitã, Philolophus. *lib. 1. c. 3. n. 3. & seqq.* Eius opes, moderatio frugalitas. *ibid.* Eius variæ atque insignes tententiæ, toto fere decurru Operis.

Sensus singularium qualiter ab Arist. accipiat. *lib. 6. c. 8. n. 19. & seqq.*

Sententia. Vide *Gnome.*

Servus cum domino an possit inire amicitiam. *lib. 8. c. 11. n. 8.* An sit capax Felicitatis. *lib. 10. c. 6. n. 17. & seqq.*

Sidera. Vide *Astra.*

Similitudo an sit causa amoris, an potius odij. *lib. 8. c. 1. n. 9. & seqq.*

Simonides Poeta avarus, eiusque dictum refutatum. *lib. 4. c. 1. n. 19.*

Sirenes quæ, & qualiter ijs comparentur voluptates. *lib. 3. c. 10. n. 7. & seqq.*

Societas omnis reducitur ad communicationem civilem. *lib. 8. cap. 9. n. 2. & seqq.* Societatis varij gradus. *ibid.*

Socrates quid contulerit in Philosophiam Moralem. *l. c. 2. n. 2.* Eam didicisse fertur à Pythagora. *ibid.* Laudatus ab Erasmo ultra modum. *ibid.* Socratis irenia crebra. *lib. 4. cap. 7. n. 5. & 20.* Eius effatum, neminem scientem male agere, expenditur latè. *lib. 7. c. 2. & 3.*

Somnus quorundam diuturnus. *lib. 10. c. 8. num. 13. & 14.*

Solomonis dictum, neminem ante finem vitæ felicem existimandum, expenditur. *lib. 1. c. 10.* fere per totum. In condendis legibus fuit instar Architecti. *lib. 6. c. 8. n. 7.*

Sophistæ reprehensi ob avaritiam & cenodoxiam. *lib. 9. c. 1. n. 6. & seqq.* Inutiles Reipublicæ. *lib. 10. c. 9. n. 23. & seqq.*

Spontanæum quid & quotuplex. *lib. 3. cap. 1. n. 23. Vid. V. Voluntarium.*

Stilus ab Auctore servatus in hoc opere. *l. c. 1. n. 4.* Qualis adhiberi debeat in rebus scholasticis. *ibid.*

Syllogismus incontinentis pessimus. *lib. 7. c. 3. n. 13. & seqq.*

Συνάλλαγμα, quid, & qualiter accipiat. ab Arist. *lib. 5. c. 2. n. 13. Vide Contractus.*

Συμβόλαιον, quid & qualiter ad Iustitiam spectat. *lib. 5. c. 2. n. 12.*

Synæsis, seu sagacitas, in quo consistat, quod contrarium habeat, & quâ ratione comparetur cum Prudentia. *lib. 6. c. 11. per totum.* An prius quàm illa adquiratur. *ibid. n. 6. & seqq.*

T

Tæctus Voluptates iust in quibus moderandis præcipue versatur Temperantia. *lib. 3. cap. 10. n. 18. & seqq.*

Talio Pythagorica an sit vnũ & idem, ac iustum. *lib. 5. c. 5. per totum.*

Tarquinus Gallus Ethicorum Interpres atque Explanator, laudatur. *l.c. 1. n. 2.* Interpretationes illius in varia Ethicorum loca sæpe probatæ aut improbatæ toto decursu Operis.

Tartarorum mos barbarus & risu dignus. *lib. 7. c. 5. n. 19.*

TEMPERANTIA est virtus affinis Fortitudini. *lib. 3. c. 10. n. 1. & seqq.* In qua animæ parte resideat. *ibid. n. 2. & 3.* Est mediocritas quædam circa voluptates & tristitias. *ibid. n. 4.* Quænam sint eiusmodi voluptates, & tristitiæ. *ibid. n. 5. & seqq.* Voluptas audiendi nova, videndi pulchra, & olfaciendi fragrantia, an spectet ad Temperantiam. *ibid. n. 6. & seqq.* latè. Posita est in moderandis voluptatibus gustus & præsertim tactus. *ibid. n. 18. & seqq.* Quomodo se gerat circa cupiditates, tum communes, tum & peculiare singulorum. *lib. 3. c. 11. ferè per totum.* Item circa molestias ac dolores. *ibid. n. 20. & seqq.* Qualiter se gerat circa voluptates. *ibid. n. 15. & seqq.* Comparatur cum timiditate, & secernitur ab illa. *lib. 3. cap. 12. n. 2.* Temperantiæ opera. *lib. 6. c. 12. n. 6.* Dicitur *sophrosyne* à Græcis, tanquam servatrix Prudentiæ. *lib. 6. cap. 4. n. 12. & 13.* Temperantes pauci Philosophorum veterum. *ibid.* Comparatio Temperantiæ cum continentia. *lib. 7. c. 4. n. 9. & seqq.*

Terribilia, in quibus versatur Fortitudo, quænam sint. *lib. 3. c. 6. ferè per totum.* Quædam terribilium excedunt humanas vires, quædam non excedunt. *lib. 3. c. 7. n. 2. & 3.* Quænam eorum possint timeri à viro forti, & qualiter timenda sint. *ibid. & seqq.* Terribilia perferre, an sit difficilior, quam abstinere à iucundis. *lib. 3. c. 9. n. 2. & seqq.*

Terrores Panici in præliis. *lib. 3. c. 8. n. 7.*

Thebanorum ignavia. *lib. 3. c. 8. n. 9.*

THEOLOGIS quænam necessarium sit studium Philosophiæ Moralis. *l.c. 2. n. 7.*

Θεωγοί apud Græcos, quinam. *l. 4. c. 2. n. 2.*

Θιασ, quid significet. *lib. 8. c. 9. n. 9.*

THOMAS Doctor Angelicus quanti fecerit doctrinam Aristotelis in hisce Ethicorum libris. *l.c. 2. n. 7.* Eiusdem S. D. interpretatio & expositio multiplex, toto ferè decursu Operis.

Tiberij ira, qualis. *lib. 4. c. 5. n. 9.* Eius nobile effatum. *lib. 5. c. 6. n. 12.*

Timocratia infima species Reipublice probabilis, explicatur. *lib. 8. cap. 10. n. 2.*

Timiditas vitium fortitudini oppositum per defectum, exponitur. *lib. 3. c. 7. n. 7. & seqq.* Timiditas insignis quorundam. *lib. 7. c. 5. n. 17. & seqq.*

Troasylai rara admodum infania. *lib. 4. ca. 1. num. 16.*

Trierarchus, quis. *lib. 4. c. 2. n. 2.*

τροπῶν apud Arist. quis, eiusque etymon. *lib. 7. c. 7. n. 10.*

Tyrannis contrapposita Regno, expenditur. *lib. 8. c. 10. n. 2. & seqq.*

Tyranni an sint proprie avari. *lib. 4. cap. 1. n. 20.* Cur eos Græci appellent *ἀνοήτους*. *lib. 5. c. 6. n. 22.* Quidam eorum divinum honorem extorserunt à subditis. *ibid. n. 14.* In quo distent à Regibus. *lib. 8. cap. 10. n. 3.* Nequeunt subditi cum ijs amicitiam habere. *lib. 8. ca. 11. num. 7.*

V

VERECUNDIA an sit virtus, & in qua materia versetur. *lib. 4. c. 6. per totum.* Non est habitus, ideoque nec proprie virtus. *ibid. n. 2.* Verecundantes cur rubescant, metuentes verò contra expalleant. *ibid. n. 3.* An sit idem ac pudor. *ibid. n. 4.* Eius laus. *ibid.* Materia in qua versatur. *num. 5.* In iuvenibus maximè laudanda. *n. 6.* In senibus vix habet locum. *ibid. n. 7.* An insit homini qui semper probus fuit. *ibid. n. 9. & seqq.* vsque in finem. Vbi pudor perit, spes nulla bonæ frugis est. *ibid.*

VERITAS, seu veracitas, & illius extrema. *lib. 4. cap. 7. per totum.* Servat mediocritatem inter ironiam & iactantiam. *ibid. num. 2. & 3.* Iactantiæ propria ratio & vitiositas. *ibid. n. 4.* Ironia quid, & quibus præsertim in usu fuerit. *ibid. num. 5. & 6.* Veritatis rectitudo, & functiones proprie. *ibid. num. 7. & seqq.* Extrema vitia vberius exponuntur. *ibid. num. 12. & seqq.*

Violentum quid, & quotuplex. *lib. 3. c. 1. n. 3. & seqq.* Qualiter pariat involuntarium. *ibid.*

Vir probus id iudicat bonum, quod verè bonum est. *lib. 3. c. 4. n. 6. & 7.* Est quasi canonicus, seu norma agendorum. *ibid. n. 8.* vir fortis an sentiat dolorem inter terribilia. *lib. 3. c. 9. n. 4. & seqq.*

Virginitas amissa an possit recuperari. *lib. 6. c. 2. n. 18.* Fortiter asserenda est, etiam cum periculo vitæ. *lib. 10. c. 3. n. 7.* Exempla quorundam. *ibid.*

VIRTUS an sit id, in quo sita est humana Felicitas. *l. 1. c. 5. n. 8. & seqq.* Distinctio Virtutum in intellectuales ac morales, iuxta distinctionem facultatum animæ. *lib. 1. cap. 13. per totum, & lib. 2. cap. 1.* Virtutes an sint naturæ insitæ, an potius acquirantur, & quomodo. *lib. 2. cap. 1. per totum.* Quibus actionibus generentur aut corrumpantur. *lib. 2. c. 3. per totum.* Quibus signis, seu notis possit quis in se deprehendere virtutem iam acquisitam. *lib. 2. c. 3. n. 2. 3. & 4.* Adversus eos qui plurimum de virtutibus disserunt, nec tamen secundum illas operantur. *lib. 2. c. 4. n. 7. & 8.* Virtutum sedem in anima esse, ubi & affectionum & facultatum, & habituum. *lib. 2. cap. 5. ferè per totum.* Virtutem non esse sitam nisi in habitu, ut

ratione generica. *ibid.* Virtutes, & vitia an sint in nostra potestate. *lib. 3. c. 5. per totum.* Homo est sibi causa efficiens vitiorumque. *ibid. nu. 3.*

4. Virtutum omnium precipuarum sunt quedam comites, vel adiutrices. *lib. 6. c. 10. p. 1.* Earum connexio, cum Prudentia. *lib. 6. c. 13. fere per totum.* Virtutis actiones an sint qualitates. *lib. 10. c. 3. n. 2.* Virtus Heroica quanam, & in quibus. *lib. 7. c. 1. n. 2. & seqq.*

VIRTUS. Moralis versatur in voluptatibus & tristitijs, veluti in materia propria. *lib. 2. c. 3. n. 5. & seqq. late.* Non omnem actionem iustam esse notam virtutis iam acquisita, sed illam solum, quae electione & constantia fit. *lib. 2. c. 4. fere per totum.* Dilectio illius ab arte. *ibid.* Quidditas seu essentia ipsius quanam sit. *ibid. & cap. 5. per totum.* Eam statutam esse in mediocritate inter extrem, quorum alterum exuperat, alterum deficit. *ibid.* Virtutum moralium ac vitiorum mutua oppositio an sit, & qualis, ac quanta. *lib. 2. c. 8. per totum.* Virtutes morales firmiores sunt quoddammodo, quam intellectuales, & cur. *lib. 2. c. 1. & lib. 6. c. 5. n. 21. & 22.* Versatur in actionibus & rebus humanis, competitque homini, quatenus corpore & animo constat. *lib. 10. cap. 8. n. 2. & seqq.* An posita sit potius in electione interna, quam in operatione externa. *ibid. n. 10.* An sine hac adquiri possit. *ibid. n. 11.* An sint Virtutes morales in Deo. *ibid. nu. 15. & seqq.* An in belluis. *n. 21. & seqq.*

VIRTUS Intellectualis, eiusque divisio in quinque species, & singularum expositio. *lib. 6. per totum.*

Vita unicuique incunda, sed praesertim viro felici. *lib. 9. c. 9. n. 13. & seqq.* An propter voluptatem appetenda sit, an potius voluptas propter vitam. *lib. 10. c. 4. n. 12.*

Vitia opposita Virtutibus moralibus quanam. *lib. 2. c. 7.* vitia qualiter & quantum virtutibus opponantur. *lib. 2. c. 8. per totum.* Vicia extrema an magis inter se opponantur, quam cum virtute morali interiecta. *ibid. n. 5.* Vicia, sicuti & virtutes, an sint in nostra potestate. *lib. 3. c. 5. per totum.* An post vitia contracta possit quis respicere, & virtutes acquirere. *ibid. n. 15. & seqq.* Vicia opposita Fortitudini explicantur, illustrantur, exemplis, & comparantur cum ipsa. *lib. 3. c. 7. fere per totum.* Vitium gula. *v. Gula.* Vitium oppositum Temperantiae per defectum. *lib. 3. c. 11. n. 13. & 14.* Per excessum. *ibid. cap. 12.* Vicia opposita Libertati. *lib. 4. c. 1. vide plura alia in nomine proprio ceterarum Virtutum.*

Vlysses callidus, fallax, & doctus, cur. *lib. 1. cap. 10. n. 6.*

Voluntas an feratur in bonum verum, aut

apparet. *lib. 3. cap. 4. per totum.* An sit causa Virtutum Moralium, ac vitiorum. *lib. 3. cap. 5. per totum.* An sit perfectior, quam intellectus. *lib. 10. cap. 7. num. 3. & sequentib. late.*

Voluntarium atque involuntarium, quid & quocumque. *lib. 3. c. 1. per totum.* Involuntarium per vim quale sit. *ibid. n. 2. & seqq. late.* Involuntarium ex ignoratione. *ibid. n. 17. & seqq.* Voluntariae actionis quanam sit circumstantia. *ibid. n. 23. & seqq.* Voluntarium tandem in quo consistat. *ibid. n. 23. & seqq.* An ea quae ex cupiditate, aut alia perturbatione fiunt, sint voluntaria. *ibid. n. 23. & seqq.* Involuntarium an sit, quod ex amore rerum pulchrarum fit. *ibid. n. 16.* Voluntarium quoddam fit ex procrebris, quoddam sine illa. *lib. 5. c. 8. n. 9.*

Voluptas non est, in quo Felicitas hominis sita est. *lib. 1. c. 5. n. 4. & 5.* Quam fallax sit, & quanto studio ab ea declinare oporteat. *lib. 2. c. 9. n. 8.* Voluptates quaedam animi, quaedam corporis: & in quibus earum versetur Temperantia. *lib. 3. cap. 10. n. 5. & seqq.* Sunt sirenum instar ad capiendos homines. *ibid. n. 7. & seqq.* Voluptatum in videndo & audiendo moderatio ad quam virtutem spectet. *ib. n. 5. & seqq. late.* Item in olfaciundo. *ib. n. 13. & seqq.* Quae ad gustum, & praecipue quae ad tactum spectant, sunt materia Temperantiae. *ibid. nu. 18. & seqq.* Voluptatum divisio in turpes & concellas. *lib. 3. c. 11. n. 16. & 17.* Voluptatis consideratio spectat ad Philisophiam Moralem. *lib. 7. c. 11. & lib. 10. c. 1. per totum.* Opiniones Veterum illam probantium aut improbantium. *lib. 7. c. 11. & c. 12. item lib. 10. c. 2. c. 3. & c. 4.* An vere probanda aut improbanda sit. *lib. 7. c. 12. & lib. 10. c. 12.* Voluptatum species varia. *lib. 7. c. 13. & 14. item lib. 1. c. 4.* Voluptas quid non sit, & quomodo operationem perficiat. *lib. 10. c. 4. per totum.* Quae turpis natura sua est, nullo modo admittenda, cum cum vitae periculo. *lib. 10. c. 3. n. 7.* Quantum durer. *lib. 10. c. 4. n. 8.* Cur non sit continua. *n. 9.* Cur initio iucundior. *n. 10.* Cur ab omnibus appetatur. *n. 11.* Voluptates adversus naturam. *lib. 7. c. 5. late.*

Vrbium magnitudo, quanta esse debeat, & quantus civium numerus ad rectam gubernationem. *lib. 9. cap. 10. n. 8. & seqq.* Magnitudo mira quarundam vrbium. *ibid.*

Vtilitas aliqua an reportetur ex disciplinis theoreticis. *lib. 2. cap. 2. n. 4. item lib. 6. c. 7. nu. 23. & seqq.*

X

Xenophanti risus effusus, an venia dignus. *lib. 7. c. 7. n. 13.*

ERRATA SIC CORRIGE.

EX PRIORI PARTE. Lib. 1. Pag. 53. col. 2. lin. 23. alio, lege *alibi*. Lib. 2. pag. 60. col. 1. lineam 30. fine *n̄* *hos*, lege *ē* *hos*. Eod. lib. pag. 64. col. 2. lin. 29. initio, *Her* dele. Item lin. 30. sequenti generatur, lege *qua generatur*. Pag. 88. lin. 23. Virtutem, lege *Virtuti*. Pag. 145. col. 2. lin. 7. deliberare, lege, *deliberaret*.

EX POSTERIORI PARTE. Lib. 8. c. 11. pag. 184. lin. 7. mercimonia. lege *mercimonium*. Pag. 186. col. 1. lin. 30. mones, leg. *mors*. Pag. 256. col. 2. l. 22. *μάρτα*. lege *μάρτα*. Pag. 295. col. 1. l. 38. actione, lege, *in actione*. lin. 39. dele *in*. Pag. 313. lin. 28. Commentario. lege *Commentario*. Sunt & alia, aut leuiuscula, aut facilia correctu, quæ lector æquus, aut dissimulet, aut emendet. *Sal-*
manticæ extrema Iulij die, M. DC. LXXV.

M. Petrus Diaz de Castro, Humaniorum litterarum Professor,
& Corrector ex præscripto D. Cancellarij.

E I N I S

SALMANTICÆ:

Apud LVCAMPEREZ, prope Collegium Societatis,

ANNO M. DC. LXXV.



X

X

